PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

TOMUS QUINTUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété des Editeurs, qui se réservent tous leurs droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correcta aut addita, ut id suum Editores reddiderint et, quidquid suorum jurium sit, sibi vindicent. Itaque, si quis idem aut furto ediderit aut quoquo modo erit imitatus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

DIONYSII

PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

A J.-B. THOMAS

Vicario Generali, in Seminario Virdunensi Theologiæ Professore

recognitum et adnotatum

TOMUS QUINTUS

DE PELAGIANORUM, ET SEMIPELAGIANORUM DOGMATUM HISTORIA. — DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE ET S. AUGUSTINI DOCTRINA. — DE LEGE ET GRATIA. — ELENCHUS THERIACÆ VINCENTII LENIS. — DE ADJUTORIO SINE QUO NON, ET ADJUTORIO QUO, BREVIS DISSERTATIO. — DE INCARNATIONE VERBI, LIB. I-III.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
P441
Alma, California

BARRI-DUCIS, L. GUERIN & SOCII, EDITORES

M DCCC LXVIII

39174

Property
ApD
Please return to
Graduate Theological
Union Library

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM DOGMATUM HISTORIA.

DIONYSII PETAVII

THEOLOGIS

DE PRÆDAMNORUM ET SEMIPELAGIANORUM

DOGMATUM HISTORIA.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM DOGMATUM HISTORIA

LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM.

Pelagii ortus, vitæ genus ; an Chrysostomo, et Isidoro Pelusiotæ cognitus. De Cælestio ejus discipulo ; utriusque gesta, certamina, accusatio, damnatio. Diospolitana synodus, deque Pelagio judicium. Augustini cum ambobus contentio. De Orosio, ejusque apologia. De Herote, et Lazaro Pelagii accusatoribus. De Africano concilio, in quo ad extremum damnatus est cum hæresi sua Pelagius. Zosimi papæ res in causa illius hæresis gestæ. De Juliano, ejusque cum Augustino conflictu.

I. De Pelagio, ejusque hæresi sæpe hoc in opere mentionem cogimur facere; præsertim vero cum de prædestinatione, ac libera hominum voluntate disputamus; quæ duo capita, nisi illa prius explicata, et cognita, bene intelligi, tractarique nequeunt. Ac proprius quidem ejus exponendæ locus ibi esse videtur, ubi de gratia disseritur, cujus operæ maxima pars in excutiendo, ac refutando sectæ istius errore consumitur. Sed, quoniam de gratia nonnisi longo post intervallo agere constitui, quod ei Theologicorum Dogmatum parti prævertenda mihi esse aliqua decrevi, præter quæ vereor, ut ætatis jam devexæ, et ingravescentis spatia prorogari possint; non abs re sum arbitratus fore, si de Pelagiana hic hæresi quædam velut in antecessumad notarem, quæ usui futura lectoribus ad illa, quæ jam scripta sunt, capienda putavi. Ea vero ante complures annos meditata jam, et confecta tum habebam, cum de prædestinatione, quæ sunt edita, commentarer. Quo ex tempore complures de eodem argumento lucubrationes in lucem prodiere virorum doctorum, in quibus similia, ac nostra erant, observasse, edendoque occupasse illos animadvertimus. Quæ res non eo apud me valuit, ut eam partem, quæ Pelagii acta, et historiam complectitur, funditus omitterem ; sed uti tum hanc brevius, et quantum omitti non poterat, explicarem, tum alia quædam adjungerem, quæ lucis aliquid ab hac nostra disputatione capere posse non diffiderem. Nam et alioqui, « cum eadem multipliciter, varieque versantur, atque tractantur, ipsos quoque capaciore intelligentia præditos adjuvant, et ad facilitatem sciendi, et ad copiam disserendi, » ut ait Augustinus [1].

II. Pelagio patria fuit insula Britannia, sive Scotus, sive Britannus fuerit; nam utrumque traditur. Nec audiendus est Lambertus Da-

[1] Lib. 2. de Bapt. con. Don. c. 1.

næus Genevensis minister, qui in scholiis ad librum Augustini de Hæresibus, Pelagium in Aremoricis ortum esse scribit, maritima Galliæ regione, quæ jam tum Britannia vocata sit, translatis eo Britannis ex Albione insula. Sed nugari est hoc asserere; nam Britannia nondum illa Galliarum nominabatur provincia, cum natus est Pelagius, quem Britonem [1], et Britannum veteres appellant [2]; Scotum tamen nuncupasse videri potest Hieronymus [3]. Ea de causa factum est, ut in insula ista altiores hæresis illa radices egerit, ad quas evellendas bis e Gallia navigavit Germanus Antissiodorensis.

Fuit autem monachus Pelagius [4], ac Romæ diu vixit, ut indicat Augustinus [5], necnon in Oriente, ac Palæstina, ubi sanctitatis haud mediocri fama celebratus est. Certe Augustinus in libro tertio de Peccatorum meritis et remissione, cap. 1. honorifice de eo loquitur his verbis: « Verum post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, viri, ut audio, sancti, et non parvo profectu Christiani. » Et cap. 3. « bonum, ac prædicandum virum » appellat; cujus elogii sui meminit in libro secundo Retractationum, cap. 23. ubi « Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posuisse » dicit, « quia vita ejus a multis prædicabatur. » Quo etiam ex loco constat, libros illos tres de Peccatorum meritis et remissione, primum opus eorum fuisse, quæ contra Pelagianam hæresim scripsit, cum « Cælestius discipulus ejus jam propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali judicio excommunicationem meruisset. »

III. Hic Augustini locus attente considerandus est, quatenus post damnationem Cælestii tres illos libros elucubrasse se dicit, ex quo tempus indicat, quo eos edidit. Nam Cælestius anno Christi 412. damnatus est, ut postea docebitur; itaque post hunc annum scripti sunt illi libri. Hinc apparet, non valde esse probabile, quod plerique omnes arbitrati sunt, qui de Pelagio hoc, et superiori seculo scripserunt, hunc esse Pelagium illum, cujus meminit Chrysostomus in epistola 3. ad Olympiadem, ubi lapsum illius deplorat: « (1) De Pelagio, *inquit*, monacho valde moleste tuli. Cogita igitur, quantis coronis digni sunt, qui fortiter steterunt, cum viri in tanta disciplinæ severitate transacta vita sic abrepti videantur. » Hæc anno 405. scripta esse oportet, cum in exilio esset Chrysostomus. Atqui nondum tunc hæresis illius suspectus erat Pelagius. De hac enim intelligendum esse Chrysostomum, rati sunt homines illi docti, qui ad hæresiarcham Pelagium epistolam istam pertinere putant. Quis autem persuadere sibi poterit, tanto ante compertam, et cognitam illam de gratia Christi hæresim Græcis, et Orientalibus fuisse, quam Latinis; cum ea jam detecta, et in clara luce posita, totque synodalibus decretis in Occidente confossa, plerisque Græcorum vix bene perspecta fuerit? Certe Augustinus post Cælestii damnationem, hoc est post annum Christi 413, Pelagium, ut vidimus, optima et laudabili fama commendatum fuisse testatur. Itaque nominis ejusdem monachus quispiam designatur a Chrysostomo.

IV. Sed nec illud facile concesserim, quod iisdem eruditis viris placuit, eumdem nostrum esse Pelagium eremitam, ad quem scripsit Isidorus Pelusiotes [6] acrem, et aculeatam epistolam, qua illum liguritorem, et cupediosum fuisse significat, cum jam senex esset, et canis adspersum caput haberet. Verum qua tandem illi conjectura ducuntur, nisi nominis, quæ est levissima; cum Pelagii nomen commune multis fuisse constet? Utrum autem in Ægyptum pedem unquam posuerit hæresiarcha Pelagius, nemo pro certo affirmare potest. Quanquam quod ad delicias, et epularum, ac lautitiarum cupiditatem attinet, testis est Orosius in Apologia, Pelagium cuticulam suam curasse plus quam frugi monachum deceret. « Sed tibi specialis, *inquit* [7], inde portandi oneris fortasse fiducia est, quod balneis, epulisque nutritus latos humeros gestas, robustamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem. » Et paulo post [8]: « Sed quid ego hæc a confessione tua exigo, cum conversationem tuam vulgus agnoscat? » Quin etiam antea μονόφθαλμον, id est oculo altero captum fuisse demonstrat [9]: « Noster, *inquit*, hic mutilus, levis in fronte, μονόφθαλμος, non necessarium sibi æstimat munimen in capite, qui possibilitatem sibi præsumit in carne. »

V. Hunc Rufini discipulum fuisse, et ab eo semina erroris accepisse, indicat Hieronymus in præfatione ad commentarios in Jeremiam:

(1) CHRYS. ep. 4. Σφόδρα ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μοναζόντος. Ἐννόησον τοίνυν ὅσων ἄξιοι στεφάνων εἰσὶ γενναίως στάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν τοσαύτῃ ἀσκήσει διαγαγόντες, καὶ καρτερίᾳ, οὕτω φανῶσιν ὑποσυρόμενοι.

[1] August. ep. 106. — [2] Prosp. carm. de ingrat. — [3] Præf. in Jer. — [4] Aug. de Her. c. 88. et de gest. Pelag. c. 35. [5] Epist. 95. et lib. 2. de Pecc. orig. c. 8. et 21. — [6] Lib. 3. ep 314. — [7] Oros. in Apol. p. 760. — [8] Ib. p. 762. — [9] Ib. 725.

ubi Grunium (ita enim Rufinum nominat) vocat præcursorem Pelagii, quem « stolidissimum et Scotorum pultibus prægravatum » appellat. Et in præfatione ad librum tertium Commentariorum, de eodem Rufino, « Habet, *inquit*, progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum vicinia. » Quibus ex Hieronymi verbis colligunt aliqui, Scotum fuisse Pelagium. Scotorum porro nativa sedes olim non Britannia fuit, sed Hibernia. Nihilo minus Britonem constat appellari vulgo, haberique Pelagium.

Roma profectus aliquando in Africam Pelagius Hipponam adiit, absente Augustino, et ibi brevem moram egit, cum jam ante de ejus hæresi aliquid inaudisset Augustinus, ut in capite 22. libri de gestis Pelagii refert ipsemet. « Romæ, *inquit*, constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Postea cœpit ad nos fama perferre, quod adversus Dei gratiam disputaret; quod licet dolerem, et ab eis mihi diceretur, quibus crederem, ab ipso tamen tale aliquid, vel in ejus aliquo libro nosse cupiebam, ut, si inciperem redarguere, negare non posset. Postea vero quam in Africam venit, me absente, nostro, id est Ilipponensi littore exceptus est, ubi omnino, sicut [1] a nostris, nihil ab illo hujusmodi auditum est; quia et citius, quam putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagini, quantum recolo, semel, vel iterum vidi, quando cura collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui; ille vero etiam ad transmarina properavit. » Collatio hæc habita cum Donatistis est anno Christi 411. altero ab Alarici irruptione, et clade urbis; e qua cum aliis plerisque Pelagium in Africam se recepisse, et inde in Palæstinam navigasse verisimile est. Paulo post ad Augustinum epistolam scripsit [2], et vicissim ab eo mutuam accepit [3]; quam postea ad sui defensionem protulit.

VI. Pelagii discipulus, et fautor illius hæresis, ac propugnator acerrimus fuit Cælestius, quem nonnulli ex Hibernia oriundum asserunt [4], idque auctore, ut putant, Hieronymo in locis paulo ante citatis. Qui magistrum suum audacia superans, tergiversante ipso, et subdole ac diffidenter hæresim vulgante, palam, et publice profiteri cœpit, præsertim in Africa. Ubi a Paulino diacono Carthaginensi accusatus, judicio synodali damnari, et excommunicari meruit anno 412. ut ex epistola Synodica constat concilii Carthaginensis habiti anno 416. ubi ante quinquennium damnatus esse dicitur Cælestius : et excommunicatus in libro secundo Retractationum capite 32. Hujus synodi Carthaginensis, et actionis Paulini contra Cælestium [5], fragmenta quædam extant apud Augustinum in secundo libro de Peccato originali. Hunc eumdem Cælestium, alibi scribit Augustinus [6], in Ecclesia Carthaginensi « ad presbyterii honorem surrepere cœpisse, » quando judicio postulatus est.

De utroque, Cælestio, et Pelagio contraria sunt judicia summorum duorum virorum, Augustini et Hieronymi. Hic enim illos imperitiæ, et elinguis infantiæ notat. Pelagium quidem, cum de eo sic scribit in proœmio Dialogorum contra ipsum, « Jovinianus, *ait*, cujus, o Pelagi, a te nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem, me absente, turbavit, tam elinguis, et sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam invidia. » Et in proœmio libri primi commentariorum in Jeremiam, vocat eum *indoctum calumniatorem*. Idemque sub finem libri secundi dialogorum adversus Pelagianos, stilum illius ironice traducit [7]. De Cælestio vero Pelagii discipulo, in epistola ad Ctesiphontem [8], « Unus, *inquit*, discipulorum ejus, imo jam magister, et totius ductor exercitus, et contra Apostolum vas perditionis, per solecismorum, et non, ut sui jactitant, syllogismorum spineta decurrens etc. » Augustinus vero [9], acuta illorum ingenia, et librorum ab ipsis scriptorum facundiam non uno in loco prædicat. Sane quæ extant Pelagii, et Cælestii monimenta, vel fragmenta, disertos eos fuisse, et latine copiosos, acutosque demonstrant, ut Pelagii epistola ad Demetriadem, quæ inter Hieronymi reicula posita est [10], et quæ passim apud Augustinum citantur illorum loca.

VII. Post damnationem Cælestii, primum adversus Pelagianos opus edidit Augustinus [11] de Peccatorum meritis et remissione; ubi et Pelagii nomen cum laude positum ab eo supra meminimus. Exinde [12] librum de Spiritu et littera; tum [13] alterum de Natura et gratia, adversus Pelagii quemdam librum. Cujus mentione facta capite 42. libri secundi Retractationum, subinde capite sequenti meminit Gothicæ irruptionis, et Romæ ab Alarico captæ.

[1] *Nostis.* — [2] Aug. lib. de gestis c. 26. — [3] Extat in eod. lib. c. 28. — [4] Usser. in Antiqu. Eccl. Brit. p. 208. — [5] Cap. 3. et 4. — [6] Epist. 89. pag. 154. — [7] Col. 892. [8] Col. 810 E. — [9] Epist. 106. et 143. lib. de nat. et grat. c. 35. — [10] Hier. To. 4. col. 717. — [11] Lib. 2. Retract. c. 33. — [12] Ibid. c. 37. — [13] Ibid. c. 42.

« Interea Roma, *inquit*, Gothorum irruptione agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis eversa est, etc. » Ex quo falso credidit aliquis, superiores libros ante annum 410. quo est Urbs capta, scriptos esse. Sed non est ita; nam nihil contra Pelagianos ante annum 412. quo Cælestius damnatus est, elucubravit Augustinus. Verum, quoniam post Urbis direptionem, huc illucque dissipatis Romanæ urbis incolis, cœpere gentiles aliqui calumniari legem Christianam, tanquam caput horum, causamque malorum; contra illos scribere est aggressus Augustinus; unde Romani excidii meminit, quod inde commentandi operis de civitate Dei aliquanto post tempore nata esset occasio.

Sub idem tempus, quo in Africa contra grassantem hæresim Pelagii pugnare cœpit Augustinus, in Oriente, ac Palæstina, ubi tum Pelagius degebat, stilum movit Hieronymus, et a Ctesiphonte incitatus, epistolam contra hæresim illius ad eumdem Ctesiphontem scripsit. Ac rursus post Diospolitanam synodum, in qua Pelagius absolutus est, dialogos tres contra eumdem Pelagium edidit, Critobuli nomine, ipse sibi Attici imponens. Quorum in calce meminit Augustini, et librorum ab eo jam scriptorum contra hanc hæresim, necnon aliorum, quos ab eodem parari audierat.

VIII. Porro Diospolitana synodus illa celebrata est anno Christi 415. cum adversus Pelagium accusationem instituissent episcopi duo gallicani, Heros, et Lazarus. Quorum ille S. Martini discipulus a Prospero vocatur in Chronico, et Arelatensis urbis episcopatu pulsus dicitur factione Patrocli, qui ejusdem urbis postea fuit episcopus, Constantii magistri militum familiaris; quod anno 412. factum notatur. Lazarus vero Aquensis episcopus fuisse videtur, qui a Zosimo postmodum exagitatus est[1]. Illi ergo[2], aliquot capitulis collectis ex Pelagii, et Cælestii libris, Pelagium apud episcopos Palæstinæ, ubi tum erat ille, reum detulerunt; sed, cum ad prosequendam actionem eo profecti essent, altero eorum morbo implicito, adesse non potuerunt; quod præter Augustinum testatur historia illa, cujus meminit Photius codice 54. Quare, absentibus accusatoribus, ex libello ab ipsis misso, citatus est Pelagius, et coacta Synodo episcoporum 14. causam dixit Diospoli in Palæstina anno 415. Quorum nomina hæc referuntur ab Augustino[3], Eulogius Cæsariensis episcopus metropolitanus; 2. Joannes Hierosolymitanus; 3. Ammonianus; 4. Porphyrius Gazensis vir sanctissimus; 5. Eutonius Hierichuntinus; 6, Porphyrius alter; 7. Fidus; 8. Zosimus; 9. Zoboenus Eleutheropolitanus; 10. Nymphidius; 11. Chromatius; 12. Jovinus; 13. Eleutherius; 14. Clematius. Ab his interrogatus Pelagius ad singula capita subdole respondit, ac nonnulla damnare coactus est; atque ita græcis hominibus, latinæ linguæ, et versutiarum illius ignaris imposuit, atque ab omni suspicione hæresis absolutus est. De actis illius synodi extat liber Augustini, qui *de gestis Pelagii* inscribitur; ubi singula capita, et ad ea responsiones Pelagii referuntur.

IX. Editus est ante annos fere septuaginta[4], sub Orosii nomine, libellus cum hoc titulo, *Pauli Orosii apologia de arbitrii libertate*, in quo narratio continetur eorum, quæ Hierosolymis gesta sunt in causa Pelagii, in conventu quodam episcoporum Hierosolymis habito, quod ante Diospolitanam synodum evenisse, si verum est, oportet. Nam de libro hoc, et ejus auctore quidam dubitant, rati suppositium hunc esse, et falsa omnia, quæ in eo memorantur, atque ab aliquo declamationis causa esse conficta; præsertim cum extrema illius apologiæ partim ex Augustini libro de Perfectione justitiæ, partim ex eo, qui est de Natura et gratia, concinnata sint. Narrat ibi Orosius, Joannem Hierosolymitanum episcopum cum aliis episcopis de Pelagio conventum habuisse, eodemque se accitum venisse, et interrogatum quid de illa hæresi actum esset in Africa, respondisse, « Cælestium jam ad honorem presbyterii subrepentem apud Carthaginem, plurimis episcopis judicantibus, proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab Ecclesia, ex Africa profugisse. » Augustinum vero contra Pelagii librum scribere, « Ad hæc Joannes episcopus, ut Pelagius coram intromitteretur, expetiit. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogasse, an hæc, quibus Augustinus episcopus respondisset, se docuisse cognosceret. Illico illum respondisse: et quis est mihi Augustinus? Cumque universi acclamarent, blasphemantem in talem episcopum non solum a conventu illo, verum ab omni ecclesia pellendum, Joannem illico eum, hominem videlicet laicum, in consessu presbyterorum reum hæreseos mani-

[1] Ep. 6. Zos. — [2] Aug. 2. Retr. c. 47. et lib. de gest. Pel. c. 35.

[3] Lib. 1. con. Jul. cap. 5. et 7. — [4] Excusus Colon. apud Cholinum anno 1574.

feste in medio catholicorum sedere præcepisse. » Exinde interrogatum Pelagium, an quod ei objiciebatur, « hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit, » asseveraret, respondisse, « hoc et dixisse se, et dicere. » Joannem omnibus modis egisse, ut Orosius cum aliis accusatorem se ipso judice profiteretur. Id vero se detrectasse, atque hoc tantum dixisse, se, quid episcopi Africani judicassent, in medium proferre. Tum Joannem, ut Pelagii dictum excusaret, adjecisse : sic illud intelligendum, ut cum Dei adjutorio sine peccato posse esse diceretur. Se vero nihil aliud respondisse, nisi illud, damnatum hoc ab episcopis fuisse dogma : *Latinum esse hæreticum : nos Latinos : hæresim latinis magis partibus notam latinis judicibus disserendam.* Demum Joannem secundum id, quod de latinis judicibus postulatum erat, « novissimam sententiam protulisse, ut ad beatum Innocentium papam Romanum fratres, et epistolæ mitterentur, universos, quod ille decerneret, secuturos ; » et interim ut tam Pelagius, quam ipsi conticescerent. Verum post dies 47. cum primo Encæniorum die ad Joannem officii causa venisset, ab eo exprobratam sibi esse blasphemiam, quod dixisset, « nec cum Dei adjutorio posse esse hominem sine peccato. » Quod crimen deinceps Orosius refellit, et contra Pelagium multa disputat ; quæ ex Augustini, ut jam dixi, libris magna ex parte describuntur.

X. Hæc, nisi commentitia sunt, ut nonnullorum est suspicio, gesta fuisse necesse est ante Diospolitanam synodum, cujus contra nuper editum decretum celebrandæ, nec ad Innocentii papæ judicium reservandæ causæ Pelagii, ratio intervenire illa potuit, quod interim Herotis, et Lazari accusatio ad Joannem, et alios episcopos pervenit, ex qua controversiam disceptari placuit. Sane Joannem Hierosolymitanum Pelagio favisse, quemadmodum et Ruffino, et Origeni, cujus hæresis insimulatur ab Hieronymo, ex actis Diospolitani concilii evidens est, necnon ex epistola Aug. 252. Quam ad ipsum scripsit Joannem, post Diospolitanam synodum, et absolutum in ea Pelagium. In qua sic loquitur : « Pelagium vero fratrem nostrum, filium tuum, quem audio, quod multum diligis, hanc ei suggero exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, et diligenter audierunt, non ab eo tuam sanctitatem existiment falli. » Tum narrat, sibi quosdam ex discipulis illius librum ipsius dedisse, in quo prava dogmata continebantur ; cui se altero libro respondisse dicit, et utrumque se ad Joannem mittere. Est autem Augustini liber ille, qui *de natura et gratia* inscribitur, ad *Timasium et Jacobum* discipulos Pelagii, uti constat ex Pelagii verbis, quæ in epistola citat, et reperiuntur in capite 37. libri de Natura et gratia. Atque hic idem liber est, de quo in Apologia meminit Orosius, cum ait : « Contra librum vero Pelagii B. Augustinum discipulis ipsius Pelagii prodentibus, ac petentibus plenissime respondere. » In eadem ad Joannem epistola petit, « sibi transmitti ecclesiastica gesta, quibus perhibetur esse purgatus, » hoc est Diospolitanæ synodi, cujus acta nondum in Africam venerant.

XI. Ceterum ante Diospolitanum illud judicium Orosius in Africam reversus, litteras Herotis, et Lazari Africanis episcopis obtulit, quod concilii Carthaginensis ad Innocentium papam epistola testatur [1], quæ est inter Augustinianas 90. Sed et Augustinus ipse significat, Orosium Diospolitanæ synodo non interfuisse, in libro de gestis Pelagii, capite 16. Quare discessisse videtur e Palæstina medio illo tempore, quod inter Hierosolymitanam, et Diospolitanam synodos intercessit. Post hoc Diospolitanum judicium, Pelagii fautores in Hieronymum, ejusque monasteria crudelissime grassati sunt ; quod refert Augustinus in calce libri de gestis Pelagianorum, ubi « Dei servos, et ancillas ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde affectos *ait* ; diaconum occisum, ædificia monasteriorum incensa ; vix ipsum ab hoc impetu atque incursu impiorum in Dei misericordia turrem munitiorem esse tutatam ; » de quo extant Innocentii epistolæ ad Joannem Hierosolymitanum, et ad Hieronymum. In priore sanctas virgines Eustochium, et Paulam de injuriis illis, ac vexationibus apud se esse questas scribit ; ubi Paulam non illam Eustochii matrem intellige, quæ pridem obierat, sed neptem illius, Paulam juniorem, cujus in epistola 7. et 79. meminit Hieronymus. Qua etiam in posteriore epistola Diospolitanam synodum miserabilem vocat ; et Pelagium refert omnia, quæ in hac synodo dixisse se denegaverat, confiteri. Hunc tamen vocat Annianum Celadensem, quem profecto Pelagium oportet esse. Nam nullus alter in Diospolitana synodo interrogatus est, ac negare, quod vulgarat dogma, compulsus.

[1] Extat Tom. 1. Conc. p. 864. edit. Par.

XII. Africani vero episcopi, acceptis illis ab Orosio Herotis, et Lazari litteris, necnon audito Diospolitani conventus exitu, cujus acta nondum viderant, provincialia duo Concilia celebrarunt anno 416. ut paulo post ostendam. Alterum Carthagine ex provincia Carthaginensi, cui præsedit Aurelius hujus urbis episcopus, nec ei Augustinus interfuit. Ex quo synodalem scripserunt epistolam episcopi, qui in ea convenere 67. in qua Cælestii memineruntante annos 5. in eadem urbe damnati, et concilii Diospolitani; rogantque, uti hæretica illorum dogmata, sive correcti ambo sint, sive non sint, auctoritate sua condemnet. Quin et Cælestium ipsum ad presbyterium dici pervenisse referunt, quod in Asia factum esse Milevitana synodica narrat. Quæ quidem [1] anno eodem data est, ex concilio Milevi habito provinciæ Numidiæ, cui Silvanus præfuit; et Augustinus inter alios adfuit, et in totum 54. episcopi. In hujus synodica scribunt Patres, se Carthaginensis provinciæ imitatione convenisse; et eadem fere de Pelagio, ac Cælestio scribunt. Utrisque respondit Innocentius; cujus prior ad Carthaginenses episcopos [2] consules non habet, sed tantum *Quinto calendas;* posterior ad Milevitanos Patres, data 6. cal. Februarias, adscriptos habet consules Honorium, et Constantinum, qui in annum cadunt Christi 417. Ex quo annus synodorum duarum colligitur 416.

XIII. Qua in posteriore [3] Pelagium, ac Cælestium damnavit his verbis : « Quare Pelagium, Cælestiumque, id est inventores vocum novarum, quæ, sicut dicit Apostolus [4], ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari, apostolici vigoris auctoritate censemus. » Hoc itaque primum anno in Pelagium, ac Cælestium, et amborum hæresim, ab Innocentio papa dicta sententia est, antequam ulla in synodo nominatim damnati fuissent.

Postquam autem Diospolitanæ synodi acta in Africam allata sunt, scripsit Augustinus librum de gestis Pelagii [5]. Interea moritur Innocentius papa anno 417. quinto calendas Augusti, cui succedit Zosimus.

Eodem igitur anno Pelagius, ubi se ab Innocentio damnatum comperit, scripsit ad Innocentium; sed eo jam mortuo [6], Zosimus illas recepit. Cælestius deinde Romam veniens libellum Romæ edidit, quo sese purgaret [7]. Verum [8], instante Zosimo, ut ad ea responderet, quæ Paulinus diaconus objecerat, tum ut Innocentii litteris assentiretur, prius abnuit, Innocentii vero epistolæ non est ausus obsistere, imo « omnia, quæ sedes illa damnaret, se damnaturum esse promisit, atque ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus, a vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus; » sed duorum mensium illi spatium ad resipiscendum datum est, donec ab Africanis episcopis rescriberetur.

XIV. Eodem tempore [9] lectæ sunt Romæ Pelagii litteræ, cum fidei professione, quam calide, fraudulenterque conceptam, ad Innocentium, ut scripsi, miserat, una cum Praylii Hierosolymitani commendatitiis, qui Joanni successerat. Ita Cælestii, ac Pelagii ficta confessio Zosimum adeo decepit, ut ad Africanos acerrimas, et increpatorias litteras daret, quibus utrumque valde commendat, et eorum accusatores, Herotem, ac Lazarum vehementer suggillat. Apparet tamen ex iis, quæ refert Augustinus, nondum excommunicatione solutos illos fuisse. Extant Zosimi epistolæ cum Pelagii professione tom. 1. Concil. e quibus posteriori, qua Pelagium laudat, subscriptus est dies 11. cal. Oct. priori vero, quæ est de Cælestio, Coss. Honorius Aug. 11. et Flavius Constantius, qui est annus Christi 417. Videndus et August. libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, capite tertio. Professio vero fidei a Pelagio missa, quam Baronius ex Vaticano codice prompsit, ea est ipsa, quæ inter Hieronymi reicula edita est cum hac inscriptione, *Symboli explanatio ad Damasum.*

Africani Patres, Zosimi litteris acceptis, convenerunt, ineunte, ut est verisimile, anno 418. aut exitu præcedentis, indeque scripserunt ad Zosimum, admonentes, non satis esse generalem illam Cælestii professionem, nisi ea damnaret, quæ in suo libello prava posuerat. Quibus acceptis litteris, rescripsit Zosimus, se non omnia probasse, quæ Cælestius dixerat, et in pristino statu omnia reliquisse, nimirum uti duorum mensium spatium daretur, quo accusatores adesse possent. Extat ea Zosimi epistola numero 10. inter ejus epistolas, data 12. cal. April. id est Martii 21. Ho-

[1] Tom. 1. Conc. p. 868. et Epistola Aug. 92. — [2] Est inter August. 91. — [3] Inter August. 93. Tom. 1. Conc. p. 768. — [4] 2. Timot. 2.

[5] Lib. 2. Retr. c. 47. — [6] Aug. l. 2. de Pecc. Orig. c. 17. — [7] Ib. c. 5. — [8] Ib. c. 7. — [9] Zos. epist 4. Tom. 1. Conc. p. 876. et epist. 5.

norio Aug. 12. qui est annus 418, accepta vero ponitur 3. cal. Maias, id est Aprilis 29.

XV. Verum intervallo illo, quod inter 21. Martii, et Aprilis 29. fuit, Zosimus, detecta Cælestii ac Pelagii fraude, cum ad examen vocatus Cælestius sese subtraxisset, utrumque damnavit, ut Augustinus testatur libro secundo contra duas epistol. Pelag. c. 3. et 4. constatque ex Honorii edicto, quod eodem anno prid. cal. Maias adversus ambos edidit; quod a Baronio in Annalibus describitur ad an. 418. testaturque Possidius in vita S. Augustini. Accepto Zosimi decreto, Africani plenario concilio calend. Maii ejusdem anni Pelagianam hæresim anathemati subjecerunt. Ad quod concilium [1] pertinere puto canones 8. contra Pelagii doctrinam editos, qui perperam Milevitano secundo tribuuntur, cum ad alterum Africanum, quod universale vocatur, attineant, in quo iidem illi repetuntur. Non enim prius ab Africanis communi, ac peremptorio decreto confossa est Pelagiana hæresis, quam a Zosimo damnata est, ut testis est Prosper in Chronico ad an. 319. « Concilio apud Carthaginem habito, 214. episcoporum, ad papam Zosimum synodalia decreta perlata; quibus prolatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. »

Cælestinus papa in epistola prima ad episcopos Galliæ citat canones Carthaginensis synodi contra Pelagianam hæresim tertium, quartum, et quintum, qui Milevitanæ synodo perperam attribuuntur. Gregorius item papa apud Burchardum [2] canones eosdem citat concilii Carthaginensis nomine, non Milevitani.

XVI. Illud vero diligenter considerandum est, etsi constet Diospolitanam synodum anno Christi 415. celebratam esse; Innocentii vero sententiam contra Pelagium, et Cælestium, anno 417. missam in Africam, ut hæc synodo illa posterior fuerit; tamen Prosperum Palæstinam synodum post Innocentii decretum ponere, ut in carmine de Ingratis paulo post initium, his verbis :

> Pestem subeuntem prima recidit
> Sedes Roma Petri; quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
> Religione tenet. Non segnior inde Orientis
> Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
> Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
> Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
> Abjungi, et sancto mallet grege dissociari.
> Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
> Judicium; sed sancta fides examine in illo
> Vicit oborturam diro de semine prolem.
> Prospectum namque est, divino et munere cautum,
> Ut licet instantem declinans bestia pœnam
> Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem,
> Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
> Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Hunc totum locum describere volui, ut ex eo constaret, de Diospolitano concilio loqui Prosperum. De quo eadem hic dicit, quæ Augustinus in libro de gestis Pelagianorum, capite ultimo, et aliis in libris. Ac vides, ut *inde*, hoc est post damnatam Romæ, ab Innocentio utique, Pelagianam hæresim, orientales episcopos de Pelagio judicasse dicit. Nam de alia nulla, quam ab Innocentio edita, damnatione Pelagii, et hujus hæresis, verba illa Prosperi possunt accipi. Minime profecto ad Zosimum referri debent, et ab eo dictam sententiam in Pelagium, ut falso Marcus Antonius Cappellus credidit [3].

XVII. Sed et Facundus Hermianensis testatur, ab Innocentio primo omnium damnatam esse Pelagianam hæresim. Cujus verba, quia nonnulla scitu digna continent, hic adscribam. « Invenient etiam, *inquit*, Pelagium hæresiarcham, a quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæstinorum episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eamdem ignorantiam absolutum. Invenient postremo B. quoque Zozimum apostolicæ Sedis antistitem, contra S. Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appellantem apostolicam Sedem, et ipse gestis discusserat, tanquam veram et catholicam laudantem; insuper etiam Africanos culpantem episcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum, necdum ipsis Africanis episcopis dolos eorum multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium, et Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos episcopos, et Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt, sed potius pro merito suæ fidei catholicos judicat et honorat; quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum. »

Hic locus fidem epistolarum illarum adstruit, quas Zosimus ad Africanos scripsit, quibus Pelagium, ac Cælestium pro catholicis

[1] Extat Tom. 1. Conc. in Collect. Afric. Conc. p. 963. Vide et Aug. ep. 2. ad Valent. præfixa libro de Corrept. et grat.

[2] Lib. 20. Decret. c. 18. — [3] Lib. de Appellat. c. 2. § 38.

habere se dixit, non sine Africanorum reprehensione, quamvis Cappellus temere supposititias illas, et a Pelagianis confictas existimet[1].

XVIII. Rursus Prosper in libro contra Collatorem[2], de condemnatione Pelagianæ hæresis scribens, prius ab Innocentio, quam a Palæstinis episcopis de Pelagio judicatum esse significat, « Quando, *inquit*, beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit; quando Pelagium ad proferendam in se, suosque sententiam Palæstinorum episcoporum Synodus coarctavit, etc. » Ubi etiam « Cælestinum papam *ait*, Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus extrudi jussisse. »

Non est tamen dubitandum, quin Diospolitanum judicium Innocentii decretum, ac Pelagii, et Cælestii damnationem antecesserit. Quod si quispiam adversari putet ei, quod dictum est, primam hæresis illius damnationem ab Romana Sede profectam esse; quod quinto ante anno Cælestiana dogmata, quæ eadem erant, ac Pelagiana, Carthagine ab Africanis episcopis damnata sunt, et Cælestius ipse excommunicatus, ut ex Augustino supra meminimus; primum illud occurrat, Prosperum, aliosque, qui ab Innocentio primo omnium damnatam esse Pelagianam hæresim scribunt, de propria loqui, et primaria hæresi Pelagii, quæ in eo versabatur, quod affirmabat, *gratiam ex merito dari liberi arbitri*, ut paulo post dicemus. Nam de hac Prosper diserte loquitur, de Pelagio, inquam, ipso, et illo hujus dogmate, quo asserebat,

Quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis.

At Cælestius non ob hanc hæresim excommunicatus est, sed ob alia quædam, quæ ab eo vulgata fuerant, a Paulino accusatus et damnatus est, quæ ex Augustino colliguntur[3]; maxime quod diceret, parvulis non obfuisse peccatum Adami, nec eos ideo baptizari, ut a peccato liberentur.

Deinde quod, ut Facundus refert, Cælestius post damnationem appellaverat Sedem apostolicam, ideo nondum pro damnato se gerebat; sed adhuc tanquam suspensum tenebatur de illo judicium.

XIX. Ceterum meminit Prosper[4] aliorum conciliorum variis in provinciis celebratorum post Africanum illud, ac plenarium, in quibus uno consensu hæresis illa cum suis auctoribus damnata est; præsertim Constantinopolitani, Attico præsule, qui legatos ab illis missos rejecit, necnon Ephesini generalis, in quo damnatus est Nestorius, cujus hæresim a Pelagiana fluxisse testis est Cassianus libro primo de Incarnatione, capite tertio. Nimirum quod, cum Nestorius nihil supra hominemp utaret esse Christum, ad id solum venisse hunc arbitratus est, ut exempla præberet homini virtutum, non ut redimeret. Quare, si Christus sine peccato fuit, etiam quemvis hominem posse esse dicebat, « quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. » Sed de his omnibus accurate alii disputarunt[5]; et nos pleniorem in illis explicandis operam alium in locum reservamus; nunc enim obiter ista tractasse satis habuimus.

Damnata jam hæresi, scripsit Augustinus libros duos, unum de gratia Christi, alterum de Peccato originali[6]. Tum duos alios de Nuptiis et concupiscentia : quorum prior Pelagianorum mendaciis et calumniis opponitur, qui nuptias ab illo damnari mentiebantur. Quem cum Julianus Pelagianus vidisset, quatuor eum libris oppugnavit; ex quibus excerpta quædam nactus Augustinus, iis posteriore libro respondit. Deinde 4. libros ad Bonifacium papam contra duas epist. Pelag. Hic anno 418. sedere cœpit. Postquam autem Juliani integri libri ad eum pervenerunt[7], sex contra illos libros edidit. Sequuntur libri de Gratia et libero arbitrio; necnon de Corrept. et grat. Hactenus in libris Retractationum.

XX. Post hoc vero a Prospero, et Hilario monitus de reliquiis Pelagianorum, hoc est gallicanis quibusdam episcopis, aliisque viris eruditis, qui ipsius offensi scriptis, de gratia et prædestinatione quædam ab illo dicta carpebant, libros elucubravit duos, quorum prior de Prædest. sanct. posterior de Perseverantia.

Denique paulo ante obitum, cum Julianus octo alios libros contra ipsius secundum de Nuptiis et concupiscentia librum edidisset, acceptis quinque illorum prioribus, duos vicissim elaboravit, quos imperfectos reliquit. Hi libri anno 1616. in lucem exierunt Lutetiæ Parisiorum.

[8] Fuit autem Julianus iste Memorii Capuani

[1] Lib. de Appellat. c. 2. § 28. et seq. — [2] Cap. 41. — [3] Lib. de gest. Pel. c. 11. et lib. de pecc. orig. c. 3. et seq. — [4] Carm. de ingr. et con. Collat.

[5] Voss. in Hist. Pelag. Usser. in Antiq. Brit. — [6] Lib. 2. Retr. c. 50. — [7] Ib. c. 61. — [8] Aug. Ep. 131. Gen. Beda in Cant.

olim episcopi filius, et idem incertum cujus urbis episcopus in Campania. Quem initio tum patris Memorii, cui erat amicus, tum indolis ipsius commendatione, charum Augustinus habuit; sed postmodum fiducia sui, et ingenii, atque eloquentiæ, ut apparet, opibus inflatus, quibus mirifice pollebat, ut ex ejus scriptis apparet, ad illam hæresim, sic, tanquam ad Scyllæum scopulum, naufragium fecit. Ac post condemnatam illam sede sua pulsus, frustra post annos plures in eam conatus est irrepere, ut auctor est Prosper [1], S. Leone tum diacono, qui postea pontifex Romanus fuit, illius conatibus obsistente.

Beda in præfatione ad Cantica canticorum meminit libri ab eo de *Amore* scripti. Nec omittendus est insignis stupor Petri Molinæi [2], qui scribit, Julianum ab Innocentio damnatum ad orientales episcopos provocasse, idque trahit ad Romanæ Sedis injuriam. Cujus rei testem laudat Augustinum; sed absurde, insciteque prorsus hallucinatur. Nam [3] Augustinus de Innocentii testimonio ex ejus scriptis allato, ut et Latinorum antiquiorum agit, non de juridica sententia. Et quoniam græcorum Patrum auctoritate, hoc est libris, niti se Julianus aiebat, ad eorum scripta illum provocat; et subjicit Gregorii Nazianzeni, et aliorum testimonia, quibus peccatum adstruit originale. Falsissimum vero est, Julianum ab Innocentio fuisse damnatum.

CAPUT SECUNDUM.

De Pelagii dogmatibus. Quæ fuerit primigenia illius hæresis. Sex genera gratiæ ab illo constituta, quorum primum natura est, et liberum arbitrium. Novorum dogmatistarum astutia, qui inter Pelagiana decreta numerant liberi indifferentiam arbitrii. Quod illorum commentum arguitur; et obiter exponitur, in quo sita fuerit hæresis illa.

I. Pelagiana hæresis non simplex, et uniusmodi fuit, sed quasi multiceps monstrum, variis ex impietatis argumentis, opinionibusque contexta. Inter quas præcipua erat illa, quæ directo Christi gratiam oppugnabat; de qua ideo primo loco dicendum videtur, postea ceteras exponam.

Quæ fuerit igitur propria, et quasi primigenia Pelagii hæresis, ex iis veterum scriptis merito requirendum putamus, quæ initio, ac statim atque in publicum prodire cœpit, ab illis edita fuerunt. Ex quibus prima nobis occurrit epistola synodica concilii Carthaginensis ad Innocentium papam, anno post missa, quam Pelagius in Palæstina judicio postulatus est, in qua hujusmodi proponitur illius dogma [4]: « Isti autem asserunt, *inquit*, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. » Et, ut paulo ante dicunt, « Id agebant isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquerent locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus. »

Ita Milevitani Patres ad eumdem Innocentium [5], « Isti dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra. »

II. Hieronymus item [6], qui ante omnes contra illam hæresim decertavit, hanc illorum opinionem fuisse confirmat. « Ipsum, *inquit*, liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget. Quod vos non vultis, sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. » Quin apud eumdem [7] in primo libro contra Pelagianos Critobulus, qui horum partes tuetur, idipsum asserit. Nam Dei gratiam nihil aliud esse significat, nisi liberum arbitrium. Cum enim Atticus catholicas partes

[1] Chron. ad ann. 439. — [2] In Resp. ad Card. Petron. lib. 6. c. 9. — [3] Lib. 2. con. Jul. c. 4.

[4] Ep. 90. apud Aug. — [5] Ib. ep. 92. vid. et ep. 95. — [6] Epist. ad Ctesiph. col. 814. — [7] Col. 822.

agens ita dixisset, « Errat ergo, qui Dei gratiam tollit ; » respondet Critobulus, « Errat. Quin potius arbitrandus est impius : cum Dei nutu omnia gubernentur, et hoc, quod sumus, et habemus appetitum propriæ voluntatis, Dei conditoris sit beneficium. Ut enim liberum possideamus arbitrium, et vel ad bonam, vel ad malam partem declinemus propria voluntate, ejus est gratiæ, qui nos ad imaginem et similitudinem sui tales condidit. »

Quamobrem initio nullam aliam gratiam Pelagius, præter naturale illud Dei beneficium, agnoscebat, qua nos arbitrii liberi condidit, ipsamque liberam voluntatem, quam naturæ nostræ indidit. Postea vero Catholicorum conviciis exagitatus, plusculum addidit ad illum veluti gratiæ sensum, et adventitia quædam auxilia cœpit eo nomine complecti, quæ et ipsa liberi arbitrii viribus, ac meritis comparari docuit. Hinc Pelagiani summam erroris, et caput hoc perbrevi dicto comprehendere solet Augustinus, aliique patres ; *Gratiam Dei secundum meritum hominum dari.* Quod et objectum esse Pelagio in Diospolitana synodo, testatur in libro de gestis Pelagii [1], ex ejus nempe scriptis inter alia decerptum : « Et iterum, *inquit,* Dei gratiam secundum merita nostra dari, quasi, si peccatoribus illam det, videatur esse iniquus. » Sed hoc ille tum anathematizare coactus est, ut tam ibi, quam in libro de Gratia et libero arbitrio scribit Augustinus. Et in epistola 105. de parvulis agens, « Quid hic dicturi sunt, *inquit,* qui, ut gratia dari possit, nulla præcedere humana merita contendunt, ne sit personarum acceptor Deus ? » Idem etiam et aliis in locis inculcat.

III. Memorabilis est de hac Pelagii sententia locus Prosperi in libro de libero arbitrio ad Rufinum, sub initium, ubi primum de isto ipso dogmate sic scribit : « Ex his tamen una est blasphemia, nequissimum, et subtilissimum germen aliarum, qua dicunt : Gratiam Dei secundum merita hominum dari. » Postea de progressu, et incremento illius hæresis singulare quiddam refert. « Cum enim primum, *ait,* tantam naturæ humanæ vellent adstruere sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset assequi Dei regnum, eo quod tam plene ipso conditionis suæ præsidio juvaretur, ut habens naturaliter rationalem intellectum, facile bonum eligeret, malumque vitaret. Et ubi in utraque parte libera essent studia voluntatis, non facultatem his, qui mali sunt, ad bonum deesse, sed studium. Cum ergo, ut dixi, totam justitiam hominis ex naturali vellent rectitudine, ac possibilitate subsistere, atque hanc definitionem doctrina sana respueret ; damnatum a Catholicis sensum, et multis postea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud se ingenio servaverunt, ut ad incipiendum, et ad proficiendum, et ad perseverandum in bono, necessariam homini gratiam profiterentur. » Ac subinde narrat, quam subdole alterum illud gratiæ genus, præter liberum arbitrium, usurpaverint ; nec in eo quidquam aliud intellexerint, quam legem, cohortationem, terrorem, et alia id genus extrinsecus oblata. His gradibus hæresis Pelagiana processit ad confitendam gratiam Christi, qua liberum adjuvatur arbitrium ; et in hac posteriore fucus illorum, ac versuta calliditas, ad insidiandum opportunam sibi latebram paravit.

IV. Ut autem quanta potero tum facilitate, tum brevitate Pelagianum dogma complectar, exponendum est, quot genera gratiæ a Pelagio constituta sunt. Hac enim via perveniemus ad interioris illius, et ad arcanæ doctrinæ notitiam, quæ in hoc capite tota fere consistit.

Sex omnino divinorum beneficiorum genera gratiæ vocabulo comprehensa sunt in illa hæresi. Primum est natura ipsa hominis, maximeque liberum arbitrium. Secundum est peccatorum remissio. Tertium, quidquid extrinsecus objicitur ad docendum, cohortandum et impellendum hominem, veluti lex, et Christus ipse propositus ad imitandum ; item doctrina, creaturæ ipsæ, miracula, terrificæ res, et hujus generis alia. Quarto gratiam appellabant interiorem mentis illustrationem, qua diaboli insidias retegit Deus, et cordis oculos aperit. Quintum genus est regeneratio, et adoptio, qua filii Dei per baptismum fiunt homines, ac status ille, in quo ad regnum cœleste capessendum idonei sunt. Sextum postremumque est æterna ipsa vita. De his omnibus gratiæ generibus particulatim deinceps agam, et quid in unoquoque notandum sit, animadvertam. Multa enim in his haud satis explicata, et obscura sane continentur ; quod, ubi hæc nostra legerit, eruditus mecum lector fatebitur.

V. Primum dixi gratiæ genus esse naturam, et huic insitum in homine liberum arbitrium. De quo insignis est locus Augustini in libro de hæresibus ad Quodvultdeum [2], ubi eadem fere de incrementis illius hæresis tra-

[1] Lib. de gest. Pel. c. 14.

[2] Cap. 88.

dit, quæ ex Prospero paulo ante memoravi : Pelagiani « Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, et qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata, etc. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. » Mox de libero arbitrio ista subjicit : « Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura. » Ita præcipuam gratiam, maximeque necessariam aiebant esse liberam libertatem. Idem docet in libro de gratia Christi, capite tertio, et sequentibus : et in libro de Spiritu et littera [1]. Et in libro de gestis Pelagii [2], hunc ait asseruisse, « hanc se dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra, cum conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio. » Tum in epist. 95. 105. et 106. In 105. præsertim, ubi ait, Pelagianos interrogatos, « quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis præcedentibus meritis dari : » respondere « sine ullis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus. » Sed innumera passim loca sunt Augustini, in quibus hoc ipsum testatus est.

VI. Hinc verissime quidem illud colligitur, Pelagium libero arbitrio nimium tribuisse, et hanc ei potissimum causam errandi fuisse, quod sanam, integramque naturam hominis putaret esse nulla originali labe maculatam, ac debilitatam, quæ in potestate haberet tam bonum velle, et agere, quam malum; nec adventitiis egeret opibus, ac præsidiis, sed solo sibi naturali bono, hoc est insita voluntatis, et arbitrii libertate sufficeret.

Qua in re observanda simul, et cavenda est novi dogmatistæ fraus et malitia, qui [3] in exponenda Pelagiana hæresi, ejusque dogmatibus enumerandis, cum ab eo cœpisset, quod est de libero arbitrio, hujus naturam, et proprietatem, cujusmodi Pelagiani eam definiebant, et explicabant, vafre ac subdole posuit, et inter hæretica decreta percensuit. « Sed in libertatis, *inquit*, explicanda ratione, proprietatibus, potestate, in multos errores præcipitati sunt. Quod ut dilucide percipiatur, tota liberi arbitrii essentialis definitio, et uberior explicatio, ipsorum Pelagianorum verbis, maximeque Juliani, qui eam ex professo tradidit, atque acerrime contra Augustinum propugnavit, in medium proferenda est. » Tum affert Juliani definitionem [4], qui « libertatem arbitrii » dicit « in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistere. » Quam « possibilitatem, seu potestatem liberi arbitrii, in quadam indifferentia ad plura » sitam esse docet. Ac plura ad hanc illustrandam indifferentiam colligit ex hæreticorum istorum scriptis, ut horum infamiam ad communis invidiam opinionis transferat, quæ liberi arbitrii naturam indifferenti, hoc est minime ad utrumvis determinata potestate metitur. Ita simplicitate, et inscitia incuriosi lectoris abutitur, ut quæ dici ab hæreticis, affirmarique audierit, falsis admixta vera, ea perinde hæretica esse damnataque judicet.

VII. Sed non valde astutum est captiunculæ istius inventum, imo hebes, et obtusum. Dissimulat enim, quod et ille ipse simili in re contra se præscribit. Qui [5], cum adversus suam sibi sententiam istud objecisset, Calvinum videri idem omnino sensisse, « Respondetur, *inquit*, non omnia, quæ hæretici docent, sunt hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur. » Dixit hoc idem præclare Cyrillus Alexandrinus in Commonitorio : « (1) Non omnia, *inquit*, quæ dicunt hæretici, fugere, ac detrectare oportet. Multa enim asserunt, ex iis, quæ et nos ipsi profitemur. » [6] Gregorius

(1) Cyril. in Commonit. in Act. Eph. pag. 246. edit. Comel. Οὐ πάντα ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ, φεύγειν καὶ παραιτεῖσθαι χρή· πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν.

[1] Cap. 2. — [2] Cap. 10. — [3] Tom. 1. lib. 2. c. 1. et seq. — [4] Aug. lib. 1. con. Jul. oper. imp. p. 118.

[5] Tom. 3. lib. 8. c. 21. — [6] Greg. 5. Mor. c. 10.

item papa, « Habent, *inquit*, hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum, si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt; sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit. » Qui locus morem et indolem hæreticorum oculis subjicit, præsertim vero Pelagianorum; quod genus tectum, et subdolum miris sese artibus, ac præstigiis occultabat, ac sedulo id agebat, quod universe studere omnes hæreticos idem ait Gregorius [1], « ut dictis suis recta quædam permisceant, ut animos audientium ex rectis sensibus trahant, ex perversis feriant. » Denique Augustinum citat novi magister dogmatis, qui sic scribit [2]: « Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. »

VIII. Quocirca joculare, frigidumque illud est artificium, inter Pelagianas, et ecclesiastico judicio proscriptas hæreses, illam de arbitrii liberi natura et definitione annumerare doctrinam, quæ minime Pelagiana est, neque auctore, et inventore nata Pelagio, sed ab eo communi ex hominum arrepta sensu, quadamque naturæ disciplina, cui gentilium, Christianorumque pari consensu suffragata philosophia est. Quod nos supra tribus libris accurate demonstravimus, multis antiquorum Patrum auctoritatibus allatis, quibus libertatem arbitrii in eo constitutam a se esse significant, ut ad agendum, hoc est eligendum, necessariis omnibus armata voluntas, alterutrum sine ulla circumscribente necessitate possit amplecti; quod indifferentiæ nomine comprehendi diximus. De qua, præter illa, quæ adduxi, loca, unum hic adscribam, qui commentanti ista mihi forte apud Cyrillum occurrit, sane copiosus et efficax. Hic in libro sexto *de adoratione in spiritu et veritate*, contra illos disserens, qui fatali necessitate agi res humanas existimant, liberum iis opponit arbitrium, quod, ea posita necessitate, jam nullum est. Ex quo mala plurima secutura dicit, « (1) nisi voluntariis nutibus hac, vel illac imus, et properamus; sed quodammodo tenemur, et aliorum jugo subjicimur, qui res nostras agere, ac ferre valeant, quacumque voluerint. » Hinc leges, et cohortationes, ac bonorum præmia, malorumque pœnas nullum, ea necessitate posita, usum habere, quod nihil sit in nobis, ac potestate nostra constitutum. Quod cum est falsum, « (2) tum in nostra est facultate in unam velimus partem spectare; ad bonum, inquam, vel ad contrarium. »

Quam liberæ voluntatis in utrumque potestatem, et indifferentiam ex Euripide probat, tanquam aliquo de scena philosopho. Nondum scilicet extiterat, nec auditum Cyrillo erat discrimen illud libertatis humanæ ab nuperis doctoribus excogitatum, ut aliud Christiana sit, aliud philosophica, quarum etiam sit ista Pelagiana, et hæretica, non catholica. Quod neque Cyrillus, ut dixi, adhuc didicerat, nec illi omnes græci, latinique Patres, quos in libris illis citavimus.

Deinde interjectis aliquot, « (3) Potestatem habet, *inquit*, uniuscujusque arbitrium eorum, quæ in electione agenda versantur; et in nobis ipsis situm est eligere, quidquid visum est, facere, sive bonum, sive malum. » Quod in illis etiam locum habere mox ait, quæ ad fidem, et Christianam virtutem attinent. Ubi « (4) in electione situm esse » dicit « ea libere perficere, quæ quisque velit, ac potestatem omnibus inesse, cum facultate, felicitate spiritali pollere. »

IX. Verum, contempto hoc, irrisoque figmento, meminerimus nihil eo verius esse, quod illic ostendi [3]; neque Pelagianos errasse in definienda libertatis, arbitriique liberi natura, et essentia; nec ab Augustino notatos eo nomine, vel pro hæreticis accusatos; quin potius allatam ab his illius notionem probasse, tanquam ab errore alienam; neque cetera istorum hæresi comprehensam, sed catholicæ regulæ consentaneam. Hinc illa Augustini [4] ad eam sententiam expressissima, cum Juliano

(1) Cyril. 6. de Adorat. pag. 198. Εἰ μὴ ταῖς ἑαυτῶν ἐθελουσίοις ῥοπαῖς ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν ἴμεν τε, καὶ διασπεύδομεν, κεκρατήμεθα δὲ ὥσπερ καὶ ὑπεννηνέγμεθα τοῖς ἑτέρων ζυγοῖς ἄγειν τε καὶ φέρειν τὰ καθ' ἡμᾶς ἧ περ ἂν ἔλοιντο δυναμένοις.

(2) Ibid. pag. 201. Ἐφ' ἡμῖν γὰρ αὐτοῖς ἐστι τὰ ἐπ' ἄμφω βλέπειν, πρός τε τὸ ἀγαθὸν, φημὶ, καὶ τὸ ἐναντίον.

(3) Idem pag. 202. Ἀλλ' ὅτι κυρία τῶν ἐν αἱρέσει πρακτέων ἡ ἑκάστου γνώμη· καὶ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τὸ ἑλέσθαι δρᾷν τὸ δοκοῦν εἴτ' ἀγαθὸν, εἴτε φαῦλον.

(4) Ibid. pag. 203. Εἰ δὲ ἐν αἱρέσει κειμένου τοῦ κατορθοῦν ἐλευθέρως ἃ ἂν βούλοιτο τις, καὶ ἐνὸν ἅπασι μετ' ἐξουσίας τὸ εὐημερεῖν ἐλέσθαι πνευματικῶς.

[1] Lib. 18. Mor. c. 11. — [2] Lib. 2. qu. Evang. c. 40.

[3] Vid. l. 4. de Hom. opif. c. 3. — [4] Lib. 1. de Nupt. c. 3.

respondet, qui sic expostulaverat cum Catholicis : « Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus, et Pelagianus vocatur. » Huic Augustinus occurrens, falso id illum causari dicit : « Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem utrique dicimus. Non hinc estis Cælestiani et Pelagiani. » Atqui sciebat, quale isti *liberum arbitrium* constituerent, et quomodo definirent, et quam vocibus istis notionem subjicerent. Quam si hæreticam, ac damnandam esse judicasset, ut nova secta criminatur, adeone stupidus erat, aut in tanti momenti re negligens, et somnolentus Augustinus, ut solo vocum sono contentus, ad cetera conniveret, nec, quid veneni sub communi, et ambiguo nomine lateret, prius excuteret, et in lucem proferret, quam de sola rei appellatione catholicam hac parte professionem illorum esse fateretur? Non ita simplex, et ad illudendum facilis homo acutus, et perspicax fuit. Quin idem, quod in *gratiæ* vocabulo toties fecit, fecisset utique in *liberi arbitrii* nomine, hujus uti rationem, et significationem ab illis reposceret. Sed hic locus antea uberrime a nobis explicatus est.

X. Quinetiam Hieronymus adversus eosdem hæreticos scribens, qui liberum arbitrium in omni sermone jactabant, nullum super eo negotium iis facessit, sed in hoc ipso tacite illis assentitur[1] : « Frustra, *inquit*, blasphemas, et ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. » Nec aliud intellexisse liberum arbitrium, quam quod isti ipsi, quibuscum certabat, hæretici esse credebant, tum ex iisdem libris contra Pelagianos editis constat, tum ex aliis locis, quorum alibi nonnullos attulimus[2]. Non est autem verisimile, tam hunc, quam Augustinum in tractanda ista quæstione aliud egisse adeo, ut de re significata nihil omnino curarent; sed andabatarum more, ac velut in tenebris, de larva nominis, atque umbra dimicarent. Quamobrem, quod falsi propugnatores dogmatis, et veri calumniatores, ad ravim usque declamant, Pelagianos in omni disputatione liberi arbitrii statim mentionem injecisse, nec ullum finem illius commendandi fecisse, non eos lædit, quorum ad invidiam ista prædicant; sed vel ipsosmet mendacii, vel antiquos illos Patres prævaricationis reos facit. Aut enim falsum est, in liberi arbitrii definienda natura errasse Pelagianos; aut excusari isti non possunt, qui illius, quem impugnabant, erroris arcem, ac munimentum dissimulando præterierunt. Est autem justius, opinor, et pudentius, falsos esse putare novos istos theologos, quam sanctissimos Patres, et adversus hæreticos catholicæ fidei defensores acerrimos, in fraudis, inertiæve suspicionem adducere.

XI. Ecquid igitur in libero arbitrio commemorando, ac jactando, quod Pelagiani tam libenter usurpabant, Augustino, Hieronymo, aliisque post eos catholicis displicuit? Dixi in libro quarto de Opificio[3], qui de libero arbitrio est secundus; et hic summatim perstringam. Hoc igitur non probavit Augustinus, quod in eodem, quem paulo ex eo ante retuli, libro de Nuptiis secundo posuit[4]. Ubi, cum hæreticos illos non ob id censeri dixit, quod « liberum arbitrium in hominibus esse, ac Deum nascentium conditorem esse » crederent, quoniam « ista catholica fides dicit; » statim in quo eorum consistat hæresis exponit : « Sed, si quis ad colendum recte Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium; et quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget a potestate diaboli redemptorem, ipse Cælestianus et Pelagianus vocatur. » Hic itaque Pelagianus, et hæreticus est, non qui liberum arbitrium tale esse definit, ut sit naturalis facultas, quæ ad utrum libuerit eligendum, et asciscendum liberam habet potestatem, nullis necessitatis nexibus obstrictam; sive[5], *motus animi liber ad faciendum, aut non faciendum;* sive denique, *quæ sic cooperatur assentiendo Deo excitandi, atque vocanti, ut possit dissentire, si velit.* Plane quisquis ita sapit, ac dicit, Pelagianus non est. Et *mentitur iniquitas sibi*, ac loquuntur *vanitates in idipsum*, quicumque Pelagianos, aut Semipelagianos illos vocant. Qui si propterea Pelagiani sunt, quod in indifferente illo statu, neque determinato naturam ponunt arbitrii liberi, Pelagiani sunt antiqui Patres omnes, ac theologi; Pelagianæ synodi catholicæ, maximeque omnium postrema Tridentina; Pelagianus et ipse Spiritus sanctus, qui non aliam libertatis notionem per prophetas suos, et apostolos, scriptoresque canonicos ceteros, in sacris libris expressit.

XII. Ille vero Pelagianus est, qui libero isti arbitrio tantum arrogat, ut sine adjutorio Dei niti posse viribus suis ad Deum colendum

[1] In Epist. ad Ctesiph. pag. 814. — [2] Tom. 1. lib. 5. c. 3. et lib. 3. de Opif. c. 2. § 6.

[3] Cap. 3. — [4] Ibid. — [5] Aug. lib. de duab. anim. c. 12.

existimet, hoc est ad recte agendum, vel ad Christianam inchoandam, promovendam, perficiendamque justitiam. Sic Hieronynus, depulso eo, quod falso Pelagius objectabat, *condemnati arbitrii liberi* crimine, statim catholicæ professionis formulam, qua convicti Pelagiani tenebantur, his verbis concipit, quæ hujus capitis initio posui, sed hic necessario repetenda sunt[1]. « Ipsum, *inquit*, liberum arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget; quod vos non vultis, sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, et non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. » Num quis eorum, quos falso calumniaris, et pro Pelagianis, Semipelagianisque traducere conaris, o profana, et inverecunda novitas, tale aliquid de arbitrio libero scripsit, aut sensit, non egere ipsum adjutore Deo per singula, sed ad bonum amplectendum, sine ope, auxilioque gratiæ, propriis sibi viribus sufficere? Quisquamne dixit illorum, quod Hieronymus ab iisdem Pelagianis doceri scribit[2], in eoque potissimum eorum esse sitam hæresim? « Quæro, *inquit*, hoc ipsum, quod Dei asseris gratiæ, utrum ad Conditoris referas beneficium, an in singulis rebus putes esse, quas gerimus, ut scilicet illius in omnibus utamur auxilio; an semel ab eo liberi arbitrii conditi, nostra voluntate, vel viribus agamus, quod volumus? » Item illud[3]: « Dormitat ergo Deus in operibus nostris, semel data liberi arbitrii potestate; nec orandus est, ut in singulis operibus nos juvet, cum voluntatis nostræ sit, et proprii arbitrii, vel facere, si volumus, vel non facere, si nolumus. » Vides, quemadmodum sanctus ille doctor proprium esse concedit arbitrii liberi ita facere, si volumus, vel non facere, si nolumus, uti neutrum in iis, quæ ad Christianam justitiam spectant, sine Dei auxilio præstare possit.

Audiatur denique Pelagianæ hæresis proprium dogma, ab Augustino comprehensum sub ipsa scribendi adversus illam, et ejus oppugnandæ primordia[4]. « Nova quædam, *ait*, hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est, hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, et non peccandi possibilitate creati sumus, et Dei mandata, quæ a nobis implerentur, accepimus. Ceterum ad eadem mandata servanda, et implenda nullo divino adjutorio nos egere. » Hanc possibilitatem Pelagius sic interpretatus est, ut plena, integra, sana, et vegeta, suisque contenta viribus agendi tam bene, quam male facultas esset. Quo sensu nemo illorum, quibus malevole obtrectare solent imperiti homines, intelligendam putavit indifferentiam arbitrii liberi. Cujusmodi sit autem, ex rei veritate, et ex Augustini mente diligenter enodatum est in quarto libro de Opificio. Itaque supervacaneum sit longiorem in eo declarando operam, ac moram insumere.

CAPUT TERTIUM.

De secundo gratiæ genere a Pelagianis constituto, quæ est peccatorum remissio. Disputatur quo sensu Pelagius eam gratis, ac non secundum merita dari dixerit. Rejiciuntur interpretandi varii modi ab novo dogmatista propositi. Maxime quod ait, Pelagium putasse, arbitrii integritatem imminutam esse post antiqua, et patriarchica tempora.

I. Secundum genus Pelagianæ gratiæ *peccatorum* est *remissio*, ut in plerisque locis testis est Augustinus, tum in iis fere omnibus, quæ superiori capite commemoravimus, ubi cum libero arbitrio peccatorum remissionem complectitur; tum insigniter in libro de gratia Christi capite secundo, ubi Pelagii verba refert: « Anathemo, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, non solum per

[1] Hier. ad Ctesiph. col. 814. — [2] Lib. 1. cont. Pelag. col. 822. [3] Ibidem col. 823. — [4] Epist. 94.

singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus non esse necessariam; et qui hanc conantur auferre, pœnas sortiuntur æternas.» Augustinus vero istius gratiæ vocabulo callide significari dicit remissionem peccatorum, «quam per singulas horas, per singula momenta, et per singulos actus necessariam esse dicat, ut semper in memoria retinentes, et reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit, per actus singulos recordantes.» Ita in ejusdem libri capite 37. et 38. Et in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 6. «Sed, cum dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero, quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis, etc.» Et in capite 13. «Dicunt etiam, gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.»

Ad hæc libro tertio contra Julianum, capite 23. «Verum tu a vestro dogmate non recedis, *inquit*, quo putatis, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris.» Et in libro de Natura et gratia, capite 34.[1] «Hanc iste misericordiam, et medicinale Salvatoris auxilium, tantum in hoc ponit, ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda.» Idipsum et Julianus ipse defendit apud Augustinum[2].

II. Hanc vero remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari, sed gratis a Deo concedi, Pelagius arbitratus est, ut sæpe testatur Augustinus; ut in loco illo, quem citavimus, ex capite sexto libri de Gratia et libero arbitrio; et in epistola 105.[3] «Possunt quidem, *ait*, dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores?» Quo et illud referri potest Joannis Chrysostomi homilia 11. in epistolam ad Romanos, qui, «(1) quod propria peccata sepulta sunt, divini esse muneris» affirmat; «quod autem secundum baptismum mortui peccato perseveremus, nostri studii opus esse.» Quanquam, ut recte addit, «plurimum etiam ibi nos adjuvari a Deo cernimus.»

Ex quo sane difficilis ad explicandum quæstio nascitur: qui tandem Pelagius docuerit, remissionem peccatorum sine ullis dari meritis. Nam contrarium potius existimasse videtur. Primum quod universe ita pronuntiabat, *gratiam secundum merita dari;* in quo Pelagianæ hæresis caput, ac summa consistebat, ut antecedenti capite dixi; est autem singularis quædam gratia peccatorum remissio. Deinde nominatim peccatorum remissionem non gratis tribui, sed ex meritis affirmavit Pelagius; quod in concilio Diospolitano[4] ex ipsius libris objectum est illi ultimo, et duodecimo loco. «Duodecimo, *inquit*, et quod petentibus venia non detur secundum gratiam, et misericordiam Dei, sed secundum merita, et laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.» Quanquam hoc a Pelagio recantatum, et anathemate damnatum est in eadem synodo. Neque vero mentiti sunt, aut falso illi istud objecerunt in libello suo Heros, et Lazarus; sed revera sensisse sic, ac scripsisse videtur, quod etiam illius hæresi, ac primario decreto magis congruit.

III. Etenim propterea gratiam non putavit sine merito aliquo, gratisque concedi, quod alioqui injustus, et personarum acceptor Deus haberetur. In libro de gestis Pelagianorum, capite 14, Pelagio id objectum esse scribit Augustinus ex capitulis Cælestianis, «Dei gratiam secundum merita nostra dari; quasi, si peccatoribus illam det, videatur esse iniquus.» Et in epist. 105. idem Augustinus; «Quid hic dicturi sunt, *inquit*, qui, ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus?» Denique in libro de hæresibus ad Quodvultdeum[5], asserit Pelagium, postquam hoc damnavit in concilio Diospolitano, quod dixerat, «gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, secundum merita nostra dari, in posterioribus

(1) CHRYS. pag. 79. Τὸ μὲν γὰρ ταφῆναι τὰ πρότερα ἁμαρτήματα τῆς αὐτοῦ γέγονε δωρεᾶς. Τὸ δὲ μετὰ τὸ βάπτισμα μεῖναι νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ, τῆς ἡμετέρας δεῖ γενέσθαι ἔργον σπουδῆς· εἰ καὶ τὰ μάλιστα πολλὰ καὶ ἐνταῦθα τὸν Θεὸν ἐρῶμεν βοηθοῦντα ἡμῖν.

[1] Vide et c. 35. — [2] Libr. 1. Oper. imp. c. 106. p. 163. — [3] P. 175.

[4] Tom. 1. Concil. p. 862. Et Aug. ep. 106. p. 185. et c. 35. de gest. Pelag. et in Collect. Crescon. — [5] Cap. 88.

suis scriptis hoc inveniri docere. » Quare utrumque sine dubio Pelagius asseveravit de remissione peccatorum, qua maxime *ab impietate liberamur;* et, quæ nisi ex merito daretur, personarum acceptor videretur Deus, et indignis gratiam largiretur, quod illi passim jactitabant. Ac non est difficile conjicere, quo pacto remissionem peccatorum ex merito dari decreverint, cum in potestate esse vellent liberi arbitrii, et naturalibus ejus viribus, credere, aut non credere, resipiscere aut non resipiscere, sine novo alio Dei auxilio, præterquam eo, quod in lege, ac doctrina numeratur; cum ostensa Dei misericordia, et evangelico verbo, unusquisque sola voluntate sua, et arbitrii viribus, absque interno motu aliquo gratiæ, vocanti se et invitanti extrinsecus assentitur, ac voluntatis istius merito peccatorum remissionem, ac reconciliationem assequitur. Hoc sensu Pelagiani remissionem peccatorum ex merito comparari, facile et consentanee dicere potuerunt.

IV. Verum in altero et contrario decreto, quo gratis, et sine meritis remissionem eamdem dari dixerunt, non est explicatu facile, qua id ratione defenderint. Non enim eo sensu hoc illos affirmasse putet quispiam, quod natura, et arbitrium liberum, aut etiam doctrina, et lex, ex quibus voluntatis libera inclinatio sequitur, nullis præcedentibus meritis imputantur. Siquidem tale meritum excludebant, cum hoc posterius assererent, quod in peccatoribus inesse non potest, ut in epistola 105. scribit Augustinus [1]; tum ejusmodi, quod in pœnitentia situm est. Quippe cum in Diospolitana synodo retractaverit idipsum, quod antea de merito gratiæ docuerat, hoc autem tale esse dixerit, quod « per pœnitentiam digni fiunt misericordia; » quando hoc ipsum anathematizavit, ut testis est Augustinus, etiam meritum illius gratiæ sustulisse videtur, quæ non in natura posita est, sed in motione voluntatis, et inclinatione ad pœnitentiam. Postremo cum, ut idem refert Augustinus [2], duplex gratiæ genus distingueret : unum, quod sine meritis tribuitur, quod remissionem peccatorum esse dicebant : alterum, quod meritis redditur, hoc est æternam vitam; justa suspicio est, merita eos intellexisse non ejusmodi, quæ naturam, et liberæ voluntatis extantiam præcederent, verum quæ ab ipsa jam edita sponte, ac laudabiliter efficerentur. Siquidem ob eadem merita remissionem dari peccatorum negabant, quibus vitam æternam rependi fatebantur. Hæc autem posteriora ab voluntatis arbitrio proficisci putabant. Itaque non alia merita detrahere Pelagius debuit, cum sine meritis remitti peccata postea tradidit. Quod ipsum quemadmodum interpretatus sit, non est facile dictu; tum illud etiam, quid remissionis nomine significare voluerit, non satis perspicuum est; utrum scilicet nudam ipsam delictorum relaxationem, an sanctificantem gratiam, an congruentia quædam adjumenta gratiæ, quibus ad illam præparantur, et adducuntur, velut pœnitentiam, dolorem ob admissa crimina, et id genus alia. Non enim sine aliqua præparatione animi condonari peccata Pelagius credidit.

V. Equidem in ista quæstione, ac similibus, quæ de Pelagiana hæresi moveri possunt, non tam esse facile arbitror invenire, quid probes, quam quid, quave de causa improbes. Ac fortasse plus, quam res ipsa fert, diligentiæ in istis inquirendis adhibemus; et rationem, ac, quam Græci vocant, ἀκολουθίαν, id est, *cohærentem sibi consequentiam sermonis* ibi quærimus, ubi nulla fuit, et ubi nihil tantopere auctor illius sectæ, ac dogmatis studuit, quam ut ne intelligeretur, quod diceret, ut qui ad tempora sua, et judiciorum, publicæque cognitionis metus responsa sua, ac decreta moderatus est. Nihilominus quantum prudenti conjectura, ex Augustini, aliorumque monimentis, de hæretici illius sententia consequi possumus, quando id suscepimus, enarare pergemus. Et, ut ab eo incipiam, quod primo loco proposui, mihi videtur Pelagius initio docuisse, peccatorum remissionem a peccatoribus non obtineri gratis, sed ex merito pœnitentiæ. Postea, cum animadverteret, non eam esse gratiam præcipuam, de qua cum Catholicis sibi controversia esset, sed de illa disputari potissimum, quæ eadem ad omnes actus necessaria, et a Deo gratis concessa dicitur; ne hanc ipsam gratiam in *actuali,* ut vocant, voluntatis impulsione positam esse, et quoties agimus, toties eam inspirari, cogeretur asserere, ad remissionem peccatorum libenter receptum habuit; quæ semel tantummodo concessa, deinceps non reipsa, novaque tribuitur, sed memoria solum repetitur, ut scribit Augustinus, libro de gratia Christi, cap. 2. Sic enim volentem per sese, neque divinæ opis, hoc est gratiæ, et adjutorii illius, quo velut imbecilla ful-

[1] Cit. § 2.

[2] Lib. de grat. et lib. arb. c. 6.

ciretur, indigam voluntatem poterat defendere, si diceret gratiam illam, ad omnes actus necessariam, esse peccatorum remissionem, quæ identidem memoria repetita nos adjuvet. Itaque necesse est credere, Pelagium hac in parte mutasse sententiam, et, quod de peccatorum remissione, ac venia aliquando pronuntiaverat, eam minime gratis, sed ex merito tribui, postea retractasse, ut gratis illam concedi putaret. Hoc vero, quo sensu demum usurpaverit, non satis apparere mihi dixi.

VI. An, cum gratiam illam, quæ proprie gratia dicitur, in sola mentis illustratione, ac revelatione, et objectis per illam terroribus, vel propositis præmiis putaret consistere, nec præterea quicquam esse crederet, quo Deus voluntatem nostram ad agendum impelleret, peccatores gratis existimavit ac præter meritum illuminari a Deo, et iis præsidiis ad pœnitentiam adduci? An tale meritum exclusit, cui ex justitia tribuitur, quod debetur; quemadmodum justis æterna salus rependitur? Ex quo affirmare potuit, per legem, doctrinam extrinsecus oblatam (quam gratiam omnino gratuitam et necessariam esse judicavit) admoneri peccatores, eosque liberi arbitrii viribus ad pœnitentiam excitare sese; sed eam pœnitentiam dignam non esse, cui Deus peccata condonet? Sane Augustinus Epistola 105. de hac ipsa peccatorum remissione disputans, quam Pelagius sine meritis dari volebat, demonstrare studet, eam nonnullis ex meritis a Deo conferri; quoniam fides illam impetrat, cujus utique nonnulla sunt merita. Quam fidem non ab humano arbitrio, sed ex gratia proficisci docet. Ex quibus efficitur, quoniam Pelagiani fidem humanis viribus ascribebant, et ejus merito nihilominus peccatorum gratiam fieri negabant, eos de tali merito locutos esse, cui tanquam condigna merces remissio illa concessa sit. Quin etiam Massilienses, ut in epistola ad Augustinum scribit Hilarius, non putabant fidem, vel credendi voluntatem, in parte curationis ipsius aliqua censeri; et, cum illam naturalibus liberi arbitrii viribus imputarent, nihilo tamen secius asserebant gratiam sine ullis meritis conferri. Unde constat, nullum eos in ista fide meritum proprie dictum, et adæquatum, cujusmodi sola sunt operum merita, collocasse; sed imperfectum duntaxat, ac velut causam, cur huic potius, quam illi gratiam Deus impertiret.

VII. Prosper in epistola de libero arbitrio ad Rufinum, Pelagianos errores explicans, et eum præsertim, quo gratiam dari ex meritis, ac secundum ea dicebant, ita rem enarrat, ut duplex veluti gratia ab illis constituta fuerit: una, quæ extrinsecus oblata menti, voluntatem illiciat: altera, justificatio, quæ prioris voluntatis viribus admissæ præmium sit. Verba Prosperi: «Intellectum est enim, saluberrimeque perspectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecus judicio ejus ostendat, quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quæsierit, inveniat, si petierit, accipiat, si pulsaverit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio hoc primum circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat; nec aliud sit gratia, quam lex, quam propheta, quam doctor, cui circa omnes homines per universum mundum commune, et generale sit studium.» Hoc primum gratiæ genus est. Sequitur posterius. «Ut qui voluerint, credant, et qui crediderint, justificationem merito fidei, et bonæ voluntatis accipiant; atque hoc modo gratia non sit gratia, quia si meritis redditur, et non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur.» En alterum gratia genus, quod in justificatione, et peccatorum remissione statuit.

VII. Ut igitur de Pelagii dogmate, et quæstione ante posita dicam quid probabile esse sentiam, duplex illud gratiæ genus animadvertendum est; quorum unum gratuitum: alterum ex merito datum intelligitur. Nam prius illud, quod totum exterius est, sine ullis nostris meritis offertur. Lex enim, et Evangelium, et prophetarum voces, et ejusdemmodi alia gratis unicuique constant, et in commune proponuntur. Et quamvis uti singulis offerantur, atque ut, exempli gratia, propheta, vel apostolus, vel quilibet alius evangelicus præco in illos incidat, et iis divinum verbum prædicet, meritis eorum tribui posse Pelagiani non dubitarent, idque Cornelii centurionis exemplo probarent[1]; nihilominus tum lex ipsa per se, et evangelica doctrina nullo nostro merito divinitus est edita, tum quod ad usum cujusque, ac commodum applicetur, sæpe nullis privatis illius, cui offertur, meritis evenit. Ideo genere ipso gratuitum illud beneficium habetur, quatenus ex se, conditionisque suæ proprietate, nullum necessario requirit meritum; cum altera quæ est secundi

[1] Act. 10.

generis, gratia nonnisi proprio marte comparanda sit, id est solis propriis meritis rependatur. Hanc fuisse mentem Pelagii verisimile est, atque ejusmodi doctrinam, κρύψει illius, et versutiæ congruentem, et in utramque partem versatilem, sive gratiam ex merito dari, sive gratis, et sine merito concedi fateretur, prout res suæ postulabant. Quamobrem ex iis consentanea reddi ratio potest, cur et initio *gratiam secundum merita dari* dixerit, et postea, mutata velificatione, aliter pronuntiare visus sit. Quod in posteriori maxime licet experiri; nam in priori genere expedita res est. Gratiam igitur eam, quam in justificatione, ac peccatorum remissione collocabat, utroque modo, et ex meritis, et sine meritis obvenire docuit. Horum primum jam exposui, nec difficile est capere. Alterum, quod nos paulo magis commovebat, sic interpretandum est, ut, si proxima spectentur, ex quibus necessario pendet, meritis respondeat; sin ad prima, et remotiora referatur, gratuitum sit omne. Etenim remissio peccatorum per pœnitentiam, et mutationem animi, sive resipiscentiam obtinetur. Ad hanc vero capessendam, ex Pelagii sententia, tum naturalis est necessaria voluntatis facultas, et arbitrium liberum, quod gratuitum est Dei beneficium, tum vero lex ipsa divina, et doctrina fidei.[1] *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*

IX. Sed illud præ omnibus, ac diligenter observandum est, in quo rei summa vertitur: Pelagium existimasse, post adventum Christi, neminem ad salutarem pœnitentiam, ac voluntatis conversionem, adeoque remissionem peccatorum pervenire posse, nisi per Christum, ejusque notitiam, ac fidem in ipsum. Quod diserte asserit in commentario ad epistolam ad Ephesios[2] (nam vulgo Pelagii esse creduntur commentarii illi ad epistolas Pauli, qui inter Hieronymi spuria censentur) his verbis: « Quando jam homines aliter salvari non poterunt, nisi Christi fide salventur. » Quod ne quis putet sic ab eo scriptum, tanquam vim ullam, et gratiam subministrari meritis illius existimarit, ad salutem consequendam necessariam, non est ita. Quippe ideo Christi fide salvari homines asseruit, eamque fidem necessariam esse, quod pars legis divinum sit illud, novumque præceptum, ut in Christum credatur. Sic enim idem ille Pelagius in epistolam ad Romanos[3], « In hoc tempore, *inquit*, nemo perfecit legem sine Christo; quia et hoc legis est, ut ipsi credatur. » Vides ergo, uti gratiam ad salutem necessariam, præter naturam et liberum arbitrium, sola lege, ac doctrina definierit, et maxime quatenus Evangelium, ac fidem Christi continet. Et quoniam gratiæ genus hoc, id est Christi incarnatio, et hujus prædicatio, quod est Evangelium, nullis hominum meritis, sed gratis, ac liberaliter a Deo est indultum; idcirco pœnitentiam, et peccatorum remissionem sine meritis dari, subdole Pelagius interdum asseruit; siquidem qualiscumque liberi conatus arbitrii, et quantumvis plenus, ac vehemens, sine Christi notitia, et parte legis illa, quæ mandatum est in Christum credendi, remissionem peccatorum non impetrat. Hanc itaque latebram Pelagius reperit, qua imminentem a catholicis episcopis damnationem effugeret, ut, salva impietate sua, profiteri posset, gratis, ac nullis nostris meritis remissionem peccatorum a Deo tribui, non quod nulla eam præcedant liberi arbitrii merita, sed quod ista ipsa merita, si Christi notitia, fidesque desit, quam naturalibus homo viribus proposito sibi Evangelio præbet, remissionem illam assequi nequeant.

Verum Augustinus contra hæresim illius disputans, in hoc ipsum intentus, quod aperte Pelagius, ac verbis ipsis præ se ferebat, et quod in Diospolitana synodo palam, publiceque professus erat, damnato etiam, ac revocato contrario dogmate, id tanquam Pelagianum decretum ponere, et usurpare consuevit: *remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari;* neque curiosius in sensum, ac sententiam illius dogmatis inquirere voluit, quod minime tum opus esset, neque ad institutum pertineret. Hoc tamen, quod de illius hæretici mente, ac simulatæ professionis intelligentia dixi hactenus, nemo probabile esse diffitebitur, qui illius mysteria, et arcana probe perspexerit.

X. At falsi interpolator dogmatis[4], qui, ut Pelagianum vitaret errorem, in contrarium, nihiloque tolerabiliorem incidit, aliter Pelagii dictum illud exponit, quo *remissionem peccatorum secundum merita nostra dari* negavit; ac triplicem ejus interpretationem affert. Prima est, « quod datur etiam gentibus illis, quæ nulla legis, hoc est cæremoniarum opera perfecerunt, sed tantummodo in Chri-

[1] Rom. 10. 14. — [2] Ad c. 6. 21.

[3] Rom. 10. 6. — [4] Tom. 1. l. 5. c. 7.

stum fide crediderunt.» Tum ex pseudo-Hieronymi commentariis [1] ostendit, justificari hominem non ex operibus legis, sed ex fide Christi, non *absque justitiæ operibus*. Verum non ob eam causam Pelagium arbitror peccatorum remissionem gratis affirmasse tribui, quod sine legis operibus daretur. Nam et vita æterna neutiquam ex operibus legis obtinetur: quam tamen meritis constare idem hæreticus docuit. Igitur, cum utramque gratiam, remissionem scilicet, et vitam æternam, reipsa crederet impetrari meritis; de iis tamen diverso modo pronuntiavit, quatenus inter ambas interest. Nam remissio peccatorum ita meritis acquiritur, ut ea nihil efficiant, nisi proposito Evangelio, ac Christi passione, quæ intelligentiæ objecta, proxime remissionem illam operatur. Ergo, quia inter gratuitum Dei beneficium, tanquam radicem, et peccatorum remissionem, qui est illius fructus, nihil interjectum est, idcirco remissionem solam esse gratuitam dixit gratiam. At vita æterna, inter Christi passionem, et remissionem ex ea natam, ac seipsam interpositam habet liberi arbitrii functionem, suis viribus nitentem, ut ille putabat. Ideo meritis hanc posteriorem gratiam provenire dixit, non priorem.

Vere hoc a nobis conjici discrimen ex Pelagii sensu, argumento est Augustinus ipse, qui similiter æternam vitam, ac primam animi motionem, gratiam appellandam censuit, cum hac utriusque differentia, quod posterior gratia mere gratuita sit, quoniam proxime oritur ex solo Dei beneficio; vita autem æterna proxime ex merito comparatur, cujus tamen stirps, et origo est gratuita Dei beneficentia. «Vita, *inquit* [2], æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia.» Sic ergo Pelagius remissionem peccatorum solam putavit gratuitam esse gratiam, quoniam ἀμέσως ex mero Christi beneficio ortum habuit, cujus merita proxime in illam conferunt. At æternam vitam gratiam appellavit ille quidem; sed remotiorem ab illa prima gratia, et quasi matrice meritorum, quam in fidei doctrina collocabat, cujus efficientia proxime in remissionem peccatorum incurrit.

XI. Alteram causam explicat novus dogmatistes, cur a Pelagio remissio peccatorum gratis obtineri diceretur : quod «olim tempore legis naturæ, atque Moysi, non erat illa peccatorum remissio, quæ sola fide credentibus in Christum datur, necessaria; propterea quod homines poterant, propter naturæ et liberi arbitrii integritatem, totam legem custodiendo, si vellent, omnem omnino implere justitiam. Nunc autem, quia peccandi nimia consuetudo prævaluit, non amplius tota potest servari lex; ideoque peccata, quæ per illam consuetudinis infirmitatem præcipitata voluntate perpetrata sunt, gratuita remissione per fidem Christi, quæ a cujuslibet nuda voluntate pendet, esse delenda.» Atqui mirum mihi videtur, hominem in Augustini libris, ac Pelagiana indaganda hæresi tanto studio versatum, tam male cohærentem istius placitis rationem excogitasse. Ita enim disserit, tanquam imminutæ sint naturalis arbitrii liberi vires, ac deteriores factæ, quam erant in lege veteri. Quod nunquam Pelagius admitteret; imo contraria omnia sæpe, multumque defendit. Cujus dogmatis caput illud est : Liberi arbitrii sanas, et integras ab ortu cuique vires inditas fuisse, nulla voluntatis alienæ culpa debilitatas et infractas. Etenim naturalem hanc esse dotem humani animi, quæ non magis eripi, quam natura ipsa, possit, ut ex æquo bonum ac malum in potestate habeat, nec ad illud amplectendum alienis opibus indigeat, sed nativis propriisque contenta sit.

Pelagium audiamus ipsum, qui in epistola ad Demetriadem [3], virtutum, et Christianæ pietatis præcepta daturus, ab naturæ bono, ac liberi arbitrii commendatione sermonem ingreditur. «Volens, *inquit*, Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, et liberi arbitrii potestate donare, utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium ejus fecit esse, quod velit, ut boni ac mali capax, naturaliter utrumque posset, et ad alterutrum voluntatem deflecteret.» Tum illud : «Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali bonique judicium; et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, etc.»

XII. Julianus Pelagianarum columen partium [4], «Libertas, *inquit*, arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistit.

[1] In c. 3. ad Rom. n. 49. — [2] Aug. lib. de grat. et lib. arbit. c. 8. Vide lib. 9. Tom. 1. cap. 1.

[3] Tom 4. Hier. col. 718. — [4] Apud Aug. l. 1. Oper. imper. c. 70. p. 118.

Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis et vitii, quod posset ex concessa sibi possibilitate vel servare mandata, vel transgredi, vel magisterio naturali conservare jus humanæ societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati et justitiæ summa est. »

Eodem pertinent illæ apud Augustinum Pelagii sententiæ de possibilitate boni ac mali; quam a natura datam, ac necessitate quadam ita consertam, adhærentemque illi esse significat, ut auferri nequeat. « Dicimus, *inquit*[1], cujusque rei possibilitatem, non tam in arbitrii humani potestate, quam in naturæ necessitate consistere. » Ac deinde[2] : « Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est : quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare non nostrum. » Quæ illius verba refellens Augustinus, « Miror, *inquit*, quo corde, etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putat esse, non peccare; posse vero non peccare naturæ esse contendat; quam sic videt esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre. » Quocirca neutiquam aliena culpa vitiatam hominis naturam, ac voluntatem liberam esse Pelagius credidit, neque debilitatam, aut immutatam. Quod diserte ipse testatur, in eodem Augustini libro[3], « Primo, *inquit*, de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur, et immutata natura. » Quod deinde ex eo redarguit, quod peccatum substantia non sit. « Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare, vel mutare naturam, quod substantia caret? » Ejusmodi sunt alia quamplurima utriusque loca, quæ novus dogmatistes selegit[4]; ut in eo sitam esse persuaderet illorum hæresim, quod liberum arbitrium assererent in indifferentia, et utriusvis ex æquo possibilitate consistere; in eoque esse sitam divinitatis imaginem, quæ naturaliter ac necessario inest homini, nec ab eo separari potest.

XIII. Quibus omnibus repugnat id, quod postea scribit, Pelagianos existimasse, « naturæ ac liberi arbitrii integritatem » olim extitisse « tempore legis naturæ, atque Moysi; ac propterea potuisse homines totam legem custodire, si vellent, et omnem omnino implere justitiam. Nunc autem, quia nimia consuetudo prævaluit, non idem amplius posse. » Ergone consuetudo illa peccandi, quæ in majoribus fuit, ac naturæ vitiositas ab illis propagata est in posteros? Quid hoc aliud est, quam originalem a parentibus in posteros transire noxam? Aut quid tam acriter de eo contra Catholicos Pelagiani contenderent, ac *traducianos* illos per probrum, ac convicium nominarent, si et ipsi vitium, ægritudinemque naturæ *traduci* a majoribus in filios dicerent, quo pristina liberi arbitrii possibilitas esset erepta? Multa nuperi sunt istius scriptoris errata, atque haud paulo perniciosiora, magisque cavenda, quam istud est. Sed nullum hebes adeo, neque tam stupidum, aut ab omni ratione, ac judicio destitutum. Enimvero quidquid in illa ad Demetriadem epistola, et in aliis libris, quorum fragmenta apud Augustinum leguntur, de naturæ bono, deque sanitate et integritate liberi arbitrii disputavit Pelagius, necnon Julianus, et si qui alii sunt, non eo conspirat, ut veterum tantummodo patriarcharum, ac prophetarum, qui olim extiterunt, indolem, ac liberi in illis arbitrii salubritatem prædicent, quæ sit omnis in posteris amissa, mutata jam in deterius, post adventum Christi, natura mortalium. Sed eam naturam, eumque voluntatis, et arbitrii liberi commendant statum, qui in ætatis suæ hominibus inerat, quemque ob oculos illis ponere, et in memoriam reducere se velle profitebantur, ut eos ad omnia virtutum officia incitamento hoc alacriores redderent; neve illi excusari se posse crederent infirmitate virium, et imbecillitate naturæ, quominus summa quæque, ac perfecta capesserent. Quod in illa ad Demetriadem epistola Pelagius longa et copiosa oratione persequitur.

XIV. Sequitur tertia et postrema causa, propter quam novus dogmatistes dixisse Pelagium existimat, *remissionem peccatorum non secundum merita nostra dari*, quod « a gentibus ad fidem conversis nulla laboriosa pœnitentiæ opera in baptismo postulantur; » sed sola fide Christi remissionem illam assequi possunt. Verum nec ista ratio satis ad rem pertinet. Nam neque veteri in lege, ad solam peccatorum remissionem obtinendam, tanto labore opus fuit; quippe momento plerique illam adepti sunt, uti David, Manasses, et complures alii. Interest autem inter remissionem peccatorum simplicem, et justitiam legis. Hæc enim ejusmodi est, qualem Apostolus describit[5], *Quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.* Quibus verbis indicat, justitiam legis propriam eatenus suppetere, si illius mandata omnia serventur. Nam justum proprie vocatur, quod legi consenta-

[1] Apud Aug. lib. de nat. et grat. c. 45. — [2] Ib. c. 48. [3] Cap. 19. — [4] Tom. 1. lib. 2. c. 1. et seq. — [5] Rom. 10. 5.

neum est, ut docet Aristoteles. «(1) Omnia quippe legitima quodammodo justa sunt. Siquidem ea, quæ sunt ab legumlatrice facultate definita, legitima sunt; et horum unumquodque justum esse dicimus. Porro leges de omnibus præscribunt.» Quare justitia legis est quædam actionum humanarum, vel agentis hominis exæquatio cum lege, sive regula, ut indicat Augustinus in tractatu ad Psalmum 61[1]. Et, ut alibi scribit[2], «Factores legis utique justi sunt», nempe qui reipsa legi obtemperant, et quorum actiones omnes ad eam exactæ sunt. Hoc autem longum, ac molestum est, et in tanta naturæ depravatione, atque imbecillitate virium obtineri non potest. Itaque compendium quoddam nobis assequendæ justitiæ per fidem charitate formatam Christus attulit. Est enim[3] *charitas bona voluntas*, vel[4] *boni cupiditas*, ut definit Augustinus. Quo affectu vivæ fidei legem amamus Dei, et implere volumus. «Quia et qui diligit Deum, consequens est, ut faciat, quod vult Deus : et in tantum diligit, in quantum facit,» ut idem scribit Augustinus[5]. Idcirco per fidem charitate formatam, qua totam legem voto, ac desiderio complectimur, legi conformes, adæquatique sumus, adeoque justi.

XV. Ex quibus colligitur, justitiam, quæ ex lege est, actuosam, et laboriosam esse, non peccatorum remissionem. Ac non mediocriter hallucinari novi patronum dogmatis in Pelagiano illo interpretando decreto, dum ante Christum, «propter naturæ, et liberi arbitrii integritatem, totam legem custodire, atque omnem implere justitiam» homines potuisse dicit, postea vero non amplius potuisse. Nam nihil in naturæ viribus, ac possibilitate mutationis incidisse, germanum est dogma Pelagii. Neque vero minus pravæ consuetudini veteri in lege mortales obnoxii fuere, quam posteriori tempore. Quare, si de integritate liberi arbitrii decerpere aliquid peccandi consuetudo potuit, non minus hoc antiquis illis fecit, ac patriarchicis seculis, quam novissima ætate. Sane, si cujus priscis illis temporibus pater, avus, atavus impii, ac scelerum obdurati consuetudine fuissent, nihil hoc illi oberat quominus, si vellet, sanctus esset ipse; neque ex contaminata stirpe labes ulla, et contagio redundabat in illius animum, quæ *liberi ejus arbitrii integritatem* minueret, aut bene vivendi *possibilitatem* eriperet, quam majores illius habuissent. Quemadmodum Abraamus, etsi Tharæo patre natus est idolorum superstitioni dedito, quod Epiphanius[6], atque Hebræi ipsi litteris prodiderunt; imo vero, præter patrem, majores alios eadem peste inquinatos habuit in Chaldæa, ut est in libro Judith[7]; nulla tamen in ipsius indolem, mores, ac voluntatem lues, et noxa derivata est, quæ libertatem, ac potestatem bene, aut male agendi deteriorem redderet.

XVI. Igitur neque consuetudo illa qualiscumque peccandi, ab iis, qui Christi tempus antecessere, majoribus contracta, posterorum satus infecit, ut, quod illi potuisse dicuntur, deinceps minime potuerint recte vivere, *liberi arbitrii integritate* violata. Eadem quippe vis liberæ potestatis in novissima ætate genitis inesse credita est a Pelagio, quæ in primo parente fuit ante peccatum, uti Prosper initio libri de Ingratis asserit his versibus :

Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus; neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum; qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui, non semine proli.
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, et menti ingenitum servare decorem,
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos.

Ac quibusdam interpositis Pelagianos inducit quidlibet fateri paratos, dummodo concedatur ipsis, liberi arbitrii integritatem nullo modo violatam, ac diminutam esse, sed talem inesse nascentibus, qualis in primo parente fuit, quæ multo utique vegetior, et integrior, quam in posteris illius patriarchis, ac prophetis fuit.

Immortalem, *inquit*, hominem factum si creditis, et nos
Credimus. Inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpa, et leto devinxerit omnem :
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri :
Dum nostri decus arbitrii, lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum : nec viribus absit ab illis,
Quas, condente Deo, generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrii virtute querela.

Et paulo post :

(1) ARIST. 5. Eth. cap. 3. Δῆλον ὅτι πάντα τὰ νόμιμά ἐστί πως δίκαια. Τά τε γὰρ ὡρισμένα ὑπὸ τῆς νομοθετικῆς νόμιμά ἐστι, καὶ ἕκαστον τούτων δίκαιον εἶναί φαμεν. Οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ πάντων, etc.

[1] Aug. p. 256. D. — [2] Lib. de Spirit. et lit. c. 26. — [3] Aug. lib. de grat. Chr. c. 21. et ep. 143. — [4] Idem lib. 2. ad Bon. c. 9. — [5] Idem lib. 8. de Trin. c. 7. — [6] Init. Pan. — [7] Cap. 5. 6.

Inter multa suis quæ tradidit hæresiarches,
Quod cognoscis, ait, naturam, quæ bona facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis;
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum, etc.

Num igitur ante peccatum primus parens non integram habuit libertatem? Ergo talem habere quemque, et quacumque sub lege natum, affirmavit Pelagius. Idem in libro contra Collatorem, cap. 9. contra eosdem hæreticos disputans : «Nam si posteri, *inquit*, Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ, non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum. Salvatoris denique gratia non egerent; quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur.» Julianus quoque Pelagianus apud Augustinum [1], «Nos dicimus, *inquit*, peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem, id est, et in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest a peccato desinere, quæ fuit in eo, ut posset a justitia deviare.» Sed de absurditate interpretationis illius nimium fortasse multa; nunc reliqua Pelagianæ gratiæ genera persequamur.

CAPUT QUARTUM.

De reliquis quatuor gratiæ generibus ex mente Pelagii, quæ sunt lex, sive prædicatio Christi, ejusdemque exemplum; tum interior mentis illuminatio. Item adoptio, ac filiorum status baptismo comparatus; ac postremo vita æterna. De tribus primis istorum, et duobus antecedentibus accurate disseritur; quatenus necessaria illa esse Pelagius putaverit.

I. Tertium gratiæ genus, quod extrinsecus omnino adesse, et opitulari Pelagius asserebat, in lege, prædicatione, et exemplo Christi ad imitandum proposito consistit. De lege testis est Augustinus lib. 1. de gratia Christi cap. 3. «Nam gratiam, *inquit*, Dei, et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura, et libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrina; ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo, et faciat bonum, revelando, et ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur, non etiam cooperando, et dilectionem inspirando, ut id, quod faciendum esse cognoverit, faciat.» Et alibi [2]: «Sed aiunt ideo ista sine ope divina non fieri, quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, et dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum, et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus quid evitare, et quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter, et juste, et pie vivendo, ad beatam, eamdemque æternam vitam pervenire mereatur.» Hanc vero gratiam ex illorum mente necessariam esse interpretatur Augustinus lib. 1. de grat. Christ. cap. 33. ubi verba illa Pelagii refert : «Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio;» quæ Augustinus ambigua esse causatur, «quoniam potest respondere, legem se dicere, doctrinamve Christianam, etc.»

De exemplo Christi, Augustinus libro eodem 1. de gratia Christi, cap. 38. ait Pelagianos gratiam collocare «in remissione peccatorum, et in exemplo Christi.» Tum a Pelagio in epist. ad Demetriadem discerni naturam scribit a Dei gratia, «ut naturæ bonum intelligamus, quod, cum crearemur, accepimus; gratiæ autem, cum Christi intuemur exemplum, tanquam peccatum non indultum fuerit eis, qui sub lege fuerunt, vel sunt, quia exemplum Christi sive non habuerunt, sive non credunt.» Item cap. 41. hanc ipsam proprie gratiam appellari docet a Pelagio; quippe «adjutorium illud legis, atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus; adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo.»

[1] Lib. 2. Oper. imp. c. 94. p. 141.

[2] Lib. de Spirit. et lit. c. 2.

II. Quartum gratiæ genus est interior mentis illuminatio, et revelatio, qua cordis oculos aperit Deus; sed nihil in voluntate nostra efficit. Hanc gratiam ex Pelagio proponit, et explicat Augustinus, ejusque verba recitat lib. 1. de gratia Christi, cap. 7. « Quam gratiam, *inquit*, nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio confitemur.» Mox, qualem gratiam intelligat, exponit ita scribens: « Adjuvat enim nos Deus per doctrinam, et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? An et liberum hominis arbitrium, et Dei gratiam confitetur?» Et cap. 10. eandem gratiam a Pelagio commendari dicit, quam « Deus futuræ gloriæ magnitudine, et præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.»

III. Quintum gratiæ genus, status est quidam novæ legis, Christianorumque proprius; hoc est regenerationis, et adoptionis dignitas, quæ per baptismum tribuitur. De qua insignis est Juliani Pelagiani locus, in quo tum superiores omnes gratias enumerat, tum hanc postremam regenerationis, et per baptismum adeptæ dignitatis. « Gratiam ergo Christi multiplicem confitemur, *inquit* [1]. Hoc primum munus ejus est, quod facti ex nihilo sumus; secundum, quod, ut viventibus sensu, ita sentientibus ratione præstamus, quæ impressa est animo, ut Conditoris imago doceretur. Ad cujus æque respicit dignitatem arbitrii concessa libertas. Ipsi etiam gratiæ, beneficiorum, quæ nobis præstare non desinit, augumenta reputamus. Ipsa gratia legem in adjutorium misit, quæ a Deo exspectabat officium, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, et consuetudo vitiorum, multimodis eruditionibus excitaret, atque invitatu suo foveret. Ad istius ergo gratiæ, id est, divinæ benevolentiæ, quæ rebus causam dedit, plenitudinem [2] exspectavit, ut Verbum caro fieret, etc.» Mox de baptismo ista subjicit [3]: « Hac ergo gratia, quæ in baptismate non solum peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio et provehit, et adoptat, et consecrat; hæc, inquam, gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium.» Hinc Pelagius asserebat, parvulos per baptismum non peccati ullius gratiam, ac remissionem consequi, sed sanctificari in Christo, et adoptari in filios, ac regni cœlestis hæredes fieri; ut passim Augustinus significat. De qua opinione Pelagii dicemus postea. Quare ad insitum et nativum innocentiæ decus, novum quemdam ex baptismo Christi parvulis honorem accedere putabat, eamque Christi gratiam vocabat. Quod quidem Prosperi verbis explicare satius fuerit; qui, postquam liberi arbitrii, ac legis insitæ cordibus meminit, in quibus communem omnibus gratiam constituebant hæretici illi, mox de peculiari Christianorum gratia ita scribit [4]:

> Cui gratia Christi
> Addita, perfugium lapsis generaliter in se
> Condiderit, sacro si vellent fonte novari.
> Ut, sponte attractum venia solvente reatum,
> Sponte sua in vires proprias natura rediret:
> Quoque per errores esset spoliata vigore,
> Hunc servare semel posset purgata receptum.
> Tam dives vero hoc donum baptismatis esset,
> Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
> Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
> Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
> Naturæque bonum adjecto illustretur honore.

Sextum gratiæ genus est æterna vita. Sic enim a Pelagianis appellatam hanc fuisse, tametsi meritis rependatur, scribit Augustinus in libro de Gratia et libero arbitrio capite sexto, cujus verba supra descripsi [5].

IV. Et quoniam Pelagianorum ab Catholicis dissensio non tam in gratia, quam in gratiæ necessitate vertebatur, neque ob id præcise pro hæreticis judicati, damnatique sunt, quod gratiam negarent, (nam et nonnullam adstruebant, et non diversam ab ea, quam eruditi quidam Catholici hodieque solam asserunt,) sed quod necessariam non esse dicerent, posseque, sine interiore gratia Christi, solis naturalibus bonis niti homines ad sanctitatem, et salutem, tametsi idem, aspirante gratia, facilius assequi possent; idcirco Pelagianam hæresim, et ejus intima dogmata nosse cupientibus, prima esse cura debet, ut sciant, quatenus isti genera illa gratiæ, quæ hactenus exposui, necessaria putaverint. Quæ res non erit notatu difficilis, si quæ ad singula genera dixi, accurate meminerimus. Ac primum quidem, postremumque extra quæstionem esse videtur. Manifestum est enim, nec illud proprie eam esse, de qua hic agimus, gratiam, sed naturale Creatoris beneficium, nec istud

[1] Jul. apud Aug. l. 1. Oper. imper. c. 92. pag. 138. — [2] Scrib. *spectavit*.

[3] P. 139. ibid. — [4] Pros. init. libri de Ingr. — [5] Cap. 3. § 1.

gratiam per se, absoluteque vocari, sed quatenus ad antecedentia, quibus æterna vita comparatur, adjumenta gratiæ refertur. Ex quo fit, ut cujusmodi gratiam Christi necessariam homini esse Pelagius existimavit, talis gratia sit, ex ejusdem mente, vita sempiterna : hoc est prope nulla. Verum de sexto illo postremoque gratiæ genere dicetur capite sequenti; nam quiddam in eo est consideratione dignum.

V. Quod ad remissionem peccatorum attinet, perspicuum est, non omnibus necessariam ab illis creditam fuisse, sed iis solis, qui peccatum admisissent ; itaque parvulis nihil hac opus gratia fuerit. Sed adultis, et delictorum consciis eo modo necessaria sit, quem capite superiori declaravimus; nimirum ut fidei nostræ Christus objiciatur, et extrinsecus tantummodo illius merita nos adjuvent : non autem ut vel præveniat nos efficiendo aliquid *in nobis sine nobis*, quod quidem necessarium habeatur; vel conversorum animos, voluntatesque sic moveat, ut sine hoc afflatu nihil agere viribus suis libertas possit arbitrii.

Eodem necessitatis modulo metiendum est gratiæ tertium genus, quod in lege, doctrinaque Christi, et exemplo positum est. Nam lex, et Christi merita, atque doctrina, (hoc est eorum omnium notitia et fides,) etsi non sunt absolute necessaria ad obtinendam salutem, tamen ad regnum cœleste perveniri absque illis non potest ; duo hæc enim a Pelagio distinguebantur, uti paulo post dicam. Idemque judicium de quinto genere faciendum est ; nam sine baptismo, et adoptione filiorum, posse vitam æternam adipisci homines naturali sola lege, et arbitrii liberi viribus fretos, Pelagiana est opinio ; regnum vero cœlorum nonnisi baptizatis, adoptatisque tribui idem asseverabat.

VI. Quartum denique gratiæ genus, quod interiori mentis illuminatione definiebat, minime esse necessarium arbitrabatur ; sed ad hoc dari, ut facilius assequeremur, quod alioqui per nos ipsi difficilius obtinere possemus. Pelagius ipse apud Augustinum libro 1. de gratia Christi, cap. 7. ait [1], Deum « illis, quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministrare, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam. » Item capite 40. ejusdem libri, « Subditi simus Deo (ait Pelagius) ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, et (ut) facilius nequam spiritui Spiritus sancti auxilio resistamus. » Hæc Pelagius. « In quibus ejus verbis, ait Augustinus, certe manifestum est, ita eum velle nos adjuvari gratia Spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus. » Tum capite 41. scribit Pelagium ipsum auxilium, quo possibilitas naturalis adjuvatur, in lege constituere, atque doctrina, quam nobis fatebatur etiam sancto Spiritu revelari ; propter quod et orandum esse : « Ita ut ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. » Ergo, cum orationibus id petamus, quod nondum obtinuimus, quisquis autem orationes fundit, jam lege Christi, ac verbi prædicatione, exteriorique doctrina sit præditus ; non potest divina revelatio, quam orationibus impetramus, aliud esse, quam inspiratio et illustratio mentis, quæ in sola cogitatione, intelligentiaque sistit, quam eodem loco et a Spiritu sancto revelari, et possibilitatem nostram adjuvare contendit. « Sed hoc, inquit Augustinus, adjutorium legis, atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus ; adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur, ut videlicet, tanquam via demonstrata quam ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamvis et ipsam viam contendat, etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvet gratia. »

VII. Præterea docet Augustinus, eam Pelagii fuisse sententiam, gratiam ad id tantummodo conferre, ut naturalem hominis possibilitatem adjuvet, non autem ut velit, aut agat. « Nam cum tria constituat, atque distinguat (ait August. lib. 1. de gratia Christi, cap. 3.) quibus mandata divina dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, et actionem ; possibilitatem scilicet qua homo potest esse justus, voluntatem qua vult esse justus, actionem qua justus est; horum trium primum, id est possibilitatem, datam confitetur a creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolimus : duo vero reliqua, id est voluntatem, et actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis esse contendat. Denique gratia Dei non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est voluntatem, et actionem, sed illam quæ in potestate

[1] Vide et c. 26. 27. 28. 29. et lib. de Hæres. c. 88.

nostra non est, et nobis ex Deo est, id est possibilitatem perhibet adjuvari. » Sequenti vero capite, Pelagii verba ipsa profert ex libro 3. de Libero arbitrio, ubi tria illa sic exprimit, « Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in affectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit; duo vero reliqua, hoc est velle, et esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. » Vide capita sequentia, 4. et 5. 25. 41. Porro quidquid gratiæ nomine Pelagiani comprehendebant, ad duo revocare fastigia solet Augustinus, naturam, et legem sive doctrinam; ut in eodem libro 1. de gratia Christi, cap. 8. 9. 10. 30. 31. Nam illuminatio, et interior revelatio, quæ ex omnibus gratiæ appellationem maxime meretur, quia voluntatem per se non afficit, sed mentem et intelligentiam, illi vero tantum extrinsecus objicitur, docentis partes, non impellentis, et cooperantis sustinet.

CAPUT QUINTUM.

De sexto, et postremo gratiæ genere, quod est æterna vita. Quomodo Pelagius ab æterna salute cœlorum regnum distinxerit, et utrumque gratiam esse docuerit. De electione ad gloriam ex mente Pelagii, difficilis enodatur quæstio. Duplicem ab illo electionem adstrui; unam ad gratiam, alteram ad gloriam.

I. Vitam æternam gratiam quamdam a Pelagio nominari, quæ meritis præcedentibus redditur, superiori capite ex Augustino [1] demonstravimus. Id qua ratione ille dixerit, non otiosa est, nec inutilis quæstio. Ubi illud imprimis animadvertendum est, cum Pelagius Catholicorum disputationibus exagitatus, et in angustias redactus, astute vitam æternam a cœlorum regno separasset, ac sine baptismo, Christique gratia posse docuisset hominem solis utentem arbitrii viribus, ac legis notitia, vitam ac sempiternam assequi salutem; non tamen cœleste regnum, quod solis baptismo initiatis in Evangelio promittitur, in illo loco, ubi æternam vitam dixit esse gratiam, utrumvis intellexisse videri; sed potissimum cœlorum regnum, eo quod est simplici salute multo præstantius. Etenim merito cujusque fieri, hæreticus iste sentiebat, ut vel vitam æternam, vel etiam cœlorum, si baptizatus esset, regnum adipisceretur. Quod etsi vel auditu ipso minime ferendum est, ut ab æterno regno vita æterna separetur, (« quibus enim regnum adimitur, utique nec vita permittitur, quæ inest regno, » ut recte Tertullianus scribit [2],) hoc tamen Pelagius, Pelagianique docuerunt.

Ac Catholici quidem, præeunte maxime Augustino, cum, futili hoc repudiato discrimine, unum idemque esse defenderent cœleste regnum, ac vitam æternam; hoc ipsum esse gratiam, et tamen reddi meritis asserebant longe dissimili, ac Pelagius, instituto. Nam Augustinus vitam æternam aiebat esse gratiam, non quia per se gratis daretur, datur enim propter merita; sed quia id, propter quod illa datur, gratis conceditur, quæ sunt merita gratiæ, id est in nobis facta per gratiam, ut alibi ex eo demonstravimus [3]. Cum igitur prima illa gratia, quæ stirps est, et origo meritorum, æternique præmii, nihil nisi gratia sit, ac nullis antecedentibus meritis gratis oblata fuerit; ideo vita ipsa sempiterna, qua parte gratia est, vere, proprieque gratia dicitur, non tamen proxima notione, sed remota; quoniam interjecto aliquo, quod voluntas humana confert, cum illa gratiæ radice connectitur.

II. At Pelagius ambo illa, vitam æternam, cœlorumque regnum eodem gratiæ vocabulo, non tamen eadem ratione complexus videtur, si, quod illius decretis consentaneum est, quærimus. Quippe vitam æternam eatenus gratiam esse docuit, quod ex arbitrii liberi viribus, ac lege saltem naturæ comparari debuit etiam in nova lege; si tamen peccatum deesset, cui necessaria foret remissio, quæ sine

[1] Lib. de grat. et lib. arb. c. 6.

[2] Tert. lib. de Pudic. c. 10. — [3] Tom. 1. lib. 9. c. 1.

Christi fide, ac notitia jam nulla tribuitur. At vero cœlorum regnum, quia per baptismum impetrari oportet, fidemque Christi, quæ gratuita sunt dona, etsi ad ea non sine meritis aliquando pervenitur, potiori jure gratiæ sibi nomen usurpant, auctore Pelagio. Ita nonnisi ex objecto gratiæ negotium in opinione ista peragitur, quoniam humanæ voluntati, et naturalibus arbitrii viribus liberale Dei munus, circa quod agant illæ suopte marte, proponitur. Eodem modo statuendum est de sanctitate et justitia, quam post adeptam peccatorum remissionem, in fidelibus excitari hæreticus iste dicebat, et propter hanc eligi a Deo, ac prædestinari. Hujusmodi enim sanctitatem meritis, et naturali hominum industria comparari docuit, eadem illa, quam *objectivam* appellare velim, data, et adjuvante gratia.

III. De quo egregius est, et apprime huic disputationi necessarius Augustini locus, descriptus a nobis [1], expositusque, cum de prædestinatione scripsimus, ubi catholicum de electione dogma cum Pelagiano componit [2]. Cum enim utrique in eo consentiant, quod non impios, et immundos eligi putent, sed sanctos, et immaculatos; in eo tamen dissidere illos ait, quod Catholici, præeunte Apostolo [3], dicant, *eligi nos, ut simus sancti*, « non quia futuri eramus, sed ut per gratiam ejus essemus ; » Pelagius vero eligi sanctos putabat a se, et arbitrii sui liberis viribus factos. Verba Pelagii, prætermissis, quæ illic posita sunt, reliquis, abesse ab hoc loco nequeunt. « Præsciebat, inquit Pelagius, qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium : et ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia, quia tales futuros esse præscivit, elegit. » « Elegit ergo, *inquit*, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, immaculatosque præscivit ; utique ipse non fecit; nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit. » Hæc Augustinus ex Pelagio ; quæ tamen non sic omnia ab illo scriptis expressa, conceptaque videntur. Neque enim tam diserte negaret, a Deo fieri sanctos, sed invidiæ causa declinandæ, more id suo callidius, et obscurius efferret; verum quid ex illius doctrina consequens esset, suis Augustinus verbis adtexuit. Ceterum Pelagius futuram illam, et a Deo prævisam sanctitatem, non prima, ut opinor, justificatione definire voluit, quæ cum remissione peccatorum conjungitur ; sed progressum bonorum operum, et incrementa justitiæ significavit, ac quidquid, post condonata peccata, proprii viribus arbitrii quotidianis accessionibus adjungunt homines, nullo novo, quod quidem necessarium sit, Dei indigentes auxilio, sed naturali contenti bono. Ob hanc itaque bonæ, ac laudabilis vitæ constantiam, et perseverantiam, quam in liberi arbitrii potestate constituebat, electos a Deo, ac prædestinatos esse Pelagius arbitratus est ad vitam æternam, ac cœleste regnum.

IV. Ex quo alia rursus existit quæstio, alio a nobis loco pertractata [4], et hic delibanda paucis : quam ad rem eligi senserit eos Pelagius, quos per sese sanctos, et immaculatos prævidisse putavit Deum ? Siquidem electio ista vel ad gloriam pertinet, vel ad gratiam aliquam. De sola gratia ne intellexisse credamus, obstat illud, quod præter remissionem peccatorum, in his tantummodo, qui voluntate peccaverant, nullam ad æternam salutem assequendam necessariam esse gratiam ratus est Pelagius. At electio illa, de qua ex eodem hæretico sermonem facit Augustinus, ad eam rem pertinere debet, sine qua salus obtineri non possit. Quippe reprobationi, sive damnationi est opposita, uti qui ab illa cognominantur electi, reprobis, ac damnatis ex adverso respondent. Quod si eligi dicas ad eam gratiam, sine qua sempiternæ, si velint, salutis esse compotes queant, non erit fixa reproborum ab illis secretio, ac proinde nec illorum electio. Est enim electio certorum, relictis aliis ac repudiatis, assumptio. At, cum Deus uni cuipiam minime necessarium adjumentum æternæ comparandæ salutis negare constituit, non eo ipso reprobare illum dicitur, si potest alia, quam quæ intercluditur, via ad eamdem salutem contendere.

V. Quod vero Pelagius electionem istam nequaquam ad gloriam retulerit, inde probari videtur, quod in capite 19. libri ejusdem Augustinus Semipelagianorum dogma cum illo conferens, sic eos loquentes faciat, ut a Pelagianorum causa valde suam remotam, et alienam esse disputent. Nam, quæ Augustinus ex Apostolo collegerat de electione, ac prædestinatione, qua nos Deus sanctos, immaculatosque facit, non invenit ; ea non contra se, sed contra Pelagianos valere dicebant; quippe per nos ipsos esse nos sanctos, immaculatosque Pelagius asseverabat, et quia tales fore nos prævideret Deus, ideo elegisse nos, ac prædestinasse.

[1] Tom. 1. lib. 9. c. 6. — [2] Aug. lib. de Prædestin. Sanct. c. 18. et 19.

[3] Eph. 1. — [4] Tom. 1. lib. 9. c. 6.

« Nos autem (aiebant Semipelagiani) dicimus, nostrum Deum non præscisse nisi fidem, qua credere incipimus ; et ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti, et immaculati gratia atque opere ejus essemus. » Hic non potest electio ad gloriam intelligi ; non enim ex electione, vel prædestinatione, sive proposito tribuendæ salutis oriri sanctitatis, ac justitiæ dandæ voluntatem Semipelagiani putabant, sed ex eo, quod accepta propter fidem gratia, et justitia bene ad finem usuros esse quosdam prævidisset Deus, illos ad salutem elegisse, ut ex epistolis Prosperi, et Hilarii ad Augustinum colligitur. Quare de electione ad gratiam Semipelagiani loquebantur. Quod si verum est ; sequitur, eadem de prædestinatione Pelagianos quoque superiora illa dixisse. Nisi enim de uno, eodemque genere prædestinationis agerent oppugnatores isti, de quo illi contra quos pugnabant, stulta propemodum esset ac ridicula conflictio.

VI. Et, ut longius in ea quæstione progrediamur, videamus, an in Augustini scriptis genus aliquod inveniri gratiæ possit, ad quod eligi nos, ac prædestinari hæresiarcha iste crediderit.

Ac de parvulis quidem perspicuum est, quid ille statuerit. Scribit enim Augustinus, Epistola 105, Pelagianos sensisse, ex operum præsensione, quæ, si in vita mansissent, affecturi erant parvuli, ad baptismum eos admitti, vel ab illo rejici. Nam etsi nullum in infantibus originale esse peccatum crederent, nequaquam tamen ad regnum cœleste sine sacramento regenerationis pervenire dicebant, ut paulo post aperiam. Horum igitur electio ad baptismi gratiam, et adoptionem proprie spectat.

De grandioribus, et voluntate sua nitentibus, qui nondum Christianis sacris initiati fuerant, perspicuum est Pelagianos putasse, meritis illorum, quæ propriis arbitrii viribus, adjuvante nonnunquam gratia, id est mentem illuminante, compararentur, tribui regenerationem in Christo, velut quamdam mercedem ; quod testatur Prosper in epistola ad Ruffinum, ubi Semipelagianos ait asseverasse, Cornelium centurionem, ante gratiæ perceptionem, eleemosynis, et jejuniis, et orationi spontaneo studio fuisse intentum, atque ob hoc divino testimonio laudatum, donum regenerationis accepisse. Quod multo magis Pelagiani arbitrati sunt. Augustinus libro primo de gratia Christi, capite 22. et 23, Pelagii verba refert, quibus perobscure gratiam nescio quam exprimit, quam meritis assequamur. « Qui currit (inquieba Pelagius) ad Deum, et a Deo se regi cupit, id est voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, qui ei adhærendo jugiter, unus, secundum Apostolum, cum eo fit spiritus ; non hoc nisi de arbitrii efficit libertate, qua qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere : Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus ; ponitque cor suum in manu Dei, ut illud, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Quæ refellens Augustinus, ista subjicit : « Magnum profecto adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quo, voluerit, Deus ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, sicut iste desipit, tunc meremur, cum sine ullo adjutorio, nonnisi de arbitrii libertate, ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatemque nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. » Ergo præcedentia merita in eo sita sunt, « quod ad Dominum currimus, eique nos totos tradimus, ac voluntatem nostram mortificamus ; » quibus meritis id vicissim tribuit Deus, *ut cor nostrum, quo velit, ipse declinet*, quod interiore doctrina, ac revelatione, sive sola mentis illustratione, sine commotione voluntatis fieri Pelagius asserebat, ut ibidem Augustinus exposuit.

VII. Eam porro gratiam non prorsus ad recte agendum, adéoque ad obtinendam salutem esse necessariam arbitrabatur, sed ad illa facilius assequenda, ut ex ejusdem Pelagii ad Demetriadem epistola, quæ hodie extat inter Hieronymi pseudepigrapha, constat, et in cap. 26. et sequentibus libri de gratia Christi Augustinus observat. Præterea libro de Gratia et libero arbitrio c. 5. scribit Pelagianos in illis Scripturæ verbis, *Convertimini ad me*, meritum humanæ voluntatis intelligere ; in istis vero, *et ego convertar ad vos*, gratiam Dei, quæ secundum merita datur. Item, « meritum nostrum in eo esse, quod sumus cum Deo ; ejus autem gratiam secundum hoc meritum dari, ut sit et ipse nobiscum. » Tum, « meritum nostrum in eo esse, quod quærimus eum, et secundum hoc meritum dari ejus gratiam, ut inveniamus eum. » Quæ omnia nullum aliud gratiæ genus ostendunt, quam quo mens a Deo luce quadam perfunditur, et intrinsecus docetur ; quod nec ipsum tamen omnino necessarium sit, sed utile duntaxat, ut quod absolute per naturam possumus, facilius per gratiam assequamur.

VIII. Quo constituto, redit illa superior hæ-

sitatio, quinam electos, ac prædestinatos ad illam gratiam fuisse Pelagiani senserint, quæ necessaria non esset, ut citra ipsam obtineri salus æterna posset ; quod ab electionis, ac prædestinationis alienum notione videtur esse, cui non alia subjecta, propositaque gratia est, quam quæ est ejusmodi, ut ad gloriam nonnisi per ipsam aspirare possit electus, hoc est quæ ad illam comparandam non utilis modo sit, sed etiam necessaria. Etenim, cum efficacitatem gratiæ sola humana consensione metiretur Pelagius, et eamdem efficacitatem naturalibus præsidiis itidem, ut utili isti, et adventitiæ gratiæ tribueret, non minus prædestinati et electi homines ad gratiam eo ipso dici merebuntur, quod libertatis compotes a Deo facti sunt, et naturalibus ad agendum viribus instructi, quam ex eo, quod minime necessarias illas opportunitates, sed tantum utiles conferre decreverit. Ita perdifficile est de illa Pelagii opinione statuere.

IX. Equidem Pelagium existimo duplicem electionem prædestinatorum hominum agnovisse : unam ad gratiam Christi, qualemcumque tandem constitueret Christi gratiam, hoc est Evangelii notitiam, baptismum, et illuminationem mentis, ac cetera, quæ supra posui : alteram ad gloriam. Priorem vero communem electis putasse cum reprobis ; ex quo illud explicatur, quod difficile in Pelagiano esse dogmate dixi : quomodo ad hoc eligi homines crediderit, sine quo salvi esse poterant, si vellent. Nam hujusmodi destinatio non necessariorum auxiliorum optime cum illius opinione cohæret, quia, etsi sine validioribus illis gratiæ prædiis, quæ ex Pelagio refert Augustinus [1], absolute pervenire potuerint ad regnum cœlorum eo quod ad facilius assequendam beatitatem tantummodo conducerent ; tamen divinæ electioni proposita fuerunt, quæ supra id, quod simpliciter necesse est, emetiri multa de sua largitate, ac munificentia potuit, eaque prædestinare.

Augustinus porro, nec non Semipelagiani, in referenda illa Pelagianorum de Præsdestinatione sententia, primam electionem cum secunda miscuerunt. Neque vero Pelagius prædestinationem illam priorem qualiumcumque gratiæ præsidiorum talem esse credidit, qualem Augustinus asserebat, ut certum, et, ut loqui solent, *infallibilem*, ac determinatum haberet cum æterna felicitate nexum, sed pendere ex humano arbitrio, et, si homini aliter visum foret, frustrari divina de se consilia, nec per ea salutem obstinere. De quo legendus Faustus in libro primo de libero arbitrio, capite 4. Atque hanc esse causam suspicor, cur Augustinus Pelagianum illud dogma de electione, ac prædestinatione pertractans, hanc ad æternam gloriam accommodarit ; nimirum istam ipsam, qua erat imbutus, sententiam in illius dicta transtulit, qua *media*, ut vocant, omnia, quæ divina prædestinatione continentur, ratum, et definitum habere ordinem, ac σχέσιν ultimum ad finem putavit.

CAPUT SEXTUM.

De reliquis Pelagianorum dogmatibus. Originale peccatum ab illis sublatum, infantes cur baptizandos censuerit. Adamum, nisi peccasset, moriturum fuisse iidem asserebant. Tum posse hominem, si velit, peccato omni carere. Qua ratione Pelagius hoc defenderit. Cælestii decreta. De ἀναμαρτησίᾳ ab utroque constituta. Hominem ita perfectum posse esse dicebant, ut nihil opus ei foret petere dimitti sibi peccata. Supervacaneas orationes pro infidelium conversione quatenus esse docuerint. Eorumdem ἀπάθεια. Ecclesiam in hac vita sine macula et ruga esse voluerunt. Legem veterem commendabant. Regnum cœlorum in eadem promissum esse dicebant. Negabant divites posse salvari. Nec esse jurandum. Nestoriana hæresi infecti fuerunt.

I. Nefario illi, ac virulento dogmati, quo gratiæ necessitatem elevabat Pelagius, connexum alterum est eidem familiare, et inter præcipua numerandum, quod peccatum originale sustulit. Hoc inter capita illa, de quibus in Carthaginensi synodo, præside Aurelio, interrogatus est Cælestius, primum fuit, ut testis est Augustinus [2]. « Et Cælestius quidem, *inquit*, in hoc

[1] Supra § 6.

[2] Lib. 2. de pec. Orig. c. 2.

extitit errore liberior, ut neque in episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum ; et quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit, ante prævaricationem. » De quo Carthaginensis deinde concilii, et judicii illius Acta citat [1]. Ideo traducem peccati negabat [2], idque se Romæ dicentem asserebat audisse Ruffinum ; quod et in Diospolitana synodo Pelagio est objectum [3]. Ut autem eluderet illa testimonia Scripturæ, quibus Adami peccatum fraudi fuisse posteris dicitur, aiebat solo Adamum exemplo nocuisse, quo illos traheret ad imitandum. Quod auctor ille commentariorum in epistolas Pauli, qui inter Hieronymi opera editi sunt, tuetur, in cap. 5. epistolæ ad Romanos [4]. Qui auctor Pelagianus sine dubio fuit ; non tamen istos ipsos commentarios esse puto, quos ad Pauli epistolas scripsisse Pelagium testatur Augustinus lib. 3. de Peccatorum meritis, cap. 1. et 2. Nam quædam ex commentario Pelagii ad cap. 5. ad Romanos citat illic Augustinus, quibus peccati traducem oppugnabat, quæ in pseudo-Hieronymo non extant. Itaque Pelagianum aliquem fuisse reor, qui ex illis Pelagii quædam transtulit, alia resecavit.

Addebant, nihilominus baptizandos esse parvulos, non ut aliqua in iis macula deleatur, sed variis de causis, quas Augustinus recenset [5]. « Parvulos etiam negant, *ait*, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti. Sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam, etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, et beatam quamdam vitam suam. »

II. Cælestius item in Carthaginensi synodo professus est [6], « Infantes egere baptismo, ac debere baptizari. » Quod alibi clarius exposuit [7] : « Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, et secundum Evangelii sententiam confitemur ; quia Dominus statuit, regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri, quod, quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. » Ac mox [8] : « In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico sensu alienum est ; quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine ; quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur ; et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad Creatoris injuriam, malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam. » Hoc loco in remissionem peccatorum baptizari parvulos, ita Cælestius accipit, ut sit, eodem baptismo initiari, quo in iis, qui lapsi sunt, peccata remittuntur, sive qui ex se, ac natura sua idoneus est ad peccata delenda. Sic enim verba illa Cælestii interpretor, cum ait, idcirco se in remissionem peccatorum baptizari dixisse parvulos, ne alio quodam, ac diverso baptismi genere illos consecrari quispiam putaret. Ergo, « non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo, » etiam Pelagius asserebat apud Augustinum [9] ; vel [10] « ut creatura in Dei filios adoptetur, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacro regenerationis expiandum. » Quanquam ex illo grege Pelagianorum, qui baptizari infantes *ad remissionem pecatorum*, vel *ad redemptionem*, ut scribit Augustinus in libro primo de Peccatorum meritis, capite 34. fatebantur, inventi sunt, qui propria quædam in parvulis recens natis peccata inesse dicerent, quæ tum ipsis remitterentur. Quam fatuam, ineptamque fabulam haud scio, an Cælestius propugnarit ; Augustinus certe quosdam Pelagianorum docuisse scribit, et refellit in eodem libro et capite, ac sequenti 35.

III. Sic idem in libro primo de Peccatorum meritis et remissione, capite 20. causam illam latius explicat, cur baptizari parvulos oporteret ex Pelagii sententia, nempe ut regnum cœlorum adipiscerentur, eo quod [11], *Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit regnum Dei*, ut Christus ait. Unde « nova quadam, et mirabili præsumptione, » perinde disputabant, « quasi salus, ac æterna vita possit esse, præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. » In-

[1] Ib. c. 3. — [2] Ib. c. 3. et 4. — [3] Aug. de gest. Pel. c. 11. — [4] Num. 30. — [5] Lib. de Hær. c. 88. — [6] Aug. de pec. orig. c. 4.

[7] In libello Romæ oblato apud Aug. ibid. c. 5. — [8] Ibid. c. 6. — [9] Lib. 3. de pec. mer. c. 6. — [10] Aug. l. 4. con. duas ep. Pelag. c. 2. et l. 2. c. 6. — [11] Joan. 3.

didem illa vox ejus extitit [1] : « Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant scio, quo eant, nescio. » Itaque Pelagianos ait Augustinus [2] « laborasse, ut quærerent extra regnum Dei nescio cujus suæ felicitatis locum; » de qua re pluribus disserit in epist. 89. quæstione tertia.

Proinde medius ille locus, ad quem sine baptismo morientes convolare parvuli ab nonnullis hodieque creduntur, inter Pelagianas hæreses ab antiquis numeratus est, et damnatus in Carthaginensi synodo, ut testatur Photius [3]. Sed de hoc commento late disputavimus [4] in priore libro de Prædestinatione, ac nihil omisimus, quo illustrari Pelagiana hæc, et cum Pelagio quibusdam Catholicis communis opinio posset. Itaque pluribus modo nihil est opus.

IV. Celebre est et illud Pelagianæ dogma hæresis; primum parentem, etsi non peccasset, nihilominus fuisse moriturum, adeoque pœnam peccati non esse mortem in illius posteris; quod e Cælestii scriptis in Diospolitana synodo decerptum, et objectum est Pelagio, ut testatur Augustinus [5]; qui hunc errorem multis in libris impugnat [6], et in synodo generali Carthaginensi, quæ Milevitana vulgo dicitur, canone 1. damnatus est. Vide autem quæ de Adami statu scripsimus in secundo libro de sex dierum Opificio.

Item illud, posse hominem, si velit, absque omni peccato esse, omnique perturbatione, quam ἀπάθειαν hauserat ex Ruffino Pelagius; ille autem ob Origenistis. Atque hoc in refutando dogmate totus fere est Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, et in libris contra Pelagianos tribus; qui in epistola [7] refert, Pelagium initio dixisse, « posse hominem sine peccato esse, si velit. Et quia hoc Ecclesiarum per orientem aures ferre non possunt, simulant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere; quasi aliud sit sine peccato, aliud ἀναμάρτητον; et non græcum sermonem, qui apud illos compositus est, duobus verbis sermo latinus expresserit. » Sed, quod pace Hieronymi dictum sit, aliud est dicere, aliquem esse sine peccato, aliud esse ἀναμάρτητον. Prius enim est nullum in se habere peccatum; posterius non posse peccare. Itaque τὸ ἀναμάρτητον soli Deo convenire dicitur; quam *impeccantiam* latine reddit Hieronymus [8]. Pelagius autem non tam reipsa fuisse aliquos sine peccato contendebat, quam posse homines esse, si vellent.

V. Audi ipsum sub Critobuli persona apud Hieronymum [9], exponentem, quid sentiat : « Neque enim quando dico, hominem posse esse sine peccato, si velit, aliquos fuisse contendo; sed simpliciter posse esse, si velit. Aliud namque est, esse posse, quod græce dicitur δύναμις; aliud est esse, quod ipsi appellant ἐνέργειαν. » Et in epistola ad Ctesiphontem [10] ait, illos interrogatos, quinam absque peccato fuissent, respondere solitos, « se non eos dicere, qui sint, vel fuerint, sed qui esse possint. » Et [11], « Dicitis his verbis, ait idem Hieronymus, aliud est esse, aliud esse posse. Esse non est in nostra positum potestate; esse autem posse generaliter dici, quod licet alius non fuerit, tamen possit esse, qui esse voluerit. »

Quin etiam Pelagius ipsemet apud Augustinum [12] tria distinguit, *posse, velle, et esse.* « Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locari » dicebat. « Itaque liberum mihi est nec voluntatem bonam habere, nec actionem; nullo autem modo possunt non habere possibilitatem boni, etc. Unde, quod propter calumniam vestram sæpe repetendum est, cum dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est; nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo, quod potest esse, disseritur. »

Quæ Pelagii verba contrarium sonare videntur iis, quæ ex illo refert Hieronymus, « esse sine peccato non esse in nostra positum potestate. »

VI. Verum conciliari ista possunt ex iis, quæ Critobulus, id est Pelagius, apud eumdem Hieronymum [13] dicit, « Non omne posse nos, quod volumus. Quia voluntas imperfecta est. Si enim vere velles, vere utique non peccares. » Ergo posse esse sine peccato, si velit, hominem, sic Pelagius intelligi volebat, satis habere virium in arbitrio libero ad vitandum omne peccatum, nec ad singulos actus egere Christi gratia. Hoc vero, *ut simus, non esse in nostra potestate*, cum dicebat, non tam potestatem, quam usum potestatis significabat, quam *moralem potentiam* scholæ nuncupant; quia pro-

[1] Aug. lib. 2. de Pecc. Orig. c. 21. — [2] Lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 12. — [3] Cod. 53. — [4] Tom. 1. l. 9. c. 11. — [5] Lib. de gest. Pel. c. 11. — [6] Libr. 1. de Pec. mer. c. 2. et seq. et ep. 106.

[7] Col. 907. — [8] Lib. 1. con. Pel. col. 836. — [9] Ibid. col. 824. — [10] Col. 807. — [11] Hier. ib. col. 814. — [12] Libr. de grat. Christ. c. 4. — [13] Lib. 1. con. Pel. col. 824.

pter mutabilitatem arbitrii liberi ex sese idonei, ac potentis, et propter consuetudines noxias, ac ceteras vitiorum illecebras, in transversum acta voluntas, non plene vult, nec suam vim ac robur explicat.

Quanquam Pelagium existimo principio non sensisse tantum, sed palam etiam, et libere professum esse, quosdam et fuisse, et esse perfectos, qui peccato prorsus carerent; postea tamen, cum ex crebris tam suis, quam suorum cum catholicis colloquiis, ac disputationibus intellexisset, quantam opinio hæc invidiam haberet, eo confugisse, ut posse, si vellet, hominem sine peccato esse diceret; non tamen aut esse, aut fuisse quemquam ejusmodi. Nisi forte non ipsum prius illud usurpasse Pelagium dixeris, sed ejus discipulos, quibus ita clam arcana doctrinæ suæ tradebat, ut ea ceteris occultaret. Sic enim Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem [1], de isto ipso dogmate τῆς ἀναμαρτησίας agens, « Loquere, *inquit*, quod credis, publice prædica, quod secreto discipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non libere, quod sentis, loqueris ? Aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta ; aliud rostrorum populi. Etenim vulgus indoctum non potest arcanorum tuorum onera sustentare, nec capere solidum cibum, quod infantiæ lacte contentum est. »

VII. Plane ita puto rem habuisse. Cælestius sectæ illius post magistrum antesignanus, ut erat acerrimo ingenio, et ad audendum projectus, quod Augustinus narrat [2], inter alia dogmata, quæ Pelagius clam insusurrabat, quædam aperte vulgavit, quibus ista ipsa *impeccantia* continebatur; velut est [3], « Plus nos facere, quam lege, et Evangelio jussum est. » Quod cum Pelagius in Palæstino judicio de virginitate se intellexisse diceret, approbarunt episcopi; Augustinus vero alio sensu id a Cælestio usurpatum ait ; videlicet, « tantum nos habere, per naturam liberi arbitrii, non peccandi possibilitatem, ut plus etiam, quam præceptum est, faciamus ; quoniam perpetua servatur a plerisque virginitas, quæ præcepta non est, cum ad non peccandum præcepta implere sufficiat. » Sic illud Cælestii [4], « Unumquemque hominum omnes virtutes posse habere, et gratias. » Ex iis enim sequitur, posse hominem esse peccati omnis expertem.

Postquam ergo Cælestius, aliique Pelagii discipuli decretum illud *impeccantiæ* publice professi sunt, ipsum arbitror ducem illorum, et auctorem idem prædicare cœpisse. Certe in libris suis sanctorum virorum, qui in Scriptura commendantur, decus ac virtutem multum et enixe laudabat, eosque studebat ostendere ab omni culpa remotos, nullo non virtutum genere fuisse cumulatos; ut ex epistola ejus ad Demetriadem cognoscitur, et ex primo libro Hieronymi contra Pelagianos, ubi Critobulus aliquot exempla veteri in lege laudatorum hominum ad illud probandum ἀναμάρτητον adducit. Plures etiam sexus utriusque commemoratos ab eodem Pelagio recenset Augustinus in libro de Natura et gratia capite 35. « qui non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur. »

VIII. Neque vero, qui hoc asserebant Pelagiani, refellendi sic erant, quomodo fecisse nonnullos scribit apud Augustinum [5] Pelagius : nempe « comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur; » ubi Hieronymum significari arbitror. Hoc enim argumento usus est ille in epistola ad Ctesiphontem [6] : « Numquid præcepit, *inquit*, mihi, ut essem, quod Deus est, ut nihil inter me esset, et Dominum creatorem, ut major essem angelorum fastigio, ut haberem, quod angeli non habent ? De illo scriptum est, quasi proprium [7] : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Si hoc et mihi cum Christo commune est, quid ille habuit proprium ? » Sed hoc facile diluebat Pelagius: et ibidem Augustinus negat ad rem facere, « quia etiam, cum fuerit in nobis tanta justitia, ut ei addi omnino nihil possit; non æquabitur creatura Creatori ; » quippe ita Christus, ac Deus sine peccato est, ut ne possit quidem peccare, aut velle peccatum; homo, etsi affluente gratia, ab omni peccato, ac peccandi voluntate purgetur, tamen id absolute, et ex naturæ suæ conditione velle, ac peccare potest. Verum non male procedit argumentum Hieronymi, si quemadmodum sine peccato esse posse dixerit hominem Pelagius una consideremus: nimirum ex sese, ac naturali vi, et liberi arbitrii potestate, sine ope gratiæ; hoc enim solius est proprium Dei, nec ulli creaturæ concessum.

IX. Quocirca, ut recte animadvertit Augustinus [8], non eo præcise condemnata est Pelagiana hæresis, quod hominem sine peccato posse esse defenderet; « Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis

[1] Col. 814. E. — [2] Lib. de Pec. Orig. c. 12. et l. 2. ad Bonif. c. 3. — [3] Aug. l. de gest. Pel. c. 13. — [4] Aug. de gest. c. 14. [5] Lib. de nat. et grat. c. 33. — [6] Hier. col. 812. — [7] 1. Pet. 2. — [8] Aug. l. de Pecc. mer. lib. 2. c. 6.

continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti, vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. » Itaque posse esse confitetur sine peccato « per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium ; » tametsi non esse confitetur [1], eo quod Scriptura neminem sine peccato esse testatur. Quanquam Hieronymus ex eo, quod nemo unquam sine peccato fuit, ne posse quidem esse quemquam arbitratur [2] ; « Quis enim, *inquit*, tibi concedet, posse hominem facere, quod nullus unquam hominum potuerit ? » Sed de ordinaria, quam *moralem* vocare solent, potentia intelligendus est Hieronymus. Vide Augustinum in libro de Natura et gratia, capite 60.

Itaque Pelagiana hæresis in eo consistit, quod ita posse perveniri ad illum statum aiebat viribus arbitrii liberi, ut minime esset necessaria gratia Christi. Quod Prosper in libro de Ingratis expressit sic :

> Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
> Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
> Libertate sua.

Quanquam interdum et hoc addebat, *non absque Dei gratia*. Quod subdolum illius commentum, et perplexum irridet Hieronymus [3]. Sed cujusmodi ille gratiam adjunxerit, ex antecedentibus perspicuum est, et agit Augustinus de ea in libro de Natura et gratia, necnon Epistola 89.

X. Eodem spectabat et illud a Pelagianis jactari solitum, ut sine peccato posse esse probarent hominem [4] : « Non esse impossibilia Dei mandata, eaque facile custodire hominem posse, si velit. » Atque hoc in sententiis suis Pelagius posuerat, quas imitatione Cypriani, qui ad Quirinum Testimoniorum libros tres ediderat, composuisse ab Hieronymo dicitur [5] : « Centesimus titulus est, *inquit*, posse hominem sine peccato esse, et Dei mandata facile custodire, si velit. »

Addebant et istud : adeo omni carere posse peccato, ut minime opus esset rogare Deum, ut sibi peccata dimitteret [6]. Milevitana synodus in epistola ad Innocentium papam et hanc, et superiorem omnem Pelagianorum sententiam paucis, sed accurate complexa est. « Isti dicunt, *inquit*, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere [7], *Dimitte nobis debita nostra*. » Sed neque alteram orationis Dominicæ precationem necessariam fore ; pergit enim Milevitana synodica : « Illud vero, quod sequitur, *Ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus ; sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis. » Idem refert Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem [8].

XI. Qua in re spectandum illud est, duobus modis posse hoc accipi, quod dicitur hominem esse sine peccato. Uno quidem, ut eo careat, quod proprie est peccatum, hoc est mali nihil agat ex liberi arbitrii consensu. Altero, ut concupiscentiam mali nullam habeat, quæ nos illecebra trahit ad peccatum. Utrumque in hominis potestate esse, Pelagiani docebant ; quippe naturalem esse concupiscentiam, nec vitio ullo, ac labe perfusam aiebant, ut ex iis constat, quæ contra Pelagianos passim disserit Augustinus, præsertim adversus Julianum. Vide librum utrumque de Nuptiis et concupiscentia [9].

Quo illorum ἀπάθεια pertinet, id est nullo afflatu vitii, neque pravi affectus commotione tentata integritas animi, quam, ut supra dixi, ex Origenis, ac Ruffini disciplina hauserant. Quam ob causam tum Hieronymus contra hæresim illam disputans, tum Augustinus, ut sine peccato neminem esse probent, originalis illius morbi, et concupiscentiæ meminerunt ; et hic potissimum in libro de Natura et gratia, capite 62. ubi ita scribit : « Abstinet enim se ab omni re mala, etiam qui habet peccatum, quod in se regnare non sinit : cui surrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus. Aliud est implere, quod præceptum est, non concupisces ; et aliud est per quemdam abstinentiæ conatum saltem id agere, quod item scriptum est [10] : *Post concupiscentias tuas non eas ;* nihil horum tamen scire se recte posse sine gratia Salvatoris. Facere est ergo justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pug-

[1] Ib. c. 7. — [2] Lib. 1. con. Pel. col. 824. — [3] In ep. ad Ctes. col. 812. — [4] Hier. in ep. ad Ctes. 812. et lib. 1. con. Pelag. init. et col. 840. — [5] Ibid. col. 840.

[6] Apud Aug. 92. — [7] Mat. 6. 12. — [8] Col. 811. — [9] Item vide lib. 2. de pecc. rem. c. 4. et lib. de pec. orig. c. 34. et seq. — [10] Eccl. 18. 30.

nare ; perficere autem, omnino adversarium non habere. » Ac subinde : « Et ipse esse sine peccato verissime dicitur, in quo nullum habitat peccatum, (hoc est concupiscentia mala,) non qui per abstinentiam mali operis dicit [1] : *Jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum.* » Quo in loco, ut et in aliis plerisque significare videtur, divina illa lege, *Non concupisces*, vetari omnem, etiam minime voluntarium, concupiscentiæ motum ; nec satis liquido discernit finem legis ab ejus mandato. Quod quidem copiose facit in libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite 7. ubi inter alia, « Hic præceptum est, *inquit*, ut desideriis peccati non obediamus ; ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus, etc. »

XII. « Destruebant præterea Pelagiani, ut ait Augustinus in libro de Hæresibus, orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus, et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum ; sive pro fidelibus, ut augeatur eis fides, et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a seipsis homines habere contendunt, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. » Ego vero tum hoc, tum superius illud decretum, non tam Pelagianos aperte, ac diserte professos esse reor, quam catholicos Patres contra illos disputantes, quid ex eorum doctrina sequeretur, argumentando colligere. Nimirum, si in potestate cujusque, et arbitrio libero situm est, sine *auxilio medicinalis gratiæ Christi*, ad Deum converti, frustra nos istud precibus a Deo postulare, adversus illos retorsit Augustinus, aliique Patres. Quemadmodum alicubi Cicero, stulte a Deo peti virtutem, ac probitatem, ac cetera bona dixit, quæ animi propria sunt, et in uniuscujusque voluntate posita.

Ad idem τῆς ἀναμαρτησίας gloriosum, et arrogans decretum refertur et hoc alterum, « Ecclesiam hic esse sine macula et ruga. » De quo interrogatus Pelagius in Palæstina, respondit [2], id se eo dixisse, « quoniam lavacro ab omni macula, ut ruga purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere. » Quo responso judices circumvenit, non advertentes, « inter lavacrum, ubi omnes præteritæ maculæ, rugæque tolluntur, et regnum, ubi sine macula et ruga perpetuo manebit Ecclesia, tempus hoc medium esse orationis, ubi necesse est dicat, Dimitte nobis debita nostra, » ut narrat Aug. in lib. de gest. Pelagii.

XIII. Nec abludebat etiam istud, quod Pelagius asserebat, tam sanctos veteri ab lege prodiisse, quam ab Evangelio. De quo ita Prosper libro de Ingratis :

> Connectit et illud
> Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit olim
> Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.

Hinc impensa illa laudatio sanctorum virorum, qui in naturali, ac scripta lege floruerunt. Cujusmodi ab ipsomet Pelagio in epistola ad Demetriadem statim instituitur, postquam hoc ἀλαζόνευμα jactavit : « Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali, bonique judicium ; et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diversas partes domestica quadam lege dijudicat. » Quasi sanctitas in sola lege, et ejus notitia consistat, cum e contrario Scriptura dicat [3], *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Quam etiam ob causam quinque res prædicare solebant Pelagiani, ut scribit Augustinus, cujus verba brevi compendio totam Pelagii hæresim complexa, utiliter hic legentur. « Desinant, *inquit* [4], Pelagiani quinque istarum rerum invidiosissimis laudibus, id est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis fingere se homines velle eruere, ut possint eos suis retibus implicare, id est, ut negent originale peccatum, et parvulis invideant Christi medici auxilium, et ut dicant, gratiam Dei secundum merita nostra dari, ac sic gratia non sit gratia ; et ut dicant, sanctos in hac vita non habuisse peccatum, ac sic evacuetur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, et per quem sanctis orantibus dimittitur omne peccatum. »

XIV. Objectum est et illud Pelagio in Diospolitana synodo [5], « quod in suo libello scripsit, Regnum cœlorum etiam in veteri Testamento promissum. » Quod ille fassus, prophetæ se Danielis auctoritate defendit, apud quem scriptum est ita [6], *Et accipient sancti regnum Altissimi.* Augustinus vero, quo sensu vere illud dici potuerit, et quo sit a Pelagio perperam dictum, declarat sic. « Testamenti

[1] Rom. 7. 20. — [2] Aug. lib. de gest. Pelag. c. 12. — [3] Jac. 4. 17.

[4] Aug. l. 4. con. duas epist. Pel. c. 7. p. 475. Tom. 7. — [5] Aug. de gest. Pel. c. 5. — [6] Dan. 7. 18.

veteris nomen modis duobus *ait* dici solere : uno modo secundum divinarum Scripturarum auctoritatem, » hoc est, cum Scripturas omnes veteris legis *Testamenti* nomine significamus : altero modo, cum veteri Testamento, id est legi servitutis, legem gratiæ, ac novum Testamentum opponimus. Ita Paulus ad Galatas scribens [1] duo Testamenta comparat inter se : *unum quidem in monte Sina, in servitutem generans :* alterum, quod ad Hierusalem pertinet, quæ est libera. « In illo ergo Testamento, quod vetus dicitur, et datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissime, nisi terrena felicitas. » Et quanquam « promissa veteris Testamenti » talia sint, « quibus figurantur ad novum Testamentum pertinentia spiritualia ; tamen, qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est heres veteris Testamenti. Ea quippe secundum vetus Testamentum promittuntur, atque tribuuntur, quæ secundum hominem veterem concupiscuntur. Quæ autem illic ad novum Testamentum pertinentia figurantur, novos homines quærunt. » Quocirca qui illud in Pelagii scriptis notandum judicarunt, hoc ideo fecerunt, quod *novo fit injuria, si veteri æquetur.* Mentem itaque, ac sententiam potius, quam verba spectarunt, quod, ut paulo ante dixi, legem veterem apprime commendare Pelagiani solebant ; et, quod ad promovendam sanctitatem attinet, non minorem in illa vim inesse, quam in nova lege putabant.

XV. At idem Augustinus in lib. 19. contra Faustum, cap. 31. et ultimo, dubitat, utrum « in illis veteribus libris inveniatur nomen regni cœlorum ; » nam vita æterna illic « manifeste prædicatur, » ut et resurrectio mortuorum : « Sed hoc nomen, id est regnum cœlorum, de nullo, *inquit*, inde loco mihi occurrit. Hoc enim proprie pertinet ad revelationem novi Testamenti, etc. » Sic in epistola 95 [2]. « An æternum præmium justitiæ promissum nondum erat? Hoc ipse non dicit, qui in suis litteris posuit, etiam in vetere Testamento regnum cœlorum esse promissum. » Et disertissime Hieronymus in libro primo adversus Pelagianos 123 [3]. « Addis præterea, regnum cœlorum etiam in Testamento veteri repromitti ; ponisque testimonia de apocryphis, cum perspicuum sit, regnum cœlorum primum in Evangelio prædicari per Joannem Baptistam, et Dominum Salvatorem, et apostolos, etc. » Ex quibus evidens est, non illo modo, quem in libro de gestis Pelagii tradidit Augustinus, sed absolute Hieronymum sensisse, regnum cœlorum in libris antiqui Testamenti non fuisse palam, aperteque promissum, quemadmodum et in lib. 19. contra Faustum docet Augustinus ; ita nimirum, ut evidenter cœleste regnum, tanquam merces, justis ostensum fuerit.

XVI. Rursus ut ab recto fidei tramite semel aberrans opinionis pravæ licentia, neque modum, neque rationem tenet, duo quædam Pelagius asseruit, cum illa perfectionis affectatione, ac jactantia connexa. Unum est [4] : « Divitem manentem in divitiis suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit ; nec ei prodesse, si forte ex ipsis divitiis mandata fecerit. » Quod autem in veteri lege sancti patriarchæ non illud egerint, causam afferebat [5], « quia hoc eis non præceperat Dominus ; » quod pluribus refellit Augustinus in epist. 89. Huic eidem errori patrocinatur Sixtus ille, qui de Divitiis librum edidit, qui Sixto papæ tertio perperam inscribitur, cum sit Pelagiani nescio cujus, qui et de Castitate alterum scripsit, in qua commendanda modum etiam non tenuit. Hieronymus quoque in primo adversus Pelagianos [6], præcepti instar habere videtur illud Domini consilium [7] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes,* etc. Sed ex aliis ejusdem locis commodum ad sensum refelli ista possunt. Alterum est : « Peccatum esse etiam verum jurare. » Quod illos affirmasse indicat Augustinus in calce epistolæ 89. ubi et jusjurandum male interpretatos esse illos ostendit. De alio Pelagii dogmate, « quo iniquos et peccatores in die judicii æternis ignibus exurendos » scripsit, et ab Hieronymo eo nomine reprehensus est, vide quæ in tertio libro de Angelis a nobis scripta sunt [8] ; in quo sane minime reprehendendus ille fuit.

Postremo Cassianus inter Pelagiana dogmata Nestorianam adscribit hæresim his verbis [9] : « Alioquin si non idem Christus ex Maria est, qui ex Deo natus, duos absque dubio Christos facis ; secundum illud scilicet Pelagianæ impietatis scelus, quæ solitarium hominem ex Virgine natum adserens, eruditorem eum dixit humani generis magis, quam redemptorem fuisse, quia non redemptionem vitæ hominibus, sed vivendi dederit exemplum ; videlicet

[1] Gal. 4. 24. — [2] P. 163. C. — [3] Col. 840. — [4] Aug. ep. 89. p. 151. — [5] Ibid. — [6] Col. 825. C. — [7] Mat. 19. — [8] Cap. 7. § 10. — [9] Cass. 6. de Incarn. c. 14.

ut sequentes eum homines dum similia agerent, ad consimilia pervenirent. Una ergo impietatis vestræ origo eadem eorum radix est. Illi solitarium hominem ex Maria natum asserunt, et tu idem. Illi filium hominis a filio Dei separant, et tu idem. Illi ergo Salvatorem aiunt per baptisma Christum esse factum; tu in baptismo templum esse factum, etc.» Quod et in primo libro capite tertio ejusdem operis Cassianus edisserit. Certe in Ephesina synodo Pelagianam hæresim esse damnatam, satis constat ex Prospero, libro de Ingratis, et in Chronico, et in libro contra Collatorem; tum ex Photio, codice 54. In actis quoque Ephesinis [1] epistolæ synodicæ ad imperatores, Pelagianorum ac Cælestianorum pro hæreticis damnatorum fit mentio. Sed hoc alias ex instituto, et accuratius tractandum erit, cum de gratia deque Incarnatione disputabitur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Semipelagianis, et eorum dogmatibus, præcipue circa gratiam Christi; non unum genus illorum fuisse; et alios aliis tolerabilius errasse; Cassianum vero omnium gravissime. De initio gratiæ, et voluntate credendi. Quonam pacto a Pelagianis dissideant.

I. Cum adversus Pelagianos quamplurimis libris pugnasset Augustinus, et in illis necessitatem gratiæ, ac liberi imbecillitatem arbitrii magnopere prædicaret, quædam visus est adspersisse dogmata, quibus salutis nostræ ac justificationis negotium totum adscribere Deo, ejusque gratiæ, sine ulla voluntatis humanæ συνεργείᾳ, putaretur. Quæ res haud levem apud catholicos, et pios ejus nomini conflavit invidiam, præsertim gallicanos episcopos, et presbyteros, in Lugdunensi, et Arelatensi provincia; velut Massiliæ, ubi tum eruditione, ac sanctitate florebat Cassianus, cujus libri de Institutis monachorum, et Collationibus Patrum, in usu omnium, et approbatione versabantur. Præsertim cum ante annos aliquot recens adhuc Augustinus in episcopatu sensisset aliter [2]; ut in epist. 49. quæst. 2. contra Porphyrium, et in expositione quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos, propositione 72. ac fidem a nobis esse statuisset. Illi igitur Augustinum tacite vellicabant, quod Pelagiani erroris odio in extremum alterum evectus, plusculum gratiæ, ac Dei auxilio tribuisset. Quare ita rem esse temperandam aiebant, ut ne utrinque nimium excederetur; quod hac se ratione confidebant assequi, quam ex epistolis duabus Hilarii et Prosperi colligimus, quæ ante librum de Prædestinatione sanctorum apud Augustinum leguntur.

II. Originale peccatum a primo parente manasse in posteros asserebant; nec ab eo, ullove alio posse nos soljs arbitrii nostri viribus extricari; sed gratiam ad hoc Christi esse necessariam, ita tamen, ut initium aliquod justitiæ, ac salutis esset a nobis: nimirum fides, et voluntas quæpiam salutis obtinendæ, quæ nondum ipsa salus, aut justitia dici mereretur, quemadmodum curationis obtinendæ voluntas non est curatio. Porro ex illius fidei, voluntatisque merito promoveri ad Christi gratiam, ac justificationem aiebant homines; unde hæc illorum vox erat: « Meum est velle credere; Dei autem gratiæ est adjuvare, » ut scribit Petrus diaconus ad Fulgentium in libro de Incarn. cap. 6. et, quod idem refert, ex eo, quod Deus vult omnes salvos fieri, colligebant, non ab illo excitari voluntatem humanam, sed expectari, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem justa damnatio. Igitur primum illum voluntatis impetum, quo ad salutem curritur, assensumque fidei, naturalibus voluntatis humanæ viribus adscribebant; qui primus, ac præcipuus illorum error extitit.

III. Alterum, et secundum opinionis caput:

[1] Tom. 2. Conc. p. 401. et 406.

[2] Ita Hilar. in ep. ad August. præfixa l. de præd. Sanct.

Gratiam Christi suppetere omnibus asserebant, et ad sese omnes invitare, sed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel se ab ea retrahere. Docet hoc Prosper libro de Ingratis, ubi ex Semipelagianorum persona ita loquitur :

Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite nobiscum ; et formam hanc adscribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, et totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat illi.

Vide ejusdem librum Responsionum ad capitula Gallorum, objectione quarta.

Tertium : Quod aliis populis Evangelium prædicaretur, alii vero prætermitterentur, causam esse dicebant præscientiam Dei, quod illos credituros esse, istos vero non esse præviderit. Refert hoc Prosper eodem illo libro de Ingratis, et in epistola ad August. de reliquiis Pelagianæ hæresis.

Quarto de prædestinatione, sive electione ad gloriam, contra atque Augustinus, sentiebant: Deum omnes cupere salvos fieri, et ad salutem invitare; suapte porro voluntate vocanti alios obtemperare, alios respuere. Item ex illa præsensione, qua vocationi fidem, et obsequium accommodaturos esse quosdam præscivit Deus, eos delegisse ; quos autem perseveraturos non esse viderit, reprobasse. Idcirco non esse prædestinatorum certum numerum asserebant ; quod ex Prosperi et Hilarii epistolis in tract. de Prædest. demonstravimus.

IV. Quinto nullam peculiarem electionis esse divinæ gratiam putabant, quam tantummodo certis hominibus indulgeret Deus ; verum quicquid prædestinatis ab illo donatum fuerit, id posse et amittere ipsos, et retinere propria voluntate. Quod de perseverantiæ dono similiter affirmabant ; hoc enim in potestate esse cujusque, ut si velit, perseveret; nec tale istud esse, quale constituebat Augustinus libro de Correptione et gratia, cap. 11. et 12. non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint, hoc est, ut certo perseveraturi sint, neque non perseveraturi sint. Ita Hilarius in epistola. Prosper in libro de Ingratis,

Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant, finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor, et variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas,
Sponte aliquos vitiis succumbere, qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesque manere.

Sexto et de parvulorum quorumdam discrimine turpissimus error illorum fuit, adeo ex meritis eligi unumquemque, ut etiam parvuli ob illa merita, quæ, si vixissent, essent habituri, ad baptismum permitterentur accedere, aut ab eo rejicerentur. Ita Hilarius ad Augustinum.

V. Hæc præcipua fuere capita, in quibus Massilienses ab Augustino dissentire se profitebantur, qui interim a Pelagio longe se abhorrere præ se ferebant, eumque anathemate damnabant. Quod tum auctores a me laudati referunt, tum illi ipsi Semipelagiani in libris suis, quorum hodieque extant aliqui, prolixe ac diserte testantur ; ut Cassianus in libris de Incarnatione contra Nestorium, qui Pelagii errorem non uno in loco detestatur[1] ; et Faustus Regiensis initio librorum, quos de libero arbitrio scripsit.

Ac de singulis quidem capitibus istis tum agetur copiosius, cum de gratia disputandum nobis erit. Nunc illud admonemus, non omnia illorum dogmata pro hæreticis damnata fuisse, præsertim quod ad prædestinationem attinet; sed ea solum, vel potissimum quæ de gratiæ merito, et initio justificationis propriis parto, ac naturalibus viribus asserebant.

Quoniam ergo de gratia, quæ per Christi merita tribuitur, præcipua Catholicorum cum Pelagianis, eorumque reliquiis altercatio fuit ; idcirco de illa potissimum hic agendum est, ut in quo Semipelagiani ab auctoribus suis Pelagianis, et a Catholicis dissenserint, animadverti facilius possit.

VI. Ac primum illud extra controversiam esse debet, quod eruditi quidam theologi animadverterunt[2], gratiæ nomine non illos *habituales*, ut vocant, intellexisse gratiam, sed transeuntia dona sancti Spiritus, sive auxilia, quibus ad justitiam promovemur, quam *actualem gratiam* vocant. Secundo, illud observari volumus, non eodem omnes modo loqui, ac sentire solitos fuisse, sed alios gravius, alios tolerabilius errasse. Nam fuere, qui dicerent, sic ruina primi nostri parentis infractas, ac debilitatas esse vires arbitrii nostri, ut « ad nullum opus (verba sunt Hilarii) vel incipiendum, nedum

[1] Cass. lib. de Incarn. c. 3. et lib. 6. c. 14.

[2] Ut Vasq. in 12. Disp. 89. c. 5. Num. 34.

perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentirent. » Itaque nihil ab homine præstari viribus arbitrii sui, nisi hoc perpusillum, ut sanari cuperent, ac vellent credere, adeoque crederent. Non enim initium hoc voluntatis, ac fidei inter opera bona, vel merita numerabant, quemadmodum in ægro voluntas adhibendi medici, vel certa de remedio concepta fiducia, nondum pars esse curationis aliqua censetur, quod Hilarius in eadem epistola his verbis explicat, quæ antecedentibus proxime subjungit : « Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. » Et paulo post : « Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris concessum est; et nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit, se velle sanari, propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat. »

VII. Augustinus contra illos disputans in libro de Prædestinatione sanctorum, et Prospero Hilarioque respondens, initio libri quod ab Hilario maxime de istorum opinione scriptum erat, ita repetit : « Pervenerunt, *inquit*, etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. » Isti ergo nullum opus bonum, vel meritum a nobis esse, ac sine Dei gratia suppetere dicebant, sed solam exhiberi fidem; quam quidem ab operibus distinguebant, ut non et communis loquendi consuetuedo fert, atque ita discernit Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, capite 6. « Ex fide autem, *ait*, ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. »

VIII. « Alii vero plus aliquid ab homine naturæ viribus exhiberi, quam fidem, aut sanitatis obtinendæ voluntatem arbitrati sunt;» nimirum virtutes, et admirabilia quædam facinora sine gratia, et ante gratiam Christi effici. Ita Cassianus Collat. 13. quem Prosper libro contra Collat. strenue oppugnat, ac revincit. Qui cum tertio capite recte, et catholice scripsisset, « non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi; » quandoquidem, « Omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui et incipit, quæ bona sunt, et exequitur, et consummat in nobis, etc. nostrum vero esse, ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur; » in sequentibus doctrinæ istius salubritatem omnem funditus evertit. Nam capite 9. « Non facile, *ait*, humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus, et rursus inveniatur a non quærentibus se, etc. » quibus indicat, homines interdum suis viribus ad petendum, pulsandumque dirigi, ut in fine capitis in hæc verba declarat : « Nisi quod in his omnibus, et gratia Dei, et libertas nostri declaratur arbitrii; et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adjuvari. Nec enim, cum voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat? Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens [1] : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* » Ubi perspicue initium bonæ voluntatis, sive sanitatis desiderium, a nobis, et ex naturæ viribus præstari asserit; in quo superiori a se constitutæ regulæ contradicit : « Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. »

IX. Quibus consentanea sunt, quæ deinceps disserit, ut cum cap. 11. ait, inter multos magna quæstione volvi, quid ex quo pendeat, « id est utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium; » quam quæstionem ita componit, ut utrumque sit verum, hoc est ut in quibusdam bona voluntas antecedat gratiam, in aliis subsequatur; quod cap. 12. et 17. evidenter ostendit, ubi interdum bonam voluntatem promovere gratia sua Deum adstruit;

[1] Rom. 7.

interdum bonæ ipsius voluntatis inspirare primordia. Nec enim liberum arbitrium ejusmodi est, ut ad bonum eniti non possit. « Nam dubitari non potest, ait cap. 12, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta; sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire. »

At non eatenus tantum Cassianus erravit, ut solum bonæ voluntatis initium voluntati hominis adscriberet, sed etiam insignes et heroicas virtutes eidem tribuit. Nam cap. 14. ait, Job virtute sua, non Dei solius gratia protegente, congressum fuisse. Alioqui diabolus illam eamdem calumniosam vocem edidisset; *Numquid gratis Job colit Deum? Nonne tu vallasti eum?* etc. « Sed aufer manum tuam, id est, sine eum suis mecum viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed, cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. » Subjicit, « non in totum tamen Dei gratiam illi defuisse, quatenus tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem; » quod totum extraneum est, nec interius hominem afficit.

X. Mox centurionis fidem, de quo Matthæi cap. 8. non a Dei gratia, sed ab ipsomet extitisse demonstrat ex eo, quod dicit Christus: *Non inveni tantam fidem in Israel.* « Nullius enim laudis esset, ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset; alioqui dixisset: Non dedi tantam fidem in Israel. » Sic de Abraamo sentit idem, illustre fidei, obedientiæ, ac fortitudinis specimen, quod in filio ad Dei mandatum offerendo præbuit, non ex Dei gratia, sed ex fide ipsius naturæ viribus edita manasse. « Non enim illam fidem, ait capite eodem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam, quam vocatus semel, atque illuminatus a Domino per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia. » Tum alia quædam his consentanea subjungit, quibus hominem docet propriis viribus tentationi resistere; ut jam non prima solum lineamenta virtutum sine Christi gratia imformari velit labore hominum, et industria, sed propemodum absolutam illam, ac perfectam exprimi.

De hoc Semipelagianorum genere, et errore fidem facit Prosper in epistola ad Ruffinum, ubi Cornelii centurionis usos exemplo esse demonstrat, « qui ante gratiæ perceptionem timens, atque orans Deum eleemosynis, jejuniis, et orationi spontaneo studio fuerit intentus, atque ob hoc divino testimonio laudatus donum regenerationis acceperit. »

XI. Tertio fuit hæc quoque Semipelagianorum opinio, gratiam illam, quæ ad promovendam fidem, ac bonæ voluntatis initium requiritur, extrinsecus afficere voluntatem, atque ad legem doctrinamque pertinere, non autem ipsum in nobis efficere charitatis ardorem, et affectum; quod nimirum per originale peccatum naturalis in homine libertas imminuta non fuerit, sed ad bonum suopte etiam nutu propendeat;

> Naturæ quoniam non sit detracta facultas,

ait Prosper carm. de Ingratis; ubi contra Semipelagianorum hoc decretum fusissime disputat, ac primum sic illos sententiam suam explicantes facit:

> Et nos ista, *inquit*, sentimus de bonitate
> Ac virtute Dei; quæ ni foveatque, regatque,
> Quos vocat, et tutos peccato præstet ab omni,
> Non sua servabit quemquam prudentia, nec se
> Perficiet solis naturæ viribus ullus.
> Sed quia jam in nobis et velle, et nolle creatum est,
> Arbitriique sui, quo vult, intendere motus
> Libertas accita potest, patuitque per aurem
> Judicio cordis, quo mundum proposuisset
> Consilio servare Deus; mens excita longum
> Excutiat somnum, seque illi subdat, et aptet,
> Qui cupidam, et fidam promissa in gaudia ducat.

Quorum hic sensus: Sine gratia Christi neminem id, quod est perfectum, posse consequi, in quo a Pelagianis discrepabant; verum gratiam illam, et auxilium Dei necessarium in sola cognitione, ac mentis per legem, ac doctrinam informatione consistere; adeoque extrinsecus affluere, nec in mentem se, ac voluntatem insinuare, quemadmodum lex, doctorve, quid agendum sit, foris prædicat.

> Hæc sincera fides, hæc Christi gratia tecum est,
> Cujus opus fixo distinctum limite totum
> Extra hominem statuis, clausa penitus fore mentis?
> Vixque Deum sensus carnis permittis adire,
> Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
> Seque ferat, quoquo librata examina pondus
> Presserit arbitrii; etc.

In quibus gratiam, ex opinione Semipelagianorum, asserit tantum auribus insonare; voluntatem vero suapte se sponte movere, et ad eam accommodare.

> Veluti cum voce loquentis
> Aut rerum actarum species, quas vidimus, aut quas
> Legimus, exoritur secreta cordis in aula,
> Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira dolorque.
> Nec tamen hos motus scriptor, narrator, et auctor
> Insevere animo, quamvis forte hoc quoque vellent.

Denique non aliud esse gratiam putabant, quam legem, quam monitorem, quam ministri doctrinam. Ex quo illud consequens erat, liberum hominis arbitrium integrum esse post peccatum primi hominis, nec ruina ejus oblæsum.

> Scilicet, ut tale arbitrium generaliter insit
> Semine damnato genitis in corpore mortis;
> Quale habuit nondum peccati lege subactus
> Primus homo; et nullum in prolem de vulnere vulnus
> Transierit, nisi corpoream per conditionem;
> Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
> Imminuat, teneatque suum substantia mentis
> Splendorem, et nulla pœnali nocte prematur.

XII. His animadversis, perdifficilis oritur quæstio, quanam in re Semipelagiani a Pelagianis differrent? Nam, ut se habent Prosperi verba, nullum omnino discrimen agnoscas. Quippe gratiam Christi, quam Semipelagiani asserebant esse necessariam ad salutem, ac justitiam obtinendam, sola lege, ac doctrina definit; quam doctrinam sic explicat, ut sit doctoris instar, ac magistri, qui aures nostras extrinsecus pulset; cujus vocem foris acceptam, suopte nutu, et arbitrio, sine ulla Christi gratia, animus noster amplectitur. Itaque genus illud est gratiæ, quod ex Pelagianorum opinione supra tertium posuimus. Id enim lege, ac doctrina continetur, hoc est eo omni, quod externum est bene agendi præsidium. At hoc ipsum Pelagiani dicebant esse necessarium ad actus singulos, ut superiori capite demonstravimus, et nunc denuo, et accuratius ostendemus, quandoquidem in eo capite præcipua vis est disputationis hujus, ac negotii posita.

Augustinus itaque lib. 1. de grat. Christi, cap. 3. scribit, Pelagium « in episcopalibus gestis, » hoc est in synodo Diospolitana, « sine ulla recusatione damnasse eos, qui dicunt, gratiam Dei, adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. » Quod capitulum ex Cælestio sumptum, et objectum Pelagio, ab eo damnatum esse refert Augustinus cap. 14. libri de gestis Pelagii. Quare non dubitabat Pelagius, quin lex, atque doctrina ad actus singulos necessaria foret, cum aliam tamen præterea cogeretur agnoscere, quæ perinde necessaria diceretur.

XIII. Pergit Augustinus libro illo de gratia Christi, et Pelagium ait post illius capituli damnationem, ad hoc ipsum rediisse, quod damnaverat. « Nam gratiam Dei, et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura et libero ponit arbitrio » in epistola quadam, quam Romam postea misit, « aut in lege, atque doctrina. » Apparet ergo, Pelagium antiquum suum obtinuisse, ut eam gratiam, quæ ad singulos actus necessaria est, præter arbitrium, in lege etiam et doctrina poneret. Addit Augustinus, quod et nos supra retulimus, ex tribus illis, quibus implentur mandata divina, possibilitate, voluntate, et actione, solam possibilitatem a Deo esse, ejusque semper adjuvari gratia, quatenus per legem, ac doctrinam possumus esse justi; ut autem esse velimus, ac reipsa, et actione simus, a nobis ipsis habemus, non a gratia: « Tanquam illa, quæ nostra sunt, ait in fine capitis tertii, hoc est voluntas, et actio, tam sint valentia ad declinandum a malo, et faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant; illud vero, quod nobis ex Deo est, hoc sit invalidum, id est possibilitas, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio, » nempe lege, atque doctrina, ut in fine sexti capitis exponit. « Hanc autem naturalem possibilitatem, *inquit*, quod adjuvari Dei gratia confitetur, non est hic apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari; sed sicut in aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest; non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur. » Sed et capite nono scribit Pelagium de genere illo gratiæ, quod legem, ac doctrinam appellabat, obscure locutum esse, et intelligi metuisse, « quod eos damnasset, qui dicerent, gratiam Dei, et adjutorium, non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. » Proinde, cum idem postea defenderet, aliis atque aliis locutionibus, ne deprehendi posset, studuisse tegere. Nihil igitur evidentius esse potest, quam Pelagianos legem et doctrinam putasse gratiam esse necessariam ad actus singulos; neque solum ad facilius operandum, quasi sine illa justi esse possemus. Nam et cap. 33. ejusdem libri auxilium Dei, quo semper indigemus, ab iisdem hæreticis referri ait ad legem, atque doctrinam.

XIV. Jam vero Semipelagianos ait Prosper in carmine de Ingratis, gratiam, et auxilium Dei in lege, ac doctrina collocare, eamque gratiam affirmare ad justitiam, et salutem esse necessariam; quod docet Hilarius initio epistolæ ad Augustinum: « Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt. » Ac subinde solam ab homine præstari voluntatem sanitatis obtinendæ, illos ait di-

cere. « Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat. » Tantumdem ergo dicere videntur, quantum Pelagiani. Imo hac ex parte deteriores Pelagianis fuisse, quod initium salutis, ac justificationis, sine Dei gratia, ex humani arbitrii viribus esse dicebant; at Pelagiani, quantum ex Augustino constat, absolute legem, atque doctrinam esse necessariam asserebant, quod iis verbis significat Augustinus [1], « possibilitatem ac justitiam invalidam esse, nisi gratiæ adjuvetur auxilio; » quam gratiam esse legem aiebant, atque doctrinam. Quamquam, si, quod Prosperi ille locus indicat, sola lege, doctrinaque Christi gratiam Semipelagiani circumscriberent, non est consentaneum illud alterum eorumdem decretum, fidem, ac sanitatis desiderium, aut etiam, quod Cassianus arbitrabatur, tot tantasque virtutes, quales in Jobo, et Cornelio, atque etiam Abraamo, cum unicum filium offerret, extiterunt, sine illa Christi fuisse gratia. Cum enim *fides ex auditu sit, auditus autem per verbum Dei; quomodo,* inquit Apostolus [2], *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Quamobrem ad fidem exprimendam, legis, atque doctrinæ prædicatio necessaria est, sive revelatio, et adhortatio. Quæ si sola gratia est, ne salutis quidem initium absque gratia constare potest. Idem et de ceteris usurpare licet. Nam nemo sanitatem appetere potest, nemo patientiam, charitatem, obedientiam exhibere, nisi fidei ac doctrinæ Christi mysteria perceperit, ac legem didicerit, quæ opera illa, officiaque præscribit, sive naturalem, sive a Christo traditam.

XV. Enimvero præter legem, ac doctrinam ejusmodi, quæ extrinsecus solum sensibus ingeritur, aliud gratiæ genus constituisse Pelagianorum reliquias, non solum argumentum illud ostendit, quod alioqui manifeste sibi ipsi contradicerent, qui initium justitiæ sine gratia suppetere volebant; sed hoc præterea, quod Pelagiani alterum, et singularius gratiæ, auxiliique genus admittebant, quod in cordis adapertione, ac mentis illustratione situm esset, quodque adeo non extraneum, sed intimum foret, ac mentem ipsam hominis pervaderet. Ex quo consequens est, Semipelagianos, qui propiores utique catholicæ professioni erant, ac fidei, etiam istud agnovisse gratiæ genus. Quo constituto, facile jam erit intelligere, in quo a Pelagianis differrent. Sic enim existimo, cum, ut antea demonstratum est, Pelagiani gratiam illam intimam, quæ in interiori mentis illuminatione consistit, non esse penitus homini necessariam, sed ad facilius operandum utilem prædicarent, Semipelagianos in eo discrepasse, quod eidem huic generi gratiæ necessitatem adscriberent, adeo ut, non modo facilius ea nos adjutos ad justitiam, ac salutem promoveri, sed etiam sine illa ne promoveri quidem ullo modo posse defenderent. Hæc opinio ex iis omnibus, quæ hucusque disputata sunt, manifeste sequitur. Ex quibus illud maxime ponderandum est, quod ex Augustino libro primo de gratia Christi, cap. 40. planum fecimus, præter extrinsecus insonantem auribus legem, ac prædicationem, etiam interiorem mentis illustrationem, quam revelationem sancti Spiritus, ac doctrinam proprie nominabant, gratiam appellasse, ambasque distinxisse.

XVI. Quid autem illud fuerit, in quo ab utrisque dissenserit Augustinus, deinceps explicabimus, si prius lectorem admonuerimus eumdem Augustinum libro de Gratia et libero arbitrio, cap. 14. videri Pelagianis illud attribuere, quod Semipelagianis convenit, ac vulgo eorum esse dogma perhibetur: « Dicunt enim, inquit de gratia loquens, etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita bonæ voluntatis datur; quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei. » Unde et adversus illos idem, quod contra Semipelagianos in libro de Prædestinatione sanctorum, demonstrare studet, neque fidem, neque credendi voluntatem esse a nobis. Verum credibile est, jam tum Pelagianos frequentibus Catholicorum disputationibus fractos, et convictos, aliquid de pristina erroris pravitate remisisse, ac plena, et perfecta opera, sine gratia Christi propria, et interiore posse fieri desiisse credere; sed ad solam et credendi voluntatem, et fidem ipsam suum dogma restrinxisse. In eo tamen a veris Semipelagianis discrepabant, quod hi non perfectam credendi voluntatem, perfectamque fidem naturæ viribus imputabant, sed *initialem*, et inchoatam utramque. Simile potes animadvertere discrimen Semipelagianorum, id est ab rigido Pelagianismo distantium, in epistolis Prosperi, et Hilarii, quæ libro de Prædestinatione sanctorum præfixæ sunt.

[1] Lib. 1. de grat. Christi c. 3. in fine. — [2] Rom. 10.

CAPUT OCTAVUM.

Qualem gratiam adversus Pelagianos, eorumque reliquias Augustinus, Prosper, et Catholici per illud tempus asseverarint. Eam fuisse, quæ non solum mentem illuminet, sed etiam voluntatem moveat. Pelagium agnovisse illuminationem intellectus, sed hanc gratiam putasse non esse necessariam. Quod ex Augustino probatur; et Augustini vicissim ex eo sententia.

I. Si quid in opinione sua Pelagiani, ac Semipelagiani posuerint, ex antecedenti disputatione recordari voluerimus, non erit difficile de Augustini, Prosperi, ac reliquorum sententia judicare. Gratiam igitur, quæ per Christi merita tribuitur, in sola mentis illustratione hæretici illi posuerunt, nullum omnino repudiantes doni cœlestis genus, quod ad solam cognitionem pertineret. Verum Pelagiani gratiam istam, quæ interius illapsa mentes illuminat, ad facilius operandum esse utilem asserebant, minimeque necessariam; Semipelagiani etiam necessariam esse dicebant, in eoque discrimen situm erat amborum.

At Augustinus totam illam gratiam, quæ mentem solam, et intelligentiam afficit, ad doctrinam referebat; præter quam aliam esse necessariam putabat, quæ voluntatem ipsam, ac liberum arbitrium attingat, cum eoque, et in eo fidem, ac dilectionem efficiat ita, ut non tantum lucem præferat menti nostræ, quæ, quid faciendum sit, ostendat, sed etiam ut faciamus, ac velimus, faciat. Quæ Augustini doctrina ex superiori omni disputatione sequitur illa quidem; sed ut via, et ordine procedamus, ex ejus scriptis informanda est illius hoc loco probatio.

II. Ac primum ex priore libro de gratia Christi certissimum hujus rei testimonium petemus. Scribit enim [1] Pelagium existimasse, « nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis; » quod sic interpretatur, ut possibilitas sit ipsum, quod est posse esse justum, posse credere, posse diligere Deum; voluntas sit reipsa velle credere, ac diligere interiore consensu; esse denique sit, opere et actione justum, fidelem, ac dilectorem esse Dei. Ut ergo possumus credere, ac diligere, adjuvari nos aiebat gratiæ præsidio; quia nos omnibus ad agendum necessariis subsidiis instruit Deus, et, ut Scholastici dicere solent, in *actu primo* nos constituit, ut operari possimus; ad hoc vero, ut agamus reipsa, hoc est ut consensum nostræ voluntatis, et opus ipsum virtutis exprimamus, nihil conferre putabat gratiam, sed illud totum facultatis esse nostræ: « Tanquam hoc sit infirmum, ait Augustinus, quod ipse Deus posuit in natura; cetera vero duo, quæ nostra esse volunt, ita sint firma, et fortia, et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio, et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle, et agere valeamus. » Itaque Pelagius gratiam omnem, et usum ejus, et efficacitatem in hoc uno collocabat, quod nos potentes ad volendum, et operandum bonum efficeret, ita tamen, ut ipsam voluntatis actionem non attingeret.

III. Atqui Pelagius idem auxilia omnia gratiæ, quæ actualia vocant, ejus generis admittebat, quæ in mentis illuminatione, ac cognitione posita sunt, quæque proxime, et ἀμέσως actionem ipsam voluntatis attingunt, quatenus id intelligentia, cognoscendique facultas assequitur; adeo sane, ut, cum voluntas in *actu* illo *secundo*, quem vocant, ad operandum duplici forma constituatur, quarum una est actuosa, id est *practica* boni cognitio, sive judicium mentis, quod hoc, vel illud, hoc tempore, ac loco faciendum esse præcipit; altera est voluntatis libera ipsa consensio, hoc, quod sibi opportune propositum est, amplectentis ultro, et alteri præferentis; quodcumque prioris illius adjumentum ex divina gratia proficisci potest; libenter id Pelagius admitteret, tametsi necessarium absolute esse non crederet, Semipelagiani vero necessarium judicabant. Utrique ergo solam istam gratiam evertebant funditus, atque ex rerum natura tollebant, quæ voluntatis consensionem proxime, intime, ac per se contingeret, non extrinsece tantum, ac per solam intelligentiam, mentisque notitiam, quid expediat facere, docentis, atque monstrantis.

Declarant hoc ipsius Pelagii verba, quæ affert Augustinus, quæque nos supra retulimus, ex libro primo de gratia Christi, capite septimo; ubi præter legem, gratiæ esse quoddam adju-

[1] Lib. de grat. Christi cap. 3. et 5.

torium fatetur, quo Deus « oculos nostri cordis aperit, diaboli pandit insidias, multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat; » quam omnem gratiæ varietatem ad hoc dari sentiebat, « ut divina præcepta, et promissa discamus, » ut ibidem explicat Augustinus. Est igitur gratiæ genus istud, cum ab lege, ac prædicatione, et eo omni, quod extrinsecus movet, omnino diversum, tum *actuale*, uti nominant, et in divina inspiratione, ac mentis excitatione situm.

IV. Ad hæc cap. 23. ejusdem libri gratiam Christi, quam merito nostræ libertatis obtineri volebat, in eo statuit, ut « cor nostrum, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Hoc autem fit inspiratione, et interiori commotione mentis, non sola lege, externaque significatione, quæ jam antecesserit oportet, ut meritum illud, quo tantam gratiam assequimur, a nobis impetretur, « quo nos Deo totos tradimus, ac voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. » Quis hoc sine lege, ac divini verbi, voluntatisque notitia, et prædicatione credat nos posse perficere? Atqui meritum hoc solum est uberioris, præstantiorisque gratiæ, quod « magnum adjutorium divinæ gratiæ » nominat Augustinus, « ut cor nostrum, quo voluerit, Deus ipse declinet. » Itaque declinatio illa cordis aliquid est ab externa prædicatione, ac lege distinctum; et in intimo divinæ inspirationis illapsu, ac mentis excitatione versatur.

At hoc ipso gratiæ genere non est contentus Augustinus; sed aliam præterea requirit, quæ non doceat solum, quod sit faciendum, sed etiam nobiscum, et in nobis faciat; quæ operetur velle, et perficere; quæ voluntatem nostram moveat, quo vult, et impellat, non alliciendo solum, ac proponendo, (quæ *metaphorica* commotio dicitur, qualis est omnis ea, quæ in intelligentia, cognitioneque sistit,) sed etiam ipsam voluntatis actionem in nobis operando. Ejusmodi gratiam, inquam, necessariam Augustinus existimat; de hac contendit una; hac unica excepta leves ceteras, ac nullius ad institutam de gratia controversiam momenti esse judicat; quod profecto non faceret, si eatenus in nobis operari Deum, ac bonam voluntatem, vel dilectionem efficere statuisset, quod mentem nostram inspiratione sua, et illustratione *actu*, ut vocant, impelleret. Id enim fatebatur ultro Pelagius, Semipelagiani vero multo amplius *.

V. Sed Augustini verba ipsa consideremus. Capite sexto libri jam sæpius citati de gratia Christi, quod scriptum erat a Pelagio, « Deum possibilitatem nostram gratiæ suæ adjuvare semper auxilio, » ideo reprehendit, quia non dixit, « ipsam voluntatem, vel ipsam opera-

* De qua specie gratiæ contentio fuerit Augustinum inter et Pelagianos a theologis controvertitur. — 1° Certum est gratiam ab Augustino contra Pelagianos propugnatam eam non esse, quæ virtute sua invicta, insuperabili, et indeclinabili voluntatem ad bonum necessario determinat, et applicat, ad sensum Jansenii. — 2° Certum est etiam, contra Thomassinum, aliosque numero paucissimos, de gratia non tantum habituali, sed actuali decertatum fuisse. — 3° Certum est gratiam a sancto Doctore propugnatam, esse actualem gratiam voluntatis, quæ scilicet voluntatem moveat, et excitet, corroboret, atque compleat. Hæc est gratia, cujus Augustinus invictissimis argumentis necessitatem, et gratuitatem contra Pelagianos, ac Semipelagianos vindicavit.

An insuper pro gratia ex se efficaci pugnaverit? Quæstio dupliciter accipi potest: Nempe, — 1° An Augustinus, ut privatus doctor, et ex propria sententia, gratiam admiserit ex natura sua efficacem? — 2° An hujuscemodi auxilium a Pelagianis tanquam fidei dogma credendum exegerit? Quantum inter hæc duo intersit discriminis, nemo non videt. Ad primum affirmative; ad secundum autem negative respondendum censemus. Ceterum, quidquid sit de privata Augustini sententia, circa gratiæ efficaciam, certum est sanctum Doctorem a Pelagianis, ac Semipelagianis nihil amplius postulasse, nisi ut gratiam actualem voluntatis necessariam, et gratuitam profiterentur.

Gratia voluntatis prævenientis, necessaria, et gratuita, solum fuit dogma contra Pelagianos ab Ecclesia definitum. Id probatur ex omnibus conciliis celebratis adversus Pelagianos, maxime vero Carthaginensi, et Milevitano, an. 416. et altero Carthaginensi totius Africæ plenario, in quibus nihil aliud definitur, nisi quod gratia voluntatis sit ad omnes pietatis actus simpliciter necessaria. Ita præsertim can. 4. 5. 6. *Placuit ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tanquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.* Concilia adversus Semipelagianos congregata solam gratiæ voluntatis ad initium fidei necessitatem asserunt; minime vero Semipelagianos, eo quod non admitterent gratiam per se efficacem, damnant. Ita concil. Araus. II. can. 6. Eadem eruitur conclusio ex summis Pontificibus, qui Pelagianam hæresim confixere, nempe Innocent. I. in rescript. ad Patres Africanos; Zosim. in celebri Tractoria, an. 418. S. Cælestin. in epist. ad episcopos Galliæ: qui omnes solam urgent gratiæ voluntatis necessitatem. « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. » (S. Cælestin. loco citato.)

Porro S. Augustinus, partes Ecclesiæ adversus Pelagianos agens, merito censetur nihil ab eis postulasse, neque adversus eos propugnasse, nisi quod tanquam dogma fidei ab Ecclesia definitum est. Id evincitur ex ipso Augustino, qui explicans quænam sint dogmata, quorum confessio exigenda sit a Pelagianis, ut sint catholici, solum commemorat gratiæ voluntatis necessitatem, de gratia ex se efficaci omnino silens. « Fateatur (Pelagius) gratiam Dei, et adjutorium ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra... fateatur et liberum arbitrium, etiamsi divino indiget auxilio... fateatur, quando contra tentationes dimicamus, ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam. » (Epist. 186. alias 106.) V. Tournely. *De Gratia, disput.* I. art. 5. (E.)

tionem, cum tamen in voluntate et actione laus sit et Dei, et hominis; quia sic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret; et sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur. » Si ardorem istum dilectionis inspirare tunc Deus solummodo dicitur, cum mentem nostram, et cognoscendi vim sua luce perfundit, et illuminat, non eam gratiam negabat Pelagius; neque objici ei poterat, ipsum sentire, voluntatem, et actionem non proxime adjuvari divinæ ope gratiæ, si hujus auxilium in ea una re constituatur. Siquidem voluntatem boni operis, et ardorem dilectionis infundi nobis, et excitari isto modo, cum ille, tum Semipelagiani belle, ac constanter asserebant. Sed Augustinus hanc illorum gratiam non sufficere docet, « qua demonstrat et revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus; » ait capite octavo post expositam Pelagianam gratiam, qua « oculos cordis aperiri, diaboli insidias patefieri, ac nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminari » dixerat; quæ omnia ad doctrinam et revelationem, hoc est inspirationem lucis, et cognitionis refert Augustinus; qui et alteram gratiæ opitulationem postulat, quæ proxime, ac per se voluntatem afficiat. « Sed nos eam gratiam, inquit cap. 10, volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, et speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam et amatur; nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum et persuadetur. » Et capite duodecimo, « Qua gratia agitur non solum, ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » At quæcumque inspiratio gratiæ sola cognitione finitur, ad hoc tantum pertinet, « ut facienda noverimus. »

VI. Mox capite decimo tertio, « Hæc gratia (quæ scilicet præter illam Pelagianam requiritur) si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et, quid agant, scire, et, quod sciunt, agere. » Non potuit brevius, et accuratius utraque significari gratia, quam paucis istis voculis. Etenim quæ, quid agendum sit, scire nos facit gratia, ea cordis illuminatio dicitur, a qua distingui alteram oportet, quæ, quod scimus, agere nos facit. Vide et caput 14. Capite quoque 24. in fine, ait, « interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Hic utraque gratia interior est, et ad inspirationem pertinet; quarum prior, quia voluntatem per se non attingit, in qua præcipuum gratiæ robur est situm, ideo *ad doctrinam forinsecus insonantem* eodem loco rejicitur. Sic cap. 33. in fine, « Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus [1]; *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et charitatis, et continentiæ.* Non est autem consequens, ut, qui habet donum scientiæ, quo noverit, quid agere debeat, habeat etiam charitatis, ut agat. »

VII. Hic adjutorium gratiæ, et auxilium, quod est donum scientiæ, quodque non satis esse putat Augustinus, illustrationem cordis, et inspirationem continet, qua, quid sit agendum, Deus ostendit. Hanc, inquam, sufficere negat, et eam insuper postulat [2], « qua ipsa voluntas, et actio subministratione sancti Spiritus adjuvatur. » Et cap. 35. dicente Pelagio, se in epistola quadam ad Paulinum « nihil aliud, quam Dei gratiam, et auxilium confiteri; nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo, » Augustinus eam se legisse dicit epistolam, et « invenisse eum pene per totam non immorari, nisi in facultate, et possibilitate naturæ; et pene ibi tantum Dei gratiam constituere; Christianam vero gratiam tanta brevitate sola nominis commemoratione perstringere, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuisse. Utrum tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, ubi est ejus conversationis exemplum, quod aliquot locis suorum opusculorum facit; an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, et luminosissimæ charitatis, non apparet omnino. » Item cap. 41. quod Pelagius aiebat, se, præter liberum arbitrium, gratiam quoque confiteri, captiosum dicit esse, quia sic exponere discipulis suis poterat, « ut nullum auxilium gratiæ crederent, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege, atque doctrina, ita ut

[1] 2. Timoth. 1.

[2] Lib. 1. de gratia Christi c. 34.

ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendus opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat. » Revelatio illa doctrinæ non est sola lex, ac doctrina Christi extrinsecus sonans. Nam revelata jampridem est, et scripto tradita; itaque nullis orationibus emerenda est. Est igitur doctrinæ istius applicatio per internam inspirationem, et illustrationem.

Quare, cum præter illam ipsam, quam Pelagius agnoscebat, aliam desideraret Augustinus; evidens est, non eum putasse sufficere mentis illustrationem, qua, quod agendum est, cognoscitur; nec eam proprie dictam esse Christi gratiam, de qua cum illis tantopere certabat.

VIII. Sane duplex illud gratiæ genus clare, distincteque tradit idem variis in locis; ac mentis illuminationem explicat in libro primo de Peccatorum meritis, capite 25. « Itaque illud, *inquit*, quod in Evangelio positum est [1]: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis, quod Deus est; ne quisquam putaret, ab eo se illuminari, a quo aliquid audit, ut discat, non dico si quemquam magnum hominem, sed nec si angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis; verumtamen [2] *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Audit quippe homo dicentem vel hominem, vel angelum, sed ut sentiat, et cognoscat verum esse, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. »

Tum in libro secundo de Peccatorum meritis, capite quinto: « Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus, aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab ea; neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest. Ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, etc. » Cujusmodi lucis et oculi exemplo sæpe utitur Augustinus, ut supra meminimus.

Porro alterum gratiæ genus, quod in motione voluntatis positum est, declarat in illis omnibus locis, quæ paulo ante commemoravimus. Ac passim id esse situm docet in delectatione, ac suavitate dilectionis, quam Deus cordibus nostris inspirat. Et quidem ejusmodi tum utramque, tum hanc potissimum esse gratiam, non ut quasi ex abundanti suppeditetur, minimeque necessaria sit, sed uti ex æquo cum mentis illuminatione necessario requiratur. Sic in libro secundo de Peccatorum meritis, cap. 19. « Nos autem, *inquit*, quantum concessum est, sapiamus, et intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant, non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat; et suave faciat, quod non delectabat; quia et hoc ab illo esse deprecandum ejus gratia didicimus, dum antea lateret; ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret; ut [3] qui gloriatur, non se, sed in Domino glorietur? »

IX. In libro primo de gratia Christi, capite sexto, cum Pelagius dixisset, « possibilitatem voluntatis gratiæ suæ Deum adjuvare semper auxilio; » illud præterea requirit, « ut hominis voluntati ardorem dilectionis inspiret. » Tum capite duodecimo, « Qua gratia agitur, *inquit*, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. »

Quod autem doctrina nonnunquam appellari videtur, ne quis solam ejus, quod faciendum, credendumve sit, revelationem esse putet, in capite decimo tertio libri ejusdem admonet, etiam voluntatis motionem esse necessariam. « Hæc gratia, *inquit*, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. » Et capite decimo quarto, de illo docendi modo, in quo Christi Redemptoris gratia posita est, agens, sic eo adjuvari dicit hominem, « ut non solum, quid faciendum sit, sciat, sed, quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit,

[1] Joan. 1. — [2] 1. Cor. 3. 7.

[3] 2. Cor. 10. 17.

non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non sola volendi, et operandi naturalis possibilitas adjuvatur. »

X. Tum in capite 24. disertissime idipsum explicat, cum enim Pelagii sententiam illam refelleret, qui asserebat, oportere prius nos libertatis nostræ viribus unum spiritum effici cum Deo, ut ad eam gratiam perveniremus, qua cor nostrum, quo vult, declinet, exemplo usus est Assueri [1] ; qui utique, cum impius, et infidelis esset, unus cum Deo spiritus non erat, et tamen Deus cor illius emollit, et, quo voluit, inclinavit. « Legant ergo, *ait*, et intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Ecce revelationem vocat occultam illam mentis illustrationem, qua Assuerus a Deo tactus est, et quam Pelagius agnoscebat, ac velut præmium esse volebat præparationis illius, qua nos unum cum Deo spiritum sponte facimus. Cujusmodi non potest esse lex, vel doctrina, aut utriusque doctor extrinsecus sonans, sed occulta, et interior mentis inspiratio, qua non est contentus Augustinus.

Ita capite 38. libri ejusdem, cum Pelagius scripsisset, se in epistola ad Demetriadem « naturæ hominis, Dei semper gratiæ addere auxilium, » bene se deceptum ait istius epistolæ lectione, donec animadverteret, « hanc eum gratiam ponere potuisse in sola revelatione doctrinæ. » Hæc autem revelatio in eo consistebat, quod epistolæ initio scripsit: « Proposito insudemus operi ; nec mediocritati diffidamus ingenii, quod credimus fide matris, et merito virginis adjuvari. » Quibus verbis revelatio ipsa tacite significatur, quam gratiam intelligebat Pelagius, *qua adjuvamur ad faciendum aliquid*. Atque revelatio ejusmodi, quæ Pelagium doceret, quid scribendum esset, nihil aliud, nisi interna et arcana erat inspiratio, sive revelatio ; quam sufficere non est arbitratus Augustinus.

XI. Rursus libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum, capite quinto, duplicem, quam requirit, gratiam sic declarat : « Legem quippe diversis locutionum modis, et varietate verborum omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus ; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus ; quæ propria gratia est. » Sic in libro secundo de Peccatorum meritis et remissione, capite decimo septimo, duo illa genera gratiæ commendat, quibus efficitur, ut et bonum sciamus, et suaviter faciamus, contra duplicem naturæ corruptelam, *ignorantiam*, *et infirmitatem*. Et capite 19. *certam scientiam* , *et victricem delectationem* commemorat , « ut cognoscant, non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. » Et in libro de Spiritu et littera, capite tertio, « præter doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, » necesse ait esse, « ut accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est. » Nam, « cum id, quod agendum, et quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur [2], charitas Dei diffunditur per Spiritum sanctum. » Vide etiam caput 12.

Prosper etiam multis in locis utramque illam gratiam Christi necessariam esse testatur, cujus aliquot testimonia sequenti proponam capite. Nunc unum referam ex epistola de libero arbitrio ad Ruffinum : « Quis ambigat, *ait*, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obediendique generaverit ? Alioquin sufficeret, moveri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem, etc. »

XII. Præterea duplex donum gratiæ Dei gratuitum, sive duplicem gratiam designat Augustinus : alteram, quæ antecedit fidem, hoc est *actum fidei*, quatenus a voluntate oritur, et charitatem, aliosque liberi arbitrii motus : alteram, quæ est fides ipsa, et charitas, sive dilectio. Ambas, inquam, distinguit, ac secernit invicem libro primo de Prædestinatione sanctorum, capite octavo : « Ergo trahi a Patre ad Christum, *inquit*, et audire, ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat : Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Fides

[1] Esth. 15.

[2] Rom. 5. 5.

igitur et inchoata, et perfecta donum Dei est; et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. » Hoc est igitur donum, sive gratia, quæ est ipsa fides, sive credendi voluntas, et obsequium voluntatis Deo se subjicientis. Sic in libro secundo de dono Perseverantiæ, capite decimo septimo, cum fidem ipsam initialem, hoc est initium fidei, qui est affectus credendi, contra Semipelagianos probat esse donum Dei, atque gratiam, tum sapientiam, atque continentiam. Et in Epistola 105. aliquanto post initium, idipsum demonstrans, nullum in homine esse meritum ante fidem : « Sicut non haberet, *inquit*, homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Dei, nisi secundum propheticum eloquium accepisset spiritum sapientiæ, et intellectus, consilii, et fortitudinis, scientiæ, et pietatis, ac timoris Dei; sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit Apostolus : Non enim accepistis spiritum timoris, sed virtutis, et charitatis, et continentiæ ; ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit : Habentes autem eumdem spiritum fidei, etc. » ac paulo post eadem inculcat, demumque colligit : « Ita sine spiritu fidei non est recte quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus; sed omnia hæc operatur unus, atque idem spiritus, etc. »

XIII. In his spiritus nomine gratiam intelligit, seu virtutes ipsas, quibus credimus, diligimus, oramus, etc. qui sunt affectus ipsi virtutum ab illuminatione, et cognitione diversi, quæ hoc tantummodo suggerit, ac revelat, esse credendum, ac diligendum, non autem credendi, et diligendi impetum, ac voluntatem continet. Sicut orationis spiritus non est revelatio, vel inspiratio, qua movetur intelligendi facultas, ut orandum esse cognoscat, sed est ipsa voluntas orandi, atque propensio.

De altera porro gratia, quæ fidem, aliaque dona præcedit, loquitur Augustinus libro de Dono perseverantiæ, capite decimo sexto : « Prævenit ergo et fidem gratia; alioqui, si fides eam prævenit, proculdubio prævenit et voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, qua una Deo veraciter, et suaviter obeditur; et hæc omnia gratia in eo, cui datur, et cujus hæc omnia prævenit, operatur. » Igitur prior ista gratia est inspiratio, sive cogitatio a fide, aliisque distincta, quæ et ipsa gratiæ appellatione censentur. Quod evidentius idem in libro de Prædestinatione sanctorum, capite secundo declarat : « Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. » Hoc ergo gratiæ genus, quod cogitationem, ac revelationem vocat, certum est, ab affectu ipso credendi, vel diligendi, sive spiritu fidei, et charitatis esse diversum ; sicut cogitatio orandi Dei non est spiritus orationis. Unde liquido constat, duplici gratia instrui hominem ad agendum : altera, quæ intelligentiam nostram movet : altera, quæ voluntatem impellit.

XIV. Ad hæc libro de Gratia et libero arbitrio, capite septimo, utramque gratiam manifestissime commendat, ac separat, exemplo Pauli apostoli, cujus merita ex duplici illo genere gratiæ profecta esse demonstrat. De priori agit his verbis : « Primum ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent; » tum utitur Apostoli verbis istis[1] : *Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis, tanquam a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* De posteriori vero subinde disserit, ostendens singillatim, opera virtutum esse dona Dei, imprimisque fidem, quæ ex nullis operibus a Deo tribuitur. Igitur tam cogitatio, sive illustratio mentis, quam voluntas credendi, donum est ex nullis meritis, sed proxime, et ἀμέσως a Deo concessum. Siquidem Augustinus ambo ista ex nullis meritis antecedentibus oblata esse contendit, et esse gratiam simpliciter, non gratiam pro gratia, de qua in fine capitis secundi.

Tum capite decimo quarto ejusdem libri, illud Apostolicum expendens[2], *Habentes eumdem spiritum fidei*, ita loquitur, « Non enim ait scientiam fidei, sed spiritum fidei; quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia fides et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur. » Scientia fidei nihil aliud est, quam cognitio, cogitatioque credendorum; spiritus vero fidei affectus est ipse, voluntasque credendi; quod tum dari a Deo dicit ibidem, cum[3] *aufert cor lapideum, et dat cor carneum*, hoc est, « durissimam voluntatem avellit, et adversus Deum omnino inflexibi-

[1] 2. Corinth. 3. 5.

[2] 2. Corinth. 4. 13. — [3] Ezech. 36. 26.

lem ; » quod sola bona voluntate, et spiritu fidei, non sola cogitatione confertur.

XV. Item cap. 16. « Certum est, nos facere, cum facimus ; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. » Vide et cap. 17. « Ut ergo velimus, *ait*, sine nobis operatur ; cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur ; tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, ut velimus, dictum est : Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, etc. » Capite quoque 19. Pelagianos reprehendit, qui, « cum scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex nobis ipsis volunt, etc. Quid est ineptius, imo vero quid est amentius, et ab ipsa sanctitate charitatis alienius, quam confiteri, ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat ; et ex nobis esse charitatem, quæ facit, ut scientia inflare non possit ? » Jam vero Pelagiani gratiam internæ inspirationis, et illuminationis admittebant, ut superius ostendimus, eamque scientiæ vocabulo complectitur Augustinus, quia quidquid solam intelligentiam imbuit, et afficit, scientia est et cognitio. At præter hanc cognitionis gratiam, aliam esse necessariam pugnat idem, « qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, et cum bona fuerit, adjuvatur, » ut capite 20. loquitur.

CAPUT NONUM.

Ex Semipelagianorum opinione, et Prosperi contra eos disputatione colligitur, gratiam Christi non in sola mentis illuminatione consistere, sed etiam in voluntatis motione consistere. Tum ex concilio Africano, et Arausicano. Rursum de Pelagianis ostenditur, eos interdum agnovisse gratiam ; ac nonnulla de illorum hæresi accuratius exposita. Respondetur iis omnibus, quæ ex adverso proponuntur.

I. Potest et ex Semipelagianorum sententia, ac S. Prosperi contra illos disputatione, firmissimum argumentum effici, quo gratiam constet ad recte operandum necessariam non in sola mentis illustratione consistere, sed etiam in voluntatis impulsu. Etenim Semipelagiani gratiam Christi ad singulos actus necessariam esse dicebant, eamque non in lege solum, vel eo omni, quod extrinsecus tantum adjuvat, hoc est extra hominem ipsum est, sitam esse fatebantur. Ea vero divinitus inspirata, et eo omni, quod agendum est, per divinam lucem intelligentiæ nostræ patefacto, deinceps voluntatis suæ viribus, ac per se quemque niti, et vocationi obtemperare Dei, vel ab ea desciscere. Quod Prosper refellens asserit, gratiam non tantum docere, ac significare, quid sit faciendum, verum etiam mutare, ac reformare intus hominis animum, et affectum amoris infundere. Quæ singula Prosperi verbis ex carmine de Ingratis explicabimus.

Imprimis Semipelagianorum opinio his ab eo verbis proponitur, quæ nos supra capite 7. retulimus.

> Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
> Limite nobiscum, et formam hanc adscribitis illi,
> Ut cunctos vocet illa quidem, etc.
> Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
> Judicioque suo, mota se extendere mente
> Ad lucem oblatam, etc.

Vides, ut adjutorium gratiæ sola luce definiant, quam voluntatis suæ quisque viribus amplectitur, in eaque perseverat. Pergit enim :

> Esse autem edoctis istam communiter æquam
> Libertatem animis, ut cursum explere beatum
> Persistendo queant, etc.

II. At hæc Prosper inde confutat, quod gratiæ partes non eæ tantum sint, docere, et hortari, vel dare consilium, sed etiam opus ipsum efficere.

> Non hoc consilio tantum, hortatuque benigno
> Suadens, atque docens, quasi normam legis haberet
> Gratia ; sed mutans intus mentem, atque reformans,
> Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi, etc.

quæ supra descripsimus. Ex quibus ita ratiocinari licet : Cum Semipelagiani gratiam omnem, quæ in sola intelligentiæ nostræ collustratione, et cognitione sita est, prorsus esse necessariam agnoscerent; Prosper vero contendat, non eam sufficere, quod in sola doctrina, et agendi notitia versetur, nec ea prædita voluntas hominis ad conatum boni operis idonea sit, eo quod originali peccato fracta, et enervata propriis subsidiis opus habeat; inde profecto consequi, neque Semipelagianos ullam agnovisse gratiam, præter illustrationem mentis, et cogitationem; tum aliam, quæ voluntatem informaret ipsam, desiderasse Prosperum; quique posteriorem hanc abnegaret, inter Semipelagianos sententia illius adscriptum. Non video, quid huic argumentationi possit opponi. An enim inficiari poterit quispiam, Semipelagianos illustrationem et inspirationem illam cognitionis ademisse? quod nonnullos theologos de ipsis asseverasse testatur Theophilus Raynaudus capite quarto proloquii ad Valerianum. Nam ait, quosdam affinxisse Semipelagianis, eos « interna gratiæ auxilia, veramque spiritus subministrationem ademisse, hoc est gratiam actualem internam revelationi, et externæ propositioni objecti contradistinctam. »

III. At hoc falsum est, et absurdum; ita enim nihil prorsus a Pelagianis differrent, imo Pelagianis ipsis multo intolerabiliores fuissent; quippe legem, et externam propositionem gratiam Christi esse necessariam, fuit opinio Pelagii, ut supra declaravimus. Præter hanc vero alteram esse docuit utilem ad facilius operandum, quæ est illustratio mentis, et interna revelatio; quam Semipelagiani si sustulissent, multo istis deteriores haberentur. At Augustinus cap. 1. libri de Prædestinatione sanctorum laudat eos, quod « eo pervenissent, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia faterentur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentirent; » eaque re plurimum illos « a Pelagianorum *ait* errore discerni. » An non præterea gratiam illam, qualem Semipelagiani constituebant, non satis esse ad bene agendum, diserte Prosper affirmat? Non illam ad eum gradum revocat, quem in negotio gratiæ, doctrina, prædicatio, hortatio, suasioque, id est propositio credendorum, et agendorum obtinet? Nonne foris hæc esse causatur omnia sic, ut nihil operentur in nobis aliud, quam ut ipsum, quod vocant, *objectum* repræsentent voluntati nostræ, quæ se deinde suopte nutu, et arbitrio, citra peculiarem gratiam, quo velit, inflectat? Velut cum orator, aut quicumque alius gestarum rerum expositor, affectus in auditore commovet amoris, odii, spei, metus, iræ, doloris; de quo ita Prosper :

> Nec tamen hos motus scriptor, narrator, et auctor
> Insevere animo; quamvis forte hoc quoque vellent.
> Sed de perceptis mens judex sponte movetur,
> Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
> Transit in affectum, quem confirmaverit ex se
> Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.

Ubi mentis vocabulo, non eam tantum qua intelligimus partem significat, sed animum ipsum qui ex propositis, dijudicatisque rebus se ad illos affectus excitat. Atqui gratia illa, cujus confessionem Catholici potissimum a Semipelagianis extorquere cupiebant, non in sola credendorum, faciendorumve notitia versatur, sed etiam facit ipsa, quod est faciendum, non utique lucem et cognitionem impertiendo, (hoc enim belle isti fatebantur,) sed voluntatem movendo.

IV. Rursus Prosper :

> At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
> Ipsa suum consummat opus, etc.
> Deus ergo sepultos
> Suscitat, et solvit peccati compede vinctos;
> Ille obscuratis dat cordibus intellectum;
> Ille ex injustis justos facit; indit amorem,
> Quo redametur amans, et amor, quem conserit, ipse est.
> Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
> Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
> Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
> Nemo alii dat, nemo sibi.

Hoc ipsum et ex duobus Conciliis evidenter ostenditur, quorum alterum contra Pelagianos, alterum contra eorum reliquias est habitum, illud Milevitanum, sive potius Africanum, aut Carthaginense, hoc Arausicanum fuit. Prioris canon 4. ejusmodi est : *Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit;* quod ex eo probat, quia « utrumque Dei donum est, scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus. Nam sicut de Deo scriptum est : Qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo est. » Igitur dona illa diversa sunt, et a gratia

per se, ac proprie proficiscuntur. In canone vero 5. Pelagium damnat asseverantem, gratiam ideo donari, *ut facilius possimus implere per gratiam, quod facere per liberum jubemur arbitrium;* quam gratiam ostendimus esse mentis illustrationem, internamque revelationem.

V. Hoc enim nomine S. Augustinus, aliique Patres inspirationem intelligunt, qua Deus *actuali*, et interna locutione, quid faciendum sit, intelligentiæ nostræ suggerit; quemadmodum et Apostolus ipse hoc vocabulo *revelationis* utitur. Velut hoc in loco [1]: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelavit.* Græce *revelabit*, quod futurum tempus demonstrat, de ea revelatione sermonem esse, non qua in Scripturis, vel externa propositione Deus, quod credendum, faciendumve sit, admonet, sed qua interius docet, et inspirat; unde et Christiani *docibiles Dei* esse dicuntur [2], et hæc *unctio* vocatur [3], *quæ de omnibus nos docet.* De qua vide, quæ capite superiori ex Augustino diximus [4].

Arausicani vero concilii canon 5. initium fidei, sive ipsum credulitatis affectum, per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti nobis inesse ait, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, etc. Vide et canonem 25.

Hanc igitur gratiam omnino necessariam esse Patres illi omnes, quos citavi, contra Pelagium, ejusque reliquias docent; ac de ea potissimam esse controversiæ partem indicant, præsertim adversus posteriores, id est Semipelagianos, sic, ut aliam omnem, præter hanc, adstruentes, non plene esse catholicos, sed hæretica fuligine infectos arbitrati sint.

Quanam vero ratione cum liberi arbitrii natura, et potestate auxilium hujusmodi consentiat, hoc loco non dicam. Dicam autem alias, si Deo visum fuerit, ac si mihi per Sedis apostolicæ auctoritatem liceat, quæ illius controversiæ disceptationem suo judicio reservavit.

VI. Nunc de Pelagianis, et cujusmodi sit ab illis constituta gratia, paululum resumenda disputatio est. Atque illa quidem, quæ de hæreticis istis cap. 4. tradidimus, satis hoc persuadent, gratiam Christi non lege tantum, ac doctrina forinsecus insonante ab illo fuisse comprehensam; sed illustrationem præterea cordis, interioremque revelationem sive inspirationem, qua intelligentia nostra ad cognoscendam veritatem imbuitur, agnitam fuisse. Verum negant hoc aliqui, ut inter alios Bellarminus in Recognitione libri 1. capitisque 13. de gratia et lib. arbit. ubi Pelagii verba, quæ ex Augustini lib. 1. de gratia Christi capite 7. ad id probandum adduximus: « Adjuvat nos Deus per doctrinam, et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat; » ad externam doctrinam sacrarum Scripturarum revocat, quæ, dum legitur, vel auditur, oculos cordis aperit, ac cetera illa perficit.

VII. Verum ex his, quæ superius ea de re constituimus, haud levia capiuntur argumenta, quibus contraria, et nostra probatur opinio. Primum enim in fine cap. 7. ad hoc dicit revelationem illam dari, et ista omnia fieri, ut divina præcepta, et promissa discamus. Ergo diversum aliquid est ista gratia a præceptis. Deinde Pelagius legem, ac doctrinam fidei ad singulos actus esse necessariam dixit, adeo ut possibilitas nostra, quam solam adjuvari gratia voluit, sine isto gratiæ genere sit invalida, et ideo semper gratiæ adjuvetur auxilio, ait Aug. 1. de grat. Chr. cap. 3. et aliis, quæ supra citavimus. At idem Pelagius, uti fuse declaravimus, gratiæ genus alterum, quo oculos cordis aperit Deus, et alia facit, quæ cap. illo 7. recensentur, non absolute necessarium esse dicebat, sed tantum ad facilius operandum requiri. Est igitur hæc ab illa gratia diversa. Deinde Pelagius prius nos fieri sanctos, et immaculatos asserebat, arbitrii nostri viribus; tum merito sanctitatis istius ad exquisitiorem promoveri gratiam, ut ex 1. de Prædestinatione sanctorum, cap. 18. supra collegimus. Ut autem sancti, immaculatique simus, necessariam putabat esse legem, externamque doctrinam, ut ibidem ostendimus. Igitur gratia illa, quam deinde promereri nos aiebat, prorsus est a priore distincta. Item apud Augustinum primo de gratia Christi, cap. 41. aiebat, orationes « ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur. » Proinde, cum orationibus nostris id postulemus, quod nondum impetravimus, ac quisquis orat, lege jam Christi, et exteriori doctrina sit instructus, revelatio illa, quam a Spiritu sancto fieri di-

[1] Phil. 3. 15. — [2] Joan. 6. 45. — [3] 1. Joan. 2. 27. — [4] Num. 10.

cit, et quam orationibus obtinemus, non potest exterior esse prædicatio verbi, sed interior illustratio.

VIII. Ad hæc cap. 22. ejusdem Pelagii locum refert ex epist. ad Demetr. quæ habetur inter Hieron. spuria; ubi ex Jacobi 4. monet, « ut resistamus diabolo, hoc ipso, quod sumus subditi Deo, ejus faciendo voluntatem, ut divinam mereamur gratiam, et facilius nequam spiritui auxilio sancti Spiritus resistamus. » Tum apud eumdem Augustinum cap. 23. libri ejusdem per hoc ipsum, quod « nos totos Deo tradimus, ac voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo unus cum eo spiritus efficimur, » obtinere nos ait Pelagius gratiam alteram, ut cor nostrum, quo voluerit, ipse declinet. Atqui neque tradere nos Deo, vel ex illius pendere voluntate sine hujus cognitione possumus, quæ per legem, ac Scripturas habetur; et, cum inclinatio illa cordis a Deo facta, posterius ac diversum sit gratiæ genus, non potest idem esse cum priore, sed eo longe præstantius.

Ac profecto, si nullam aliam gratiam, præter æternam doctrinam, ac Scripturam, admittebat Pelagius, non erat necesse Christiano saltem, ac fideli, illam orationibus exambire, aut a Deo exspectare, cum in potestate cujusque esset audire illam, aut legere, vel auditam, lectamque recordari quoties vellet. Sed neque tantis impendiis, ac laboribus velut emercanda fuit, quibus enitendum prius esse docuit, ut sancti, et immaculati essemus, si ad hoc unum perveniendum erat, quod per nos ipsi consequi possemus. At Pelagius Demetriadem Christianam virginem, maximeque piam hortabatur, uti strenue, ac fortiter in omnia Christianæ officia pietatis incumberet, quo novam illam, et inusitatam, ac præstantem gratiam assequeretur.

IX. Qua quidem in epistola clarissime suam hæresim exponit, quæ est ejusmodi. Veteres asserebat non modo patriarchas, aliosque, qui verum Deum cognorant, sed etiam philosophos solo naturæ bono, ac *sine Deo*, ut ipse loquitur [1], castos, patientes, ac reliquis præditos virtutibus fuisse. « Quod si, *inquit*, etiam sine Deo homines ostendunt, quales a Deo facti sunt, vide, quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum natura, et vita instructa est, et qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio. » Proinde Christianos putavit arbitrii sui viribus longe meliores, ac perfectiores evadere posse. « Est enim, paulo post ait, in animis nostris naturalis quædam, ut ita dixerim, sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens exercet boni, malique judicium, et ut honestis, rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diversas partes domestica quadam lege dijudicat. » Qua domestica lege, et arbitrio solo fretos putat Abelem, Enochum, Melchisedecum, Abraamum, Isaacum, Jacobum, et reliquos ante legem justos, ac sanctos extitisse. « Denique quandiu recentioris, *inquit*, adhuc naturæ usus viguit, nec humanæ rationi velut quamdam caliginem longus usus peccandi obduxit, sine lege dimissa est natura, ad quam Dominus nimiis jam vitiis obrutam, et quadam ignorantiæ rubigine infectam limam legis admovit, ut hujus frequenti admonitione expoliretur, et ad suum posset redire fulgorem. » Itaque propter depravatam longa vitiorum consuetudine naturam, « nescientibus nobis, quasi ab alio sanctitatem conferri. »

X. Hinc apparet, Pelagium legem Dei, quam vocant *positivam*, ac revelationem externam, quam esse gratiam asserebat, nequaquam ad justitiam necessariam existimasse, sed solam naturalem sufficere. Verum post adventum Christi necessarium esse scire ipsius voluntatem, quæ per Scripturas saltem, legemque forinsecus monentem, aut per internam revelationem ediscitur. Quare eodem loco Demetriadem hortatur: « Prima igitur virginis cura, primumque studium sit scire voluntatem domini sui; et quid ei placeat, quidve displiceat, diligenter inquirere, ut secundum Apostolum, rationabile Deo reddat obsequium, totumque vitæ suum cursum ex ejus possit ordinare sententia. Impossibile est enim, ei quemquam placere, cui quid placeat ignorat; fierique potest, ut etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit. Et ut majus est voluntatem Dei facere, quam nosse, ita prius est nosse, quam facere. » Unde autem voluntas Dei possit intelligi, subinde docet, nimirum e Scripturis sanctis: « Scito itaque, in Scripturis divinis, per quas solas potes plenam Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, etc. »

Quamobrem Scripturarum sacrarum, hoc est legis notitiam, ac doctrinam ad hoc esse necessariam credidit Pelagius, ut Dei voluntatem facere possemus. Ideo distincta ista gratia est ab illa, quam mercedis loco conse-

[1] Tom. 4. Hier. col. 719. C.

quimur ex eo, quod Dei voluntatem facimus; quæ quidem nulla fingi potest alia, quam quæ a nobis ex eodem Pelagio apud Augustinum exposita est, videlicet interior revelatio, et illlustratio, qua, quid sit faciendum, cognoscimus, eoque ipso facilius operamur. Hanc igitur, contra quam alii suspicantur, admisit Pelagius.

XI. Hic nonnulla ex Augustino loca Bellarminus affert, quibus demonstret, Pelagium omnem exclusisse gratiam internam. Sed ea profecto nihil prorsus efficiunt, imo vero contrarium magis ostendunt. Ex iis validissimum putant, quod est in lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 19. « Vos autem, *inquit*, in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari; quod satis tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti, in bono opere a Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita. »

Quod Pelagiani negarent ad bonum opus excitari voluntatem, inde colligunt, nullam aliam admisisse gratiam, nisi externam. Verum id unum verba illa declarant, bona opera sine interna mentis illustratione, non tamen sine legis, doctrinæque, seu voluntatis Dei cognitione fieri; quæ cum pro viribus suis homo præstiterit, tum Dei favor aspiret, et gratia subministretur, quo nimirum facilius operetur. Quænam vero ista gratia est? Opinor a lege, et externa voluntatis Dei significatione diversa. Nam hactenus Pelagium sæpe profitentem audivimus, neminem bonum opus posse, nisi cognita lege, ac Dei voluntate, perficere, quam e Scripturis hauriendam esse monuit. Quare, si nullum aliud genus gratiæ, præter externum, Pelagius admisit, neque gratiam negasse dicendus est ad bonum opus esse necessariam; nec illam nescio quam promittere potuit, quæ in ipso bono opere, et tanquam præmium boni operis a Deo tribuitur. Ceterum adhibuisse Pelagium gratiam aliquam, qua voluntas excitatur, ostendunt ipsius verba, quæ citat Augustinus 1. de gratia Christi c. 10. ubi ait, « revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem excitari voluntatem. » Sed hanc gratiam in sola intelligentia, et cognitione ponebat; alteram autem, quam præcipue quærebat Augustinus, qua voluntas ipsa proxime, ac per se movetur, necessitatem esse dicebat libertatis inimicam, ut Julianus ait apud Augustinum in secunda responsione lib. 1. c. 95. operis imperfecti.

XII. Reliqua sunt Augustini testimonia ex libro fere 1. de gratia Christi deprompta[1], in quibus gratiam Christi, cujusmodi Pelagius amplectebatur, revocat Augustinus ad legem, atque doctrinam. Sed ea nos loca superius prope omnia citavimus, ac planum fecimus, Augustinum ideo legi, atque doctrinæ Pelagianum istud gratiæ genus imputasse, quod eo sola legis informetur cognitio, ac, quæ sit Dei voluntas, tantum innotescat, non autem vis agendi libero nostro arbitrio suppeditetur. Itaque ad externam, et forinsecus insonantem gratiam pertinere dixit[2], quia caput, et summa hujus gratiæ, quam *theoricam* appellemus sane, sicut alteram *practicam*, in lege, ac Dei voluntate, hoc est in objecto ipso consistit; cui repræsentando intimus ille Dei afflatus, illustratioque servit. Neque vero ita loqui Augustinum mirabitur, ut internam legis revelationem ad forinsecus insonantem gratiam revocet, qui Prosperum meminerit idem et de Semipelagianorum gratia scripsisse. Nam, etsi Semipelagiani gratiam Christi non in sola externa legis propositione, sed in interna voluntatis excitatione, verum *metaphorica*, et *morali* positam putarent, ut eruditiores theologi fatentur, præter paucos illos, qui consensu majoris partis exploduntur; nihilominus eos Prosper queritur in carmine de Ingratis, nullas alias gratiæ Christi mandasse partes, quam doctoris, monitoris, ac forinsecus insonantis, ut superius vidimus. Multo ergo magis hoc Pelagianis impingere potuit Augustinus, qui et hanc gratiam minime necessariam esse dicebant, et eam ipsam nudam esse legis doctrinam, ac propositionem asserebant.

[1] Ex c. 8. 9. 10. 24. 31. 41.

[2] Aug. lib. 1. de grat. Christ. c. 24.

CAPUT DECIMUM.

Colligitur ex antecedentibus, quæ fuerit Pelagiana, et Semipelagiana hæresis, et utriusque discrimen. Præsertim vero de Semipelagiana agitur, ac fide initiali, sive bona voluntate. Ostenditur, ex illorum mente meritum habuisse gratiæ, sed non perfectum; quomodo ea fides ab illis nuncupata sit. Explicatur ratio meriti perfecti, et inchoati. Quanam ratione citra opera reipsa edita, justificari tam ex fide, quam ex operibus dicantur homines, dum charitas in eorum cordibus diffunditur. An in sola mentis illuminatione Christiana gratia collocari possit. Moveri etiam ab illa voluntatem. Doctrina et suasio gratiæ declaratur. Qui sint gratiæ adstruendæ limites ab Ecclesia, et Apostolica sede constituti. Refelluntur hæretici, qui in Dordracenis Actis perperam Pelagiana dogmata describunt; et ab eorum calumnia vindicatur Bellarminus, et alii.

I. Colligamus jam ex hac omni superiori disputatione, quod in ea potissimum tractanda propositum habuimus, quam aut imperite, aut maligne faciant, qui temere, ac pro libitu suo Pelagiani, aut Semipelagiani notam erroris inferunt iis, quos ab hac suspicione liberat major, ac testatior, quam quæ in calumniatoribus istis est, integritas vitæ, tum rerum omnium, præsertim divinarum, notitia. *Ut*, quod ait Propheta [1], *interficiant animas, quæ non moriuntur, et vivificent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis*. Sic illi plane, mox ut in aliorum opinione aliquid sibi displicuit, ei statim hæresim, statim Pelagianismum vel ex toto, vel ex dimidio subscribunt [2]: *Omnia enim, quæ loquitur populus iste, conjuratio est*. Verum, quod ait Augustinus [3], « Sicut Ariani, dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt; » ita isti, dum Pelagianam « pestem in perversum vitare conantur, ipsis Pelagianis convincuntur perniciosiora sentire; » de quibus partim antecedentibus in libris actum est, partim alio in loco demonstrabitur. Ac mihi divino judicio factum videtur, ut in pudendos illos, ac letiferos errores prolapsi ipsi sint, quo maledici, petulantisque stili, ac linguæ pœnas illi darent, quibus præter jus, ac meritum obtrectare, et nefariæ commercio hæresis infames reddere studuerunt.

Sed, quod docere institui, jam ex iis, opinor, quæ de Pelagiano, et Semipelagiano dogmate hucusque scripsi, constare debet, nihil esse cum istorum decretis affine viris illis eruditis, ac piis, quibus hoc passim crimini ab illis dari consuevit.

II. Etenim recenseamus paululum ex anteriori nostra disputatione, quæ flagitia sint utriusque sectæ, ac quæ cujusque propria venena, ut inde perspicuum sit, nihil cum labe ista fidei, ac pernicie, catholicæ nostrorum integritati, ac sanitati esse commune. Inter Pelagianos, et Massilienses, sive Semipelagianos hoc interfuit. (De illis loquor Semipelagianis, contra quos Augustinus postremis pene certavit duobus illis libris, quorum alter de Prædestinatione sanctorum, de Dono perseverantiæ alter inscribitur.) Priores gratiam nullam Christi partam meritis, ac *medicinalem* ad singulos actus adhibebant, nisi partim extrinsecus insonantem auribus, hoc est legem, prædicatione doctorum, ac voce pulsantem, partim interius aspirantem, et illuminantem; sed hanc utilem duntaxat ad facilius operandum, minimeque necessariam. Semipelagiani vero utramque necessariam esse judicabant, ita tamen, ut ante posteriorem istam, quæ et interior, et *actualis* vulgo dicitur, homo aliquid ex sese, ac suopte marte navaret, cujus non tam merito, quam dispositione quadam, et illecebra misericordiæ, necessariæ illius compos gratiæ fieret, ac divinum sibi præsidium advocaret. Hic cardo Semipelagiani dogmatis, et limes inter hos, et illos interjectus est, quod Pelagiani nullum esse putabant necessarium ad recte agendum, id est ad singulos actus, auxilium gratiæ; et hanc qualemcumque gratiam plenis voluntatis humanæ meritis, naturali industria partis acquiri putabant; Semipelagiani *nonnisi voluntariam devotionem*, ut Prosper loquitur [4], sive *credendi voluntatem*, vel fidem initialem, sive sanitatis, ac medici desiderium, ut Hilarius indicat [5], antecedere dicebant, a nobisque conferri *.

[1] Ezec. 13. 19. — [2] Isa. 8. 12. — [3] Lib. 2. de Nupt. ad Valer. c. 23.

[4] In ep. ad Aug. præfixa lib. de præd. Sancto. — [5] In seq. ep. ibid.

* Hunc in errorem delapsi sunt Semipelagiani, dum Augustinianam de prædestinatione simul et efficaci gratia doctrinam mitigare conarentur. Prædestinationem electorum ad gloriam, ante prævisa eorum merita, humanæ libertati, divinæque bo-

III. Hanc credendi voluntatem, ac remedii cupiditatem, fidem nonnunquam absolute nominat Augustinus, quatenus fides ex utroque contexitur, assensione mentis, et credulitatis affectu, qui in voluntate consistit. Nemo enim nisi volens ad credendum adducitur; siquidem credere [1], aut non credere, venire [2], aut non venire, in arbitrio est voluntatis, ut sæpe Augustinus affirmat. Sed est, uti fides, sic voluntas, alia perfecta, alia exigua et imperfecta. De utraque fide memorabilis est Augustini locus in libro de Prædestinatione sanctorum capite septimo; ubi Cornelium centurionem [3], antequam Christum agnosceret, talem fuisse scribit, ut de eo dici hoc posset: « Ideo credere meruit, quia vir bonus erat et antequam crederet. Cujus acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ orationes, antequam credidisses in Christum. Nec tamen, *inquit*, sine aliqua fide donabat, et orabat. Nam [4] quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed, si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus. » Igitur alia fuit Cornelii fides, antequam ad eum Petrus veniret, alia apostquam ab eodem apostolo nuntiatus est illi Christus. Utraque donum Dei fuit; sed prior inchoata, necdum perfecta, aut ad salutem consequendam idonea, quæ tamen posterioris meritum habuit, ut mox dicam.

Sic voluntas bona apud eumdem Augustinum duplex invenitur; una parva, et imbecilla: altera magna, et robusta. « Qui vult facere Dei mandatum, *inquit* [5], et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam; poterit autem, cum magnam habebit, et robustam. »

IV. Hinc et meritum itidem duplex ex ejusdem Augustini sententia constituitur; unum exiguum, nec absolutum: alterum plenum, et perfectum. De priori loquitur passim, cum per fidem impetrari dicit remissionem peccatorum, et gratiam. Velut in epist. 105 [6]. « Possunt, *inquit*, dicere, remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat [7]: *Deus propitius esto mihi peccatori;* et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. » Hic ante peccatorum remissionem nullum in homine ait inesse meritum, et tamen fidem, fideique meritum inesse docet. Est igitur meritum aliud justi, ac reconciliati jam hominis: aliud jam utcumque credentis, aut credere certe cupientis, sed nondum perfecte fidelis, ac justi. Quocirca fidem illam inchoatam nullis præcedentibus meritis tribui ibidem asserit; « quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita; sed gratuitum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus. » Et paulo post: « Si enim dixerimus fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ, quid meriti habebat

[1] Lib. de Præd. Sanctor. c. 5. — [2] Lib. 1. de gr. Christi c. 14. — [3] Act. 10. — [4] Rom. 10. — [5] Aug. lib. de grat. et lib. arb. c. 17. — [6] P. 175. C. — [7] Luc. 18. 13.

nitati, ac sapientiæ repugnantem judicabant; sapientiæ quidem, quia electio, meritorum prævisionem antecedens, omnino arbitraria videtur; bonitati vero, quia, si ad bonum opus inchoandum, et perficiendum necessaria est gratia ex natura sua efficax, scilicet ex se infallibilem habens cum voluntatis consensu connexionem, quomodo ii qui pereunt, nec proinde gratiam efficacem acceperunt, auxilia ad salutem vere sufficientia habuisse censentur? Quibus ut incommodis occurrerent, tantumque mysterium enodarent, Semipelagiani duo posuerunt: 1° Salutis initium esse ab homine, non a gratia; siquidem naturalibus arbitrii viribus initium fidei, seu pium credulitatis affectum, initiumque bonorum operum, nempe specialem voluntatem, specialeque desiderium hujus vel illius actus in particulari, attribuebant, licet ad bona opera, et in ipsis perseverantiam, necessariam fuisse interiorem non tantum intellectus, sed voluntatis gratiam faterentur. 2° Deum, ratione habita præviæ illius dispositionis, et ejus intuitu largiri gratiam, qua opitulante opus bonum perficitur, ac proinde initium fidei et bonorum operum naturale esse meritum, cui gratia, mercedis titulo, rependitur. Unde juxta Semipelagianos, electio salvandorum non fit ex mero Dei beneplacito, meritorum præscientiam antecedente, sed ex prævisa illa naturali voluntatis præparatione, quam vocant initium fidei, quæque largitionem gratiæ inducit. Semipelagiani igitur in eo errabant, quod gratuitam esse prædestinationem non tantum ad gloriam, sed ad gratiam negarent. Ab illorum errore longe distat libere in Scholis controversa Molinistarum sententia, qui prædestinationem ad gloriam ex prævisis supernaturalibus meritis profitentur, et discrimen inter gratiam mere sufficientem, et efficacem, e voluntatis consensu repetunt. Ceterum Molinismus id omne præstat, quod moderatioribus Semipelagianis studio potissimum fuisse videtur, nempe liberum arbitrium tuendi, et discretionem salvandorum ex prævisis meritis desumendi. Utrumque sane in tuto collocari poterat, quin salutis initium naturalibus arbitrii viribus tribueretur.

Semipelagiani, dum necessitatem gratiæ ad initium fidei inficiantur, rationem ordinis supernaturalis omnino pervertunt, statum hominis supernaturalem cum humanæ naturæ integritate permiscentes. Procedunt enim ex illo principio saltem implicite posito, perfectionem Christianam nihil aliud esse, nisi nostræ naturæ complementum, atque hominis per peccatum vulnerati in sanitatem ipsi congruam redintegrationem. Porro proprias ægroti vires superat quidem sanitatis recuperatio, non autem recuperandæ sanitatis desiderium. In hac parte Semipelagiani cum Baianistis consentiunt. Contra quos theologi veram ordinis supernaturalis notionem vindicant, et in eo reponunt, quod gratia non tantum vires, sed exigentiam naturæ, meritumque personæ transcendit. (E.)

homo ante fidem, ut acciperet fidem ? » Et concilium Carthaginense in synodica Epistola, quæ est 99. apud Augustinum, ait, « auxilium gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum , fidem impetrare, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. »

V. At perfectum, proprieque dictum meritum, quod ex [1] *charitate jam in cordibus nostris diffusa per Spiritum sanctum* oritur, ab eodem significatur Augustino in lib. de gratia Christi cap. 26. « Nam quæ merita, *inquit*, bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus ? etc. Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri , tamen , ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur. » Ibi de merito loquitur, quod ex fide per dilectionem operante nascitur; quam tamen meritum aliud antecedit, quo impetratur remissio peccatorum.

Idem meriti genus indicat Prosper, cum ait [2], « Justificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat et meritum ; ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, nunquam remoto adjutorio Dei. »

Horum duorum meritorum prius appellari ab Augustino solet *meritum fidei ;* quoniam *prima* donorum omnium gratiæ *fides datur, ex qua impetrantur cetera ;* ut idem alicubi [3] scribit Aug. Ubi *fides* late sumitur, quatenus usurpatur pro voluntate audiendi verbi Dei, auditoque credendi ; quæ nondum proprie dicta est fides, nisi quatenus piam voluntatis inclinationem amplectitur. Quæ si desit, adeo gratia non est illa novi Testamenti, quam contra Pelagium defendit Augustinus, ut etiam [4] *dæmones credant, et contremiscant.* Appellatur itaque proprie [5] *initium fidei* primus ille voluntatis motus enitentis ad salutem ; vel [6] *initium credulitatis,* aut *credendi voluntas,* vel *credulitatis affectus,* ut ab Arausicana synodo secunda, canone 5. ubi et *initium fidei* vocatur, vel *initialis gratia,* ut a Prospero illo, qui cum Hilario scripsit ad Augustinum, et si qua sunt alia vocabula, quæ fidei rudimentum, ac primam velut adumbrationem exprimunt, non perfectum, et explicatum cum pio voluntatis studio mentis assensum.

VI. Hujusmodi sive fidem, sive fidei desiderium, Massilienses imputandum esse gratiæ non credebant ; ut partim ex epistolis illis duabus Prosperi, et Hilarii ad Augustinum liquet, partim ex Arausicana secunda synodo, in qua error ille damnatus est, canone præsertim tertio , et sequentibus [7]. Ibi enim nec invocationem ipsam sine gratia fieri decernit : « Et ut a peccato purgemur , voluntatem nostram non expectare Deum, sed ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri, » ac reliqua ejusdemmodi.

Porro in bonæ voluntatis initio meritum inesse fidei, atque gratiæ, Semipelagiani fatebantur ; sed illud perexiguum, ut Augustinus, Prosper, Fulgentius, aliique passim adstruunt. Hilarius quoque in epistola ad Augustinum, ubi Massiliensium istorum opinionem explicat, ait illos arbitrari homines, quibus evangelica prædicatione « annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, et crediderint, a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius sanitatis suæ consequi effectum. » Et mox, « meritum propriæ voluntatis adjungi » ab illis asserit ; ceterum ita tenue, et imbecillum esse meritum illud, ut non sit in ulla curationis parte numerandum.

Est enim meriti genus aliud, quod magis proprie ita nominatur, et meritum operis dicitur. Nam, etsi fides ipsa opus sit quoddam, ut ex Joannis cap. 6. probat Augustinus [8], nihilominus operibus meritum imputari solet. De quo insignis est illius iste locus [9] ; « Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum et ipse Judas sit Israel. Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. » Et in epistola 105 [10]. « Opera quippe bona fiunt, *inquit,* ab homine ; fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. »

VII. Qua in re cogitandum illud est, duplici ratione perfectum illud, proprieque dictum meritum usurpari posse, quod sine justitia, et charitate nullum est. Duobus, inquam, modis justificari ex bonis operibus dicuntur homines ; primum cum ab sancto, et justo quopiam opus virtutis efficitur, quo incrementum gra-

[1] Rom. 14. — [2] Lib. 2. Resp. ad c. Gall. c. 6. — [3] Aug. de prædest. Sanct. c. 7. — [4] Jac. 2. 19. — [5] Fulg. de Incarn. c. 17. [6] De Incarn. c. 18. — [7] Araus. can. 3. — [8] Lib. de prædest. Sanct. c. 7. [9] Ibid. — P. [10] 175. D.

tiæ, gloriæque promeretur; deinde cum, etsi nullo certo adhuc opere fungitur ejusmodi virtutis a fide distinctæ, jam tamen illius in corde charitas diffunditur, ac *fides per dilectionem operari* incipit, et charitate formari. Est autem *charitas idem, quod bona voluntas*, ut ex Augustino supra meminimus. Hoc igitur affectu fidei vivæ Dei legem amamus, et officii numeros omnes, quantum in nobis est, implere volumus. « Quia et qui diligit Deum, consequens est, ut faciat, quod vult Deus; et in tantum diligit, in quantum facit, » ut ait Augustinus [1]. Ideo per fidem charitate formatam, quia totam gratiæ, ac novi Testamenti legem amplectimur, ei consentanei sumus, et exæquati, adeoqui justi, « Qui enim, ut idem scribit Augustinus [2], verbi gratia, perfecte novit, perfecteque amat justitiam, jam justus est; etiamsi nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas. » Et alio in loco [3]: « Fides, quæ per dilectionem operatur, etsi non sit, in quo exterius operetur, in corde tamen illa fervens servatur. » Atque hoc modo [4] *credentibus in eum, qui justificat*, ac diligentibus, *fides reputatur ad justitiam;* id est perinde habentur apud Deum, ac si totam legem reipsa, et singillatim observassent, ac sic tanquam omnes nostræ actiones adamussim cum lege congruerent.

VIII. Hæc est imputatio illa justitiæ, de qua loquitur Apostolus, quando renovatos in interiori homine, et ad mandata servanda omnia paratos animo perinde Deus acceptos habet, ac si præcepta legis universa, et singula multis, et variis actionibus implessent. Ita fit, ut meritum illud fidei, cum a charitate proficiscatur, quæ sola legem implet, non sit meritum fidei simplex, quæ charitatem impetrat, ac rude, inchoatumque est; sed *operum meritum*, ac perfectissimum, cum ex legis totius operibus constet, legis, inquam, non servilis, quam Apostolus opponere gratiæ solet; sed novi, uti dixi, Testamenti; quatenus in animi proposito, ac destinatione bonæ voluntatis, opera omnia Christianæ legis, et officia nobis accepto fert Deus.

Quocirca, cum et meritum proprie operæ, sive operi respondeat, neque credulitas, aut operis faciundi voluntas, nedum fidei ac credulitatis initium, adhuc in opus communi more loquendi, ac judicio, cedat; huic, opinor, Semipelagiani meritum adjudicabant verbo tenus ab illo primo conatu voluntatis, et initio, ac rudimento fidei, quod ex naturæ censu, absque auxilio gratiæ, conferre unumquemque dicebant. Ex quo voces illorum istæ prodierunt, quas refert Hilarius: « Ceterum ad nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. » Item: « Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. » Et hujus generis alia, quæ voluntatem operandi ab opere ipso, et credendi propositum a credulitate, vel, si ita ferret usus loquendi, ab *creditione* discernunt. Quemadmodum fiducia illa, quam de medico concipit ægrotus, propter illius testatam in morbis curandis peritiam, sive ejus accersendi desiderium, inter curationis opera neutiquam ponuntur, eo quod nihil agunt in morbum, ægritudinemque ipsam, nec partem remediorum attingunt aliquam.

IX. Verum fucus erat iste, et in tali exemplo commemorando insidiosa calliditas. Non enim eadem in sublevandis animi morbis, ejusque procuranda sanitate ratio est humani conatus, ac studii, atque in curandis corporibus. Hic enim *physica*, ut vocant, efficientia locum habet, ac moliri reipsa quippiam oportet extantis, et extrinsecus adhibiti, ut in partem curationis veniat. At illic nonnisi *moralis*, quod dicitur, opera, et effectio cernitur, cujus pars est voluntas ipsa recuperandæ sanitatis, et imploratio medici, ubi merito res agitur; et navare aliquid, est idipsum optare, ac satagere, quamlibet exiguum sit, ac tenue, quod ex teipso conferas. Quare, si vel modicum illud, sine gratiæ præsidio, ex arbitrii liberi potestate suppetit, in partem curationis suæ venit ægrotus; nec nihil voluntas valet, aut nullum opus curationis attingit. Inde itaque docti illi, sanctique Patres, qui fruticantes istas ex Pelagiana stirpe reliquias apostolicæ doctrinæ falce succiderunt, in eorum confutando dogmate, in id intenti fuerunt, non quod voce, ac sermone præ se ferebant, sed quod reipsa in illorum erat opinione, gratiam dari ex meritis, ideoque non esse gratiam. Quanquam paulo minus in eo, quam Pelagiani, et tolerabilius errabant, quod inchoatæ tantum fidei, ac bonæ voluntatis meritum

[1] Aug. lib. 8. de Trin. c. 7. — [2] Lib. 9. de Trinit. c. 9. [3] Serm. 72. de Temp. cap. 8. p. 264. — [4] Rom. 4. 5.

adscribebant naturæ viribus, ac ne dignum quidem meriti nomine censebant; tanquam semen dicerent non arborem, fructumve esse, nisi forte δυνάμει, id est potentia, non actu; at Pelagius plena jam opera, et merita, sine peculiari gratia Christi suppetere, solis naturæ viribus, asserebat.

X. Sed, utcumque priores illi loquerentur, certum est, meritum ab ipsis constitutum esse, quantumvis exiguum, primæ gratiæ. Est enim meritum, velut pretium quoddam, quo oblato, aliud exigitur; vel e contrario, quo exacto, aliud offertur. Quorum alterum ab emptore fit, dum venditorem prior adit, et de merce, repræsentata pecunia, stipulatur. Posterius hoc autem, dum mercator ipse ultro merces suas obtrudit, et ad emendum invitat, tantum petens, ut eas det; etiamsi vilissimo præmio illas addicat. Quemadmodum Romæ ædiles interdum, aut alii magistratus, per ambitionem, et conciliandæ plebis studium, frumentum, quod gratis non licebat, nummo æreo, et asse, vel semisse, aut triente distrahebant; hoc enim, etsi perexiguum, ac prope nullum, non tamen nullum erat omnino pretium. Non potest melius afferri, neque ad negotium nostrum aptius exemplum, quam istud est. Nam Semipelagiani ita meritum negabant esse gratiæ primum illum voluntatis affectum, quomodo cives illi Romani pretium esse negarent modii integri vilissimum nummum. Quod enim tam parvo constat, nullo constare pretio dici solet. Et erat tamen nonnullum, ut dixi, pretium, quoniam jure quodam exigebatur, ut illud daretur.

XI. Ejusmodi Semipelagianos agnovisse meritum initialis fidei, manifestum est iis ex verbis, quibus dogma illorum Hilarius exponit, in quibus stipulationis, et conventionis forma quædam exprimitur. « Quod enim dicitur, *inquit*, Crede, et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur. » Ubi et meritum diserte nominat, quod jam paulo ante docuimus. Meminerimus tantum, quale ab istis constitutum sit meritum, videlicet non proprie dictum, neque sic absolute vocandum; eo quod non sit operis alicujus, ac ne perfectæ quidem credulitatis et fidei, nec ad ipsam curationis, ut ita dicam, *substantiam* spectet. Ex horum numero mihi Cassianus eximendus videtur; qui haud paulo plus naturæ, ac liberi viribus arbitrii concessit. Non enim sola fide, vel credendi potius voluntate, et initio fidei contentus fuit; sed præstantium operum facultatem, adeoque meritum attribuit, ut antea diximus. Quapropter Semipelagianorum error totus in eo consistit, quod primam gratiam quocumque obtineri voluntatis humanæ merito putarunt. Ideo [1] qui citra meritum, occasionem gratificandi Deum capere ex peccatoris habitu, affectioneque dixerit, non is Semipelagiani erroris accusandus est. Quemadmodum August. in epist. 49. quæst. 2. « tunc *ait* voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturі. »

Quibus verbis Semipelagiani contra ipsum usi sunt, ut illius de Prædestinatione sententiam refellerent. Sed iisdem occurrit Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 9. Quod autem ad præsens negotium spectat cavendum hoc solum est, ne meriti aliquid inesse dicamus in commoda illa dispositione, affectioneque hominum istorum, quibus ob id prædicari Evangelium dicitur, quod eos consensuros Deus præviderit; atque ut non moveri putetur ad impertiendam gratiam, tanquam mercedem naturali bono, ac dispositioni isti vel congruentem, vel debitam; sed tantummodo ad exequendum decretum absolutum dandæ gratiæ, commoditatem illam, occasionemque captasse. At longius etiam alii hac in re provecti sunt catholici theologi, de quibus suo loco dicam.

XII. Illud præterea, quod in natura et qualitate gratiæ positum est, controversiæ caput, Augustinum inter, ac Semipelagianam factionem, etiam atque etiam considerandum est, quod isti gratiam Christi in sola mentis illustratione sitam esse contenderent, sine ulla motione voluntatis; Augustinus hanc posteriorem maxime Christi esse gratiam arbitratus sit. In quo, quid a Pelagianis Semipelagiani discrepent, antea declaravimus. Nimirum sic eam intelligentiæ lucem divinitus aspirantem Pelagianos admisisse, ut hanc minime esse necessariam crederent, sed utilem solum ad facilius consequendum id, quod sine tali præsidio difficilius quidem, sed tamen obtinere potuissent; Semipelagianos autem eam gratiam prorsus esse necessariam judicasse, ut absque ea perveniri non posset ad justitiam, et salutem.

Sunt autem complures Catholicorum theologi, qui, quam Christi gratiam vocamus, eam sola mentis, sive intellectus illuminatione definiunt; alteram autem, quæ in permotione sita

[1] Vide To. 1. lib. 9. cap. 4. § 7.

est voluntatis liberæ, cujusquemodi ea sit, de quo pronuntiare non licet, ut valde utilem agnoscunt, sic absolute negant necessariam videri. Quorum tamen eatenus a Semipelagiano dogmate causa distat, quod ab luce ista, illuminationeque mentis redundare aliquid in voluntatem asserunt. Qua in re diligenter hoc notari debet, illud ipsum, quod est *docere*, vel *doctrinam*, dupliciter dici. Etenim *gratia* proprie dicta, quæ *Christi*, vel *Redemptoris*, vel *novæ legis gratia* dicitur, tam a Pelagio, et huic ex parte cohærentibus Semipelagianis, quam ab Augustino, ejusque discipulis sæpe *doctrinæ* voce comprehenditur; verum aliter isti, quam illi, doctrinæ vocabulum interpretantur. Nam Pelagius *doctrinam* hujusmodi, quæ ad recte agendum necessaria est, nonnisi legem, et evangelicam doctrinam extrinsecus insonantem, vel subjectam oculis esse putavit; ex abundanti vero, et ad majorem agendi facilitatem, divinitus datam illustrationem dixit esse mentis, quæ solum afficeret intellectum, nec affectum voluntatis excitaret, nisi improprie, ac metaphorice; quemadmodum externa cohortatio, et eloquentis hominis oratio inflammare dicitur, et accendere audientium animos ac studia; nimirum quod rebus, et argumentis ad permovendum aptissimis utuntur, eaque lenocinio quodam, et artificio sermonis instruunt, ut libentius accepta intimos in sensus penetrent; ex quo illa *flexanima*, et *animorum regina* dicta est eloquentia.

XIII. Atqui nihil, nisi extrinsecus pulsando, et de iis, quæ ignota, vel minus cognita erant, admonendo agit ille, quisquis oratione persuadet. Cui similem esse merito credimus interiorem illam illuminatricis gratiæ doctrinam, quam ad externam legem, et docentis, atque hortantis, vel quoquomodo admonentis creaturæ operam Pelagius adjunxit, sed ut invitus, et Catholicorum convicio coactus, ita leviter, et perfunctorie. Meliore paulo fide Semipelagiani eamdem invexere; sed hactenus, ut nihil ex lucis illius efficientia permanaret ad voluntatis affectum, nisi itidem, ut ex copiosi ac diserti oratoris sermone, sumuntur ab hominibus impetus quidam, quibus aut ad bonum sese acuunt, et excitant; quod vel ipsum, vel ejus adipiscendi ratio, et commoditas, quæ latebat antea, illius oratione patuit: aut a malo seipsos retinent, cujus eadem vi copiose loquentis sapientiæ, damnum, ac periculum didicerunt, recordarive cœperunt.

Sed ad ea, quæ naturam excedunt, bona tum mente percipienda, tum voluntate capessenda, uberiori, ac flagrantiori luce est opus; præsertim cum et ardua, multumque difficilia sunt, quæ vel intelligenda, vel amanda, et facienda proponuntur; et iis valde ab natura, sive naturæ morbo, ac vitio resistitur. Tum enim non explicare tantum, ac patefacere, quid expediat, necesse est, sed opportunis etiam momentis, ac temporibus id agere, ut ad intimos sensus audientium aditum habeat injecta mentibus illorum veritatis oblatæ cognitio. Quæ cum omnia Christianis in dogmatibus, et iis, quæ ad salutem comparandam pertinent, inesse, ac confluere videamus, ut et captum nostrum, intelligentiamque valde superent, ac tam hujus, quam voluntatis, et utriusque suapte labe corruptæ naturalis propensio repugnet; perspicuum est, majoribus, quam sunt humana, præsidiis, et altiore quodam afflatu, instinctuque geri rem oportere.

XIV. Hanc Augustinus *doctrinam*, vel *suasionem* nuncupare solet, quæ *ab illuminatione cordis incipiens*, ut ait Fulgentius [1], ad appetitionem, ac voluntatem pervenit. Quo quidem doctrinæ vocabulo gratiam, ut jam diximus, uterque significabat, Pelagius, et Augustinus, sed dissimili notione, ac proposito. Ac de Pelagio quidem satis dictum est supra, cum ejus dogma declaravimus, quo Christi gratiam sola lege, ac doctrina circumscribebat.

Similiter et de Augustini sententia, *doctrinæque* apud ipsum significatione multa jam exposuimus; nunc alia, et ea perpauca subjiciemus ejusdem testimonia, quibus id, quod modo agimus, ostendit, gratiam Christi certo in doctrinæ, illuminationisque genere constitutam esse. In libro de gratia Christi, contra Pelagium, et Cælestium, postquam hæresim istorum, ac legem, doctrinamque pluribus explicavit, cujusmodi gratiam illi confitebantur [2], « qua demonstrat, et revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus; » deinceps quæ sit vera, et catholica *gratia*, disserit, ac demum ista subjicit [3]: « Hæc gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, etc. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, et quid agant, scire, et quod sciunt, agere. » Ac subinde [4],

[1] Lib. de verit. Prædest. 1. — [2] Aug. l. de grat. Christi. c. 8. [3] Idem c. 13. — [4] Cap. 14.

« De isto docendi modo, *inquit*, etiam Dominus ait [1] : *Omnis qui audivit a Patre meo ; et didicit, venit ad me.* » Ut et illud [2], *Erunt omnes docibiles Dei.*

Idem et in tractatu ad Psalm. 118. [3] pulchre, ac rotunde efficientiam illam Christianæ gratiæ ita complectitur. « Docet ergo Deus suavitatem, inspirando delectationem charitatis; docet disciplinam, temperando tribulationem; docet scientiam, insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero, ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic docet, ut ea scienda sciamus, aperiendo veritatem; sic docet, ut facienda faciamus, inspirando suavitatem. »

XV. Nec omittendus alius ejusdem est locus ex libro de Spiritu et littera, capite 34. ubi scribit, voluntatem credendi « non ideo tantum divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est ; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus; sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. »

Ex his evidens est eos, qui efficientiam gratiæ proxime in solam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant, dum ita necessariam illam esse statuant, ut sine « ea prævenientę homo credere, sperare, diligere, aut pœnitere non possit, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, » ut Tridentini Patres loquuntur [4]; procul a Pelagiani, vel Semipelagiani contagione erroris abesse. Sane Augustinus [5], cum Pelagii verba retulisset ex primo libro de Libero arbitrio, *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam ;* nihil in his illius verbis ad catholicæ fidei salubritatem aliud postulat, nisi ut vocem, *facilius,* detrahat. « Tolle, *inquit*, facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. » Idem et antea capite 27. et 28. scripserat. Atqui scimus, interiorem illam gratiam, quam minime nessariam esse Pelagius agnoscebat, ad solam pertinere mentis illuminationem, non ad motionem voluntatis; quam tamen si nessariam ille esse scriberet, voce ista *facilius* adempta, sufficere tantus doctor existimabat, ut sana et catholica illius haberetur professio.

XVI. Et in epistola 106. [6] de eadem disserens Pelagii sententia, « Videtur ergo, *inquit*, auxilium gratiæ, tanquam ex abundanti putare concedi, id est, ut, etiamsi non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte, ac firmum liberum arbitrium. Quod ne existimemur de illo temere suspicari, et fortasse quis dicat, sic eum sentire forte, ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium, (quamvis sine Dei gratia id efficere, atque adimplere non possit,) sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere possunt, si desit lucis auxilium ; alio loco, quid diceret, vel quid putaret, ostendit, ubi ait: ideo Dei gratiam hominibus dari, ut, quod facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam ; utique, cum dicit, facilius, quid vult intelligi, nisi, et gratia si desit, posse per liberum arbitrium vel facile, vel difficile, quæ jubentur, impleri. » Ergo si sic forte, ac firmum Pelagius *liberum* esse vellet *arbitrium, ad non peccandum*, ut tamen sine gratia illa, quam minime necessariam judicabat, *id efficere, atque adimplere non posse* fateretur ; quemadmodum, etsi firmi sunt ad videndum oculi, hoc tamen *sine lucis auxilio nullo modo facere possunt*, non illum Augustinus reprehenderet, cum tamen, ut jam dixi, nihil in voluntate ipsa moliri gratiam affirmaret Pelagius. Usque adeo nihil amplius inquirendum credidit Augustinus in illa de gratia quæstione, nisi ut interiorem Christi gratiam, et inspirationem necessariam esse ad singulos actus profiterentur, qui inter Catholicos censeri cuperent. Cujusmodi vero efficientia esset illa gratiæ, et utrum solum illuminaret intellectum, an præterea voluntatem ipsam proxime permoveret, quove id modo faceret, nihil ad catholicæ professionis integritatem ratus est pertinere. Quod summi viri judicium cum Romanæ deinde sedis Pontifices, tum synodalibus decretis, quæ deinceps illa de re habita sunt, Concilia comprobarunt.

XVII. De quo extat Cælestini papæ ad Galliarum episcopos prudens, ac plena moderationis epistola; in qua adversus Augustini obtrectatores disputans, quid de gratia, totius

[1] Jo. 6. — [2] Ibid. — [3] Pag. 561. A. — [4] Sess. 6. can. 3. — [5] Aug. lib. de grat. Christi c. 29. — [6] Pag. 186.

Ecclesiæ, et apostolicæ præsertim Sedis auctoritas habeat, ab Catholicis omnibus confitendum, ex eorumdem summorum Pontificum responsis seligit, cujus summa paucis, ac necessariis capitibus continetur. Ex quibus quod ad gratiæ necessitatem attinet, fere ita concipitur : Non posse, sine adjutorio gratiæ, liberum hominis arbitrium a peccato liberari; « neque carnis concupiscentias evincere; » neque bene hominem uti eodem arbitrio. Item « sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque motum bonæ voluntatis ex Deo esse, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Ad hæc ex concilio Carthaginensi generali adversus Pelagianos, ita decernit : « Gratiam Dei non ad solam valere peccatorum remissionem, quæ jam commissa sunt, sed etiam ad adjutorium, ut non committantur. » Ac denique, « Gratiam Dei per Jesum Christum, non propter hoc tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsum nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere aut vitare debeamus; sed etiam per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. » Præter has regulas, cetera omnia, quæ « ad profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum » pertinent, « quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, neque se audere contemnere » Cælestinus ait, « neque necesse habere adstruere. » Quo ex genere illa est habenda disputatio, qua tandem ratione gratia voluntatem excitet. Nam excitari, adjuvarique gratia, inter omnes Catholicos convenit, tametsi de modo ipso, quo id faciat, magna sit inter illos quæstio.

XVIII. Quocirca versute, malitioseque faciunt, qui Pelagianismum non ex illis regulis metiuntur, quas catholicæ synodi, et Romanorum Pontificum decreta præscribunt, et ad fidei pertinere dogma pronuntiant; sed ex iis, quæ contra hæreticos illos disputantes catholici Patres probabiliter adstruunt, velut incidentia, et principali annexa causæ, quæ extra fidei regulam consistere, custos ejus, et interpres Ecclesia constituit. Qualis est absoluta, citra præsensionem meritorum, electio, ac prædestinatio ad æternam salutem, ut suo loco diximus[1]; necnon efficientia gratiæ, et incitandæ voluntatis ratio, ac cetera ejusdemmodi, quæ hoc tempore ingenti contentione partium agitantur. Ex hoc genere calumniatorum cavendi, vel ridendi sunt potius Calviniani illi theologi, qui ad Dordracenum conventiculum vel privatim a se editas, vel communi Ecclesiarum suarum nomine perscriptas fidei formulas miserunt; in quibus Pelagianæ capitibus hæresis callide quædam inseruntur, quæ extra culpam sunt erroris hæretici.

Sic David Paræus in examine primi articuli Remonstrantium, quod in acta Dordraceni retulerunt[2]; ubi Pelagianismi capita sex enumerat, quorum tertium sic habet : « Salutem in Christo ita in medio propositam esse omnibus, ut quicumque ad fidem, et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. » Quartum item sic : « Qui vero crediturі, bene operaturi, et in fide per Dei gratiam juvanda mansuri essent, præscisse Deum ante mundi constitutionem, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, præ aliis credituros, et dignos futuros electione, deque hac vita bona fide excessuros præviderit. » Sic et sextum caput ita concipit, « Gratiam in tantum dari, ut homo in hac vita sine peccato esse possit, si velit. » Hæc doctor Heidelbergensis, qui, quid scriberet, affirmaretque, nesciens, Pelagianam hæresim temere, imperiteque perscripsit.

XIX. Imprimis quod tertio loco ponit, « Salutem omnibus in medio esse propositam, ut quicumque ad fidem, et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint, » eo modo, quo ab illo ponitur, culpa vacat hæretici erroris; imo Scripturæ valde consentaneum est, quæ salutis adipiscendæ potestatem omnibus facit, ac Deum significat[3] *velle omnes salvos fieri;* de quo jam alibi egimus[4]. Non est ergo Pelagianum dicere, omnes, qui velint ad fidem, et baptismum accedere, salvos esse posse; sed, qui et sine auxilio gratiæ, solisque viribus arbitrii liberi voluerint, eo posse pervenire. Imo vero sine fide, ac baptismo, sola vi naturæ, salvos esse posse homines credidit Pelagius, etsi cœlorum regnum non possent assequi. Quare discernere ambo ista decuit doctorem theologum, controversiæque judicem, in qua de Pelagianismi crimine sententiam in reos dicere vellet; cum turpissimum sit ignorare, quid in causa, et accusatione sit, illum qui de ea judicare instituit.

Eadem oblitum inscitia est, quod quarto loco recenset. Nam « prævidisse Deum eos, qui credituri, bene operaturi, et in fide per Dei gratiam juvanda mansuri sunt, eosque præ-

[1] Lib. 10. To. 1. — [2] In 1. Part. Sess. 99. p. 289. [3] 1. Tim. 2. — [4] Tom. 1. lib. 10. c. 3. et 4.

destinasse, » non est Pelagianus error, sed probabilis multorum opinio; etsi aliter Augustino visum est, ut suo loco exposuimus [1]. In hoc ergo Pelagiana consistit hæresis, quod Augustinus ipse declarat in libro de Prædestinatione sanctorum [2], quod præscisse Pelagiani dicebant, « qui futuri essent sancti, et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; et ideo eos ante mundi constitutionem, quia tales futuros esse præscivit, elegisse, etc. » « Utique ipse non fecit (addit mox) nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit. » Quamobrem Pelagiana est hæresis asserere, homines per se, ac sine Christi auxilio, sanctos, et immaculatos esse, et qui tales fore prævidentur, eligi; non autem dicere, eos eligi, qui accepta Christi gratia et fide, et eadem adjuti gratia in eo, quod acceperint, perseverare voluerint. Propterea in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 6. idem Augustinus, dicentibus Pelagianis « illam gratiam, quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, » sic respondendum ait : « Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus [3], *Quis enim te discernit?* »

XX. Sane de Prædestinatione, non contra Pelagianos contendit Augustinus, sed contra Semipelagianos; qui et ipsi eatenus aberrabant, quod, etsi gratiam ad recte vivendum, et perseverandum necessariam esse dicerent, initium tamen fidei quoddam, ac bonæ voluntatis, humani arbitrii viribus tribuerent; cujus merito deinde prædestinarentur ad gratiam, et gloriam. At doctor ille plane inscite Pelagium ait prædestinatos illos esse docuisse, qui gratis vocati præ aliis crederent, cum gratuita ista vocatio ne a Semipelagianis quidem, nedum a Pelagianis constituta sit, imo utrique, et nominatim isti, ei vehementer adversati sint; et Augustinum propterea criminati sint, tanquam fatalem hominibus necessitatem induceret. De quo vide Prosperi et Hilarii ad illum epistolas, ac totum librum de Prædestinatione sanctorum; tum quæ nos supra de illorum hæresi disputavimus.

Denique ridiculum est sextum a doctore concinnatum dogma Pelagii. Primum quia Pelagius, non ex gratia docuit homines *impeccantiam* obtinere, sed ex voluntatis suæ conatu, ac viribus; neque, judicio etiam Augustini, damnandus est, qui hominem posse sine peccato esse gratiæ affirmet auxilio, ut diserte ipsemet asserit [4], et nos plura de hac re supra scripsimus. Sed oscitantem istum, ac divinantem theologum missum faciamus.

In actis ejusdem Dordraceni conventus [5], Embdani theologi strenue mentiti sunt de Bellarmini, et concilii Tridentini sententia; ab quibus asserunt, « per gratiam primam, seu prævenientem » intelligi « vocationem, et suasionem moralem foris oblatam, cujus efficacia ab hominis ingenio pendet. » Itane gratiam primam nonnisi foris oblatam esse catholici doctores prædicant? Atqui multum aliter et Tridentina synodus sessione 6. et Bellarminus in libro primo de Gratia et libero arbitrio, capite præsertim 12. et 13. pronuntiant, qui internam gratiam et illuminationem agnoscunt.

XXI. Audiatur primum Synodus ipsa, quæ in capite 5. sessionis illius ita decernit : « Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Tangit ergo cor hominis Deus, non utique forinsecus, ut Pelagius agebat, tanquam lege ac doctrina proposita, sed interius movens, et illuminans, ita tamen, ut libere inspirationem illam voluntas recipiat. Quæ libera receptio in eo, ut ait Synodus, posita est, quod sic admittit, ut eam, si vellet, posset abjicere. Quæ verba novorum theologorum commentum trabali telo confodiunt.

Bellarminus vero diserte interiorem illapsum gratiæ capite illo 12. defendit; quam ex Augustino dicit esse « suasionem, inspirationem, visorum immissionem, internam vocationem. » Ac subinde, « Vides hic gratiam, *inquit*, Dei efficacem, quæ infidelium corda

[1] Tom. 1. lib. 9. — [2] Cap. 18. — [3] 1. Cor. 3.

[4] Lib. 2. de Pec. mer. c. 6. — [5] Pag. 730.

convertit, et voluntatem bonam, quæ operatur n nobis, esse vocationem altam, atque secretam, quæ sensum internum, id est mentem agit, atque illi persuadet, ut consensum doctrinæ, quæ sibi prædicatur, accommodet. » Mitto reliqua, quæ et eodem illo, et sequenti capite disputat. Tum in Recognitione librorum de gratia et libero arbitrio, ad caput 12. uberius et apertius ejusdem efficientiam gratiæ declarat, quam ait esse « persuasionem, et moralem motionem voluntatis, quæ movetur mediante intellectu proponente objectum. » In quo Tridentinæ synodo adamussim quadrat, quæ illuminationem vocat aspirationem illam gratiæ. Et hactenus quidem catholica professio, ac necessaria fidei doctrina procedit. Et, si verum quærimus, nihil ultra tendere est opus ; neque, qualis sit efficientia illa gratiæ, aut quemadmodum voluntatem excitet, ac cum ejus libertate consentiat, scire interest illius fidei, qua Christiani sumus. Cujusmodi « profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, » ut Cælestinus loquitur, neque loci est hujus attingere, neque consilii, ac propositi erit unquam, donec ejus rei pertractandæ auctoritate Sedis apostolicæ potestas fiat. Meminerimus interim, quod prudenter admonet Cyrillus Alexandrinus, « (1) Supervacaneas disputationes, nimiamque circa quæstiones minime necessarias contentionem generare pugnas, et audientium animos ferire. » Tum recte scriptum esse ab Facundo Hermianensi [1], « Satis non esse ad contentionem, quod abundat ad fidem; » quippe, ut Hilarius ait [2], « non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat. » His itaque, quæ synodali auctoritate definita sunt, ut in ceteris fidei rebus, sic in hac de gratia Christi disputatione contentos esse frugi, ac moderatos theologos oportet.

(1) CYRIL. lib. 8. de Adorat. in spir. pag. 259. Αἱ γὰρ περιτταὶ διαλέξεις, καὶ τὸ φιλόνεικον κομιδῇ περὶ ζητήσεις οὐκ ἀναγκαίας, γεννῶσι μάχας, καὶ τὸν τῶν ἀκροωμένων τύπτουσι νοῦν.

[1] Fac. in fine. lib. 3.

[2] Lib. 11.

FINIS TRACTATUS DE PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM HÆRESI.

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE

ET S. AUGUSTINI DOCTRINA.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE ET S. AUGUSTINI DOCTRINA.

—

EPISTOLA AD AMICUM.

I. Scire vis (amicorum optime) quid de illa epistola judicem, quam nuper ad me misisti ab Abbate ad Episcopum inscriptam. Respondebo tibi nihil admodum hæsitans ; rem enim postulas non leviter apud me tractatam, sed attente meditatam, atque perspectam. Quod ut impigre facerem, non tua me tantum voluntas est hortata, qua plurimum moveor : sed meum quoque studium, sua incitatum sponte, fecit ardentius Præfatio ad lectorem in epistolæ fronte præfixa, quæ Abbatem epistolæ scriptorem ad virtutis, ingenii, judicii, eruditionis opinionem commendavit, quantam maximam capere mortalis conditio potest. Siquidem virum esse testatur [1], « extraordinarii cujusdam pretii, cujus profundam ac diffusam eruditionem, sublime ingenium, magnum et perspicax judicium, non solum Gallia, et quidquid inibi est præclarorum hominum agnoscit, sed etiam Romana jampridem Curia cum Urban. VIII. summo Pontifice suspexit. »

Quod autem ad eam rerum divinarum scientiam attinet [2], quæ in contemplanda, explicandaque gratia versatur, tantum illi cœlestis luminis ad eam intelligendam tribuit, quantum cuivis hodie alteri est tota in Ecclesia concessum. Cujus itaque tot ingenii ornamenta venditari, doctrinæque insignia videbam, horum gustum, et experimentum capere illo in libro cupiebam, quem usque adeo laudatrix illa præfatio extulit, ut non minus id egisse videatur, auctorem ut ex libro, quam librum ex auctore clarum, et nobilitatum redderet. Totum igitur me ad legendum illum librum contuli; et, quod perinde tu me, ac præfatio lectores admonebat, otiose contemplatus sum unamquamque partem. Non erit tibi, opinor, ingratum; imo, quod ultro a me repetis, et cujus gratia illud legendi a te mihi onus injunctum est, exequar, si summam cogitationum mearum hic tibi sincere, ac breviter exponam.

Mea de novis dogmatistis hæc semper opinio fuit, ex quo in Ecclesiæ perniciem ebullire cœperunt, nullam penes ipsos vim judicii, nullum ingenii robur et acumen, nullum reconditioris usum doctrinæ, ac facultatem residere; solam illis non negabam sermonis in scribendo patrii expeditam, ac profluentem celeritatem, quod et unicum præstare ipsos cupere in tanta crebritate librorum, qui quotidie sub manum iis nascuntur, animadverteram. Quod si quis vel a natura tributum, vel studio, ac disciplina comparatum ejusmodi

[1] Præf. ad Lect. p. 4.

[2] Ibidem p. 1.

aliquid haberet, eum, postquam se ad istam sectam applicarat, eaque propinante, tanquam ex Circæo poculo, venena illa dogmatum ebiberat, totum illud effudisse paulatim, penitusque perdidisse.

Hoc meum de illis judicium, quorumdam ex eo grege consuetudine, experientiaque collectum, nihil sic confirmavit, ut recens illud anonymi Abbatis exemplum. Neque vero persuadere tibi aliter poteris, si hoc cogites, itaque ratiocineris : Magnum fuisse, præfatio dicit, in Abbate ingenium, magnum judicium, tum omnem excellentis doctrinæ copiam, antequam Roma revertisset in Galliam, hoc est, cum nondum animum appulisset ad Jansenii dogma, cujus ne nomen quidem per id tempus erat auditum. Ecquis igitur epistolam deinde legens, cum nullum bonarum istarum rerum in illa vestigium, sed contraria potius omnia deprehenderit, non mihi statim assentiatur, in hujus epistolæ scriptore, quæ olim inerant, animi esse ornamenta illa desiisse? Mihi nemo temere fidem habeat istud asseveranti. Legat epistolam, ac per se ipse judicium ferat. Observet, qua de re constitutum illi sit agere, et hoc quemadmodum disputet, atque argumentando conficiat; non dubito, quin leviora esse, quæ dixi, quam pro rei indignitate fateatur.

Duas in partes epistolam esse distributam, narrat præfatio. In priore demonstrandum id sibi proposuit Abbas : Tridentini de gratia decreta concilii ex Augustini doctrina, si quid in illis existit controversiæ, interpretari oportere. Ad hoc probandum quatuor adhibet firmamenta; quæ sunt ejusmodi, ut ad contrarium demonstrandum, hoc est ex Tridentino concilio explicandam Augustini esse doctrinam, non minus suadeant, imo utrumque multo magis e Scripturis explanandum adstruant. Hic enim, exempli gratia, primus illi est argumentandi locus, quod Tridentinum concilium in exponendo gratiæ dogmate Augustini verbis, ac sententiis utitur. Quid tum vero? Num ex eo consequens est, quod sibi probandum sumpserat, Augustinum interpretem asciscendum esse Tridentinorum canonum? Vana et futilis est ista collectio. Nec meliores sunt aliæ tres; et quod ex illis nectitur, non dissimili ex rationis, communisque sensus inopia redundat. Sed hæc utcumque tolerari possent, nisi altera pars accederet, in qua fines omnes humani, et condonandi erroris excessit.

Verum contineo me, nec epistolæ vitia hic insector. Malo enim operam hanc reservare Dissertationi nostræ, nec illa, quæ longiori disputatione opus habent, in angustum cogere, ac quodammodo præfocare. Tum hoc laboro, et enitor, uti famem tuam integram, nec istiusmodi prægustatione compressam, et accisam ad eas dapes afferas, quas in libro tibi hoc apparare decrevi. Quem tu librum si legere non gravaberis, et, quod magnopere abs te postulo, cum epistola conferre, disces, quod et Abbatis refert cognoscere, non multum alienæ de tua laude prædicationi confidere, ac sicubi alias, hac potissimum in re valere hoc vafri illius Siculi :

Μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Tum multo magis istud laudabis Sapientissimi regum [1] : *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.*

Sane plerique omnes factionis istius venalem ut stilum, ita et præconium habent. Scribunt quodcumque jussi sunt magnis auctorati præmiis. Laudant eorum, a quibus conducti sunt, fautores, et amicos; alienos, et ab iis aversos canum instar allatrant; nec a præsulibus, et principibus viris dentes suos continent; ne ab Romanis quidem Pontificibus ipsis, quorum auctoritatem, ac decreta rabidis, ac sacrilegis morsibus lacerare non dubitant. Quo æquiore idem istud animo perpeti, ac minus irasci convenit obscurioris sortis homines, quamlibet probos, et eorum contumeliis indignos. Ita enim mos istorum habet. Displicet alicui gnavo, ac solerti viro novitas istorum? statim famosis libellis illius nomen traducitur. Nemo istoc obtusior; nemo imperitus æque; nemo reconditioris doctrinæ, et imprimis Augustinianæ magis expers. Idem si ab illorum emissariis, et illicibus inescatus hamum vorat, et ad eorum partes transfugit; repente ingenii et judicii primas obtinet, ac divinarum rerum, et Augustini dogmatum interiori notitia omnibus antecellit. Hos ludos, et hanc histrioniam exercent, qui quæstum ex illa secta instituerunt facere. Id quod D. Abbati homini non malitioso ab mercenariis istis evenisse suspicor. Nondum enim iis assentior, quos tibi narrare scribis, non alium Præfationis auctorem fuisse, quam qui fuit Epistolæ; ejusque rei conjecturam de stili similitudine capere. Ego vero, donec ea de re certius constiterit,

[1] Prov. 27. 14.

malim, ab altero quopiam scriptam esse præfationem credere. Quem quidem caveat D. Abbas, ne inter amicos, ac benevolos numeret. Neminem habet inimiciorem, pejusque de se meritum, uno excepto se, vel hoc ipso quod compilasse clanculum ait abbatis ejusdem scrinia, et eo absente, ac nesciente in lucem protulisse illius epistolam ; quo facto, publicum ad contemptum doctorum, et ludibrium tam illustre nomen objecit. Sed de his coram, et, ut spero, brevi inter nos agemus; jam enim propediem ad vos cogito. Velim jam a te perlecta dissertatione nostra, et cum epistola comparata ; ita enim utilius de ea controversia sermonem invicem conferemus. Vale, et me, uti facis, amare perge.

DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE
ET S. AUGUSTINI DOCTRINA

LIBER UNUS.

—

CAPUT PRIMUM.

Abbatis præscriptum de interpretandis Tridentini concilii decretis ex Augustini doctrina. Id imprimis refellitur ex Concilii ipsius, et Pii quarti sanctionibus.

Epistola secum pugnat.

In anonymi Abbatis epistola cum multa sint castigatione digna, tum hoc principio animadvertendum est, quod ab argumento, et proposito ipso, illius aberrat inscriptio. Etenim scribendæ hujus epistolæ causam inde natam sibi esse profitetur, quod eo nonnulli erant offensi, quod episcopo cuidam inter colloquendum forte dixit, « Sanctum Augustinum ad ea interpretanda, que de gratia Tridentina decrevit synodus, adhibendum videri sibi, quoties de eorum sensu inter catholicos non convenit; propterea quod in decretis condendis, non sententiarum solum, sed etiam verborum illum sibi auctorem synodus ista præscripsit. » At in fronte libelli titulus hic præfigitur, *De consensu S. Augustini cum Tridentino concilio, quod ad gratiam attinet.* Atqui ambo ista tanto abs se intervallo disant, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Nec illud modo agitur, an Augustini doctrina cum Tridentini concilii decretis consentiat, an secus habeat; sed utrum recte hoc dictum, et tolerabile sit, *Ad explicanda Tridentini concilii decreta de gratia, interpretem adhiberi oportere S. Augustinum, quod cum iisdem decretis apprime hujus doctrina consentiat.* Præpostere itaque fecit auctor epistolæ; qui, quod potissimum agebatur, et cujus unius gratia institutam a se fatetur hanc apologiam, leviter attigit; in eo vero tractando omnem operam consumpsit, quod nemo ab eo requirebat, nec in cujusquam sermonem, aut reprehensionem incurrerat.

Status controversiæ. — Quid interpretis vox significat. — Argumentum 1. quo probatur Augustinum non debere interpretem esse concilii Trident. quia Papa prohibet.

Quamobrem id nobis hac in tota controversia videndum est, verumne sit, quod se Abbas pronuntiasse confirmat : Tridentini concilii decretorum de gratia, de quorum sensu catholicos inter orta contentio est, Augustinum interpretem esse debere. Ac primum illud puto constituendum, quid vox *interpretis* ista significet; aut quas ei nomini consentaneas illi partes mandandas esse Abbas existimet. Equidem nihil aliud esse arbitror, interpretari decreta concilii Tridentini de gratia, quam si quid in illis obscurius dictum, et statutum fuerit, eamque ob causam explicatione aliqua egere visum fuerit, eam ipsam adhibere, ac perspicuum illud reddere, obscuritate et ambiguitate sublata. Hujusmodi si est Tridentinæ doctrinæ de gratia quærendus interpres, non is esse potest Augustinus, longeque in ea re falsus est Abbas; quod una, alterave ratione demonstrari sic potest. Primum, quod Romanus pontifex Pius IV. sub quo Tridentina est absoluta, et obsignata synodus, eas sibi, hoc est apostolicæ Sedi, partes reservavit edicto illo, quod Concilii acta, et decreta comprobavit. Cujus hæc verba sunt: « Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum, et statutum fuisse, eamque ob causam inter-

pretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa S. Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque S. Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere. Decernentes nihilominus irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. »

Et Concilium ipsum.

Est autem operæ pretium, verba ipsa Concilii, quibus eam interpretandi curam Romano Pontifici reservavit, expendere. Postquam enim testatum est in fine vicesimæ quintæ, et ultimæ sessionis, « id se potissimum curasse, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret, et anathematizaret, veramque, et catholicam doctrinam traderet, et doceret ; » mox ista subjicit : « Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant ; præter alia remedia in hoc concilio instituta, confidit sancta Synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, etc. » Hinc duo quædam apprime notanda veniunt : alterum, Concilium ipsum minime credidisse, in decreta sua aliquid incidere posse, quod declarationem postulet, quæ vox nihil aliud, quam *interpretationem* sonat ; non putavit ergo, decretis suis ullo esse opus interprete ; adeo clara et perspicua omnia judicavit. Alterum, si nihilominus opus esse videretur interpretatione aliqua, eam non ab altero, quam Romanæ Sedis antistite tam synodi ejusdem, quam ipsius Romani Pontificis auctoritate, ac decreto esse repetendam. Nusquam illic appellatus Augustinus, nedum arbiter ascitus, aut interpres ; quem tamen præ omnibus, imo unum ex omnibus huic negotio delegari oportuit, (utpote cujus verbis, et sententiis potissimum, quæ sentiret, Synodus explicavit,) si ad interpretis officium satis illa res esse videretur. Sed nec visa tunc est, nec prudenti cuiquam, vel, quæ dicit, aut intelligenti, aut consideranti, potest videri.

Cavillatio auctoris epistolæ.

Etenim, si quis Abbatis scitum illud de interprete Augustino ad Concilium apponendo diligenter expenderit ; inveniet, totum illius negotium meram in calumniam, et illepidam cavillationem recidere, cujus ista summa sit : Tridentini decreti interpretationem ex Abbatis, aut similis cujuspiam sensu, et arbitrio esse statuendam. Mentiar, nisi id ex ejus oratione consequens ostendero, quæ secunda nobis erit argumentatio adversus illam Abbatis præscriptionem, qua Augustinum censuit, interpretem asciscendum esse Tridentinorum decretorum de gratia ; tum eadem priori velut subsidiaria merito subjicietur, ut ea intercludat effugia, quibus elabi, et vim eludere illius utcumque posse videtur.

Sentio enim, ad ea, quæ proxime ante posui de pontificali interdicto, quo præter Romanam Sedem nemini Concilii decreta interpretari licet, responderi sic posse, ut hujusmodi tantum vetita sit interpretatio, quæ cum decidendi jure, summaque potestate sit conjuncta, non quæ privatim, tanquam ab doctore aliquo tradatur ; tum vero, utro modo interpretatio illa proferenda sit, ex Augustini doctrina eam oportere repeti. Dici hoc quidem pro Abbatis sententia posse non nego ; sed quam nulla cum ratione, ex consequenti sermone constabit, in quo secunda illa, quam dixi, argumentatio proponetur.

CAPUT SECUNDUM.

Refellitur eadem epistolæ præscriptio altero argumento, quod Augustiniana doctrina non sit intellectu facilis, deque ea controversiæ plures exortæ fuerint.

Altera ratio cur non sit interpres Augustinus.

Cum ad controversi alicujus scripti sententiam eruendam altero e scripto interpretatio petitur, tale hoc esse posterius debet, ut et priore clarius sit, et ipsum in controversia minime versetur. Hoc et interpretationis vox, ac notio ipsa persuadet ; quam idcirco antecedente capite statui; et, nisi ita res habeat, ludicrum illud existet, *quod Tuscum litigium* vocant, cum lis lite resolvitur. Quoniam igitur de Tridentini concilii scripto si quid ambigui nascitur, id ex Augustini scriptis interpretari, Abbatis lex jubet; necesse est, tum hæc intellectu faciliora esse, tum de iisdem nullam inter Catholicos esse controversiam ; alioqui frustra ex Augustino interpretari studeas, si et ipsi interprete sit opus. Hoc vero constituto, omnem dico cassam, et inanem esse Abbatis operam, quam in elucubranda epistola ista posuit. Non enim ignorare potest, de Augustini mente, ac sententia jampridem acriter inter se contendere catholicos, et eruditos theologos ; quod argumento sit, haud illam adeo expeditam, et in proclivi esse positam, cum Augustinum dissidentium utraque pars trahat ad sese, et iisdem illius locis tam suam corroborare, quam contrariam opinionem labefactare studeat. Tot vero, tantoque ingenio, ac doctrina præditos viros putare de nihilo commoveri, et de re facili, minimeque controversia digna puerorum more contendere, hominis est non magis, quid de Tridentini decreti interpretatione statuendum, quam quid de se judicandum sit, exemplo suo monstrantis.

De Augustini mente variæ controversiæ.

Atque, ut vetera prætermittam, nec turbas illas commemorem, quæ Augustino adhuc superstite, vel post ejus obitum, de illius doctrina, et sententia ortæ sunt inter Catholicos apprime pios, et doctos, quarum sedandarum gratia, novis identidem scriptis animi sui sensum patefacere opus habuit ; et qui mortuo illo in ejusdem doctrinæ patrocinium successerunt, sæpius incudem eamdem tundere sunt coacti; certe annis abhinc centum de Augustini sententia variis in quæstionibus haud leves altercationes extiterunt. Velut in ea, quæ de electione ad gloriam, sive prædestinatione hominum instituitur, duæ sunt ex adverso pugnantes sententiæ : quarum altera, sine ulla prævisione meritorum, absoluta voluntate destinari quibusdam salutem asserit : negat altera, et ut meritis reddi, sic ex horum præsensione mercedem constitui probabilius existimat. Harum alterutra vera sit necesse est, ambæ enim esse nequeunt ; ac suos utraque numerat auctores, primarios theologos, et, quod caput est, neutra se ab Augustino dissentire pars putat, sed eum sibi patronum inscribit. Imo, quod multum mirere, iisdem illius locis, et sententiis suam quælibet, hoc est ambæ contrarias inter se opiniones totidem probare contendunt. Est autem hæc ipsa controversia una ex his, quarum interpretationem ex Augustini doctrina petendam judicavit D. Abbatis epist. uti post paulo latius edisseram. Quærendum igitur est ab illo, qui tandem idonea poterit esse disceptatrix istius controversiæ doctrina summi illius, et sanctissimi viri ; aut quis altercandi finis erit, si ad D. Abbatis præscriptum litis hujus, et causæ cognitio revocetur ?

Non est dispar de aliis quæstionibus plerisque judicium, quarum disputationes jam, præter civilem, nedum christianum modum exarsisse, et in sectas, ac factiones abiisse cernimus; quarum nonnullas attigit in epistola D. Abbas, et ei, quod adstruere modo volumus, contra mentem suam, ac propositum prælusit.

Hæretici suum asserunt Augustinum.

Nondum de hæreticis dico, Luthero præsertim, et Calvino, et amborum discipulis, quorum nullus est, qui ab Augustino dissentire se putet. Dissentire vero ? Augustinum totum, quantus est, suum clamat esse Lutherus ; Calvinus et hoc idem dejerat; et ceteros præ uno illo Patres contemnit, ac nihil facit. Tum omnes iisdem Augustini locis illa ipsa, quæ post Michae-

lem Baium, ac ceteros earum partium, novi dogmatistæ recoquunt, decreta confirmant; quod uberrime demonstravit Antonius Richardus in defensione censuræ sacræ Facultatis Parisiensis, quæ eadem illa capitula, sive *propositiones* ante annos nonaginta, tanquam *hæretica*, *falsa*, et *erronea* damnavit, quæ nunc D. Abbas ex interpretatione scilicet Augustini pro veris, et catholicis defendit; nec vel Romana fulmina curat, quibus toties afflata, et ustulata sunt dogmata illa, tanquam adversa fidei Christianæ, nedum ab Augustino posteris tradita.

Hæc eo commemorare novæ sectæ placita volui, non ut adversus ea disputarem hoc quidem loco, non enim istud agitur, sed ut ex eo lector eruditus intelligeret, quam sit abnormis illa decretorum fidei interpretandorum regula, quam nobis ex Augustini doctrina D. Abbatis epistola præscripsit.

Auctoris epistolæ necessaria responsio. — Refellitur.

Scire velim, quid epistolæ auctor ad ista respondeat, (quanquam non id magnopere quærendum videtur; perspicuum enim est, qua rima, et quidem unica elabi, et eluctari utcumque possit,) hoc enim omnino dicturus est: Non se ex Augustini doctrina qualicumque declarata modo, sed vero duntaxat, et germano sensu, Tridentina interpretari velle decreta. Præclare; nec enim aliter potest. At quis ille tandem modus, ac sensus erit in tanta varietate, ac dissidio pugnantium inter se, non jam hæreticorum cum Catholicis, missos enim illos facimus, sed inter se Catholicorum? Qui quidem crebris auctoris ejusdem testimoniis, et secum cohærentibus, ac colligatis, tum quibuscumque aliis ponderandarum sententiarum momentis instructam, ac subornatam opinionem suam in medium utrique proferunt, et Augustinianam esse quovis sacramento contendunt.

De Augustini doctrina lites variæ. — Hæreticorum fraudulenta ratio.

Veniat in quæstionem, exempli gratia, tritum hodie, ac pervagatum illud: Utrum libertas humana, quæ laudis ac vituperii, boni item malique meriti discrimen affert, cum absoluta, et antegressa necessitate cohæreat: an soli sit opposita violentiæ? Aut illud: Sitne aliqua Christi gratia, quæ effectu careat, et sufficiens tantummodo dicatur? De utroque cum in certamen ventum fuerit, ita confligetur. Qui voluntatem liberam negabit cum necessitate uno aliquo circumscribente consistere, innumera ex Augustino testimonia percensebit, quæ libertatem in utriusque potestate, et ad neutrum necessario affixa collocare videntur. Ut cum ait in libro de Prædestinatione sanctorum, « Credere, vel non credere, esse in arbitrio voluntatis humanæ. » Item in libro de gratia Christi, capite 12. « Qui legem servare non vult, in potestate ejus esse servare, si velit; » et alia, quæ a plerisque collecta, longum hic sit, et molestum describere. Contra hæc, qui secus sentiunt, plura vicissim opponent ejusdem Augustini loca, quæ liberum arbitrium post originalem labem *amissum*, *perditumque esse* dicunt, ut in enchiridio ad Laurentium capite 30. et epist. 107. quamvis alias idem *tam ad bonum*, *quam ad malum* illud nos habere testetur, velut in libro de Correptione et gratia, capite primo. Multis insuper aliis nitentur ejusdem Augustini sententiis, quæ in eo quoque, quod aliter fieri non potest, voluntatis usum liberæ, ac proinde vel landandæ, vel culpandæ, videntur agnoscere. Quæ autem ex adverso sunt allata explicabit, ac depellet quisque, quomodo poterit. Hoc ipsum vero pro se vicissim et adversaria pars faciet, et citata contra id, quod tuetur, Augustini testimonia suum incommodum explicando convertet. Par erit in altera, ceterisque id genus controversiis agitandis, ludus argumentantium; qui ancipitem, necesse est, ac perplexum habeat quamlibet acutum, et Augustini lectione duratum cognitorem, qui Abbatis consilio uti velit, et ex Augustiniana doctrina lites illas decidere. Hunc vero denique vel silere penitus, ac desperatione fractum abire necesse est; vel illud unum respondere, si ad novam sectam adhæserit, eo sensu intelligenda Augustini esse testimonia illa, quæ pro indifferente statu liberæ voluntatis adducuntur, quem Iprensis episcopus, et ex eo Abbas in epistola præfixit; nec aliter interpretis officium exercere istic Augustinum posse, nisi in id pars utraque consentire voluerit. Verum quid erit hoc aliud, quam nugas agere; et, quod pacis, ac concordiæ sequestri, et interpreti summopere cavendum est, litem suam facere, hoc est sibi, causæque propriæ servire, non æqui, ac justi rationem ducere? Hæ sunt labes, et ruinæ communis sensus, ac judicii, in quas D. Abbatis præscripta nos regula compellit; utidem ex ea prorsus incommodum, et ἄπορον sequatur, quo laborat Calvinistarum, ac similium hæreticorum natio. Qui cum omnium controversiarum disceptandarum nor-

mam unicam velint esse Scripturam sacram, ubi ad certamen deducta res est, eo tandem pervenitur, ut illam interpretem suam, et judicem non aliter audiant, quam suo ipsorum sensu, et arbitrio loquentem. « (1) Hujusmodi est inconsulta temeritas, ait Gregorius Nazianzenus, et contra veritatem certandi libido, ut ne secum quidem pugnantes ipsimet aut intelligant, aut erubescant. » Ad hanc ἀλογίαν offendit epistolæ sanctio, cui nos propterea παρανόμων litem intendimus, cujus summam in hanc formulam includi placet ei, quam epistola in fronte habet, oppositam, et objectam. « Cum de gratiæ negotio agitur, si quæ sint Tridentini concilii loca, de quibus inter Catholicos non convenit; ad hæc interpretanda, et exortam inde dirimendam controversiam, non sufficere Augustini librorum doctrinam, sed vivi oraculi, hoc est Romani Pontificis, ut Synodus ipsa constituit, adhibendum esse responsum. » Hoc vero desiderari, non est hactenus passa Sedes apostolica; sed repetitis sæpe edictis grassantis in fidei perniciem novantiqui dogmatis vim, ac licentiam compressit. Cui quidem supremæ, sacrosanctæque auctoritati cum nondum obfirmatorum in hanc novitatem hominum pervicacia cesserit, sed vivi, ac spirantis adhuc legitimi interpretis effata tot artibus, ac versutiis eluserit; apparet quam nos bona fide ad Augustini doctrinam provocent, quæ nec loqui pro se ipsa potest, nec vim sibi facientes, et ea, quæ nolit, testificari cogentes arguere.

CAPUT TERTIUM.

Augustini doctrinam neutiquam fautricem esse novæ factionis. Cujusmodi interpretem Augustinum esse statuat Tridentinorum decretorum Abbatis epistola; idque alio rursus argumento confutatur ex eo, quod Augustinus longe ætate Synodum antecesserit. Diluuntur ea, quæ in contrarium allata sunt in epistola.

Novorum dogmatistarum calumnia.

Quæ de Augustini doctrina contra epistolam Abbatis hactenus contendimus, nolo quisquam in eam partem accipiat, ut illius pœnitere nos putet: aut eam, velut adversariæ causæ fautricem, nostræ vero contrariam defugere. Non est ita profecto, non est. Stulteque sibi plaudit novorum dogmatistarum factio, quæ suum ex asse jactat Augustinum; ceteros, hoc est veteris, et catholicæ professionis tenaces, alienare ab illo studet, et in hostilia castra transcribere. Fecit hoc ante Lutherus, et post eum, præque eo Calvinus; qui Tridentinam synodum oppugnans, nulla valentiore, ut quidem rebatur, adversus illam machina est usus, quam Augustini doctrina, qua una niti se passim gloriatur; et ejus ope synodi illius decreta labefactari funditus ait, et everti. Nostri vero dogmatistæ, cum idem reipsa præstent, appellatione sola dissentiunt. Non enim labefactare velle se dicunt; quod nihilominus faciunt: sed interpretari Tridentina placita. Astute id quidem; « Nisi enim hæc verba, » ut cum Augustino [1] loquar, « longe ab suis moribus aliena, in sermonis sui superficiem transferrent, quomodo se ovina pelle tegerent? » Sed ut uno verbo te absolvam, quisquis es istius fuligine dogmatis afflatus, « Vide, quid intersit inter vestras maledicas voces, et nostras veridicas assertiones. Attende paululum. Ecce exaggerasti crimen » deserti a nobis Augustini, « et invidiosissimis verbis » tanquam adversantes illius nos doctrinæ traduxisti. « Ad hoc tibi ego tamen brevissime respondeo: Non feci, quod dicis; » Augustinum non prodidi. « Falsa objicis; nunquam id probabis. Nonne omnis iste verborum fumus repente dilabitur? » Nihil Augustini verbis istis [2] congruentius in hanc causam, calumniamque vestram usurpari potuit. Quantum enim meridianus splendor a tenebris, a mendacio veritas, Christus ab erroris spiritu discrepat; tantum inter se Augustini decreta, et commenta vestra discordant. Quidquid ille de gratia Christi, de arbitrii libertate, et utriusque consensione scripsit, ac docuit,

(1) NAZIANZ. Τοιοῦτον ἡ ἀλογία, καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀπομάχεσθαι· ὡς μηδὲ περιπίπτοντας αὐτοὺς ἑαυτοῖς ἢ νοεῖν, ἢ αἰσχυνεσθαι.

[1] Aug. l. 2. con. Petil. cap. 75. — [2] Aug. 2. cont. Pet. c. 8.

nostrum istud est, hoc tuemur, hoc amplectimur, hoc a vestra novitate remotissimum, et alienissimum esse defendimus. Credo idem et vos vel sentire de nobis ; vel contra vestri animi sententiam figere. Qui enim aliter causam vestram agere, et in hoc quasi judicio consistere possetis ? Utri verius existiment, longum est hoc loco disserere, minimeque necessarium ; quod proprie hic intendimus, hoc est, de quo jam dixi : Ex tanta contentione, atque pugna de Augustini sententia dissidentium, plane intelligi ab omnibus, merito displicuisse nobis illud Abbatis in epistola decretum, quo omnem de gratia controversiam, quæ ex Tridentini concilii verbis inter Catholicos oritur, ex Augustini doctrina, et hujus interpretatione dijudicari præcipit.

Quomodo ad interpretandum concilium adhiberi posset Augustinus. — Tridentinum concilium interpretando potius Augustino adhibendum, quam hic illi.

Quanquam, si hoc genus interpretandi solum ageretur, quod est ad obscuri loci intelligentiam aliquid conferre, quis neget ex Augustini doctrina peti nonnulla posse, quæ ad illustrandum Concilium pertinent ? Sed ea ratio non minus efficit, ex Tridentino concilio interpretandam Augustini esse doctrinam, cum in hanc ex illo derivari lucis plurimum possit. Tum vero e Scholasticorum lucubrationibus, aliisque libris, imprimis eorum Patrum, qui post Augustinum floruerunt, velut ex Prospero, Fulgentio, ac ceteris, non parva capi adjumenta possunt ad Augustini, vel Tridentini concilii doctrinam explicandam. Verum non de hoc interpretandi modo loquitur epistola : sed de eo, quod cum disceptandæ litis, et sententiæ pronuntiandæ auctoritate aliqua conjungitur, cujusmodi honorarii arbitri est, aut compromissarii judicis ; cujus est non partem aliquam quæstionis, ambiguitatisque componere, sed totam exhaurire controversiam, ac dissidentes inter se partes ad pacem, et concordiam adducere. Hic si interpres quæritur ; quæri autem, et ab Abbate præfiniri, quis non videt ? nego talem August. debere esse, quia non posse demonstratum est. Et si de duobus, August. et Tridentino concilio, alterutrum capere necesse sit, et de constituendo interprete quædam divinationis causa noscatur ; nemo rerum æquus, ac prudens æstimator est, qui non ex Tridentini concilii doctrina interpretandum malit Augustinum, quam ex hoc illam explicandam. Id multo melius, ac rationi magis esse consentaneum plura mihi persuadent. Primum, quod, ut ante dixi [1], Synodi decreta nihil declaratione, hoc est interpretatione opus habent, si quod illa credere se profitetur, itidem et nos credimus, ut profecto debemus. At Augustini doctrina tot seges controversiarum, quam maxime *interpretationem* requirit, uti res ipsa loquitur. Deinde quod Augustino posterior est Tridentina synodus. Hoc autem quantopere ad rem pertinet, satis cuique perspicuum est. Ac luculenter idipsum declarat Augustinus in libro secundo de baptismo contra Donatistas capite tertio : ubi non solum « episcoporum litteras per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem, (qualis est in concilio generali,) doctioremque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est, » asserit ; sed « et ipsa concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere. » Quin etiam hoc addit ; « Ipsa plenaria concilia sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat ; et cognoscitur, quod latebat. » Quæ posteriora verba sanctissimi Doctoris non de fidei dogmatibus accipi debere, sed de iis, quæ ad ritus, ac mores attinent, aut id genus alia, quæ temporarii sunt instituti, verba illa satis ostendunt, *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat*, etc. Hæc enim Augustini sententiam ad ea restringendam esse demonstrant, quæ *sub experimentum* cadunt, et pro temporum ratione mutantur, non de fidei decretis intelligi debere, quæ constanti, et immutabili veritate constant. Sed hæc obiter. Illud vero indidem colligitur, quanto prudentius Augustini doctrina ad Tridentini concilii normam, et interpretationem, quam hoc ad illlam accommodetur.

Refellitur epistolæ ratio de Athanasio et Cyrillo.

Hic mihi privatos quosdam doctores, sed eximia doctrina, et auctoritate præditos epistola commemorat, qui generalium synodorum interpretes habentur ; ut Nicæni concilii Athanasium, Ephesini Cyrillum Alexandrinum. Verum incredibile est quantum in eo scriptorem epistolæ ratio fugerit ; nihil enim dissimilius, aut adversum se validius afferre potuit. Athanasius, ut singillatim de illis agam, Nicæno concilio non solum interfuit, sed propemodum

[1] Vide caput 3.

præfuit, cum apud Alexandrum episcopum suum, a quo primum damnatus est Arius, propter singularem eruditionem, et Arianæ hæresis exactam notitiam, atque expertam in omnibus fidem, ac sedulitatem omnia posset. Itaque quod ab Nicænis Patribus de fide catholica contra Arianam hæresim editum est symbolum, non dubium est de Athanasii consilio, Alexandro potissimum auctore, fuisse conceptum. Merito igitur ad interpretandum Nicænum symbolum momenti plurimum habet Athanasii auctoritas, qui et præsens affuit, et Patrum illorum arcanos, intimosque sensus certissime cognovit; ut cum de illius symboli verbis quæstio aliqua nascitur, et hæc ab Athanasio explicata fuerint, ex ejus interpretatione judicium de illa fieri debeat. Quod in uno exemplo perspicuum faciam.

Quæstio orta de Nicæno symbolo.—Merito ex Athanasio dirempta. — Et ex Cyrillo de Ephesini sensu nata lis.

Scriptum est in Nicæno symbolo: *Eos autem, qui dicunt, erat quando non erat, etc. aut ex altera substantia, vel essentia dicentes esse, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.* Græce est, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας. Quæsitum est, quid ibi significaret vox ὑποστάσεως, utrumnam *personam*, quam *hypostasim* proprie vocarunt postea, an *essentiam*; ut ambo ista vocabula ὑπόστασις, et οὐσία, pro eadem re, et ἐκ παραλλήλου posita fuerint. Basilius in epist. 78. acriter contendit, diversam utriusque esse notionem, et ὑπόστασιν a Patribus accipi pro persona. Reclamant alii, et idem utriusque significatum esse volunt; quod ideo diversis duabus vocibus expressit Synodus, quod eamdem rem alii ὑπόστασιν, alii οὐσίαν appellarent. Ut igitur Symboli sensus idem ab omnibus caperetur, ambo nomina posita fuisse sentiunt. In hac ancipiti, et majoris, quam quisquam putet, momenti controversia, quid consultius fieri potuit, quam ut Athanasii sententia ex ejus scriptis eliceretur? Hoc cum sedulo fieret, inventum est ὑπόστασιν, auctore illo[1], nihil aliud esse præter οὐσίαν, ut tum usus ferebat. Prorsus igitur verosimilius est visum, Nicænos Patres eadem notione usurpasse τὴν ὑπόστασιν. Sic ex Athanasio Nicæni, cui præsens affuerat, concilii mentem jure interpretati sunt theologi.

Eadem est ratio Cyrilli Alexandrini, qui Ephesino concilio præsedit, Cælestini Romani pontificis jussu ac nomine, ex quo decretorum, et gestorum illius synodi accuratam notitiam est adeptus; ut proptera multum in eo ad Nestorii hæresim, et synodalem de ea sententiam explorandam fidei, et auctoritatis resederit.

Eugenii IV. auctoritate perperam usa epistola.

Nam quod Eugenii quarti de unione decretum citat epistola[2], qui Cyrillum Ephesini concilii interpretem declarat; intererat auctoris illius animadvertere, non hoc de Cyrillo, ejusve scriptis omnibus Eugenium dixisse, sed de epistolis duntaxat synodicis illius contra Nestorium, quæ ab Ephesino concilio probatæ, et in acta relatæ in horum parte censentur, et synodalis decreti vim habent; ut idem sit, epistolas istas « congruas existere ad convincendas Nestorii vesanias, et ad interpretationem eorum, qui salutaris Symboli mentem pio zelo nosse desiderant, » quod ait Eugenius; ac si diceret synodalium actorum partem unam ad aliam interpretandam conducere, hoc est Synodum suiipsius esse interpretem.

Huic non dissimile est de cancellario judicium, quem regis, id est edicti regii, ac voluntatis interpretem esse, tametsi longe sit inferior, objicit epistola. Non enim sua, sed regis auctoritate ad interpretandum utitur; nec tam ipse principis, quam princeps ipse mentem suam per illum interpretatur, ac significat.

[1] Athanas. Ep. ad Afric. p. 719. et Orat. 5. p. 302. lib. de Syn. p. 705. et alibi sæpe.

[2] Epist. pag. 2.

CAPUT QUARTUM.

Convelluntur deinceps firmamenta omnia, quibus auctor epistolæ nititur, ut ex Augustini doctrina probet interpretandum esse Tridentinum concilium. Cui ex adverso illud opponitur : ad Augustini sententias multa Tridentinum addidisse explicandi gratia, quod exemplis aliquot approbatur.

I. Satis hæc esse poterant ad coarguendam epistolam, et auctoris in ea scopum, ac propositum refellendum, quæ universe tribus istis capitibus exposita sunt, cum invictis rationibus probatum illud, effectumque sit, præpostere D. Abbatem existimasse, doctrinam Augustini Tridentinorum de gratia decretorum interpretem oportere constitui; et controversiarum, quæ de illis inter Catholicos commoventur, disceptatricem. Quocirca nihil ad ista necesse videbatur adjicere, nisi ulcera quædam epistolæ alia superessent, quæ medicam a nobis operam reposcunt. Quam equidem deinceps quam potero lenissimam, ac brevissimam adhibere statui, ut et præcipuis, ac necessariis duntaxat insistam; et hæc cursim peragrare, ac delibare contentus, accuratiorem singulorum tractationem alteri, proprioque operi reservem.

Prima consideratio epistolæ.

Quatuor sub initium epistolæ consideranda proponit D. Abbas[1], ex quibus id, quod intendit, consequens facit, Augustini doctrinam ad Tridentina decreta de gratia interpretem adjungi oportere. Harum ἐπιστάσεων prima est ista[2] : Tridentinos Patres, cum de gratia, et prædestinatione locuti sunt, tantum abfuisse ab August. damnanda aliqua sententia, ut illum in omnibus secuti sint; nec sensum ipsius modo, sed verba etiam ipsa decretis suis expresserint; ex quo ita colligit[3], interpretandam in illis locis mentem esse Concilii ex Augustiniana doctrina.

Refellitur.

Verum falsa et inanis est ista collectio. Non enim interpres Tridentinorum canonum de gratia Augustinus esse debet, hoc est controversiarum, quæ de iis post illius obitum exortæ sunt, arbiter, (quam *interpretis* notionem epistola persequitur, nec, si aliter intelligat, operæ pretium ullum faciat, ut superius ostendimus,) non, inquam, illius ex doctrina pendere necesse est ejus concilii, quod duodecimo post ipsum seculo celebratum est, interpretationem, ob id unum, quod verba ejusdem, ac sententias decretis suis accommodavit. Nam et Augustinus, et plerique Patrum alii, fidei catholicæ dogmata Scripturæ verbis, sententiisque declarant; neque propterea quisquam Augustini, vel Bernardi, vel cujusquam alterius, Scripturam interpretem esse contendat.

Tridentinum Concilium multa ad Augustini sententias addidit.

Ad hæc non sic Augustinum Tridentina synodus expressit, nihil ut ad illius sententias adjecerit, cum in plerisque nonnulla passim intexuerit explicandi gratia, ut, quod ad novas confutandas hæreses deerat, accessione aliqua suppleret, aut quæ ambigue, et obscure ab illo erant posita, illustraret ac patefaceret. Ex quo interpretem potius Synodum Augustinianæ doctrinæ, quam hanc illius esse manifesto argumento colligitur.

Ut in paucis capitibus illius interpretationis specimen præbeam, age sit illud primum, in quo nova factio gestire, ac triumphare solet : Augustinus in ea videtur opinione fuisse, ut Christum negaret pro omnibus Adami posteris mortem obiisse, sed pro electis duntaxat, et prædestinatis. Hoc quia falsum judicavit Tridentina synodus, nec ab Scriptura tantum, sed etiam ab Augustini sensu dissidens, et abhorrens; idcirco cum de ea re decerneret, quibusdam additis, verum, et Augustinianæ doctrinæ consentaneum sensum exposuit sic, capite tertio sessionis sextæ : « Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis communicatur. » Hoc modo intellecta Augustini doctrina procul abest ab novi fermenti contagione, quo in Lutheri, et Calvini, et post istos, Baiano, et Iprensi pistrino impuri dogmatis massa coaluit.

Rursus sine gratia Christi boni nihil omnino

[1] Epist. pag. 3. — [2] Ibid. [3] Ep. p. 4.

posse fieri, quidam ex Augustini placitis consequens putant. Negant alii sane docti, et insignes theologi, qui de boni genere isto duntaxat Augustinum interpretantur, quod ad salutem et æternam vitam attinet. Inter hos velut sequestra pacis, et interpres Synodus, ne de alterutra opinione præjudicium faceret, nonnullis additis, ita temperavit canonem suum[1]: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit*, etc. *anathema sit.*

Quidquid boni fit timore pœnæ, male fieri docuisse quibusdam visus est Augustinus; id alii secus habere sentiunt. Tridentini Patres decretum suum ita temperarunt: ut *gehennæ metum, quo a peccando abstinemus,* non esse peccatum, canone octavo sciscerent.

Idem et in canone septimo fecerunt, ut quod Augustiniana doctrina præfracte statuere videbatur, peccatum esse, quidquid non ex charitate fit, exponerent, et ad regulam catholicæ veritatis exigerent.

Scopus Concilii.

Postremo, ne longum faciam, illud suscepisse Tridentinum concilium videtur, ut cum novorum hæreticorum, qui Augustini doctrina ad erroris sui patrocinium abutebantur, insaniæ mederi, et occurrere vellet, nonnullis necessario additis, illam interpretando faceret catholicam, et ab eorum corruptela, ac pravitate vindicaret. Quæ certissima nostra ratio fucum omnem, et calumniam evertit anonymi Abbatis epistolæ, qui, quod ne littera quidem Tridentina synodus attigit, imo contra perspicuam ejus auctoritatem, qua suis decretis interpretatione negavit opus esse, tum hanc ipsam necessariam esse, tum ab Augustino repetendam, nova, et inusitata lege sancivit.

CAPUT QUINTUM.

Secunda ἐπίστασις epistolæ, quod multum Augustino tributum sit auctoritatis ab conciliis, et Romanis Pontificibus. Vana ex eo illius argumentatio dispungitur. De Arausicana synodo ejusdem hallucinatio; tum de Cælestino, deque Synodo quinta. Augustini dogmata omnia non probari ab Ecclesia, ac nonnulla rejici. Explicatur perdifficilis ejusdem Augustini locus.

I. Secunda est Abbatis observatio: Plurimum Augustino tributum esse ab conciliis, et Romanis Pontificibus, quoties de gratia, et prædestinatione altercationes inciderunt. Nam et Africanæ synodi, quæ adversus Pelagianam hæresim de Christi gratia decreta fecerunt, omnia ex Augustini sententia, eo dictante, condiderunt, eaque Innocentius primus impense collaudavit. Arausicana quoque secunda canones suos ex Augustini sententiis contexuit. Unde, cum Tridentinum concilium Arausicani canones secutum sit, illius interpres esse debet Augustinus. Quin etiam Ephesina synodus, quæ contra Pelagium in Africa ex Augustini mente constituta sunt, Roma ad se missa probavit, et rata esse jussit. Addit et aliarum synodorum testimonia, necnon Romanorum Pontificum, qui Augustinum miris laudibus efferunt, et ejus doctrinæ suffragantur.

[1] Sess. 6. can. 2.

Refellitur 2. consideratio Abbatis.

Hæc tota epistolæ pompa Circensis *uno spiritu difflari potest, quasi vento folia.* Et mirum valde est, tantum ingenium, quantum in epistolæ auctore prædicat, adeo sui dissimile fuisse in dirigenda hac argumentatione. Quid enim? Utrum tandem consentanea ista sunt, ac sibi mutuo cohærent, laudari, et magni fieri scriptorem aliquem ab iis, qui post eum aliquid commentati sunt, et hujus, quod postea scriptum sit, illum oportere interpretem haberi? Hoc si quis persuadere potest, eadem opera perfecerit, ut et Servii interpres Virgilius sit, et Homerus Eustathii. Nam et magni uterque scholiastes auctorem suum facit, et ipsius verbis et sententiis in eo usus est enarrando. Scriptura ipsa vetus novæ interpres erit; quia et illam hæc sæpe commendat, et verbis ejusdem ac sententiis utitur; cum ta-

men verius sit, si alterutram facere interpretem alterius necesse est, prioris esse posteriorem, quam e contrario istius illam. Puto, et translatitiam hæreticorum calumniam non ignorare D. Abbatem, et eam vitare cupere, qui Scripturæ non alium interpretem adhiberi patiuntur, quam ipsam sibi, nec æquo animo Tridentinum hoc oraculum accipiunt[1] : *Ecclesiæ esse judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.* Quod eo faciunt, quia et latebram habent in obscurarum sententiarum recessibus, et quo libitum est, earum sensa detorquent; et hoc eo agunt impunius, quod nec pro se loqui possunt litteræ istæ, nec vim sibi facientes, et aliorsum trahentes refellere. Non est dispar in Augustino interprete asciscendo novorum dogmatistarum consilium, et ideo par in his retundendis, et coercendis Catholicorum cautio esse debet.

Hæc universe contra Abbatis ἐπίστασιν. In exemplis porro, quæ attulit, complura sunt ἀσυλλόγιστα, quæ paucis exequar.

Perperam concludit ex Arausicana synodo.

Arausicanam ait synodum[2] Augustini sententiis explanasse, quæ de gratia canonibus suis edidit, idque auctore probat R. P. Sirmondo, qui ad Arelatense concilium circa annum 475. hoc observat : « Ceterum gravi, ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos, et doctissimos utrinque viros in Gallia centum amplius annos exercuit, finem postea tandem attulit synodus Arausicana secunda, quæ totam de gratia, et libero arbitrio controversiam ex sancti Augustini sententia composuit. » Ergone interpres erit Augustinus Arausicani concilii? Qui potius, quam Arausicanum concilium Augustini? Hoc enim ratio ipsa dictat; ut qui ex Augustino controversiam aliquam decidit, præsertim de Augustini ortam sententia, is Augustinum interpretari dicatur; hoc est sic mentem ejus, ac sensum exponere, ut hoc, quod probare vult, affirmasse ille videatur. Non enim aliter usuvenit, quoties cum hæreticis de dogmate aliquo contendimus, quod Scriptura teste asseverare nitimur, quam ut, ejus allatis verbis, ea sic intelligenda esse pugnemus, quomodo catholica sentit Ecclesia; quod ipsum est interpretari Scripturam.

Prædestinatianorum hæresis ex male intellectis Augustini verbis ortum habuit. — De Augustini doctrina magna controversia nata est.

Idipsum Arausicana tum synodus in Augustino instituit facere, quod epistolæ scriptor ex eadem illa P. Sirmondi animadversione discere poterat. In qua synodum Arelatensem, cujus Faustus Reiensis episcopus meminit, contra Prædestinatianorum hæresim collectam fuisse docet. Quæ hæresis *ex Augustini verbis male intellectis initium sumpsisse dicitur;* quod idem est ac *male interpretatis.* Ac revera, ut ibidem P. Sirmondus adnotavit, absurdæ illi opinioni « nonnullis quorumdam librorum suorum sententiis viam munire, aut vim addere sanctus Augustinus, quorumdam in Gallia episcoporum aliorumque judicio, videbatur; ut ab illo propterea, cum in ceteris maximi facerent, vehementer hac in parte dissiderent. » Hæc si bene apud se Abbas expenderet, nunquam Arausicani concilii interpretem faceret Augustinum; cujus adeo esset ambigua librorum sententia, ut ab eruditissimis, ac sanctissimis Galliarum episcopis in suspicionem adduceretur erroris impii, ac nefarii; quam quidem, nec alio sane modo, quam interpretando, procul ab Augustino depulit Arausicana synodus; atque ita non interpretem decretorum suorum adhibuit Augustinum, sed pro hujus illa potius interprete se gessit.

Quid quod in præfatione ipsa, synodi Arausicanæ Patres decreta sua *ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus* in hac præcipue causa *collata esse profitentur,* ut de gratia, et libero arbitrio fides catholica sanciretur? Nuncubi appellavit Augustinum? quem si interpretem habere vellet, nominari vel solum oportuisset. Nunc et Patres antiquos, et Scripturas designat, quorum e sententiis canones suos composuit. Igitur, ut est acumen epistolæ, interpretes erant antiqui Patres, necnon Scripturæ sacræ, Arausicani concilii; quod profecto nimis est obtusum.

De Cælestino papa male epistolæ auctor argumentatur.

Possunt eadem de Cælestino papa contra epistolam objici, qui ad episcopos Galliæ de Augustino scribens, nihil de eo testatur aliud, quam « sanctæ recordationis virum fuisse, qui in Romanæ Sedis communione semper est habitus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, *inquit*, ut inter magistros optimos etiam a meis præcessoribus haberetur. » Quæ ut verissima sunt, et tam excellenti doctore digna præconia, ita non eo spectant, ut posteriorum omnium conciliorum interpres

[1] Sess. 4. — [2] Ep. p. 4

haberi debeat, cum ejus potius, tanquam doctoris et magistri, placita non modo venerata sit, sed etiam interpretata posteritas, ut a pravis sensibus, quos sermonis in illis obscuritas pareret, veriori hæc interpretatione purgaret.

Item de Quinta, et Florentina. — Augustini dogmata quædam improbata. — Ut quod Eucharistiam infantibus necessariam ad salutem asseruit. — Unde hæc illi opinio succurrit.

Paulo etiam istud incautius injecisse videtur epistola[1] de Augustino synodorum duarum œcumenicarum auctoritate probato, quintæ Constantinopoli habitæ, et Florentinæ. Primum, quod non uni id Augustino tributum est in quinta Synodo, sed aliis quoque Patribus, Athanasio, Hilario, Basilio, Gregoriis duobus, Theologo et Nysseno, Ambrosio, Theophilo, Cyrillo, Joanni Constantinopolitano, Leoni, Proclo. Ita Gennadius in libro de Spiritu sancto, capite primo. Atque, ut peculiare quiddam Augustino concessum videatur in hac honoris prærogativa, an propterea omnium synodorum tanto postea, deque nondum cognitis illis controversiis habitarum erit interpres? Age porro, cum eadem illa concilia, quæ de Augustino tam honorifice statuunt, in omnibus illum esse sequendum præcipiant, quæ de fide contra hæreses disputavit, quinam hoc D. Abbas tueri poterit? Non enim pauca, neque contemnenda sunt Augustini dogmata, quæ vel Ecclesiæ universæ, vel theologorum aut omnium, aut multorum, nec infimi subsellii, judicio reprobantur. Sit illud exempli causa, quod multis in locis asserit Augustinus, Eucharistiam post baptismum dandam parvulis, et eis esse necessariam; quippe sacramenti utriusque parem necessitatem distincte, ac separatim adstruit, ex duplici Joannis loco, altero capitis tertii[2], ubi Christus ita loquitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu, non potest introire in regnum Dei*: altero capitis sexti[3], in quo de Eucharistia sic præcipit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus ex verbis contra Pelagianos disputans Augustinus, parvulos negat, nisi Eucharistiæ fiant participes, vitam et salutem posse consequi. In lib. 1. de Peccatorum meritis et remissione, cap. 20, Pelagianorum callidam tergiversationem aperit, ac repellit, qui ob priorem illum Joannis locum, qui neminem, nisi baptismo expiatum, in regnum cœlorum admittit, fatebantur parvulos, « quia baptizati non sunt, a regno cœlorum alienos esse; » verum eisdem utpote originali « nulla labe pollutis (quam nullam agnoscebant) innocentiæ merito salutem, ac vitam æternam tribuebant, nova quadam et mirabili præsumptione; quasi salus, ac æterna vita possit esse, præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. » Ut igitur hæreticis illis qualemcumque hanc defensionem eriperet, altero illos loco Joannis redarguit: « Auferatur ergo jam dubitatio, *inquit*, Dominum audiamus, non suspicationes, conjecturasque mortalium. Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento sancti lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis, etc. An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat; possintque sine participatione corporis hujus, et sanguinis in se habere vitam? etc. » Quocirca sacramentum Eucharistiæ non minus infantibus ad salutem esse necessarium, quam baptismum putavit Augustinus; idque non uno in loco significavit, ut in libro de Prædestinatione sanctorum cap. 13. et in lib. operis inperfecti contra Julianum, cap. 29. ubi sic scribit[4]: « Cur nec tu admittis in regnum Dei nullum habentem, secundum te, meritum peccati imaginem Dei? Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum; quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nulla peccati origine venit in mortem? » Eamdem et Augustini, et Innocentii primi sententiam fuisse testatur eruditissimus Joannes Maldonatus in commentario ad caput Joannis 6. 53[5].

Quam Tridentina synodus damnavit.

Atqui hæc opinio Tridentini concilii auctoritate damnata est, et anathemate notata sessionis 21. c. 4. et canone 4. *Si quis dixerit*, inquit, *parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Jam quibus se laqueis epistolæ auctor irretierit, puto ipsum animadvertere. Etenim qui Augustinum in omnibus, quæ ad rectam fidem, et hæreticorum damnationem spectant, sequendum sibi esse constituit, quid hic tandem aget? Scripsit

[1] Ep. p. 5. — [2] Jo. 3. 6. — [3] Jo. 6. 5.

[4] Pag. 237. — [5] Mald. in Joan. col. 719. D.

illa S. Augustinus, cum de gratia, et originali peccato contra hæreticos disputaret; et, quod in ea re præcipue considerandum esse D. Abbas in tertia consideratione docuit, connexa est, et implicata ista sententia de Eucharistiæ necessitate, cum reliqua omni doctrina sancti Patris, quando velut arcem, et præsidium in ea sibi collocavit, quo Pelagianorum insidiosas artes, et calumnias declinaret. Numquid ergo causæ est, quin et hanc sequi, amplectique debeat opinionem Augustini, ex ea lege, quam sibi ipse præfixit, et in Tridentini decreti se anathema scientem volentemque committere? Sed de seipso ille viderit *.

Explicatur quintæ Synodi dictum.

Quod ad quintam Synodum pertinet, expedita satis illius causa videtur, si quis eam interpretetur sic: Cum et Augustinum, et Patres ceteros « in omnibus sequendos esse » statuit, « quæ de recta fide et ad damnationem hæreticorum scripserunt, » id non præfracte, absoluteque capiendum esse sic, nulla uti re sit ab illis erratum; sed ut in eo duntaxat recte illos sentire, et omnino sequendos esse decernat, de quibus tum synodicum judicium fecerat; ut vel ex hoc ipso non interpretem solum Augustini, ceterorumque Patrum, verum etiam correctricem, ac judicem Ecclesiam, epistolæ scriptor agnoscat.

Augustini locus difficilis exponitur.

Ac nescio, an non proprie locum hic habere debeat Augustini sane difficilis, et caute temperanda ratio, quam exposuimus supra [1]; qui in secundo libro de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. « plenaria ipsa concilia, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sæpe priora posterio-

[1] Cap. 3.

* Corporis Christi manducationem parvulis ad salutem esse necessariam, certo sentit Augustinus; utrum vero hanc necessitatem de reali manducatione, qualis fit in sacramenti Eucharistiæ susceptione, an de spirituali manducatione, seu de incorporatione cum Christo, qualis habetur per baptismum, intellexerit, non liquet. Plerique theologi verba sancti Doctoris, necnon Innocentii primi, ad sensum concilii Tridentini deflectere student. Notandum est, cum De Lugo, (de Euch. Disp. III. sect. II. 46.) « Eucharistiam aliquando appellari necessariam ratione rei contentæ vel significatæ: cum enim contineat Christum, cujus fides saltem implicita, et unio necessaria est ad salutem; cum item significet unitatem corporis mystici, quam omnes debent necessario participare, ut salvi fiant; hinc est, ut aliquando dicatur necessarius omnibus effectus Eucharistiæ, hoc est uniri corpori mystico, vel etiam ipse Christus, qui continetur in Eucharistia. » Quæritur an hoc sensu Augustinus necessitatem Eucharistiæ, quoad parvulos, asseruerit; nihilque aliud significari voluerit, nisi incorporationem, qua parvuli Christi corpori, membrisque per baptismum consociantur. Affirmative respondent Norisius, (Vind. August. cap. 4. §. IV.) Suarez, (de Euch. Disp. 40. sect. 2.) Bellarm. (lib. 1. de Euch.) sicque Augustini contra Pelagianos argumentationem interpretantur. Dicebant Pelagiani parvulos sine baptismo decedentes a regno cœlorum arceri, sed nihilominus participes fieri vitæ æternæ. Quos sic redarguit Augustinus: Nemo vitam æternam consequitur nisi carnem Christi manducaverit, dicente Christo: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc. non habebitis vitam in vobis.* Parvuli ab illa lege non excipiuntur, proindeque vitam non obtinebunt, nisi corpus Christi aliquo modo manducaverint, illique fuerint consociati. Sed parvuli non baptizati Christi carnem neque in re, neque in voto, neque alio quovis modo manducaverunt, ipsique incorporati non fuerunt. Ergo non tantum a regno cœlorum, sed a vita æterna excludentur.

Hanc fuisse mentem Augustini, inferri posse videtur ex iis locis, ubi parvulos solo cum baptismo decedentes salutem æternam consequi diserte tradit. « Quis ignorat, *inquit*, (de Peccator. merit. lib. 1. c. 19. n. 25.) quod baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit. Verumtamen, si percepto baptismate de hac vita emigrarit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod, incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quæ solvuntur Christi gratia. » Et infra (lib. 3. cap. 4. n. 7. 8.) rem ita exponit: « Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem ad vitam, salutemque æternum quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injuste posse aliquem damnari? Unde fit consequens, ut, quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori membrisque socientur, manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere... Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes fuerint corporis ejus, non habebunt vitam?... Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? »

Ad hujus interpretationis confirmationem, Norisius (loco citato) auctoritatem advocat sancti Fulgentii, in Responsione ad duas quæstiones Ferrandi diaconi: « Scripserat Ferrandus juvenem Æthiopem, morti proximum, fuisse baptizatum, ac statim antequam Eucharistiam sumeret decessisse, petens num eo pacto salvari posset. Respondit Fulgentius hominem per baptismum fieri participem corporis Christi, seu incorporari Christo, etiamsi Eucharistiæ sacramentum reapse non sumat. » Et cum plurima ad hoc suadendum ex sacris litteris adduxisset, sermonem tandem sancti Augustini ad infantes ante altare producit, ubi sanctus Doctor inter alia ait: « Intelligite, et gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus, recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis: estote quod videtis, et accipite quod estis. » Igitur infantes ex Augustino, per gratiam sanctificantem baptismi, facti sunt membra corporis Christi. Porro Fulgentius post illa verba Augustini concludit: « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » (In Resp. ad quæst. Ferrand. Beda, tomo VI. in Comment. cap. 10. primæ ad Corinthios.) (E.)

ribus emendari » dicit, « cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, etc.» Cum enim, ut ibidem ostensum est, de fidei catholicæ decreto id Augustinum pronuntiasse, non sit verisimile; restat, ut ad id quod facti, vel personæ disceptationem habet, respexisse videatur. Cujusmodi et Sardicensis synodi de Marcello Ancyrano judicium fuit; quem quidem cum libro suo manifeste damnatum ut hæreticum, agnitumque postea, fictis excusationibus inducta, pro catholico utrumque habuit. Ad hunc modum, quod de Patribus illis, quorum plerosque in nonnullis aberrasse constat, quinta Synodus infinite constituit, (quandoquidem de personis illic, et scriptis, non de fidei dogmatibus agebatur,) jure in posterioribus conciliis interpretari, vel emendare potuit, ac debuit Ecclesia; idque in Augustini doctrina pari cum laude modestiæ, ac prudentiæ Tridentina synodus instituit, et epistolæ scriptori contra jus fasque novis nos legibus obliganti silentium indicit.

Alia Augustini dogmata non omnibus probata theologis. — Male Iprenses, ut et hæretici, suum esse clamant Augustinum.

Possunt et alia percenseri Augustini doctrinæ capita, in quibus complures et gravissimi theologi ab illo impune dissentiunt. Velut in eo, quod parvulos ob solam originalem culpam æterna felicitate privatos, pœnalibus insuper flammis addici, cruciarique censet : in quo a plerisque destituitur, et quidem impune. Quam enim merito, nihil ad rem pertinet. Tum quod adultæ jam ætatis homines, sine ulla præsensione bonorum, malorumve meritorum, sola Dei voluntate prædestinari ad sempiternam salutem, vel ob solam originalem noxam reprobari adstruit; de qua re libera sunt in scholis theologorum judicia, quæ utique talia non essent, si ab Augustini, utpote summi fidei catholicæ arbitri, et synodalium decretorum interpretis, sententia provocandi nemini potestas fieret. Maximi quidem, pro eo ac meretur, ab Ecclesia, ejusque synodis, et Pontificibus semper factus est, et hodieque fit Augustinus, præsertim in iis controversiis, quæ ad gratiam et liberum arbitrium pertinent, in quibus nullum illius erratum deprehensum est, nihil, quod ab solida, sinceraque Theologia discrepet. Nam recentem illam ψευδώνυμον, et Iprensi fuco saturam, ac tot pontificiis, et synodalibus sententiis mulctatam, et ambustam curare nihil attinet, quæ tam falso suum esse clamat Augustinum, quam male, et ad hæreticorum gustum dicta illius interpretatur. Verum non plus Augustino auctoritatis impertiendum est, quam quantum œcumenica concilia, et Romani Pontifices, adeoque universa semper Ecclesia tribuendum esse decrevit.

De Hormisda papa, et falsa de eo ratiocinatio epistolæ.

Postremus e numero Pontificum, quem epistola nominat, Hormisda restat; in quo quantopere falsa sit, illius verba declarant ex epist. 70. ad Possessorem episcopum, quam ita concludit : « De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quod Romana, id est catholica, sequatur, et asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit agnosci; tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus. Quanquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat. » Si ex Augustini libris, et doctrina tanta esset interpretanda quæstio, et unus ille arbiter, synodorum et Pontificum judicio, adhibendus; cur eo non est contentus Hormisda? cur ad ecclesiasticorum scriniorum capitula Possessorem revocat? cur denique clariora, et intellectu faciliora de controversiis istis Apostoli esse dicta contendit? Nonne iis Hormisdæ verbis, quæ truncata, et dimidiata protulit epistolæ scriptor Abbas, velut pinnis suis ipse configitur?

CAPUT SEXTUM.

Tertia consideratio Abbatis, quod Augustinianæ doctrinæ partes sic inter se cohærcant, ut, una admissa, reliquæ sequantur omnes. Æstus et repugnantia dictorum in epistola. Tum calumniosa ratio, qua doctrinam Augustini de prædestinatione pari loco habet, ac quæ de gratia ab illo disputantur, et ad fidem pertinere putat.

Tertia consideratio. — Epistolæ perplexa oratio, et incondita. — Et secum ipsa pugnans. — Minusque considerate loquens.

Tertium Abbatis in epistola firmamentum [1], quo de interpretando ex Augustini doctrina Trident. concilio illius opinio nititur, non pluris est, quam superiora duo; ac neque quidquam efficit, et in semet incurrit, seque ipsum collidit, et evertit. Ita porro se habet : Augustinianam doctrinam ita suis partibus aptam, ac nexam, colligatamque esse dicit, ut si unam admiseris, reliquæ, quasi catenatim commissæ, et consertæ sequantur. Ex quo istud oriri putat, ut, si Tridentini Patres unum aliquod Augustini dogma probaverint, ceteris consequenter assensi fuerint. Tametsi non sic plane, ac perspicue, quod vult, eloquitur? sed [2] « quasi super ova, et aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedens, ubique dubius, ubique suspectus est, » ut Hieronymi istud assumam. Videamus enim, quam timide ac diffidenter sententiam suam mira verborum ambiguitate libraverit. « Hinc necessario, *inquit*, ita concludo, cum Tridentini concilii Patres manifeste, omniumque consensu, saltem in quibusdam capitibus, Augustini doctrinam secuti sint, prudenter hoc credi a nobis oportere, eosdem ex consequenti illam in ceteris omnibus sequi propositum habuisse; cum certo videamus, id quod ab illis etiam animadversum est, perpetuam, et irruptam catenam hanc, sive nexum istum adeo firmum, et cohærentem, qui capita omnia Theologiæ Patris illius secum mutuo colligata continet, in mysteriis gratiæ, et prædestinationis. » Hæc ex vulgari nostra lingua in latinam pene translata de verbo, mire esse dico perplexa et incondita, ac secum ipsa pugnare, neque certum, ac liquidum aliquem sensum reddere; tum, quod maxime miserandum est, non ei, quod probare vult, et intendit Abbas, sed ei potius, quod oppugnare studet, commodare, ac favere. Nempe id erat demonstrandum, Augustinum interpretem adciscendum esse Tridentinorum omnium decretorum, in quibus de gratia et prædestinatione agitur. Ad hoc vero probandum id assumit Abbas, Augustini doctrinam ita secum colligatam, et cohærentem esse, ut qui partem ejus quampiam amplexus sit, reliquas admittat omnes. Ut hoc via et ratione concludatur, necesse est omnes sibi mutuo inhærere doctrinæ Augustinianæ partes, secumque junctas, et indivulsas esse, nulla prorsus excepta. Nam, si qua disjungitur, neque cum aliis connectitur, falsum est, quod dicit, una illius parte concessa, reliquas quodam vinculo copulatas consequenter admitti. Atqui non in omnibus Augustini doctrinam secutos esse Tridentinos Patres, suspicatur ibidem, cum ait, illos *saltem in quibusdam capitibus* eam esse secutos. Vox enim ista, *saltem*, dubitationem indicat, an in omnibus id fecerint. Quinam ergo consentaneum esse poterit, quod probare vult, Tridentinos Patres in his, quæ ad gratiam spectant, totam Augustini doctrinam esse complexos, nulla omissa parte, quoniam omnes sibi invicem alligatæ sunt; si de hoc posteriore dubitat, et in quibusdam saltem veretur, ne ab illa discesserint? Quod si verba ista, *saltem in quibusdam capitibus*, ut ait, sic explicanda sunt, ut non Tridentinorum Patrum omnium consensu Augustini doctrinam saltem in quibusdam ascitam fuisse dicat, sed theologorum, qui post Tridentinum concilium de gratia disputarunt, omnium consensu, si non in omnibus, saltem in quibusdam, Patres illos Augustinum secutos affirmet; hoc tamen uno constrictus, et irretitus Abbas tenebitur, quod argumentationis suæ nervos incidit. Non enim persuadere omnibus poterit, quod pro certo, indubitatoque nos habere voluit, Augustini ejusmodi esse doctrinam, ut, ejus parte una recepta, ceteras necesse sit admitti, cum *in quibusdam saltem capitibus* secus rem habere nonnulli sentiant.

[1] Epist. pag. 9. et seq.

[2] Hier. cont. Joan. Hieros. col. 659. A.

Augustini de prædestinatione sententia a plerisque rejecta.

Deinde, quam multis flagitiis scatet tota hæc oratio ! Augustini doctrinam illam, quam velut catena quadam copulatam esse confirmat, in gratiæ, *ac prædestinationis mysteriis* collocat; quasi opinionem Augustini de prædestinatione theologos omnes, imo Christianos, necesse sit sequi; ac tam certo illa tenenda sint, quæ de electione ad gloriam citra prævisa merita, deque reprobatione ex solo originali peccato, docuit Augustinus, quam illa, quæ de gratia, ejusque cum libero arbitrio concordia disputavit ; quæ sola deinceps ab œcumenicis conciliis, et Romanis Pontificibus, ac totius Ecclesiæ judicio in auctoritatem sunt accepta catholicæ professionis.

In quo epistolæ auctor hallucinatur. — De prædestinatione nunquam Augustini sententiam ratam fecere concilia. Neque Cælestinus pontifex. — Neque Prosper.

Quænam illa vero concilia sunt? qui Pontifices Romani, quorum decretis et canonibus, aut rescriptis, Augustiniana illa de electione ad gloriam, et reprobatione sententia comprobata, sancitaque fuit? Non pudet auctorem epistolæ tam confidenter, ac temere in censum referre capitum fidei ac dogmatum, opinionem illam, de qua ne litteram quidem iis in conciliis, aut Romanorum Pontificum epistolis, in quibus de Augustini doctrina, vel gratia est actum, reperire possit? Nuncubi hoc Tridentina synodus decrevit? Nusquam ne levissime quidem attigit. In sessione sexta [1], ubi de gratia, et libero arbitrio, ac justificatione ex professo disserit, nihil aliud de prædestinatione dicit, nisi hoc, quod catholica fides habet, neminem certo scire posse, citra revelationem, de numero se esse prædestinatorum; de peculiari ratione prædestinationis, quæ tantam habet controversiam, penitus tacuit. Tacuit et Arausicana synodus, et ante hanc Cælestinus pontifex, cum de Augustini doctrina tam accurate verba faceret. De quo valde istud animadvertendum est, scriptam ab illo pontifice ad gallicanos episcopos epistolam extare, quæ duobus continetur capitibus; quorum in priore de Prospero, et Hilario agit, et eorum querelas exponit de quibusdam presbyteris, qui, *indisciplinatas quæstiones vocantes in medium*, Ecclesias perturbabant, et Augustini videlicet nomini detrahebant; in altero capite, Augustinum commendat, ejusque doctrinam nihil ab Romana, et catholica fide dissidere testatur. Huic epistolæ Prosper decem capita subjecit, quæ a plerisque cum Cælestini epistola continuari solent, in quibus Romanorum Pontificum, et synodorum de gratia contra Pelagianam hæresim decreta commemorat, nulla prædestinationis facta mentione. Postremo, ubi de gratia, et libera voluntate copiose disseruit, hanc clausulam apponit : « Profundiores vero, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas (quas decem illis capitibus complexus est Prosper) apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit prædictis sententiis esse contrarium. » Verisimile est ergo, Prosperum quæstionum illarum profundiorum, sed minime necessariarum, nomine illas comprehendisse, quæ de electione ad gloriam, vel prædestinatione, ac reprobatione ab Augustino, aliisque post eum commotæ fuerant. Certe de illis altum in hujusmodi litteris silentium est, et minime alioqui ferendum, si cum gratiæ catholica professione tam arcte conjunctum esset prædestinationis negotium, quam tractatio ipsa gratiæ, ut epistola Iprensi succo delibuta toties significat. Cujus auctorem magis istud aliis sectæ illius imperitis, et ad quidvis tuendum paratis persuasurum arbitror, quam ipsum sibi. Non enim acutam adeo, et perspicacem indolem, qualem in Abbate domesticum præfationis testimonium commendat, ita cæcam in causa ferri arbitror, uti theologos omnes, qui et libris in vulgus editis, ac probatis, et quotidianis disputationibus contrarium docent, nimirum electionem, et prædestinationem ad gloriam ex meritorum prænotione sequi, damnandos judicet, tanquam et Romanorum Pontificum, et receptarum apud Catholicos synodorum, quæ explanatricem illam Tridentini concilii ab Augustino traditam doctrinam ratam fecerunt, auctoritate proscriptos.

[1] Sess. 6. cap. 12. et can. 16.

CAPUT SEPTIMUM.

Expenditur catena illa Augustinianam doctrinam colligans, quam perperam interpretatur epistola. Semipelagianorum error in illa notatus; tum calumnia in Catholicos ab illa conjecta falso. Probatur ex Tridentini concilii doctrina, voluntatem hominis libere se determinare, et quo id sensu dicatur.

Epistolæ ambigua, et perplexa oratio.

Age nunc catenam illam, quam ex Augustini doctrina ad sectæ genium, hoc est ad Iprensem accommodata sensum, epistola contexuit, attentius exploremus. Id si facimus, statim apparebit, *funem istum esse ex arena nexum,* non σειρὰν illam Homericam, quæ cum cœlestibus terrena suspensa conjungit. Hujus vinculum ait epistola contineri doctrinæ Augustinianæ capite isto, quod fundamentum omnium appellat: « Homini, cum in nullo de se gloriari coram Deo possit, necessariam hujus esse gratiam, ut possit facere, et ut applicet, ac determinet sese ad illud, quod facit, exequendum bonum; ne de alterutro venditare se possit, sive per sese id possit facere, ad quod faciendum obligatus est, sive ad hoc agendum accommodet, applicetque se, quod reipsa non facere poterat, etsi a Deo, ut posset, accepisset. » Hoc structuræ totius fundamentum ambiguis, et obscuris, ac contortuplicatis verbis, ut sunt epistolæ reliqua omnia, conceptum nihil boni, ac sinceri repromittit. In quo illud obiter respectandum est, necessariam homini gratiam Dei non probo, et catholico more definiri, sed ex dimidiatorum Pelagianorum formula, qui gratiam Christi nullam aliam, nisi actuosam, et ad exequenda mandata idoneam, ac robustam, necessariam putabant; initialem vero gratiam, qua credendi voluntas inspiratur, neutiquam admittebant. Hanc enim voluntatem, hoc est volendi, sed nondum faciendi impetum, naturæ viribus exprimi, non ex meritis pendere Christi volebant.

In Massiliensium errorem declinans.

Quem Massiliensium errorem late Hilarius exponit in epistola ad Augustinum, quæ libris de Prædestinatione sanctorum, et de dono Perseverantiæ præfixa legitur. Hujus contagione hæresis afflata videtur epistola; eamque sibi labem ascivisse ex Iprensis doctrinæ commercio, quæ medicinalem nullam Christi gratiam agnoscit aliam, præterquam charitatem, eamque operis effectricem, et perfectam: quod certissimis, apertissimisque rationibus demonstravit Petavius in secundo libro de Lege et gratia, capite quinto et sequentibus.

Novorum dogmatistarum fraus.

Jam quod in epistola scriptum est, « gratiam homini esse necessariam ad id, ut et facere possit, et ut determinet sese, » potest eo sensu recte, ac catholice dictum videri, ut *determinatio* illa voluntatis non ab sola efficiatur gratia, sed ab hac simul, et agente cum ea libera voluntate; quæ est ab Apostolo tradita συνεργία verbis istis [1]: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Etenim *determinatio voluntatis* nihil aliud est, quam ejus consensio, qua se liberum arbitrium ad unum aliquid, quod e pluribus delegit, applicat, quod in bono, præeunte fit, et alliciente, tum porro adjuvante, ac promovente gratia; cui quidem, ex Tridentini concilii decreto [2], *cooperando sic assentimur, ut possimus dissentire, si velimus.* Est autem hoc loco minime prætereunda fraus Iprensium dogmatistarum, qui in ancipiti locutione calumniari, et obstrepere solent. Cum enim liberum hominis arbitrium, ex illa, quam attigi, Tridentini concilii sanctione, dicunt Catholici *a Deo motum, et excitatum* assentiri, et cooperari, hoc est determinare se, Pelagiani statim illos erroris insimulant, quasi idem illud arbitrium liberum suapte vi, sine gratiæ præsidio niti, ac consentire velint. Itaque totum illum intestinum opus vertentis se ad meliora, et vocanti, excitantique se gratiæ respondentis, et consentientis hominis in solidum adscribunt efficientiæ divinæ; nec in ejus partem admitti liberum patiuntur arbitrium; et hoc ideo facere se dicunt, ne alioqui homo suapte vi, ac voluntatis suæ nisu movere se ab statu peccati, et ad gratiæ statum transferre credatur, *et se-*

[1] 1. Cor. 15. 10.

[2] Trid. sess. 6. can. 4.

ipsum discernere; quod dictu nefas esse Apostoli auctoritate [1] commonemus.

Refellitur. — Locutio diligenter notanda.

Atqui futilis est ista cavillatio litigandi, ac tricandi nimis cupidorum hominum, neque, quid ex adverso dicatur, audire, vel expendere curantium. Quem enim ad finem repetendum, et occinendum illis erit, nihil istic agi credere Catholicos sine gratia Christi, et efficacia Dei excitantis, et allaborantis, ac totum huic attribui, sed non ὁλικῶς, quod *totaliter* scholæ nominant; cum et voluntas ipsa in communionem veniat operis effecti, non ut pars uni, pars alteri vindicetur, sed ut pro indiviso totum utique cedat, servata interim, ac delata Deo prærogativa dignitatis, et antecessionis? Ceterum, si quis abrupte, et nullo alio addito, significatove temperamento loquitur sic : *Voluntas ad bonum suapte vi convertitur;* vel, *Ex sese ad consentiendum se applicat, ac determinat*, potest periculose, nec satis caute dictum videri, eo quod statim hæc audientibus succurrit, remoto gratiæ auxilio tantum de se præstare voluntatem hominis. Cujusmodi in similibus locutionibus accidit: ut cum dicimus, *voluntatem propriam*, vel *amorem proprium* frangendum, et perdomandum esse, recte idcirco dicitur; quoniam in *proprii* vocabulo inest significatio pugnantis cum Dei voluntate, et amore, et hos excludentis affectus; cum alioqui, si *proprium* intelligas, cujus domini sumus, et quod pro arbitrio nostro dependimus, neutra sit in vitio proprietas. Sic illa sunt interpretanda, quæ Christus dixit [2] : *Non quæro voluntatem meam*; vel [3]: *Non quæro gloriam meam;* et [4] : *Qui a seipso loquitur, gloriam propriam quærit;* tum etiam hæc [5] : *A me ipso non loquor.* Habent enim, si non expressam, (id quo sæpe fit), saltem tacitam notionem contrarii, ut *voluntas mea et propria* vocetur, quæ cum Deo communis non est, sed illi potius adversa; et *a seipso loqui* sit, contra quam Deo placet, aut citra ejus voluntatis concordiam, vel instinctum, et συνεργίαν, aliquid dicere. Desinant ergo, qui talia non nesciunt, obloqui melioribus; et ad præscriptam ab Tridentino concilio formulam sentire nos, ac loqui patiantur.

Inepta cavillatio eorumdem.

Frustra itaque veretur epistola, ne, cum ex eodem illo concilio usurpantur hæc [6], « Eos, qui per peccata a Deo eversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando, disponi ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui et illam abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit; » hæc, inquam, vel his gemina et affinia cum a nobis audiunt, contineant imperite maledicam linguam, neque nos apud plausores suos, homines indoctos, et garrulos, vel mulierculas, pro Pelagianis, Semipelagianisve traducere audeant.

Agere enim profecto aliquid voluntatem hominis liberam, tangente cor illius Deo, et assentiri, idipsum est, quod *determinare se* ad id, quod facere potest, suppetente, ac præsente adjutorio gratiæ : quæ est *luminosa*, et *ardens* illa S. Spiritus inspiratio. Agere autem, ex eo probant Tridentini Patres, quia et *abjicere illam potest*: quæ cum dicunt, hoc significant, eodem, quo homo de consentiendo deliberat, tempore, utriusque liberam, et indifferentem habere potestatem, eaque in alterutram partem uti pro arbitrio posse; quod sane copulativa particula, *et*, ibi demonstrat, cum ait, *quippe qui et illam abjicere potest*. De quo non multo post uberius disputabimus.

[1] 1. Cor. 4. 7. — [2] Jo. 5. 30. — [3] Jo. 8. 50. — [4] Ibid. — [5] Jo. 14. 10. — [6] Sess. 6. c. 5.

CAPUT OCTAVUM.

Epistolæ gravis, et hæreticus error excutitur, nullam esse Christi gratiam, nisi efficacem, id est operis efficientem. Cujus firmamentum evertitur. Apostoli locus perperam accommodatus ab epistolæ scriptore; cujus intolerabilis hallucinatio indidem detecta, ex qua sequitur, solos prædestinatos affici gratia Christi.

Ut in putri, ac ruinosa maceria, si male hærentem ex ima parte lapidem evellas, tota moles, et congeries repente subruitur; sic, detracto subductoque dogmate illo, quod *veritatem fundamentalem* epistola nominat [1], et in superiori confutato capite, reliqua illius doctrinæ, quæ superingesta sunt, nullo, vel minimo nostro conatu, pene suapte sponte corruunt.

Falsum epistolæ consectarium.

Ex illo principio, quod ab epistolæ scriptore positum proxime ante refellimus, quod ab gratia determinari voluntatem, non a se pariter ipsa, ex Iprensis magistri placitis asseritur, consectarium illud existit in eadem epistola subjectum hisce verbis: « Hinc docemur, gratiam Salvatoris duas obtinere inseparabiles proprietates: alteram, ut necessaria sit: alteram, ut sit efficax. Porro qua necessaria est, si ea careat, non solum homo non facit, sed etiam facere non potest; quatenus vero est efficax, cum eam habet, non solum potest facere, sed omnino etiam, ac certo facit. »

Hæc sunt iisdem, quibus priora illa, vitiis ac sordibus infecta. Gratiam omnem hoc habere, ut et necessaria sit, et efficax, id est efficiens, et compos operis, neque catholicæ fidei est, nec ejus interpretis Augustini doctrina; sed macula est, et scabies, qua sanum ceteroqui corpus aspergitur, ut in elephantiacis accidit. Hac enim similitudine lepræ hæreticam adumbrari labem eleganter Augustinus idem testatur [2].

Efficax latine proprieque dicitur, quod efficiendi vim habet, ut, si effectum desit, id non culpa ejus eveniat, sed externam aliquam, et adventitiam ob causam, quæ operæ fructum, et exitum intercipit. Hoc modo gratia est omnis efficax, etiam illa quæ effectu caret; quemadmodum ignis est omnis ad urendum natura sua valens, et idoneus; nec tamen id, quod potest, efficit semper. Verum, ut *efficax* gratia pro *efficiente* sumatur, inveteratus jam usus in scholis obtinuit; quem epistola secuta nullam, nisi reipsa efficientem operis, affirmat esse gratiam Christi.

Non omnis gratia est efficax, id est efficiens consensus.

In quo, ut suffragatores habet omnes temporis hujus hæreticos, maxime Calvinianos, quod ex actis Dordrechthani conciliabuli constat, ad quod ex omnibus istius sectæ conventiculis synodicæ missæ fidei professiones in illud dogma conspirant: sic adversarios, infestosque sentit Tridentini concilii Patres non minus, quam Augustinum, cui falso teterrimæ hoc venenum opinionis adscribit.

Multa de hoc argumento dici poterant, proque Augustino contra temere inustam tanti doctoris nomini hæresis istius infamiam. Sed alterius illa sunt loci; nunc ea duntaxat insequar, quæ stilo nostro subjiciuntur ex epistola.

Sophistica calumnia epistolæ. — Gratia prædestinatorum.

Efficacitatem gratiæ [3], hoc est perpetuam cum potestate conjunctam efficientiam, quam vocant *actualem*, ex Joannis loco illo [4] confici putat: *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Non enim dicit, potest ad me venire, sed venit, ait ex Augustino. Verum hæc argumentatio cavillationem habet sophisticam; cujusmodi sit illius, qui ex eo, quod nonnulli sunt nigri homines, ut Æthiopes, tales esse colligat universos. Attentius itaque cogitaret auctor epistolæ, de quo genere gratiæ ad illum locum agat Augustinus. Id si faceret, irritum, et *imbelle sine ictu* telum istud esse sentiret. Sciat igitur, quisquis est, illum Apostoli locum ex Augustini sententia, non de quacumque gratia, sed de ea solum intelligi, quæ est electorum ad gloriam, prædestinatorumque propria; nimirum eorum, qui *secundum propositum vocati sunt*, ut loquitur Apostolus [5]. Hæc enim omnia vocabula

[1] Pag. 9. — [2] Aug. lib. 2. quæst. Evang. c. 40. [3] Ep. p 10. — [4] Jo. 5. 45. — [5] Rom. 8. 28.

ex Augustini mente, et interpretatione, ad electos, et prædestinatos pertinent, *discere, doceri, secundum propositum vocari, præsciri, eligi, prædestinari, filium esse promissionis, vas misericordiæ*, et similia, quæ nunquam aliter usurpantur ab Augustino, vel in exponendis Apostoli sententiis accipiuntur, quam ut statum illum gratiæ, ac justitiæ significent, qui in certam, et, ut loquuntur, *infallibilem* salutis, et gloriæ possessionem desinit, et eam amplectitur. Horum vero peculiaris est gratia quædam, quæ nunquam perseverantia caret; ac non solum bene volendi, agendique possibilitatem affert, sed etiam reipsa, ut velimus, et agamus omnino perficit, nulla adhibita necessitate, verum suavi, sed potenti illecebra, qua non inviti trahuntur.

De qua sæpius agit Augustinus.

De hac gratia sæpissime disputat Augustinus, et illa, quæ dixi, plenissime confirmat, ut ex paucis, quæ proferam, testimoniis intelligi poterit. In libro de gratia Christi, cap. 12. « Hæc autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos, et secundum propositum vocatos ad summam perfectionem, glorificationemque perducit. Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » Et cap. 13. de hac gratia, quam *doctrinam* vocari dicit, « Sic docet Deus, *inquit*, eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere. » Tum cap. 14. illum Apostoli locum, quem supra memoravimus, eodem accommodat: « De isto docendi modo, *inquit*, etiam Dominus ait: Omnis, qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur. Audivit quidem, et didicit, sibi esse veniendum; sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, omnis qui didicit, venit; quisquis non venit, profecto non didicit. » Ceterum libere hunc venire, citraque necessitatem his, quæ incontinenti subjicit, ostendit: « Quis autem non videt, et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest nisi adjutum esse, si venit; et adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat, etc. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non sola volendi, et operandi naturalis possibilitas adjuvatur. »

Et in libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 8. propositis iisdem ex Joannis Evangelio verbis, *Omnis, qui audivit a Patre*, etc. « Quid est, *inquit*, omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me, nisi nullus est, qui audiat, et discat a Patre, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit. Nam, si audisset, et didicisset, veniret, etc. Sic quippe facit filios promissionis, et vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. »

Item in tractatu 26. in Joannem ad illa ipsa verba, pluribus exponit tractionem illam, qua Pater venientes ad Christum trahere dicitur in eodem Joannis capite, et idipsum significare ait, quod audiendo discere, ac doceri, hoc est *secundum propositum vocari*.

Prædestinatorum propria gratia infallibilis est.

Jam vero, his animadversis, velim mihi respondeat auctor epistolæ, credatne, solis electis ad gloriam, ex Augustini sensu, Christi aspirari gratiam, quæ cum perseverantia scilicet est conjuncta. At hoc nefarium est, sceleratumque Calvini dogmá, quod catholica merito execratur Ecclesia, estque ab Tridentinis Patribus anathemate damnatum [1]. Quamobrem, si reprobis gratia, ut et justitia, conceditur; non eadem illa conditione censetur, quam, ut novorum dogmatistarum interpretatio est, Augustinus electorum peculiarem esse gratiam asseverat. Hæc enim est ejusmodi, ut, qui audiunt, discant; nec tantum consentire possint, sed reipsa consentiant, hoc est ut in eis velle ipsum operetur; et, quod epistola dicit, nunquam volendi actio a potestate divellatur ita, ut unius cum altero necessaria sit connexio. Et, ut uno verbo complectar, hoc quod ait D. Abbas, gratiam *proprietates habere inseparabiles duas*, ut necessaria sit, et nunquam effectu careat; quod ad hanc posteriorem attinet, quibus eam Augustini testimoniis affirmare contendit, ea palam ostendunt, gratiam istam solis convenire vocatis secundum propositum, id est electis; quos a Patre doceri nihil aliud esse demonstrat sanctissimus doctor, quam in illis non solum posse, sed etiam velle, ab gratia tribui, et hoc ipsammet efficere. Restat igitur,

[1] Sess. 6. can. 17.

ut qui nullam aliam præterquam Augustini locis illis comprehensam, et solis concessam prædestinatis, Christi gratiam agnoscit epistolæ scriptor, nullam prorsus reprobis aspergi fateatur, et hæretica pravitate catholicam commutet fidem.

Vides, opinor, catholice lector, in quæ errorum portenta, non rudes et hebetes homines, sed acutos et ingeniosos, qualem epistolæ scriptorem præfatio describit, blandiens quædam novitatis dulcedo præcipitet. Ut hæc ipsa catena sit habenda, quæ non ex veris, ac sobrie intellectis Augustini sententiis, ut epistola prædicat, sed ex falsis illarum interpretationibus, et erroribus contexta, sibi hærentes, et adstrictos ad ima usque tartara devolvit.

Est quædam gratia sufficiens tantum.

Ad summam, præter efficacem illam gratiam, quam pessime ex Augustini doctrina probare conata est epistola, alteram esse, quæ male utentium, vel potius rejicientium culpa, irrita fit, cum posset efficax esse, Tridentina synodus apertissime declarat, sessione illa sexta; in qua gratiam illam sic ab homine recipi statuit, ut et ab eodem possit abjici; et innumera tum sacrorum librorum, tum Augustini, ceterorumque Patrum persuadent loca, quibus commemorandis supersedendum est modo, ne longius, quam velim, produci lucrubatiunculam hanc nostram necesse sit.

CAPUT NONUM.

De Christi generali voluntate omnium salvandorum epistolæ falsa sententia. Tum de vana, et ludicra Augustinianæ doctrinæ connexione in eadem epistola proposita.

Christum pro omnibus mortuum esse docet Tridentina synodus. — Duobus mediis applicatur Christi passio. — Applicatur conditionate etiam reprobis. — Nec repugnante Augustino.

De Christi supplicio, ac morte simplex est, et sine ambagibus enucleata Tridentini concilii professio [1] : « Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipere; sed eos duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. » Ita concepta est hæc sententia, ut ad eam præ ceteris pertinere judicanda sit concilii de suis decretis illa cautio, qua hæc *interpretationem postulare* negat. Nam quid verbis istis subest ambigui, vel obscuri? Nonne perspicuum est, quid velit, ac sentiat, nisi tricari, ac litigare magis delectet, quam verum quærere? Certe quisquis ista legit, seposito sectæ studio, et adversantium odio, nihil aliud cum animo suo reputat, nisi hoc : Christum ad humani totius generis, hoc est hominum omnium repræsentandam salutem pati, ac mori voluisse ita, ut, quantum in se est, ad singulos pertinere voluerit mortis suæ fructum, ac meritum. Sed, quoniam nonnisi volentes tanto frui remedio, et ad id libere se applicantes volebat; inde esse factum, ut non omnes fructum illum caperent, quia nollent, cum, si vellent, utique possent. Hæc sole ipso lucidiora quid frustrari attinet captiosis, et arcessitis e longinquo interpretationum calumniis? Non applicari ad omnes mortem Christi, quod adnotat epistola [2], manifesta res est; ad quam suadendam teste D. Abbas usus est minime necessario, nisi quod fraudis aliquid occultæ supervacanea ista sedulitas tegit. Applicandæ Christi mortis ad usum, ac remedium omnium, duplex omnino ratio est : absoluta una, si, nemine excepto, prorsus ac sine conditione ulla servare vellet omnes : altera conditionata, quam *hypotheticam* vocant; cujusmodi est ea, quam paulo ante descripsi, ut ea lege salvos omnes merito suo esse decreverit, si et ipsi salvi esse cuperent, et pro virili parte navare aliquid operæ vellent. De priore modo, nulla inter sanos, ac sobrios potest esse controversia; de posteriore non tam difficili, quam acri contentione vexata quæstio est. Hanc vero Tridentinam synodum voluisse decidere, nemo prudens dubitet. Nam

[1] Sess. 6. c. 3.

[2] Ep. p. 11.

aliter existimare, prorsus est illius prudentiæ, ac judicio diffidere; si verum illud est, quod dixi, de absoluta Christi voluntate ridiculum esse quærere. Quamobrem, cum eadem synodus affirmantem in ea quæstione partem amplexa sit; consequens est, ad eum sensum, quem illius decreto subjecimus, ejus auctoritatem accessisse. Neminem itaque mortalium ab generali liberandorum omnium voluntate discrevit [1] *omnium Salvator, maxime fidelium*, et præ illis etiam prædestinatorum, in quos propensiore animi proposito fuisse videtur, utpote quos singulari, et utique majori, quam reprobos, charitate dilexit.

Hæc cum adeo clara, et manifesta sint, *quid adhuc tantæ luci fumus contentionis obducitur?* merito clamaret Augustinus [2]. Quem, etsi nostræ, communique sententiæ adversatum esse cum Iprensi grege scriptor epistolæ sentiat, non est tamen contrarius; imo Christum pro omnibus passum esse, ea, quam attigi, ratione docuit. Cur autem diversis in speciem interpretationibus aliorsum significantia hoc enuntiata traxit, possum causas ejus rei probabilis afferre; sed longum est. Quare missas hic eas faciam, et alteri loco reservabo.

Epistolæ fucus perpetuus. — Augustinianæ doctrinæ fundamentum quale constituatur ab epistola. — Quæ est mera hæresis. — Unde absurda multa nectuntur.

Atque, ut hunc epistolæ sermonem morosum, et fastidii plenum, de Augustinianæ doctrinæ consectariis absolvam, qui consequentes aliquot paginas implet; observabit in eo prudens, et emunctæ naris lector perpetuum ludum, ac minime astutam fallaciam. Nam, ut Augustinianæ doctrinæ partes sibi mutuo cohærentes, colligatasque esse monstraret, ejus fundamentum, ac velut stirpem, et radicem in uno dogmate constituit, sed ficto et commentitio, atque ab Augustini sensu longe remotissimo; quo posito, cetera superstruxit ex illo pendentia, nec ejus dissimilia, hoc est falsa, et ab Augustini placitis aliena. Hujusmodi contextu tota illa catena fabricata est, in qua mendacibus principiis mendaciora sunt adtexta consequentia. Exempli causa, (non enim fingi hoc a me putare quempiam velim,) omnium Augustini decretorum de gratia et prædestinatione fundamentum in eo statuit [3]: Quod gratia Christi duplici proprietate constet, ut et necessaria sit, et sit efficax, hoc est efficiens voluntarii consensus; nec *possibilitatem* solam tribuat, sed *actualem* insuper, ut vocant, usum. Quod eo recidit, uti nulla sit Christi gratia, quæ effectu suo, quæ est voluntatis consensio, careat. Hoc enuntiatum, nexum, ac vinculum appellat, quo tota Augustini doctrina juncta secum, et conserta continetur. Est autem, ut Catholici omnes intelligunt, mera hæc hæresis ex Calvini officina profecta; cui in Dordrechtano conventiculo secta omnis illa subscripsit; ac deinceps nemo non ex illo numero plenis suffragiis assentietur.

Hinc præclara illa consectaria sunt orta, et Augustinianæ doctrinæ capita. (*Nam Sabini, quod volunt, somniant.*) Primum, non omnes salvare velle Deum: neque pro omnibus passum esse Christum; id enim ex illo priore pendet. Quippe, si nulla nisi efficiens est operis gratia, cujusmodi constat non omnibus esse concessam, maxime reprobis; sequitur ex eo, neque gratiæ auctorem Deum omnes velle salvos esse, neque pro illis passum esse Christum, cum sit passionis ejus fructus, et argumentum medicinalis gratiæ largitio. Hoc autem falsum est, utpote falso ex antecedente collectum. Tum illud quoque sequitur, non omnibus possibilia præcepisse Deum, sed iis duntaxat, quibus necessaria gratiæ adjumenta suppeditat, quæ nequaquam, aiunt, omnibus attribuit. Item istud de electione ad gloriam nullis ex prævisis certorum hominum meritis; et si qua sunt alia, quæ paginis aliquot epistola pertexuit. Quæ omnia, excepto illo de absolutæ prædestinationis dogmate, ut hæretica, et impia, synodalibus decretis, et Patrum omnium, ac theologorum eo dignorum nomine sententiis damnata sunt, ac rejecta. Non enim Augustiniana sunt, id est e germanis et sinceris Augustini nata dogmatibus; sed, ut olim Prædestinatorum commenta, ex male intellecta, et ab istis restionibus perperam explicata illius doctrina profluxerunt.

[1] 1. Tim. 4. 10. — [2] Aug. l. 1. de peccat. mer. cap. 7.

[3] Ep. p. 9. et 10.

CAPUT DECIMUM.

Augustini doctrina perperam intellecta ab epistolæ scriptore. De gratia solis electis peculiari agere sæpius Augustinum, cum de ea disputat. Quarta et postrema epistolæ consideratio discutitur.

Qui Augustinum tam odiose nobis inculcat, qui hunc unum spirare videtur, qui ex ejus interpretatione pendere vult Ecclesiam universam, synodos omnes, etiam tanto post illum tempore celebratas, nonne mirum est, tam oscitanter, et incuriose Augustinianam ab illo tractari doctrinam, ut eam minime omnium intellexerit?

Epistolæ falsa sententia.

Pagina epistolæ duodecima[1], inter ea consectaria, quæ ex Augustini dogmate illo propagavit, quod interpretatione sua inquinatum loco esse fundamenti voluit, unum proponit istud : Cum adversus illa, quæ de gratia non omnibus concessa, et necessarium consensum in nobis efficiente, Augustinus tradidit, ejus obtrectatores ita disputarent; frustra esse castigationes omnes, et increpationes ad convertendos homines adhibitas; quandoquidem, quibus gratia divinitus oblata fuerit, etiam hortante, et emendante nullo, prorsus eos necesse est corrigi ac resipiscere; quibus autem negata sit, nullius hortatione, aut castigatione revocari; cum hæc, inquam, ab adversariis sibi essent objecta, sic ex illo jacto a se fundamento propulsare talia solitum ait Augustinum : « Quantumcunque sit eficax, et necessitatem afferat gratia Christi, non tamen in cassum nos corrigi, propterea quod per correptionem, ceu viam quamdam, a gratia dirigimur. Deinde quod prodest ipsa correptio; verum iis tantum, qui sunt pacis, et promissionis filii; quibus solis gratiam largitur ad hoc Deus, ut obediant correptioni. » Hæc epistolæ verba sunt, quæ tanquam ab Augustino usurpata refert; in quo incredibiliter aberrat a vero, nec sanctissimi Patris mentem, ac sententiam est consecutus.

Augustinus in libro de Correpl. et alibi passim, ubi de gratia agit, solam prædestinatorum propriam intelligit. — Promissionis filii sunt prædestinati.

Etenim illis ipsis in locis, ubi de correptione talia disserit Augustinus, et ejus utilitatem commendat, de solis electis a Deo, ac prædestinatis loquitur; solos illos, quibus prodesse dicit, commemorat a Deo vocatos, *qui secundum propositum vocati sunt*, qui nulli alii sunt quam electi. Augustini verba ex libro de Correptione et gratia capite nono sub finem, sunt ejusmodi : « Nemo ergo dicat, non esse corripiendum, qui exorbitat de via justa, sed ei reditum, et perseverantiam a Domino tantum esse poscendam; nemo prudens, et fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, proculdubio illi etiam, quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit; faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum. Scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut judicium; misericordiam quidem, si a massa perditionis ille, qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, et non est inter vasa iræ, etc. judicium vero, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus. » Et in capite 16. et ultimo : « Proinde, quantum ad nos pertinet, *inquit*, qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, et ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis facere utilem, quos ipse præscivit, et prædestinavit conformes imaginis filii sui. » Eadem fere in libro de dono Perseverantiæ latius edisserit[2]. Ex his vero perspicuum est, Augustinum solos prædestinatos intelligere, cum quibusdam ait utilem esse correptionem, non *omnes fideles, sive perseverent, sive non perseverent*, ut ad epistolæ marginem imperita manus adnotavit; quæ cujuscumque sit, hominis est in Augustini usu, ac lectione non satis versati. Nam, si usum illius haberet, sciret *pacis, ac promissionis filios* non alios esse, quam *secundum propositum vocatos*, et prædestinatos, qui sunt spiritales Abraami filii.[3] *Qui* enim *filii sunt promissionis, æstimantur in semine*. Quem locum sæpe commemorat Augustinus; et *promissionis filios* nullos alios, nisi

[1] Ep. p. 12.

[2] Aug. de bono Pers. cap. 22. et seq. — [3] Rom. 9. 8.

prædestinatos appellari significat, reprobos nusquam. Insignis hac de re locus est in capite nono libri de Correptione et gratia, ubi sic scribit : « Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat illam perseverantiam. Absit enim, ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, et secundum propositum vocati, qui vere sunt filii promissionis. »

Scopulus ad quem Iprenses impingunt.

Sane, si quis Augustinum attente, ac considerate legerit, facile hoc, quod pridem observavimus, animadvertet, illum, ubicumque de gratia disputat ex professo, et ejus exempla profert, non de alia loqui, quam quæ prædestinatorum propria est, et cum perseverantia conjuncta, ut supra capite septimo docuimus, ut in libro de Correptione et gratia, et in duobus sequentibus, de Prædestinatione sanctorum, et Dono perseverantiæ. Atque hoc imprimis observari debet adversus recentem Iprensium sectam, qui ad hunc scopulum velut tempestate jactati, fœdissimum naufragium fecerunt. Nam, quæ sanctus ille doctor de gratia scripsit, dum eam *infallibilem*, ut vocant, ac nunquam effectu carentem esse, et hujus generis alia significavit, cum ad solam prædestinatorum gratiam, quæ cum perseverantia est conjuncta, referantur, ad universum genus pertinere voluerunt; ex quo cetera plane infanda, et ad hæresim implicata dogmata derivare non sunt veriti, ac pro Augustinianis obtrudere. Sed huic querelæ, ac disputationi opportunior est reservandus locus; nunc ad reliqua pergamus.

Quarta epistolæ consideratio. — Inanis et ridicula.

Quarta et postrema consideratio reliqua est[1], qua commotum se scribit auctor epistolæ, ut « uni ex omnibus Augustino partes mandaret interpretandi Concilii. » Nimirum quod ad hujus ætatis hæreticos convincendos aptissima sit illa ratio, si hoc illis opponatur, Tridentinum concilium nihil in iis, quæ ad fidem attinent, statuisse, nisi apostolicæ traditioni, et conciliorum ab sanctis Patribus, et ab universa Ecclesia receptorum auctoritati consentaneum, tum unius præsertim ex omnibus Patribus Augustini placitis, decretisque congruens. Verum eamdem hic cantilenam occinit, quam in superioribus tribus exposuerat, ac duplici præscriptione summovendam. Altera est, non ex eo consequi, interpretem Augustinum debere esse Concilii, maxime tanto post habiti, potius quam et apostolicam traditionem, et anteriora concilia, et Patres ceteros, multoque magis Scripturam sacram; si hoc interpretem constituit, doctrinam edidisse, cui sunt Tridentinæ synodi decreta consentanea; siquidem cum omnibus illis quadrare Tridentina dogmata fatetur. Cur ergo solum Augustinum interpretem jubet esse Concilii? Altera est, quamvis ex Augustini doctrina interpretandam esse concedamus Tridentinam synodum, nihilo commodius actum iri cum Iprensium secta, cujus e fonte rivulus iste est epistolæ deductus. Nihil enim illos adjuvat, nec ad eorum sensum loquitur, nisi assutis illorum interpretamentis, quasi detritis, lacerisque pannis ad regiam purpuram auro, gemmisque collucentem. Ut, quod supra meminimus, Tridentini concilii interpretem adhibendum esse velint, non Hipponensem, sed Iprensem Augustinum; hoc est sanctissimum doctorem non suo, sed novorum dogmatistarum sensu, et arbitrio sua decreta promentem. Hujus rei specimen sequens caput ostendet.

[1] Epist. p. 20. et seq.

CAPUT UNDECIMUM.

Multa epistolæ errata reprehenduntur; et illustratur Augustini doctrina, quam illa perperam interpretatur. De gratia prædestinatorum propria.

Falsa epistolæ præscriptio. — Et veteratoria fraus.

Pagina epistolæ vicesima tertia, et sequente, vendibiliorem sectæ suæ opinionem, et videlicet meram facere Augustinianam ita conatur. Duas Augustini tempore de gratia fuisse sententias dicit extreme sibi invicem adversas: « unam Semipelagianorum, qui, ut nonnulli contendunt, *ait*, existimabant, sine gratia posse nos credere : alteram Augustini, quæ nobis ad hoc, ut credamus, tribui gratiam affirmat, quæ nos ad credendum addicat, ac determinet. Inter has extremas tertia est interjecta sententia, gratiam dari nobis ejusmodi, quæ nos ad credendum neutiquam determinat; sed ita, ut cum illa, prout libitum est, credere possimus, vel non credere. »

Hic vero repente sermonem velut entheatus abrumpit, et paratragœdiat Dominus Abbas; quærit, ac responderi sibi postulat, ecquid media illa sententia tam abstrusa, tam subtilis, tam ad excogitandum difficilis sit, ut ejus in mentem eruditæ adeo vetustati illi nunquam venire potuerit, præsertim Augustini; qui, si de isto temperamento cogitasset, graves illas, et assiduas adversantium sibi querelas, et controversias exceptiuncula una facile declinasset.

Semipelagianorum error.

Antequam epistolæ veteratoriam artem, calumniamque palam facio, volo illud obiter expendere, quod furtim injicit, « Semipelagianos, ut nonnulli contendunt, existimasse, sine gratia posse nos credere. » Quid enim cautione ista sibi velit, *ut nonnulli contendunt*, non valde est obscurum. Hoc enim innuit, non se unum esse ex *nonnullis* istis; neque Semipelagianorum talem errorem fuisse putare. Quemnam igitur? nempe illum ipsum, quem adversariis catholice sentientibus objicere solet Iprensis schola, quod gratiam istiusmodi statuerint, cui assentiri, vel resistere, ac dissentire possimus; quæ est pura putaque Tridentini concilii doctrina. Atqui, si Semipelagiani non alii sunt, quam Massilienses illi, de quibus ad Augustinum scripsit Hilarius, et adversus quos duos libros de Prædestinatione, ac de Perseverantiæ dono edidit Augustinus; profecto, si quos habet corporis, mentis nullos habet oculos, qui non videt, illum Semipelagianorum proprium errorem fuisse, de quo clausula ista dubitare videtur.

Sed ad institutum revertamur. Laudare non possum equidem epistolæ scriptorem, qui malitiose, astuteque duas illas adversis frontibus inter se pugnantes opiniones descripsit, quomodo voluit. Non enim ita se habent; verum duæ illæ sic erant: Massilienses, qui sero tandem Semipelagiani vocati sunt, aiebant sine gratiæ Christi auxilio ullo, solis naturæ viribus posse homines credere, ac velle salutem adipisci; eo quod libero quisque arbitrio sanitatem vel optare possit, tametsi ad eam exequendam voluntatem gratia sit opus, in quo a Pelagianis discrepabant.

A quo differt Augustini sententia. — Falsa epistolæ dogmata.

Huic opposita erat Augustini, eademque Tridentina, et catholica fides : gratiam Christi ad omne bonum opus non faciendum solum, sed etiam volendum, (quod quidem ad salutem utcumque pertinet,) adeoque ad omnem credulitatis affectum omnino esse necessariam; sed ita tamen, ut, quod gratiæ convenit, efficeret penitus, ac liberum hominis arbitrium non necessitate ulla traheret, sed mulcendo, ac blandiendo pelliceret. Media inter ambas postea est exorta Prædestinatorum hæresis. Imo extrema ista facta est, Pelagianæ, et pro parte, Massiliensi ex adverso posita. Inter utramque intermedia constitit illa Augustiniana, et catholica. Tandem vero paulatim exolescente Prædestinatorum cruda illa, nec satis diluta, et barbara opinionis amentia, in ejus locum, velut succedaneum, cessit Iprense virus, cujus succo ebria est epistola. Tum illa demum audiri cœpta sunt portenta Tridentinis inimica decretis; in quibus elidendis multum hodie catholica laborat pietas, et industria.

Tolle igitur *quod tuum est*, mi homo, quisquis epistolam istam elucubrasti; et abuti desine acutorum, ac perspicacium virorum patientia, qui, quid lupo canis, quid lupinis æra distent, plus quam vestra refert, imo, quod plurimum vestra, si sapitis, interest, agnoscunt, ac dijudicant. Tuum est, imo cum Calvino, et Luthero, ac tota istorum colluvie commune tibi dogma, libertatem voluntatis soli repugnare violentiæ; cum necessitate consistere. Augustinianum, et Catholicum non est. Tuum est, gratiam Christi sic ad consensum trahere voluntatem, ut dissentire non possit, sed necessitate quadam trahentem, ac vocantem sequatur. Nunquam de eo cogitavit Augustinus. Tuum est, nullam omnino Christi esse gratiam nostra culpa irritam, ac sufficientem quidem ad exprimendum voluntatis assensum, sed ea resistente, reipsa, et *actu* neutiquam efficacem; verum prorsus omnem gratiam assensum non tam impetrare a nobis, quam in nobis necessario efficere; et hoc infestum est catholicis auribus, nedum ab Augustino defensum, ac traditum. Tuum est, ne longius faciam, quidquid epistola tua de Tridentini canonis interpretatione nimis absurde, et, ut verum dicam, non satis considerate, ac catholice disputavit; quod paulo post necessariis convincam rationibus.

Duplex gratia apud Augustinum.

Poterat hæsitationi tuæ, ac quæstioni, qua urgeri putas, opprimique catholicam causam, vera et sincera doctrina Augustini satisfacere, ac falsissimam tibi de necessitatem inferente gratia opinionem excutere, si hoc attenderes : Gratiam apud Augustinum unam esse cum reprobis communem, quæ ante vivendi finem excidit : alteram prædestinatorum, et secundum propositum vocatorum propriam, quæ cum perseverantia copulatur. Hæc vero sola certa est, et effectum prorsus obtinet, ideoque *infallibilis* a theologis dicitur. De utroque gratiæ genere, vel morali potius proprietate, et affectione (nam natura non differunt) luculenter disserit Augustinus in libro de Correptione et gratia [1], tum in duobus sequentibus libris. Quamvis, ut supra memoravimus, reprobis ad tempus oblatam illam gratiam obiter tantummodo, et quadam alterius occasione perstringat. De gratia vero cum ex professo, et absolute contra Pelagianos sic disputat, ut horum gratiæ Catholicorum gratiam opponat, et ambas inter se contendat, non aliam temere, quam prædestinatis peculiarem, ac perseverantiæ dono adjunctam, et in eam, velut in catena quadam aurea, desinentem exprimit, atque in exemplum adducit.

Gratia prædestinatorum congruentiam habet.

Inest autem in hac gratia præcipuum quiddam, quod deest alteri, ut congruenter, et opportune sic immittatur a Deo, ut, quod ille certissime prævidit, effectum omnino sit habitura, et voluntatis assensionem non modo citra vim, sed etiam citra necessitatem obtineat : quod Tridentina synodus decrevit. Hanc gratiæ cum voluntate congruentem, aptamque temperationem pulchre Augustinus declarat in libro primo ad Simplicianum, ubi inter alia scribit sic [2] : « Verum est ergo : Multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. » De hac etiam congruentia pluribus disserit erudite Chrysostomus, cum de Pauli vocatione agit; eamque sine ulla necessitate transactam probat Homilia 43. tomi quinti [3].

In hac ergo contemperatione, et congruenti aptatione posita est peculiaris beneficentiæ ratio, quam frustra quærit epistola; et ibi, ubi non est, cum flagitio invenire satagit potius, quam in sana, et catholica doctrina constitutam excipere.

Quid in Augustini doctrina improbarunt aliqui.

Indidem præterea colligimus, qua re offensi Augustinianæ doctrinæ adversarii ab eo dissiderent, de quo litem movet epistola. Hoc enim minus approbabant, sine ullis antegressis meritis, quibusdam ejusmodi decerni a Deo, destinarique gratiam, ac tali opportunitate, et congruentia, in qua sciret illius auctor, ac dispensator effectu suo minime carituram, aliis nihilo deterioribus, neque pejus de se meritis non eamdem gratiam adspergeret. Hinc illæ lacrymæ. Nam plerique eamdem omnibus efficacitatem gratiæ, quantum in ipsa est, præsto esse volebant, ac si quid esset discriminis, id eorum, qui sunt vocati, arbitrio, aut, ut pessime sentirent, merito tribuendum esse dicebant. Hæc obiter hoc loco, et compendio per-

[1] Cap. 5. et deinceps. — [2] Aug. tom. 4. pag. 270. C.

[3] Edit. Savil. p. 269. seq.

stricta, ut accurate, ac penitus intelligantur, pleniorem tractationem postulant; sed ea non est temporis hujus, atque otii. Quantum tamen præsentis interest instituti, et ad diluendas epistolæ cavillationes spectat, puto nos istis posse esse contentos, quibus diligenter animadversis, nihil erit, quod nos Augustinianæ doctrinæ, vel Iprensis potius falso huic accensitæ terricula ista conturbent.

CAPUT DUODECIMUM.

Epistolæ pars altera confutatur, in qua Tridentini concilii canonem quartum sessionis sextæ nova interpretatione depravat illius auctor. Quæ primum explicatur; deinde universe refellitur, quod sit absurda, neque cum verbis decreti congruat, imo Luthero inexpugnabilem respondendi rationem suppeditet.

Præfationis ad epistolam insulsa jactantia. — Canon Tridentinus.

Restat epistolæ pars secunda[1], in qua certa ratio proponitur Tridentini canonis explicandi, qui jamdudum Iprensem familiam misere conturbat, nec acquiescere hactenus patitur. Nam in eo canone, liberi arbitrii cum gratia conspiratio, et συνεργία tam disertis verbis exposita est ad communem et catholicum sensum, ut illius luci, ac splendori nulla cujusquam cavillatio tenebras offundere potuerit. Sed tandem extitit anonymus auctor epistolæ, qui nova, et acuta canonis interpretatione, ceu virgula divina, laboranti causæ subsidium afferret. Quod inventum sic miratur, et commendat epistolæ præfatio, ut affirmare non dubitet, « prorsus insanos oportere esse, qui mox, ut legerint, et utcumque perpenderint, non ab eo convicti, persuasique discedant. » Magnifica vox, sed non perinde vera; imo et falsissima, et ab non sano capite temere, insolenterque jactata; quod deinceps probare aggredior, ut illud græci scriptoris multo esse verius intelligant:

Οὐδὲν ἐν αὐθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα.
Ἀλλ' ὅ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Verba canonis : *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam sanctificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

Quomodo explicatur in epistola. — Absurdissima interpretatione.

Hujus decreti germanum, verumque sensum ex Lutheri hæresi, contra quam editum est, colligendum esse scriptor epistolæ contendit[2], ac duo illius effata commemorat : alterum, *Liberum arbitrium cum Dei gratia concurrere, tanquam expers animæ quippiam :* alterum, *hominem assentiri gratiæ, etiamsi nolit.* Hæc hæretica enuntiata duo, totidem in uno canone sententiis notasse, ac jugulasse Tridentinos Patres affirmat. Nam priori respondere canonis istud, *Si quis dixerit, liberum arbitrium, velut inanime quoddam, nihil omnino agere.* Posteriori autem illam ejusdem particulam, *Si quis dixerit, non posse dissentire, si velit,* hoc est, *etiamsi velit,* eo quod Lutherus invitos etiam, reluctantesque dicebat trahi ab gratia. Jam vero, licet aspirante cordi hominis, et immissa gratia, voluntas necessario velit, et assentiatur, nec possit resistere, ut Abbas existimat; recte tamen in canone dici asserit *posse dissentire, si velit;* quoniam si vellet, dissentiret, etsi velle tum nequeat. Id enim possumus, estque in nostra potestate, quod, si volumus, faciamus, sine ulla naturæ, vel status mutatione. Quocirca[3], cum gratiam recipimus, uno sensu nos ait eam posse repudiare, altero non posse. Posse quidem, quoniam faceremus, si ita vellemus; non posse vero, quia non possumus velle : tum quod gratia certo, et *infallibiliter*, ut loquuntur

[1] Epist. p. 45.

[2] Epist. p. 60. — [3] Ep. p. 48.

scholæ, id operatur, ut velimus, et nolle minime possimus; quando « ad volendum bonum, ut ait S. Thomas [1], gratia nos determinat. » Ad summum negat epistola, in illo canone liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον exprimi, id est *indifferentem* [2], et ad utrumvis optandum expeditum ab omni necessaria determinatione statum, sed [3] « voluntatem, qua facultas est realis volendi, et agendi, quando consentimus, aut dissentimus. » Atqui tam est hæc absurda, et dissentanea canonis illius explicatio, ut mirari satis nequeam tantopere probatam eam, ac laudatam ab non imperitis hominibus, qui et canonem ipsum utcumque perpendissent, et communis ad res dijudicandas sensus aliquid afferrent.

Vera illius explicatio.

Ut utrumque pervideri melius possit, tum verus decreti sensus, tum novæ interpretationis ab illa discrepans, et ab omni probabilitate aliena ratio; multum proderit caput ejusdem sessionis sextæ Tridentinæ quintum cum illo canone contendere; hic enim ab illo, velut matrice prodiit. Igitur capite quinto, justificationis modum explicans Synodus docet, eos, « qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponi ita, ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. » Hinc petenda canonis vera est, et certa sententia, qua cum epistolæ παρερμηνεία nequit consistere.

Quæ ex verbis Concilii probatur. — Falsa epistolæ expositio confutatur.

Nec enim alio capitis illius verba detorquere licet, quam ut hoc sonent, et exprimant, quando cor hominis aspirante gratia tangitur, et ad assentiendum allicitur, deque eo deliberat animus, utrum amplecti, an repudiare oblatam sibi gratiam debeat, hoc est ad eam recipiendam, aut recusandam sese determinare; dum, inquam, rationis judicio utrumque proponente, voluntas electura est, quod magis sibi placuerit, sic eam demum sponte sua, et libere unum asciscere, puta consensum cum gratia, ut, si mallet, ei contrarium dissensum eligeret. Ex duobus enim datur illi optio : et pro eo, quod, quia vult, eligit, tum velle, tum eligere posset alterum. Hæc ergo consensio, ac dissensio ad idem tempus referri debent, et sic inter se comparantur in canone, ut ex capitis 5. doctrina necessaria ratiocinatione colligitur. Nam particula, *et*, in illis verbis, *quippe qui illam et abjicere potest*, indicat eo ipso momento, quo unum vult, alterum potuisse velle. At epistola dissonum quiddam, et male cohærens subjicit, in hunc modum. Demonstrare hoc ait velle Tridentinos præsules adversus Lutherum, hominem gratiæ assentientem non esse trunci instar, aut lapidis, omnis motus, et actionis expertem, sed nonnihil agere; quod autem aliquid agat, inde colligere, quoniam et dissentire potest, non tunc quidem, cum gratia tangit, et afficit, sed postea, quando propter naturæ mobilitatem, gratiam illam, quam necessario impulsus receperat, mutata voluntate rejiciet. Verum quid ista aliquanto post intervallo suborta rejiciendi voluntas, et actio ad hoc pertinet, ut ex ea concludatur, egisse aliquid antea voluntatem, quando gratiam admisit? præsertim cum non de quavis hic actione sermo sit, sed *de libera assensione*, ut Synodus loquitur. Fingamus hominem quempiam obrutum somno forte in terram cadere, et aliquandiu jacere istic, aut sedere; ac paulo post expergefactum, sponte ac libere consurgere, pedibusque consistere; tum ita ratiocinetur aliquis : hominem istum ultro, et libere in terram cecidisse, quoniam libere surrexit, et institit; qui sic disputet, hunc tu hominis, an pecudis potius loco habendum esse censeas? Vide, annon simillimam Tridentini concilii argumentationem epistolæ auctor interpretatione sua faciat. Quin etiam, quod commenti vanitatem magis ostendit, Lutherum adversus objectam sibi ab Concilio rationem sic armat, et instruit, ut nihil hiscere contra quispiam posset. Cum enim inter Catholicos constet, Lutheranis etiam assentientibus, neminem sine gratia boni quidquam, et ad justitiam spectantis agere posse; peccare autem ex sese posse, ac male facere; Concilii decreto ita, ut D. Abbas exposuit, asseveranti, hominem, cum gratiam recipit, moliri aliquid, et agere, propterea quod eamdem postea repudiare gratiam potest, facile Lutherus occurret, nec esse conse-

[1] S. Tho. 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3.

[2] Ep. p. 58. — [3] Ibid. p. 59.

quens dicet, ut si in recepta gratia respuenda agat aliquid homo, in recipienda itidem agat. Hoc enim esse discrimen utriusque, quod assentiri inspirationi divinæ, opus gratiæ sit, quæ voluntati necessitatem affert ita, ut agatur, non agat humana natura; sed perinde *passive* se habeat, *ac si dura silex, aut Marpesia cautes* externo aliquo impetu, et impulsu moveatur. Quid adversus hanc Lutheri responsionem Tridentini concilii argumentatio illa proderit, dicat auctor epistolæ, si potest, et interpretationis suæ falsitatem agnoscat.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Nonnulla per saturam in epistolæ parte altera notantur absurde dicta. Calumnia ejusdem in explicanda libera potestate, ac deinceps aliæ similes. Tridentinæ doctrinæ inepta declaratio ab eadem adhibita.

Canonis Tridentini ludicram explanationem, et inconcinnam generatim confutavimus antecedente capite; nunc eodem pertinentia quædam errata persequemur, leviter singula delibantes, ne ingratæ, sed neceşsariæ operæ longitudo ipsa molesta sit.

Novorum dogmatistarum stropha. — Formula liberæ potestatis.

Hic mihi primum animadvertat Theologiæ peritus familiarem Iprensibus stropham in definienda libertatis proprietate. Cum enim liberum hoc dicatur ab humanæ, divinæque sapientiæ consultis, *quod in nostra est potestate*, quam Græci ἐξουσίαν nominant, a qua τὸ αὐτεξούσιον *liberum arbitrium* vocatur; illud in potestate esse nostra definiunt sic [1], ut hoc ejusmodi sit, quod, si volumus, facimus. Verum manca est, et altera parte deficiens potestatis ista ratio. Ut ergo plena et integra sit, addatur et istud, *et si nolumus, non facimus*. Hoc enim libertatis natura postulat, et indifferentia, quæ duo illa requirit; ac, tametsi plerique scriptores unam ambarum partium exprimant, altera tamen necessario subaudienda est. Vide enim sophisticam istorum hominum versutiam. Cum tu hoc illis concesseris, *in potestate esse nostra, adeoque liberum nobis, quod, cum volumus, facimus,* quædam exempla proferent, in quibus insidiose te circumvenient. Nam et beati, cum volunt, Deum amant; et quia semper volunt, nunquam non amant, ac proinde libere amare dicentur. Ita Deus Pater, et Filius amant se mutuo, cum volunt, quia semper volunt. Quare ex illorum definitione libere utrumque fiet, etsi fiat necessario. At illud oppido est absurdum. Itaque ambo, uti dictum est, opposita invicem exprimi debent. Ita facit Augustinus, qui in libro de Spiritu et littera, capite 30. scribit sic : « Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit. » Pessime itaque hoc in epistola positum est, gratiam, etsi necessario ab voluntate suscipiatur, libere tamen accipi; quia, cum vult, et si vult, illam recipit, quamvis non velle, aut non recipere nequeat. Hoc enim subdolum, et captiosum est. Idcirco Tridentinum decretum, ut libere consentire nos gratiæ significet, ambo illa, *consentire,* aut *dissentire,* complectitur.

Alia fraus epistolæ in Prosperi loco usurpando.

Non dissimili fraude passim epistola vocabula quædam inserit, cum de libertate loquitur, quæ *indifferentiam* excludunt, tanquam ab illis usurpata scriptoribus, quorum testimoniis utitur. Hujusmodi ista sunt. Ex Augustini discipulo Prospero colligi ait [2], « In potestate martyrum non fuisse non pati, quoniam Deus effecit, ut hoc vellent, fortissimo et inextinguibili, et invincibili ardore caritatis. » Nusquam hoc a Prospero dictum est, in potestate non habuisse martyres, ut cruciatibus cederent; sed hoc solum dixit [3]: Tantam illis constantiam datam fuisse, « ut ille ignis

[1] Epist. p. 46. 48. etc. — [2] Epist. p. 47. post med.

[3] Prosp. l. 2. de Vocat. gent. c. 5.

dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui. » Multum vero illa distant, non potuisse fidem martyrum ab tyrannis, et tortoribus extingui, et in potestate non habuisse martyres, ut tormentis cederent, et a fidei professione desisterent.

A quo determinatur voluntas.

Non satis quoque prudenter usurpatum istud est [1], non eos posse respuere « gratiam, quibus hæc aspirat, eo quod velle nequeunt; et hoc infallibiliter efficit gratia, ut non velint. » Falsum est, et ab Tridentino concilio anathemate vindicatum, eos, qui gratiam libere assentiendo recipiunt, dissentire non posse; nec idem est *infallibile*, quod *necessarium*, in quo misere conflictatur Iprensium schola; sed nec omnis *determinatio* voluntatis necessitatem affert. Nam ab intellectu, et judicio rationis determinatur voluntas, et a seipsa; neutra tamen determinatio necessitatem indicit. Ita « gratia determinare voluntatem ad bonum » dicitur ab S. Thoma [2]; quem dicti sui auctorem, ac fundum nominat epistola : sed de suo perperam addidit, quod ab Tridentinis Patribus docui esse damnatum.

Alia fraus in Augustini loco.

Pari licentia necessitatis vocem emetitur Augustini sententiis [3], quas ad marginem citat, in quibus hæc tantummodo comparent [4] : Dei in movendis cordibus *efficacissimam esse potestatem;* tum [5] datam esse Petro *fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem* : et hujus generis alia, quæ Deo potestatem attribuunt in juvandis ad perseverandum electis suis insuperabilem, et invictam, et omnipotentissimam : non tamen eamdem divinitus concessam gratiam « fortissima necessitate operari effectum suum, » asserunt, quæ sunt epistolæ verba [6], Augustinianis assuta testimoniis, quod nemo prudens laudaverit. Atqui necessitatis nomen idem, quasi pro concesso, et explorato, sæpius ex Augustino repetit eadem epistola [7]; tum ita loquitur : « impossibile esse, divinam gratiæ motionem non exprimere consensum nostrum; » quæ verba subinde referam.

Aliud commentum epistolæ ad interpretandum Tridentinum concilium.

Rursus [8] *fundamentum, et radicem doctrinæ suæ* (quam falso sanctis Patribus adscribit,) id est rejiculæ interpretationis canonis Tridentini, in hunc modum declarat, quem bene perspectum habere refert ad epistolæ dijudicandam indolem. Concupiscentiam, sive insitam, et inexhaustam cupiditatem, quæ intestinum in nobis bellum excitat, bifariam ait accipi. Interdum enim ἕξιν, id est habitum ipsum, sive statum significat, peccatique fomitem, quæ sunt originalis peccati reliquiæ, quo ex habitu, tanquam ex fonte manant *actuales*, ut vocant, cupiditates, quæ concupiscentiæ est altera notio de duabus, quas dixi. Eæ porro non semper eædem, hoc est æque valentes, et efficaces ex nativa illa vena profluunt, sed alias validiores habent impetus, et assultus, qui aspirantis gratiæ vim debilitant, et infringunt; alias imbecilliores sunt, et a victrice gratia superantur, alternante inter ambas victoria.

Hoc constituto principio, mirifica quadam ratione novam illam, quam exposui superiori capite, Tridentini canonis interpretationem roborat, et illustrat. Gratiam asserit, quæ cum cupiditate assiduum bellum gerit, vel cum *habituali concupiscentia*, vel cum *actuali* posse comparari, et pro alterutra istarum habitudinum dici nos posse gratiæ resistere, vel non posse resistere. Posse quidem obluctari, ac resistere gratiæ eatenus dicimur, quod, etsi reipsa non resistimus, sed cupiditatem coercemus, *actualem* scilicet illam, tamen fieri posset, ut ex *habituali concupiscentia*, sic tanquam ex Ætnæ, aut Vesuvii spiraculis, vehementiora prorumperent incendia, et motiones existerent afflatu gratiæ validiores, quibus hæc oppressa cederet. Non posse autem resistere gratiæ dicimur ideo, quod remissiores habeat impetus cupiditas, quam gratia.

Et ludicra illius expositio.

His animadversis, Tridentini canonis sensum hunc expedit [9] : « Cum liberum arbitrium docet a Deo excitatum posse dissentire, si velit, quamvis impossibile sit, motionem illam non exprimere consensum, effectuque carere; hoc

[1] Pag. Ep. 48. sub fin. — [2] S. Thom. 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3. — [3] Ep. p. 48. — [4] Aug. de gr. et lib. arb. c. 16. item 1. ad Bon. c. 20.

[5] Aug. de correp. et gr. c. 8. et 9. — [6] Epist. p. 48. fine. — [7] Pag. 36. et seq. veluti 51. fine. — [8] Epist. p. 50. et seq. — [9] Epist. p. 152.

ita posse ait exponi, ut uno sensu possimus convertenti nos gratiæ resistere, altero non possimus. Nam resistere non possumus per actum illum solum concupiscentiæ, qui tum ex habitu illo proficiscitur; possumus autem eidem obsistere gratiæ, quatenus in ipso concupiscentiæ habitu suppetit nobis, unde illi resistere possemus, si majorem, quam qui reipsa extitit, concepisset ardorem. » Hæc epistolæ auctor.

De quo interpretationis commento verissime mihi videor esse dicturus, quod de Timæi historici dicto quodam Plutarchus in Alexandri vita pronuntiavit; cum quidem ille in historia sua prodidisset, mirandum non esse, quod eadem nocte, qua magnus Alexander in lucem editus est, Dianæ Ephesinæ templum deflagrasset, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo; hoc enim dictum adeo frigidum esse credidit Plutarchus, ut ad illud sufficeret templi restinguendum incendium. Idem igitur de illa interpretatione merito dixerim : Adeo hanc frigidam esse, ut ardorem quemlibet domestici illius incendii possit restinguere.

Ex qua portentum sequitur.

Age enim, quid ex illa canonis expositione monstri simile conficiatur, ex antecedenti epistolæ disputatione monstremus. Tridentinum docuit concilium, nihil in animo aliud habuisse condendo illo decreto, quam ut ostenderet, hominem in assentiendo, recipiendaque oblata sibi gratia, aliquid agere, nec, instar stipitis, propriæ esse motionis expertem. Hoc cum illis verbis probare conetur : *quippe qui illam et abjicere potest*, quæ in capite quinto leguntur; necesse est sic argumentationem suam informarit, ut aliquam homo in assentiendo propriam actionem exerere ex eo cognoscatur, quod insitum habeat concupiscentiæ fomitem, quo possit agere, et actione ista posteriori receptam gratiam abjicere. Quænam vero est ista collectio, hominem agere, quia postmodum agere potest? Certe hoc in scholis tirones audiebamus: non esse necessariam consequentiam, quæ ab agendi potestate ad actionem ducitur. Neque enim recte colligas, cum de cædis auctore quæritur, idcirco Milonem occidisse Clodium, quia potuit occidere. Valet autem argumentatio, et necessario nectitur ab actu ad potentiam : fecit, ergo facere potuit. Quid tam male de epistolæ scriptore meruere Tridentini Patres, ut eis tam insignem vecordiam, et inscitiam affingeret?

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Prosperi locus ridiculum in sensum acceptus ab epistola. De duplici gratia inutilis ejusdem observatio; falsa item expositio Tridentinæ doctrinæ.

Prosperi locus. — Ridicule expositus ab Abbate. — Ad Pelagii imitationem.

Sicut arboris ex fructu, fontis ex rivo, et universe ex effecta re causæ, et originis indoles agnoscitur; sic ex doctrinæ consectariis, cujusmodi ea sit habenda, judicatur.

Prosperi locus est, quem ad illustrandam sententiam suam de Tridentini canonis sensu auctor attulit epistolæ; qui locus de illa ipsa sententia, et interpretatione quid statuendum sit, ex consequentibus ostendet. Verba epistolæ post expositam rationem, qua resistere gratiæ posse dicimur, etiam cum illi assentimur [1] : « Ideo, ut affirmat S. Prosper, qui stant, neque cadunt, standi meritum habent, quoniam in seipsis habent, unde cadant; etsi Deus perpetuo, et inconcusse propensionem illam sustineat, qua in casum, et perfectionis jacturam ex se ipsi sunt proclives. » Sententia porro illa Prosperi, in quam digitum intendit, sumpta est e lib. 2. de Vocatione gentium paulo ante finem : « Ut quamvis auxilio Dei steterint, *inquit*, tamen, quia in se habebant, unde caderent, ipsorum sit meritum, quod steterunt. » Jam si epistolæ scriptorem audimus, cum illud, quod Tridentina synodus capite quinto sessionis sextæ, et indidem canone quarto

[1] Epist. p. 52. fine et 53.

docuit: posse resistere gratiæ, et eam repudiare, cum id non facit, sed eam e contrario recipit; nihil aliud sit, quam intestinum habere concupiscentiæ fomitem, et corruptelæ statum, qui vehementiores emittere cupiditates posset tum, cum, ne id agat, victrice gratia constringitur, ab quibus superata gratia, voluntas infracta, et enervata cederet, atque oblatam eamdem sibi gratiam respueret; hoc ex D. Abbatis opinione constituto, sequitur illud impense absonum, et absurdum, mereri sanctos, ac præmio affici ob hoc ipsum, quod non reipsa fecerunt, sed facere poterant, etsi de eo minime cogitarunt. Etenim concupiscentiæ vis, et impetus eatenus causa est meriti, quod dum actu, reque ipsa bellum movet, ac tumultuatur, homo fretus opitulante gratia, cum illa repugnante vicissim luctatur, et eam comprimit. Quatenus autem acquiescit, et a Deo sine opera nostra coercetur, nullam nobis coronæ, ac gloriæ segetem parit; nisi forte dum futura, vel ab ea formidanda prælia cogitantes, ad ea nos propulsanda comparamus, et aliquid molimur. Hoc enim tantumdem est, ac si reipsa pugnam consciscceret. Ceterum ob id unum, quod, cum voluntas humana, divinæ gratiæ potestate subacta, eam necessario recipit, et eadem necessitate domita concupiscentia, nihil turbarum ciet; mereri hominem putare, illius victoriæ causa, non quam certando reportarit, sed quam reportare potest, quia et hostis potest confligere; tam est ridiculum, et damnandum, qnam quod contra Pelagianos scribens reprehendit Augustinus [1], ut rei ob id infantes constituantur, ac pœna digni, quod, si viverent, illos Deus facturos esse prævidit. « Nimirum eas animas parvulorum sine baptismate moriturorum a justo Deo in carnem peccatricem relegari, atque damnari, quas præscivit, si ad ætatem pervenissent, in qua libero uterentur arbitrio, male fuisse victuras. » Quid enim ab hoc interest, quod in epistola traditur, ob id mereri præmium quempiam, quod vincere potuit, si ei pugnandi copia dedisset hostis, quam nullam quiescendo præbuerit? Sane, ut se habet illa D. Abbatis opinio, in olympicis ludis coronam mereri athleta ille potuit, qui cum altero compositus, eo ante initum certamen mortuo, vel alligato, brachia non commoverit, sed toto ludorum tempore otiosus spectator assederit; quippe qui eo ipso certare poterat, et vincere, quod adversarius manum conserere potuisset.

[1] Aug. lib. 1. de anima c. 12. — [2] Epist. p. 55. et seq.

Duplex gratiæ pars. — Cujus observatione abutitur epistola.

Urinus quoque, ac subventaneus est ejusdem ingenii fetus ille, quem pagina quinquagesima quinta epistolæ continet. Ibi [2] gratiæ divinæ partes duas, sive functiones discernendas esse admonet: quarum una est in mentis illuminatione posita: altera in motione voluntatis, quæ suavitatem, ac delectationem affert. Ita passim Augustinus contra Pelagianos [3]. Harum priori voluntatem fatetur posse resistere, posteriori negat posse; quo ex discrimine Tridentinum canonem explanare studet, cum ait vocantem et excitantem gratiam repudiari posse. Id enim ad intellectus illustrationem referri putat, non ad voluntatis commotionem. In quo minime est audiendus. Nam Tridentinum decretum de ea gratia perspicue loquitur, quæ plena est, et Christi propria, hoc est quæ voluntatem afficit. Quippe hujusmodi est illa gratia, *qua Deus tangit cor per Spiritus sancti illuminationem*. Cor autem in Scripturis, quarum loquendi consuetudinem scimus a Patribus et conciliis usurpari, *voluntatem* haud dubie significat. Huic ergo gratiæ, quæ voluntatem movet, refragari potest homo, eamque repellere; quod ibidem Synodus declarat, suis verbis ac sensibus loquens, non alienis detorta, et infuscata commentis.

Perperam etiam Tridentini concilii mentem explicat. — Eaque refellitur. — Et fucus illius ostenditur.

Reliquum est ex epistolæ argumentis, quibus novam interpretationem confirmat, unum illud, quod auctori firmum, et præclarum videtur, atque in hunc modum instituitur [4]. Tridentinum concilium adstruit in sessione illa sexta, cum de libera voluntate hominis agit, non de ea loqui, quæ in indifferentia sita est, sed de naturali facultate volendi, quæ cum necessitate cohæret; et quamvis ad unum alligata necessario, ac determinata, nihilominus libera permanet: quo præcipuo fundamento Iprensis schola nititur. Ita porro ratiocinatur epistola: Tridentinam synodum ait in illo decreto libertatis genus istud asseverasse, non, quo sublato, voluntas agere cum indifferentia desinat, sed sine quo nihil agat omnino, ut antea diximus, et in pag. 58. resumit epistola. Siquidem negotium est illi cum Luthero, et ejusdemmodi hæreticis, qui voluntati in recipienda gratia omnem eripiebant actionem;

[3] Lib. 2. de pec. mer. c. 17. et 19. lib. de grat. Chr. c. 10. et seq. — [4] Epist. p. 58. et seq.

non eam solam, quæ cum indifferentia conjungitur. Ex quo concludi putat, naturalem ipsam volendi facultatem, qua simpliciter volendo aliquid appetimus, illo decreto comprehendi; non eam, quæ in indifferenti, et ad neutrum determinato statu consistere dicitur. Mihi vero hæc argumentatio omnium ad concludendum ineptissima, maximeque imbecilla videtur. Ut enim concedamus illud, quod de Lutheri opinione sumit; nec est modo curandum; certe non minus recte ratiocinatio ipsa procedit, si ex eo, quod libere voluntas operatur, id est ex indifferenti potestate, citraque necessitatem, probemus eamdem actuosam esse, nec expertem motionis omnis, ut Luthero placuisse, ob idque decreto illo notatum esse scriptor epistolæ contendit. Quod autem Tridentina synodus de istiusmodi libera potestate, quæ arbitrium liberum proprie nuncupatur, deque peculiari ejus actione, quæ *electio* dicitur, intelligi debeat; tum verba, quibus utitur, tum quæ de illorum interpretatione supra disputavimus, sine ulla ambiguitate declarant.

Porro similiter facit D. Abbas, cum adversus communem de Tridentino canone sententiam illo modo disserit, ac si quis probare volenti, hominem naturali motu, et actione esse præditum, nec trunci instar ἀνενέργητον, idque ex eo demonstranti, quod ratiocinatur, quod intelligit, obstreperet sic, et argumentum istud opponeret: Si quis hominem non esse stipitis more vacuum omni motione, et actione, probare instituit, tale genus actionis ad id ostendendum assumere debet, quo sublato, trunci similis esset. Quis sic argumentantem ultra sustineat, ac non risu, conviciisque proturbet? Denique substantiam aliquam sensu præditam esse inde concludi licet, soletque, quod sit rationalis; nec, ut illud approbem, ulla me dialecticæ præcepta cogunt genus illud actionis tanquam *medium* asciscere, quod si desit, consequens fiat, sensu omni carentem esse substantiam.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Tridentinæ doctrinæ sensus ex eorum expositione, qui Concilio interfuerunt, eruitur; ac primum ex Dominico Soto, qui communi sententiæ suffragatur. Tum ex Andrea Vega.

Canisii memorabile dictum.

Cum hic ergo disputandi finem decressem facere, venit mihi in mentem accessionis cujusdam, qua utiliter obsignari posset, et vero deberet nostra ista commentatio. Nam, cum de Tridentini decreti interpretatione potissimum agatur, et hoc in quæstione positum sit, quem in animo sensum verborum, qui illud condiderunt, habuerint Patres; nihil ad id investigandum expeditius potest esse, quam quod Petrus Canisius in præfatione ad opus Andreæ Vegæ de Justificatione, suadet his verbis: « Illud dicam, permagni sane referre, ut ad manum habeamus quorumdam testimonia scripta, qui velut oculati testes actionum dicti concilii, coram adfuere; ut horum etiam sententia, et interpretatione nobis, et posteris explicatiora reddantur, quæ sunt in eadem synodo constituta. » Hoc vero summi viri consilium magnopere nobis placuit; credo itidem, et aliis visum iri prudentibus, ac veri studiosis lectoribus; quorum in gratiam aliquot hic appellabo testes, et interpretes mentis, ac propositi Tridentinorum præsulum, ex iis, qui tum præsentes interfuere Synodo, cum decreta illa fierent.

Ac præ ceteris duo illi producendi sunt, qui omnium doctrina, et auctoritate, ex privatorum ordine, principes fuisse perhibentur; ac magnum ad decidendam illam controversiam, quæ de justificatione tum est commota, momentum attulisse. Fuit autem, quod in Historia concilii istius memoriæ proditum est [1], tam accurata, imo anxia, et laboriosa de illo decreto inquisitio tum facta, ut centies de ea deliberatum sit, et itum in consilium partim a prælatis, partim ab theologis. Horum e numero,

[1] Hist. lib. 2. p. 255.

quod dicere cœperam, qui duo designati a me sunt, extitere Dominicus Soto Segobiensis, ex Dominicanorum familia, et Andreas Vega Hispanus, ex Franciscanorum ordine, qui ab Observantia insigne nomen accepit, Salmanticensis academiæ theologi professores ambo, et ille insuper Carolo V. imperatori a confessionibus. Hi [1], cum in nonnullis, quæ ad illud argumentum attinent, et impune, ut fit in scholis, in utramque partem disputantur, a se mutuo dissiderent, (quæ altercatio primorum inter se theologorum deliberationi præcipue moras attulisse dicitur,) post decretum consensu omnium temperatum, et editum, pro sua quisque sententia perseverarunt contendere; ac duo anno eodem 1548. inter se pugnantes prodiere libri : alter Dominici a Soto de Natura et gratia : alter Andreæ Vegæ de Justificatione. Hæc ex historia Tridentini concilii ideo referre volui, ut constaret, id, in quo duo illi, ceteroquin adeo discordes, inter se consentiunt, quod ad sensum Tridentini decreti pertinet, id pro germanoo, cert, et indubitato tenendum.

Atqui iidem duo clarissimi, gravissimique doctores theologi in explicanda Tridentini concilii doctrina secum invicem, et nobiscum adamussim consentiunt; ac novorum dogmatistarum et ante hos Lutheranorum, et Calvinistarum opinionem pro hæretica judicant; et ad eam non alio, quam quo illi profitentur, intellectam sensu, damnandam, ac profligandam accommodari synodica illa decreta confirmant.

Dominici Soto de libero arbitrio, et gratia sententia. — Liberum arbitrium ad utrumvis indifferens.

Dominicus Soto lib. 1. de Natura et gratia cap 15. de libero arbitrio, ejusque cum gratia consensu accurate disputans, ac Tridentini concilii cap. 5. et canonem 4. sessionis sextæ declarans [2], « Neminem, *inquit*, coactus (leg. coactum) Deus, aut necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiam ejus respuere, uti S. Trident. syn. sess. 6. cap. 5. et can. 4. determinavit. Et præterea quod quoties assensum nostrum præbeamus, et cooperari Deo velimus, nunquam per ipsum stat, quominus præsentissimo favore nobis auxilietur, quippe qui jugiter ostium cordis nostri pulsat, ut convertamur. » Mox hujus rei argumentum ducit « ex natura et conditione humana. Est enim homo suapte natura rationale animal; hoc nimirum brutis animantibus præstans, quod habeat intellectum ratiocinativum in utramque partem, et eadem ratione voluntatem, quæ in neutram partem sit determinata, sed in alterutram libera. » Hinc hominem colligit [3] « sui habere dominatum, ac libertatem, et arbitrium sic se agere, ac secus, ad eum, quem sibi præstituit, finem. Cum ergo hominem converti in Deum, sit moveri in suum finem, consequens fit, ut quemadmodum naturales res ad suos cujusque fines, secundum suam naturam Deus naturaliter movet, ita hominem juxta suam moveat libere. »

Libertas trifariam dicta.

Atenim objicere ait adversarios, verum id in statu innocentiæ fuisse, non in eo, quem nunc obtinet, in quo liberum per peccatum amisit arbitrium. Huic argumento sic respondet : « Libertatem, *ait*, vel ab eo deduci, quod est, liber; vel ab eo, quod est, liberare; priorem opponi coactioni, et necessitati, posteriorem servituti. » Unde trifariam libertatem colligit : nempe *naturalem*, « quæ est est immunis a necessitate, ut quis, quod libet, eligat : » alteram, *gratiæ* : tertiam, *gloriæ*. « Prima, quæ est naturalis, permanet post peccatum; sed reliquas duas perdidimus, quas per Christum recuperamus. » Augustinum porro, cum libertatem ait peccato perditam, de ea loqui, quæ est gratiæ. « Igitur liberum arbitrium in hoc sensu censet Augustinus, perditum homini esse post lapsum, quod non est illi possibilitas recuperandæ salutis, nisi cum auxilio gratiæ : quinimo neque velle se disponere valet, nisi præpulsante Deo, non tamen, quod non sit liberum illi assentire. » Mox citat Augustinum (is est Gennadius) libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. ubi ita scribit : « Postquam autem seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, et vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum, quod evitaret; nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. » Demum in fine capitis : « Enarravimus ergo causam, *inquit*, decreti nostræ sanctæ Synodi sess. 6. quo habetur, non recipere nos beneficium reconciliationis, veluti inanime organum; sed libere assentientes, et cooperantes ita, ut possimus inspirationem abjicere, ut habetur cap. 5. et inter canones can. 4. »

[1] Ib. 256. — [2] Pag. 34. col. 2. fine.

[3] Ib. pag. 35.

Concursus Dei nihil officit libertati. — Quomodo, et quando libere agat voluntas.

Rursus in capite sequenti, quod est 16. libri ejusdem primi de Natura et gratia, Dominicus Soto hæreticorum argumenta dissolvit; velut hoc est ex verbis Christi petitum [1], *Sine me nihil potestis facere.* Cujus argumenti fallaciam inde convincit, quod ex ea sequatur, causas secundas nihil prorsus agere [2]. « Ut ergo non consequitur : Sine Dei generali concursu sol non illuminat; ergo non ipsemet naturaliter illuminat; ita nec sequitur : Absque Deo peculiariter præveniente, voluntas hominis non movetur ad opus veræ virtutis; ergo voluntas ipsa non movetur libere. Est enim Deus causis secundis in universum causa, ut secundum suas ipsarum naturas singulæ peragant opera sua, nempe naturales naturaliter, et quæ liberæ sunt, libere, tametsi in operibus gratiæ necessarium sit specialius auxilium, etc. » Mox, « Quando, *inquit*, cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salva humana natura, et libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest. » Deinde nodum sibi argumentationis hunc nectit : « At restat nonnihil præterea explicandum. Aut enim sumus liberi in hujusmodi actionibus ante momentum temporis, quo nos Deus movet; aut præsente motione Dei. Non ante, quia absque eo movente moveri nequimus; neque cum nos ipse actu movet, quia non stat ipsum nos movere, quin una moveamur. Sunt enim movere, et moveri, ceu actio, et passio, correlativa. » Ut huic argumentationi respondeat, primum definitionem libertatis affert hujusmodi : « Illa causa libera est, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, potest et agere, et non agere; cui contraria ratio est causæ naturalis. » Tum, « Solutio, *inquit*, dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim, dum libere moveor, possum in sensu diviso non agere, et tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, et me non agere. » Subinde vero quæstionem sibi movet : « Numquid Deus potens est voluntatem homini seu cogere, seu ex necessitate movere? Facilis est responsio, *ait*, cogere enim voluntatem repugnantiam involvit, etc. Necessitari tamen voluntatem a Deo, qui auctor est naturæ, nihil vetat. Sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo illam, ceu brutam pecudem. Quod tamen nunquam facit lege communi. »

Iprenses damnat Dominicus Soto.

Hactenus Dominicus Soto, qui et pluribus eadem docere, ac collatare pergit; sed quæ ex eo delibavi, satis esse possunt, ut quæ Tridentini decreti sententia sit, ex illis, intelligere possimus. Sunt autem ejusmodi, ut et longe ab epistolæ interpretatione, ac sensu discrepent, et cum nostra, communique sententia paria faciant. Nam et liberæ voluntatis naturam, quæ ad gratiam, et justificationem capiendam necessaria est, eamdem nobiscum plane constituit, in utriusque libera, hoc est ad utrumque minime determinata necessario, et indifferenti potestate. Causam item liberam itidem, ut nos, definit eam, quæ, positis omnibus ad agendum necessariis, potest agere, vel non agere. Negat cum necessitate absoluta, quæ ab coactione differt, libertatem posse consistere. Tridentini denique decreti, et canonis sensum non aliter, ac nos facimus, interpretatur. Diceres, theologum istum nostra hac ætate viventem adhuc, non jam cum Luthero, vel Calvino, sed cum illorum reliquiis, novis dogmatistis, pro Tridentina professione certare.

Hoc loco minime prætereunda est epistolæ insignis ἀλογιστία, quæ est pagina illius 54. Ibi D. Abbas Dominici Soti locum eumdem, quem retuli, pessime interpretatus est. Putat enim quod ab eo dictum est, dum libere movetur homo adspirante gratia, *in sensu diviso posse non agere,* non tamen *in sensu composito*, ad illam pertinere quæstionem, quæ est de physica præeunte motione, ac voluntatis antecedente consensum. In quo fugit illum ratio. Loquitur enim illic eximius ille theologus de concursu Dei, et *concomitante*, ut in scholis nominant, gratia, quæ voluntatis liberam actionem non præcedit, sed cum ea pariter, et momento eodem operatur. Quod adeo ex tota disputatione perspicuum est, ut mirandum valde sit, hominem acutum tanto in errore versari potuisse.

Andreæ Vegæ sententia.

Alter e duobus, qui Tridentino concilio interfuerunt, Andreas Vega magnam eruditionis, et sanctitatis laudem est adeptus, Canisio teste

[1] Joan. 15. 5.

[2] Dom. Sot. pag. 37.

in præfatione ad illius opus de Justificatione : « Qui Tridenti, ait idem, doctissimos theologos, et sapientissimos Patres tunc disserentes audivit, cum de justificatione multis est mensibus acerrime disputatum, ipseque cum disputantibus aliis sua sensa studiosissime contulit. » Hic igitur in lib. 2. cap. 13. et sequentibus, liberum arbitrium, cujusmodi nos cum catholica Ecclesia statuimus, hoc est, *quo utrumvis ex duobus eligimus*, primum e Scripturæ testimoniis approbat, quæ talem illius formulam repræsentant. Atque inter alia locum illum profert Ecclesiastici 15. *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* « Quæ verba, *inquit*, etiam de homine post peccatum esse intelligenda, probavimus in opusculo de Justificatione. »

Eodem capite quintum argumentum ex his locis instituit, quæ hominem optioni suæ permissum indicant; quod necessitati repugnat. Tum capite 15. libertatem voluntatis inde colligit, quod facere, vel non facere possimus, scribere, aut non scribere. « Enimvero unicuique potentiæ, *ait*, cognoscitivæ suum Deus accommodavit ejusdem generis, et naturæ appetitum. Cum igitur intellectus noster natura sua ratiocinativus sit in utramque partem, ut ipsi in nobis experimur, erit et qui sibi respondet, rationalis appetitus noster, hoc est voluntas, liber ad utrumlibet, et natura sua in utramque partem contradictionis indeterminatus. »

Hæc forma libertatis est, sive liberi arbitrii, et proprietas, quam libro sexto necessariam esse demonstrat ad justificationem, una cum gratia Christi, ex Tridentini concilii decreto. Ac subinde caput secundum sic orditur [1] : « Ne segnes simus, et in illis, quæ saluti nostræ necessaria sunt, nobis ipsis deficiamus, illud imprimis intelligere, et nosse oportet, inter alia eximia beneficia a Deo nobis collata, et hoc quoque nos ab eo accepisse, ut nostræ potestati subsit nostra ipsorum justificatio. » Quod ubi probavit, caput ita concludit : « Et ex his liquet, toto cœlo errare eos, qui, cum fateantur nos ad alia habere liberum arbitrium, negant tamen nostræ subesse potestati, quæ ad justificationem nostram spectant. »

Capite deinde nono [2] luculenter ostendit, nos divinæ gratiæ, inspirationique resistere; ubi et de prævenient, ac excitante gratia uberrime disserit.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Francisci Horantii, et Ambrosii Catharini de libertate hominis, et gratia judicium.

Horantii testimonia. — Non omnia gentilium opera sunt peccata. — Gratia sufficiens omnibus parata.

Ad illud par nobilissimorum pugilum, quos idcirco primos in hanc velut arenam produximus, quod, ut ex actis Tridentinis didicimus, celeberrimum illum catholicæ fidei, doctrinæque campum ex privatorum ordine potissimum tenuerunt, quandiu de libero arbitrio, et justificatione deliberatum est in illa synodo; ad hos, inquam, duos tertium adjungemus nihilo istis inferiorem, Franciscum Horantes, vel Horantium, qui in indice concilii Tridentini inter procuratores episcoporum absentium adfuisse reperitur pro episcopo Palentino, et lector Vallisoleti ex ordine Minorum fuisse memoratur. Scripsit ille post absolutum Tridentinum concilium libros de Locis catholicis septem contra Calvinum; et hoc opus Carolo principi Philippi secundi Hispaniarum regis filio nuncupavit, ei, qui patris jussu anno 1558. in custodia necatus est.

Hic de libero arbitrio, ceterisque omnibus ad Tridentinum canonem spectantibus, consentanea duobus illis, ac nostræ adeo sententiæ, latissime prosecutus est.

In lib. 1. cap. 23. liberæ voluntatis natu-

[1] Vega lib. 6. cap. 2.

[2] Id. lib. 6. cap. 9.

ram, definitionemque traditam ab veteribus philosophis accurate describit, et adversus improbantem Calvinum tuetur, atque ad gratiæ, justificationisque negotium adhibendam esse contendit. Quam sic exprimit, « ut inter rationem et sensum media, sui juris sit, et libertatis compos; sive rationi obtemperare, sive sensui in quamvis partem rapiendam se prostituere libeat; unde colligit, vitia, et virtutem in nostra esse potestate. » Ac philosophos eosdem deinceps ab iis probris, et conviciis purgat cap. 24. quæ in illos Calvinus, et post hunc novus dogmatistes immerito contulit. Negat illorum opera omnia peccata fuisse. Dehinc a cap. 29. liberum arbitrium sub illa, quam fundamenti loco jecerat, definitione cum gratia conjungi adstruit; et ab eodem non solum coactionem, sed etiam necessitatem removet, ut sit liberum, et ad utrumvis expeditum, et indifferens. Ac præsertim cap. 49. libri primi, ex Augustini doctrina, necessitatem cum libertate pugnare demonstrat.

Cap. item 52. « gratiam sufficientem, ac necessariam, juxta Augustini mentem, omnibus paratam esse » decernit, « non minus, quam sit pervia oculis nostris lux hæc materialis. » Et, « Verum est ergo, *inquit*, divinam sæpe gratiam, cœlestiaque præsidia in ingratum etiam populum se extendere, ut nemo sit ausus culpam suam in non vocantem Deum, aut in non trahentem Patrem transcribere. » Tum paulo post theologorum rationem illam ab Calvino contemptam, irrisamque defendit; quam et hodieque posteri hujus novi dogmatistæ cum auctore sectæ suæ respuunt: « Quod vero putant, *inquit*, theologi, ideo nos secundæ Dei gratiæ cooperari, quod nostri sit juris primam gratiam, vel respuendo irritam facere, vel obedienter sequendo, confirmare, non ex suo ipsorum cerebro, quasi divinantes, fingunt, etc. » Tum hoc eodem, et sequentibus capitibus diserte, ac copiose demonstrat[1], Dei gratiam « adesse omnibus corda pulsantem, » quamvis *impariter*; quo fit, ut alii trahentem sequantur, alii resistant. Sed infinita res, odiique plena fuerit, si omnia, quæ ad idem argumentum in eo libro disserit, recensere pergam, quæ qui volet, facile inde poterit repetere.

Ambrosii Catharini opinio.

Quartus ex eorum numero, qui concilio Tridentino præsentes adfuere, nominandus est Ambrosius Catharinus, de quo in historia Tridentina non infrequens est mentio; præsertim in libro secundo, ubi quid in constituendo libero arbitrio, et justificationis negotio gestum sit, exponitur.

Ibi inter alia narrat[2], quæstionem hanc agitatam fuisse, « utrum reprobi salutem adipisci nequeant, » ac de ea Catharinum ita sensisse[3]: « Falsam esse negantem illius partem, si ad sufficiens erga omnes propense Dei voluntatis auxilium respectus habeatur, tum ad hominis libertatem, quæ cooperari potest. » Quam eamdem opinionem in lib. 1. de Prædestinatione tradidit, ultimo capite verbis istis: « Scimus ergo, quod liberum arbitrium in hac natura corrupta sibi dimissum non potest nisi in malum ferri; id quod sæpenumero B. Augustinus docet. Et scimus quod etiam stante gratia communi, quæ non negatur ulli, nisi quis eam recuset, potest etiam in malum flecti, et sæpe flectitur. » In secundo vero libro[4], « Judas, *inquit*, non erat ex illis electis, ut confirmatus videretur in beatitudine; qui tamen poterat manere, si voluisset, etc. Nec propterea violabatur ei liberum arbitrium, quo poterat pœnitere, quando nondum subtractum ei erat auxilium divinæ gratiæ; » ubi vox *quando* pro *quandoquidem* usurpatur, ut ex toto contextu libri istius, et opinionis agnoscimus. Ac postea in sequenti capite, in quo summatim *conclusiones* suas colligit, de iis, qui salvandi sunt loquens, « Quare secundum hanc Dei providentiam, *inquit*, pendet salus eorum a potestate liberi arbitrii, quæ in non prædestinatis potest deficere; quoniam, etsi Deus velit omnes salvos fieri, non tamen ita vult, ut hoc omnino futurum sit, nisi etiam ipsi velint. Vult ergo in hoc, quia ex parte sua nulli deest, dans cunctis idonea media, et remedia, quibus perduci possint ad gloriam, licet non omnibus subministret in ea abundantia, ut non possint excidere, sicut facit prædestinatis. » Hæc Catharinus; qui et liberum arbitrium ad utrumlibet potestatem habere putat, uti gratiam et admittere sibi oblatam, et recusare possit, pro eo ac visum illi fuerit. Tum sufficientem omnibus offerri gratiam asserit, eo quod omnes ad salutem pervenire vult Deus.

[1] Cap. 54. — [2] Hist. Trid. pag. 249. — [3] Ib. p. 252. — [4] Cathar. de Prædest. fol. 15. p. 1.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Covarruvias de libero arbitrio et gratia contra ac novi dogmatistæ sentiens. Item Alphonsus Salmero.

Covarruvias complures auctores citat.

Quintus eorum, qui in Tridentini concilii Patribus numerati sunt, erit Didacus Covarruvias a Leyva episcopus Civitatensis, ut habet index Tridentinus, postea Segobiensis, vir tum exquisita juris utriusque scientia, tum apud Philippum II. Hispaniæ regem summa auctoritate, cum pari splendore, ac dignitate præditus. Hic de libero arbitrio, et gratia sic sentit [1]. « Meritum, *inquit*, opus est Dei, et nostrum; Dei scilicet moventis auxilio specialis gratiæ; et nostrum, ut libere cooperantium. Siquidem, postquam Deus voluntatem nostram speciali auxilio gratiæ excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo moventi, et inspiranti consentiat, aut dissentiat. » Quod Scripturæ testimoniis aliquot deinceps probat, quibus et nos uti solemus; et de eodem argumento scripsisse contra Luthĕrum ait catholicos auctores, Joannem Roffensem, Joannem Eckium articulo 31, Joannem Bunderium a Gandavo in Compendio concertationum, titulo 6, Alfonsum a Castro, Dominicum a Soto, Andream a Vega; tum « extare *ait*, hac de re synodi Tridentinæ definitionem » in sessione 6. capitulo 5. Postea vero [2], « auctoritate ejusdem synodi definitum esse » dicit, « quod Deus neminem coactum ad se trahit, aut necessitate inducit: sed in nostra potestate est, gratiam ejus respuere, vel assensum nostrum ei præbere, et cooperari; » ac testes ejus rei citat eosdem illos catholicos scriptores, ac Joannem præterea Driedonem.

Sextus ex illorum, qui Tridentinæ synodo interfuerunt, numero memorandus est Alphonsus Salmero, unus ex decem primis Societatis Jesu patribus; qui ob eximiam eruditionem ter ab Romanis pontificibus delectus est, qui Tridentinum ad synodum mitteretur, ibique pontificii theologi partes obiret. Qua in synodo sæpius auditus, quæ et Lutetiæ Parisiorum in Sorbonæ scholis didicerat adolescens, et in sinu apostolicæ Sedis Romæ plenius postea perceperat, de Christianæ religionis mysteriis explicavit, ac tanti concilii auctoritate corroborata in commentarios suos transtulit. Audiamus quid ille præclarus theologus de libero arbitrio, et ejus consensu cum divina gratia scriptum reliquerit.

Salmeronis opinio de libero arbitrio et gratia. — Gratia nulli negatur. — Deus vult omnes homines salvos facere.

In tomo septimo, in quo parabolas evangelicas enarrat, ad illa Marci de semente facta [3], *Ultro enim terra fructificat*, etc. hæc adnotat [4], « Pulchre describitur liberum arbitrium, in quo a Deo conditum est, ut nonnisi libere bonum, aut malum fructum edere possit, ita ut qui liberum arbitrium hominis inficietur, naturam prorsus hominis ignorare videatur, sensumque ipsum, atque experimentum abneget; cum cognoscat, se relictum in manu consilii sui, et habere potestatem sive in aquam, sive in ignem porrigendi manum, id est, sive bene, sive male operandi, sive inter bona et mala, sive inter plura bona, sive inter plura mala, quodcumque voluerit, eligendi. Et, dum vult, potest desistere ab actu volendi; sicut etiam, cum non vult, et nulla est necessitas, vel repugnantia, vel propensio, et infirmitas carnis, vel ulla dæmonis quantumvis gravis tentatio, et persuasio, quæ hominem cogere, et vim illi inferre queat. Quanquam sine gratia Dei ad fructum bonum edendum per se natura non sufficiat. Sed hanc gratiam nulli Deus denegat; nisi ipse sibi velit deesse, et oculos veritatis luci velit claudere. » Tomo item octavo [5], cum Christi sermonem ad Judæos habitum explicat, ad illa verba Joannis [6], *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, etc. multa disserit de tractu illo, quo per arcanas et interiores inspirationes ad Christum homines adducuntur; quem quidem ait esse [7] « internam Dei doctrinam, et persuasionem. » Cui nihilominus Judæi refragabantur. Nam

[1] Covar. in caput Alma mater, de sent. Excom. Relect. §4. pag. 306. tom. 2. Oper. — [2] Ibid. p. 308. — [3] Mar. 4. 28.

[4] Alph. Salm. tom. 7. pag. 38. et seq. Tract. 7. — [5] Id. tom. 8. Tract. 19 pag. 150. et seq. — [6] Joan. 6. 44. — [7] Salm. ib. pag. 151. fine.

subjicit mox Christi objurgationem : « Quare igitur ipsum Deum in vobis loquentem repellitis, ut sensus vestros, rationemque sequamini ; præsertim in his, quæ omnes scire debetis, neque ratione humana percipi possunt ? Illos igitur ostendit adversari, et refragari divino lumini Patris moventis, et trahentis. »

Præterea tomo secundo tractatu 22.[1] illa verba Joannis explanans : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, etc. lumen illud, quo Verbum illuminat omnem hominem, de lumine gratiæ interpretatur, quæ ad promovendam fidem, et salutem divinitus conceditur. Tum eamdem gratiam offerri omnibus ait, et singulis hominibus adultis, non solum fidelibus, sed etiam infidelibus, « Deum, » inquam, asserit « omnes et singulos homines illuminare, quod ad se attinet ; » quod fuse deinceps confirmat Scripturæ, ac Patrum testimoniis, atque ex Joanne Damasceno refert duplicem esse voluntatem in Deo, *antecedentem*, et *subsequentem* ; ac priorem esse, qua vult omnes ad salutem adducere. Itaque[2] omnes homines sufficienter ad salutem illuminari a Deo, sed plerosque lumini obsistere, et oculos claudere, Dei beneficia respuentes.

Denique tomo 15. disputatione 5. in priorem ad Timotheum[3], et ista verba, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etc. hanc Apostoli sententiam de hominibus prorsus universis explicat ; ac refutatis contrariis interpretationibus, ostendit Deum antecedente, et conditionata voluntate velle omnes, et singulos homines ad salutem perducere, eisque propterea auxilia gratiæ, et necessaria adminicula opportune subministrare : quæ a plerisque pro libertate insita repudiantur. Quod quidem Scripturæ, ac Patrum testimoniis luculenter approbat, et Bezæ argumenta omnia in contrarium allata erudite dissolvit. Hæc Alphonsus Salmero ex Romanæ Ecclesiæ, summorumque Pontificum, et Tridentini concilii mente, ac sensu deprompta, ceterisque consentanea prodidit, qui eamdem synodum celebrarunt.

Septimus ad illos superiores sex adscribendus est Stanislaus Hosius cardinalis, qui de liberi arbitrii natura, et ejus cum gratia consensione eadem nobiscum probat ; nec dubium est, quin ex concilii Tridentini sententia, cui præfuit, ut mox dicam. Sed hujus testificatio ut in bona, et perspicua luce ponatur, quorumdam advocatione fulcienda est, qui Concilio neutiquam interfuerunt, Joannis Eckii catholici doctoris, et Philippi Melanchthonis hæretici Lutherani, qui miro quodam modo ad eruendam Stanislai Hosii professionem adjumento nobis erit. Id ex sequenti capite cognoscetur.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Joannis Eckii de eodem argumento sententia novis dogmatistis adversaria. Quid de Philippo Melancthone referat : qui, et rejecta Lutheri opinione de libero arbitrio, catholicam secutus est. Idque Stanislai Hosii testimonio comprobatur. Unde Tridentini concilii interpretatio colligitur.

Liberum arbitrium adstruit Eckius.

Joannes Eckius in Enchiridio cap. ult. et 31. liberi arbitrii indifferentem ad utrumlibet potestatem demonstrat. Idem in apologia pro catholicis principibus super actis Ratisbonensibus contra Bucerum, quo in libro de propositis quibusdam ab Imperatore protestantium articulis ad ineundam fidei concordiam disputat, cum in secundo scriptum esset, liberum arbitrium primo homini datum a Deo fuisse : de quo illud intelligendum sit Ecclesiastici[4] ; *Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit, dabitur illi ;* verum post lapsum libertatem periisse, *sola libertate a coactione retenta ;* adversus hæc, inquam, Eckius ita disserit : « Pudendus est ille error, et toti Scripturæ sacræ contrarius. » Quem deinde Scripturæ sententiis aliquot refellit, quibus nos hodieque Iprenses aggredimur ; ut

[1] Idem pag. 176. — [2] Ib. p. 177. — [3] Pag. 446. et seq. — [4] Eccl. 15.

cum Apostolus scribit sic[1]: *Potestatem habens voluntatis suæ, non necessitatem;* et[2], *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.*

In articulo vero tertio, cum hoc esset propositum: « Causam peccati esse malam » voluntatem se a Deo avertentem; obiter notat Eckius Philippi Melancthonis inconstantiam, qui alias Lutherum secutus, causam peccati non hominis malam voluntatem esse docuerat, sed ipsius Dei voluntatem; quam opinionem postea mutavit. De hac Eckii querela accuratius hic agere non erit alienum a proposito nostro; nec parum alioqui ad id, quod inquirimus, extricandum proderit, quænam catholicis illiuc temporis doctoribus de liberi arbitrii natura sederit opinio; siquidem priorem istam, quæ solam illi coactionem opponit, « a nemine Catholico admitti, » scribit ad secundum illum articulum Joannes Eckius.

Melanchthonis hæretica prior opinio Luthero consentanea. — Stanislaus Hosius de Melanchthone idem refert. — Melanchton postea catholicam de libertate sententiam amplexus est, priore rejecta. — Ex quibus Tridentini concilii expositio deducitur.

Incidi nuper in alium Eckii ejusdem librum, qui sic inscribitur: *Replica Joannis Eckii adversus scripta secunda Buceri apostatæ super actis Ratisbonæ;* quibus scriptis apologiæ respondere conatus fuerat; sed eum in *Replica* ista confutat Eckius. Ubi ad objecta Buceri pro articulo secundo contra apologiam suam respondens, apostatæ illius hæc verba proponit: « Bucer, Non necessitas, sed coactio libertati voluntatis adversatur. » Tum hæc: « Bucer, Quæ homo certo novit sibi bono esse, aut fore, ea non potest non expetere, non consectari. » At Eckius *falsum et erroneum* hoc esse demonstrat, sed inchoatam de libero arbitrio disputationem abrumpit, quia jam protestantes de eo cum Catholicis convenerant, eosque secutus Philippus Melanchthon, cum antea Lutheri fœdissimam propugnasset hæresim. Verba Eckii, quibus illud explicat, valde ad rem faciunt; ideoque hic a nobis describenda sunt: « At, cum articulus de libero arbitrio sit conciliatus, *inquit*, et nobiscum conveniat, rejecto Manichæi dogmate, in quo ab initio Luther, et Carlstadius involuti sorduerunt adeo, ut etiam Melanchthonem in suam pertraherent hæresim. Qui si jam ex animo respuit (ut Bucer hanc ei mitigationem tribuit,) est quod ex animo gaudeamus. » Subjicit his Melanchthonis impias sententias, quibus asseruerat, « nullam esse nostræ voluntatis libertatem, nec internos affectus esse in potestate nostra. » Tum hoc horribilius, quod ad tertium articulum *de causa peccati* refert: « Omnia a Deo fieri, non tam bona, quam mala, ita ut non solum permissive, sed etiam proprie agat mala, ut Davidis homicidium, etc. adeo, ut sit ejus proprium opus non minus Judæ proditio, quam Pauli vocatio. »

Verba Philippi Melanchthonis, quibus de libero arbitrio infanda illa latius explicantur, descripsit Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis; qui postea S. R. E. cardinalis factus, Tridentino concilio legatus apostolicus præsedit, in libro *de sectis, et hæresibus sui temporis.* Ibi Lutheri opinionem refert, quam ab Wicleffo didicerat; « Quod patiatur tantum, non autem agat; quod sit res de solo titulo, vel potius figmentum in rebus, vel potius titulus sine re; quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni, sed omnia de necessitate absoluta eveniunt. » Quam quidem Melanchthon « in iis locis communibus, quos edidit Wittembergæ anno 1521. » amplexus est, necnon in annotationibus ad epistolam Pauli ad Romanos. Verum ætate jam provectior, cum utrumque librum sæpius recudendum curasset, illum emendavit errorem. Itaque in Locis anno ejusdem seculi 36. Argentorati, et 38. Wittembergæ, tum 45. Lipsiæ, Wittembergæ rursus 55. editis, longe aliter de libero arbitrio statuit. Siquidem inter alia scribit, « concurrere tres causas bonæ actionis, verbum Dei, Spiritum sanctum, et humanam voluntatem assentientem, nec repugnantem verbo Dei; posset enim excutere, ut excutit Saul, etc. » Hæc Stanislaus Hosius cardinalis. « Ex quibus, ait idem, planum cuique fieri potest, quemadmodum Philippus Melanchthon quidquid ab eo perverse scriptum fuerit de libero arbitrio in Locis communibus anni 21. simul et magistri sui Martini Lutheri eadem de re sententiam tanquam impiam, et cum hæresi Manichæorum congruentem condemnavit, etc. Quod pluribus etiam verbis ab eo factum est in Epitome philosophiæ moralis, quam edidit Argentorati anno 38. » quod sane verum est. Ibi enim de libertate voluntatis humanæ prorsus catholice loquitur, docetque, non solum in rebus illam humanis, in civilibus tractandis, libere agere, aut non agere, sed etiam in motionibus sancti Spiritus admittendis, aut repudiandis: « In hoc certamine,

[1] 1. Cor. 7.

[2] Gen. 3.

inquit, constat humanam voluntatem posse ejicere verbum Dei. Itaque cum retinet, adjuta a Spiritu sancto, repugnat naturali imbecillitati, et sustentat se verbo Dei. » Quin idem Melanchthon in commentario de Anima fusius de eodem argumento disserit; nec minus accommodate ad regulam fidei catholicæ, præsertim de libero in utramque partem arbitrio, quando divina gratia excitatur; cui ita « voluntas assentiens est, *ait*, ut possit repugnare. »

Jam ex iis omnibus Catholicorum testimoniis, Joannis Eckii, et Stanislai Hosii cardinalis, qui legati apostolici titulo concilio Tridentino præfuit, cum posteriorem illam Melanchthonis sententiam de libero arbitrio constet esse catholicam, adeoque Tridentini concilii doctrinæ (quæ non alia est quam catholica) congruentem; apparet, quo sensu decretum ejusdem synodi intelligi, exponique debeat, nimirum ita, ut nos hucusque contendimus, et multo secus, quam epistola Iprensi errore suffecta persuadere nititur.

CAPUT NONUMDECIMUM.

De Joanne Fischero Roffensi episcopo, Alphonso a Castro, Joanne Driedone, Ruardo Tappero; qui omnes Iprensibus contradicunt.

Joannes Fischerus.

Admonet ille me, quem superiori capite laudavi, Joannes Eckius, ut præter eos illos, qui Tridentinæ adfuere synodo, nonnullos alios commemorem, qui vel paulo ante synodum eamdem vel nondum ea finita, de libero arbitrio, et eo pertinentibus aliquid commentati sunt, et illos præsertim, quos in scriptis suis superiores isti, quos adduximus, testes citant veræ, et catholicæ de libertate, et hujus cum Dei gratia concordia, et consensione sententiæ; quales sunt Joannes Fischerus, Alphonsus a Castro, Joannes Driedo, quos Dominicus Soto, Andreas Vega, Covarruvias in medium producunt; quibus tres alios adjiciam ætatis ejusdem. Igitur Joannes Fischerus, Roffensis episcopus, vir cum primis pius, et eruditus, ac martyrii decus fuso pro tuenda catholica religione sanguine insigniter adeptus, catholicam, et Trident. decreto ratam liberi arbitrii naturam, ac proprietatem adstruit in confutatione articuli 36. Lutheri; ubi sic illam describit, ut in indifferenti, nec ad unum determinata eligendi potestate constituat, ad idque loca illa Scripturæ pertinere putet, Ecclesiastici 15. et Deuteronomii 30 [1]. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum, et e contrario mortem, et malum.* Tum illud [2], *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit, dabitur illi.* Quem locum Iprensis schola stulte negat ad præsentem naturæ lapsæ statum referri, contra communem theologorum omnium sensum, et eorum maxime, qui concilii Tridentini condendis decretis interfuerunt, aut etiam præfuerunt.

Gratiam sufficientem omnibus paratam docet.

Pergit vero Joannes Fischerus [3]: « Nec enim auxilium Dei, quod et cuique præsens est, libertatem arbitrii minuit, sed adauget potius. Nec obstat, si dixeris: peccatorem absque illo auxilio non posse bene velle; ergo non habet voluntatem liberam. Sicut nec sequitur: Homo nec velle quidquam potest absque Dei assistentia generali, quam dicunt influentiam; quamobrem nec liber est. Nam, ut influentia illa semper adest voluntati, ita et auxilium divinæ gratiæ cunctis ad manum est præsens. » Observet hoc Iprensium factio, quod ab tanto martyre pronuntiatur, paratum esse sufficiens homini gratiæ præsidium, quo uti si velit ad assentiendum, potest, et videlicet repudiare, si malit. Deinceps vero latius disputat, liberum esse cuivis homini cum divina ope præparare se ad gratiam: « Peccatoribus

[1] Deut. 30. 15.

[2] Eccles. 15. 18. — [3] Roff. p. 65.

itaque, *ait*, quantumcumque ingentibus hæc potestas oblata est, ut, si faciunt quantum in se fuerit, ad hanc gratiam consequendam præsto adsit auxilium Dei. »

Alphonsus a Castro. — Gratiam offerri omnibus putat. — Liberi arbitrii naturam itidem ut nos explicat. — Et Iprenses refellit. — Posse nos resistere gratiæ censet.

In eadem causa est Alphonsus a Castro lib. septimo adversus Hæreses, in vocabulo *Gratia*[1]; qui inter catholicas assertiones hanc recenset: « Quarta catholica assertio: Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo monenti, et inspiranti consentiat, aut dissentiat. » Deinde Pelagianorum objecta dissolvens[2], « Primo sic nobis objiciunt, *inquit*, Nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Si ergo non est homini liberum præcepta omnia adimplere, et peccata omnia vitare; cum non vitat, non peccat, quia hoc ipsum vitare non poterat. Cui respondemus, hanc esse nostri arbitrii potestatem, ut Deo monenti consentiat, et Deo cooperanti cooperetur. Deus autem nunquam seipsum nobis negat; imo semper paratus est, ut nos excitet, et adjuvet. Paulus namque ait[3], *Fidelis est Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis*. Inde ergo homo culpatur, non quia solus non facit, cum hoc esset illi impossibile; sed quia Deum monentem non audit, ad ejus vocem non excitatur, illi vocanti non respondet. » Plura his alia subjicit, et Scripturæ auctoritate probat, « Deum extendere manum suam, ut peccatores adjuvaret, qui ejus tamen adjutorium neglexerunt, nec uti voluerunt. »

Postea vero, « Ex hoc, *inquit*, quod nos monitioni illius consentimus, qui tamen dissentire poteramus, debetur nobis merces, et præmium, et inde meritum nostrum. » Sub hæc Tridentini concilii citat canones tres de justificatione.

Rursus idem Alphonsus in libro 9. in vocabulo *Liberum arbitrium*, longissimam de eo disputationem explicat, in qua naturam illius eadem ratione circumscribit, ut sit facultas, quæ indifferentem ad utrumque potestatem habet, nulla necessitate definitam[4], « qua possit utramque partem velle; quoniam si ad alteram, quævis illa sit, necessario flectitur, frustra illi datur optio. » Item, postquam illa Psalmi 118. verba retulit, *Anima mea in manibus meis semper;* « Quid est, *inquit*, animam esse in suis manibus? Hoc est, in sua potestate, ut eam, ad quod voluerit, flectat. » Ad hæc illa Ecclesiastici verba, quæ initio capitis attulimus, refert, *Ante hominem vita et mors*, etc. quæ Iprenses innocentiæ statu ridicule circumscribunt. Addit alia quamplurima Scripturæ testimonia, quæ in utramque partem flexibilem pro potestate voluntatem significant. Cujusmodi est quod de Susanna Danielis 13. memoriæ proditum est; cujus consultatio, et expensis utrinque momentis electio graphice describitur[5]. « Per hanc autem electionem, *ait*, elegit unam partem, altera rejecta, quam potuisset amplecti. Ex quo facto satis manifeste convincitur, liberum esse hominis arbitrium; quoniam si non erat liberum illi alteram, quam voluisset, partem eligere, frustra consultabat, quia nemo de necessariis consultat. Hæc enim sicut non subsunt nostræ potestati, ut fiant, vel non fiant; ita nec talia sunt, ut merito de illis quis consultare debeat. »

Post hæc vero de eo, quod liberum arbitrium a gratia trahitur, disserens, ostendit[6], non idcirco necessario determinari, « cum homo sæpe illi resistat. Sed sic nos attrahens Deus in nostra nos dimittit libertate, ut acquiescamus illi vocanti, et monenti, aut obduremus corda nostra, cum ejus vocem audierimus. Et in hoc est nostra libertas ad bonum, ut, postquam Deus moverit ad bonum, sit jam nobis liberum declinare ad id, quod magis placuerit, sive bonum, sive malum. » Laudat vero subinde Joannem Eckium, et Joannem Roffensem, ac Joannem Cochleum, qui duos libros contra Lutherum scripsit de libero arbitrio. Perspicuum est autem, liberum arbitrium ab illo definiri, soluta, et ab omni necessitate expedita cujuslibet eligendi facultate; tum aspirante Dei gratia non sic ad unum determinari, ut non resistere nequeat, et alterum optare.

Eadem sentit et Driedo. — Necnon Ruardus Tapperus.

Idipsum pari cum Tridentino decreto consensione docet Joannes Driedo libro *de concordia liberi arbitrii, et prædestinationis divinæ*, verbis istis[7]: « Homo jam justificatus, ut faciat opera bona, non ulla necessitate, sed

[1] Fol. 132. p. 1. — [2] Ib. p. 2. — [3] 1. Cor. 10. — [4] Alph. fol. 157. p. 2. B.

[5] Ib. p. 158. A. — [6] Ib. p. 160. A. — [7] Driedo fol. 50. p. 1. vers. ult.

spontanea voluntate, tametsi non possit resistere divinæ prædestinationi, intentioni, seu voluntati, quæ est secundum æternum ejus propositum, utique tamen potest resistere divinæ inspirationi; et sicut Deus id, quod ab æterno proposuit facere, potest non facere, quia potuit ab æterno non proposuisse; ita et homo id, quod libero suo arbitrio facturus est, potest non facere. Deus enim creatas causas, quas condidit, ita gubernat, ut taliter agant, quales ipsæ sunt; hoc est ut agant vel libere, vel ex necessitatis inclinatione. Causam libere operantem rapit Deus taliter, qualis ipsa est, tam suaviter gubernans illam, ut ipsa libere operetur; non adimens illi potestatem etiam operandi ea, quæ non operetur. » Et ante illa [1], « Deus, *inquit*, non solum operatur in nobis virtutem, qua parati sumus bene operari, sed etiam faciens nos bonos, seu justos, immittit actum, et motum, quo bene operari volumus; qui sane actus, seu primus motus, quamvis non fuerat in potestate voluntatis, utique tamen est in potestate voluntatis cœlitus sic allectæ, et tractæ eidem motui consentire, et rursus dissentire, præsertim reluctante concupiscentia, et ex adverso aliorsum trahente anima. » Hactenus Driedo Lovaniensis olim academiæ professor, a Dominico Soto magnopere commendatus.

Huic ejusdem academiæ professor adjungendus est alter doctrinæ fama celeberrimus, Ruardus Tapperus, qui ad articulum septimum Lovaniensis academiæ, prorsus eadem cum Dominico Soto, ac nonnulla iisdem etiam verbis de arbitrio libero prodidit, e quibus pauca describam. Imprimis illud itidem [2], ut Dominicus Soto definit, ut sit « facultas, qua, positis omnibus requisitis ad eligendum, et agendum, possumus non eligere, et agere; ita videlicet, quod, omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere, imo plerumque refutare, et quando non eligimus, aut refutamus, eligere possimus, et refutare. » Et subinde: « Propter quod Deus liberum arbitrium sic movet, ut non ex necessitate moveatur, nec ad unum ipsum determinet, sed remaneat motus ejus contingens, non autem fiat necessarius. » Postea Soti verba ipsa, auctore tacito, usurpans, « necessitari posse voluntatem *ait* a Deo, non cogi. » « Sed tunc auferret illi libertatem, *inquit*, in tali actione, » et cetera quæ capite 14. ex Soto descripsimus.

CAPUT VIGESIMUM.

De Gaspare Contareno, et Joanne a Bononia, qui eamdem doctrinam contra novos dogmatistas tuentur.

Liberi arbitrii natura a Contareno declaratur. — Gratiam omnibus offerri asserit.

His annumerare licet Gasparem Contarenum æqualem istorum, quos percensui, ac Romanæ Ecclesiæ cardinalem, qui in oppugnando Luthero strenuam Ecclesiæ navavit, ac laudabilem operam. Ac de libero arbitrio contra illum disputans, ad ejus articulum quartum, plane ipsum constituit in indifferentia ad utrumlibet eligendum [3]. « Liberum, *inquit*, arbitrium nihil aliud est, nisi de eligendis judicium liberum, ac optio libera, quæ non ex impressione formæ conceptæ procedit, sed ex consultatione, et judicio mentis nostræ, quæ excellentia ideo menti nostræ tributa est, quia mens non est a natura addicta cuipiam particulari bono, ac certi cujuspiam generis, quemadmodum addictæ sunt vires sensitivæ; sed universali bono addicta fuit. Ideo secundum impressionem formæ particularis alicujus boni non convincitur, ut in illud feratur, sed conferre cum alio bono illud potest, et quatenus bonum est, eligere; quatenus etiam particulare bonum, in quo necesse est alterius boni esse defectum, rejicere. Liberum ergo a natura ipsa mens nostra judicium habuit, liberamque optionem. Non tamen propterea, nisi peccet, et deficiat, poterit quan-

[1] Ib. fol. 47. pag. 1. in fin.

[2] Ruar. p. 181. — [3] Contar. p. 569.

tumvis liber velle, optare, eligere, ac operari, præter vim primæ causæ, a qua omnes aliæ, pro sua cujusque natura, moventur, et temperantur. » Duo hic in libero arbitrio Contarenus animadvertit : alterum est, potestas eligendi alterutrius nulla necessitate, ac determinatione circumscripta : alterum *concursus*, quem vocant, causæ primæ, sine quo nihil agere, nedum eligere potest. Neque tamen libertatis vim, ac potestatem minuit, quoniam liberum ipsum voluntatis nutum comitatur, parique cum eo momento progreditur, et in gratiæ, ac salutis negotio *concomitans* a theologis *gratia* dicitur. Hanc vero *prævenient* antecedit alia, quæ consensum voluntatis liberum una cum voluntate citra necessitatem efficit. De qua motione mox idem Contarenus ita loquitur [1] : « Quod si accipiantur bona opera nostra, quibus felicitas suprema debetur, manifestum est, quod præter universalem illam vim, qua naturaliter, secundum tamen naturæ nostræ captum, movetur a causa prima, requiritur privatus quidam, et particularis, propriusque motus, quo in Deum per fidem convertamur, et conversi per gratiam justificemur, adoptemurque in filios Dei : neque tamen hoc tollit libertatem arbitrii, imo magis liberos nos facit, nullique deest hic motus a Deo, dummodo quis non officiat, ac per defectum malæ voluntatis rejiciat divinum hunc afflatum. Nam quæ per alios possumus, dummodo velimus, seu dummodo non rejiciamus bonum oblatum, nostri esse arbitrii dicimus ; nullusque propterea a Deo reprobatur, si ipse sibi non defuerit. » Vides, oblatam ab Contareno dici omnibus gratiam, cui tamen voluntas nostra potest resistere ; quod et in epistola de Prædestinatione docet.

Joannnis a Bononia concors opinio de liberi arbitrii potestate ad utrumvis. — Quam ex Tridentino concilio probat. — Memorabile quiddam de Tridentinæ synodi mente ab eodem relatum.

Non est hoc loco prætereundus Joannes a Bononia archidiaconus Panormitanus. Theologiæ apud Lovanienses professor, qui anno Christi 1544. librum edidit de libero hominis arbitrio, post inchoatam, necdum tamen absolutam Tridentinam synodum, cujus ipse meminit, uti mox dicam. Hic initio disputationis suæ liberum ita definit arbitrium : « Liberum arbitrium, *inquit*, est facultas, qua, positis omnibus requisitis ad eligendum, et agendum, possumus non eligere, et non agere, ita videlicet, quod, omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere, imo plerumque refutare. » Hanc indifferentem, minimeque determinatam voluntatis liberæ potestatem auctoritate confirmat Tridentini concilii, quod sic exponit, ut epistolæ scriptorem manifeste redarguat : « Porro autem præcipitur, *ait*, in concilio Trid. ut hominem per suum liberum arbitrium inspirationem divinam et acceptare, et sequi posse sentiamus. » Tum allatis Concilii verbis, « Hinc patet, *inquit*, nos libere, et absolute, cum operamur, posse non operari ; quoniam ipsa eadem Christi gratia effectrix semper operaretur, atque efficeret nos opera pietatis operari, nisi per liberum arbitrium impediretur. » Subjicit deinde rem memoria dignam. « Ceterum quia non desunt modo homines, *inquit*, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum justificamur, quam nos, sentientes ; ac ideo hujus œcumenici concilii clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum dicunt habere hominem libertatem arbitrii, ut excitationi, admonitionique divinæ resistere possit ; sed his divinis inspirationibus, atque motionibus suppositis, nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis reverendissimi D. Hieronymi a Bononia, sanctissimæ Sedis apostolicæ nuntii dignissimi, necnon archiepiscopi Consani, professoris Theologiæ peritissimi, atque sacri palatii magistri eximii, apud Carolum imperatorem quintum cognomento maximum residentis, eamdem opinionem in sancta Tridentina synodo fuisse summa diligentia a patribus discussam, et tanquam minus probabilem optimo jure percepi rejectam. » Igitur ex Tridentini concilii sententia resisti potest gratiæ, manetque repudiandi, vel asciscendi potestas. Atque ut hanc de Tridentinæ synodi disceptatione narrationem melius intelligas, interpres adhiberi potest Dominicus Soto, cujus verba multum ad illum Joannis Bononiensis locum spectantia, supra c. 14. descripsimus.

[1] Ib. p. 570.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

Didacus Stunica, Stapleto, et Senonense concilium Iprensem errorem condemnant.

Liberum arbitrium recte ab Stunica descriptum.

Vixit eadem ætate Didacus Stunica Augustinianus Salmanticensis, et sacræ Theologiæ professor. Is fervente adhuc Lutheranorum, et Calvinistarum hæresi, libros tres edidit de vera Religione, quorum in secundo de libero arbitrio disputans, eadem, quæ ex epistola prolata, tanquam falsa, et hæretica confutavimus, iisdem ex divinæ, et humanæ sapientiæ principiis refellit. Nam in libro secundo, capite quarto, liberi arbitrii *naturam* (*naturam*, inquam, non adventitiam aliquam proprietatem: atque, ut ipse loquitur, quæ illi *propria et insita*, *non aliena et externa* sunt) explicans, ita disserit: « Arbitrii vis non solum ex voluntate, sed etiam ex ratione pendet. Circa illas enim res arbitrium versatur, circa quas deliberatio, atque consilium; quæ non nisi ratione fiunt; ob eamque rem homo liber esse dicitur, quod ratione præditus est, quia valet ad utramque partem de bono, et malo disputare; veluti quia in furto, et adulterio, et alio quocumque crimine rationem boni, atque mali disputando reperire potest, in eo situm esse dicitur vel admittere, vel non admittere flagitium. Nisi enim furtum aliquo pacto bonum esse existimaret, nunquam illud faceret; quippe quæ bona putamus esse, nostra solum voluntate facimus; quod enim malum esse ducimus, nunquam eligimus. Quoniam igitur ratio duo quasi bona voluntati proponit, voluntas libera est. Nam nihil est illi præscriptum; quoniam bonum, in quo illa tota cernitur, in duabus longe diversis rebus videt. Brutum vero ea de causa liberum non est, quia mente ac ratione vacat, quæ de bono ac malo in partes contrarias disserat. Semper enim agit ad præscriptum, ut si statuat bonum esse comedere, aliter statuere in sua non sit potestate. Siquidem nihil boni percipit in non comedendo, quippe [quod ratione vacet, quæ id boni, et utilitatis investiget. Non enim res universas comprehendit, sed tantum singulas; id est, non cogitat de tota ratione boni, sed de bono tantum isthoc, quod ob oculos habet. Homo vero, quoniam mentis est compos, de toto genere boni disserit; ac proinde, licet quadam ex parte comedere bonum esse judicet, quod jucundum sit, alia tamen ex parte intelligit esse malum, quia bonæ valetudini adversatur. Quare et comedere bonum est, quia jucundum, et non comedere bonum etiam est, quia salubre. Cum igitur bona duo oblata sint homini, liberum est ei, atque solutum, in quod voluerit, animum inclinare. Brutis vero unum duntaxat bonum, ut exposui, offertur. » Hæc Stunica; quæ ideo, etsi longiora sint, describere, ac lectoris oculis subjicere volui, ut in quo liberi arbitrii sita sit essentia, et natura, et quæ stirps illius sit, ac radix, plenius intelligat; ac tanto magis Iprenses, et ex eorum dogmatibus efflorescentem Abbatis epistolam condemnet, quæ cum determinante, et utriusque optionem intercipiente necessitate toties liberi arbitrii actionem constituit, quoties pulsanti, ac moventi gratiæ consentit.

Stapleto.

Poteram hic Thomæ Stapletonis, eruditissimi theologi, et Duacenæ academiæ professoris testimonia colligere, quæ de eodem argumento edidit in libro 4. de Gratia et libero arbitrio, capite tertio, et sequentibus; sed longum est; tum cujusmodi illa sint, ex iis, quæ hactenus sunt descripta, (sunt enim simillima,) licet conjecturam capere.

Senonense concilium. — En gratia sufficiens. — Cui potest resisti.

Claudet hanc dissertationem in unam conferta provincialem synodum præsulum septem vox, et testificatio, cum anno Christi 1528. ab Antonio Pratensi cardinali archiepiscopo Senonensi, provincialis est celebrata synodus Lutetiæ Parisiorum; in qua plurima contra grassantem, ac sævientem Lutheranam hæresim de fide catholica saluberrime sunt constituta, eademque, quod maximi faciendum est, post annos complures editis ab universa Ecclesia Tridenti regulis apprime consentanea; ut ab eodem, qui istic copiosius afflavit, spiritu

etiam illa profecta esse nemo dubitare possit.

Est igitur inter alia decreta illud ordine decimum quintum de arbitrio libero; quod et insitum esse generi humano, et ejusdemmodi, quale adversus hæreticos, et Iprenses pertendimus, iisdem, quibus et nos utimur, argumentis, et Scripturæ sententiis [1] approbatur: « Cum igitur, ait Synodus, reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposuerit coram eo ignem, et aquam, bonum, et malum, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam; nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit, quod sub eo sit appetitus ejus, et dominetur illius; ac denique percurrenti sacram Scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret, etc. » Ac subinde, « Neque tamen tanta gratiæ necessitas (qua voluntas humana præveniri debet) libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu; nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset [2], cui si quis aperuit januam, intrabit ad illum, et cœnabit cum illo; nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluerit ? etc. »

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Epilogus; in quo de epistolæ scriptoris, adeoque novorum dogmatistarum secta observatione dignum, et Catholico cuivis apprime necessarium judicium fertur.

Summa quæstionis, ac primum Iprensium opinio. — Huic contraria catholica.

Si quis est prudens catholicæ veritatis inquisitor, habet in iis, quos appellavi, certis et incorruptis testibus, unde Tridentinorum canonum verum, ac germanum sensum requirat. Ecquis enim dignior est, cui de mente Concilii affirmanti fides habeatur, quam qui illius participes, et in eo decernendi auctores, consiliatores, ac gubernatores fuerunt? Nemo jam causetur difficile esse, vel ambiguum, quid de libero arbitrio, ejusque cum gratia consensu, ac συνεργία synodus illa constituit. Hanc ipsam adhibeat, huic auscultet, non sibi; huic, inquam, fidem tribuat illorum, quorum in iis statuendis est usa consilio, scriptis, ac propemodum sermonibus hodieque loquenti. Missas istas faciamus interpretandi novitates, non solum abhorrentes a vero, sed putidas etiam et insulsas. Rideamus et inanes illas quiritationes, ac δεινώσεις, quibus epistola catholicam causam exulcerare, et in invidiam conatur adducere [3]. Si fucum, et fallaciam detrahis, nihil inest in ista controversia præter hoc, in quo clausulam hujus, et quidem longius provectæ, quam initio decreveram, disputationis statuam.

Duæ inter se contendendæ sunt sententiæ, ut utra utri anteponenda sit, sapiens apud se lector cogitet, illane quam epistolæ defendit auctor, an huic adversa, quam insectatur, et oppugnat. Sit litigandi, ac rixandi finis aliquis, et in hunc modum comiter, atque ex æquo rationem ineamus. Hæc sunt Iprensis sectæ capita duo, quæ epistolæ scriptor expressit, *tanquam duas symplegadas naufragii sui* [4]. Alterum est: Liberum arbitrium in eamdem rem libere simul, ac necessaria occupatum, antecedentique determinatione posse ferri; nec ei necessitatem, sed violentiam tantummodo repugnare. Alterum: Nullam esse gratiam Christi, nisi quæ consensum reipsa nostrum efficit, et *efficax* vulgo nominatur; adeoque nullam esse, quæ sit tantum sufficiens. Ab iis duobus pars altera dissentit. Nam et nullam, ubi absoluta volendi necessitas præcedit, constare libertatem asserit, (quippe quæ non soli violentiæ, sed etiam necessitati oppositam esse arbitrii libertatem

[1] Eccles. 15. — [2] Apoc. 5.

[3] P. 24. — [4] Tert. 1. cont. Marc. cap. 24.

existimat,) nec omnem Christi gratiam, ad quod ex sese idonea est, id efficere, ut consensionem nostram eliciat.

Utra verior sit disceptandi ratio. — Iprensis hæretica judicatur. — Et a Tridentino concilio damnata. — Tum ab Romanis pontificibus Pio V. et Gregorio XIII. — Et Urbano VIII. — Cujus auctoritatem eludere conati sunt Iprenses. — Sed ab Innocentio X. confirmata. — Qui Iprensium importunitati restitit.

Quoniam igitur duo hæc dogmatum paria inter se pugnantia sunt, ut nec vera simul esse queant, et falso dici alterutrum oporteat; utrius partis causa superior sit, ex eo cognosci, ac dijudicari poterit. Cum Romanæ se, ac catholicæ fidem Ecclesiæ sequi utraque profiteatur, vincat illa necesse est, quæ hoc sincere, ac liquido tenet, quod illius placitis Ecclesiæ consentaneum est; cedat ea porro, quæ ab iisdem vel minima parte discordat. In hanc arbitrii formulam si sententia dicatur, quis, quid sit consequens, non videt? Etenim primum illud par enuntiatorum Iprensium, cui patrocinatur epistola, non solum gravissimorum theologiæ consultorum responsis, sed etiam Romanorum Pontificum, ac synodorum decretis, pro hæretico judicatum est, atque damnatum.

Hæreticum esse, quod de libertate soli opposita coactioni tuentur illi, jampridem pronuntiavit S. Thomas[1], cum eoque theologorum flos tam in scholis disputantium, quam quos politior illius tractandæ disciplinæ ratio delectat. Quibus in percensendis ne longiores esse cogamur, habes Antonii Richardi librum primum, ejusque caput tertium; in quo plerique commemorantur ex variis academiis doctissimi, gravissimique theologi, qui opinionem istam hæreticam esse, sine ulla cunctatione defendunt.

Idem non de hac solum libertatis corruptrice, sed ejus compari quoque, cui epistola suffragatur, judicium tulit Tridentina synodus sessione sexta, de qua in dissertatione nostra hac accurate hactenus egimus. Cujus synodi verba cum multiplici explanatione circumducere dudum Iprensis licentia conata sit, nullum ad hanc diem operæ pretium fecit. Ac de epistolæ scriptore, quem ambitiosis laudibus in cœlum extulit præfatio, quam nihil fuerit in turpando, et implicando potius, quam explicando illius canone, plus satis tota hac in dissertatione patefacimus. Quamobrem, cum neque tantopere collaudatus ab illis iste, nec ejusdem, atque hic, ingenii et industriæ (si quisquam tamen par illi unquam extitit in numero mortalium) tantum consequi hucusque potuerit, ut in Tridentinis decretis ad suam, hoc est Iprensem calumniam aptandis tolerabiliter desiperet; nonne desperandum illis est deinceps commodius aliquod, plausibiliusque commentum? nonne porro in eorum canonum censuram, velut in aciem, ac mucronem induunt sese, qui ad illa duo, quæ dixi, anathemate sancita illic effata pervicacius adhærescunt?

Neque vero aliter, ac Tridentini Patres, de iisdem pronuntiatum est ab Romanis pontificibus Pio V. et Gregorio XIII. qui duabus illis propositionibus, quas epistola propugnat, aliisque similibus, quas Iprensis schola deosculatur, eamdem damnationis notam subscribunt, ac ceteris, quas magno numero descriptas *primo verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes* appellant, et eo nomine proscribunt. Quo velut fulmine ictus antistes dogmatis novi, hæret anceps, atque attonitus[2]; neque mentis suæ, vel sermonis satis est compos.

Horum duorum pontificum judicium iteratis edictis ratum habuit Urbanus VIII. qui primus Jansenii doctrinam, ac librum apostolici gladii mucrone transfodit, et utrumque, tanquam contagione aliqua pestilentis hæresis afflatum, ab usu, et lectione Catholicorum longius amandandum putavit; atque anathema, hoc est ultimi exempli diras, iis imprecatus est, non solum qui comprehensa in illo libro dogmata defendere auderent, sed etiam qui librum ipsum legerent, vel apud se quoquo modo retinerent. Sic in novitia hac hæresi contigit, quod de Pelagiana Prosper cecinit in carmine de Ingratis,

> Pestem subeuntem prima recidit
> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
> Religione tenet.

Hujus ad edicti vel labefactandam, vel eludendam vim, et auctoritatem, nihil non Iprensis est machinata factio. Incredibile est enim, quibus artificiis, ac fraudibus labantem, et in exitium incumbentem sectam suam fulcire, ac sustentare sint aggressi; quot adversus pontificias illas sanctiones, calumnias, mendacia, cavillationes, ridiculas et ineptas exceptiones

[1] S. Th. quæst. 9. de malo art. unico.

[2] Tom. 3. l. 6. c. 36.

adhibuerint. Quarum præcipua hæc fuit: ementitam illam, et supposititiam fuisse bullam; tum, ubi commentum istud refrixit: non sponte, ac voluntate sua, hoc est, ut loqui in hujusmodi solent, *motu proprio*, decretum illud fecisse Romanum Pontificem, sed importunitate quorumdam ab invito id expressum et extortum. Verum quam impudenter hoc ab illis confictum sit, quamque non invitus, sed ultro ac volens talia in Jansenianum librum ejusque venena Pontifex edixerit, partim repetitis mandatis, partim ad episcopos, virosque principes, et academias, tum universe, tum ad singulos scriptis litteris accurate testatus est.

Hujus exemplum imitatus est, qui eidem in amplissimam dignitatem, potestatemque successit Innocentius X. qui ab decessore suo non minus necessario, quam sapienter constituta irrita esse vetuit; tum crebras et ipse publice, privatimque litteras dedit, quibus omnes, ut edictis illis obtemperarent, severe est et constanter hortatus. Quinetiam Iprensium assiduas, et molestas interpellationes fortiter rejicit. Nam nec isti defuerunt sibi, nec de pristina confidentia remiserunt; imo acrius, et ardentius in negotium intenti, duos ad Urbem actores allegarunt e Belgio, impigros homines, ac strenuos, eosque magnis impendiis toto biennio aluerunt; qui armati principum virorum favore et advocatione, ac præsidiis omnibus instructi, nullas non machinas admoliti sunt ad pervincendam Pontificis constantiam, ut vel antecessoris sui decreta revocaret, vel eorum severitatem interpretatione aliqua leniret. Sed hæc incassum omnia cesserunt, ac proprio tandem experimento didicerunt, ad solidam, et immotam Sedis apostolicæ petram suos esse conatus omnes et impetus allisos, atque diffractos.

Urbanus et Innocentius contra Jansenium decreta sua comprobarunt. — Quæ apud Parisios in eadem causa gesta sunt.

Extant utriusque pontificis epistolæ, et Innocentii præsertim, ad Belgii, unde pernicies illa manarat, episcopos, necnon principes, doctoresque missæ; quibus, Deo id agente, par fructus operæ respondit. Rescripserunt enim plerique, se in Romani potestate Pontificis fore. Qua in re præcipuam integritatis catholicæ, pietatisque laudem retulit illustrissimus, ac reverendissimus Dominus d'Acheii, Bisontinus archiepiscopus, qui præter Jansenii pseudo-Augustinum, quem communiter cum ceteris decreto suo detestatus est, detestandumque proponi voluit iis, qui ad curam animarum adhibebantur, sub eadem formula, qua solemnem Tridentini concilii professionem nuncupare solent; Arnaldi insuper, et Vergerii libros interdixit, his verbis: « Prohibemus lectionem piorum in speciem operum Antonii Arnaud Sorbonici doctoris de frequenti communione, et Joannis Verger de Hauranne, sancti Cyranni abbatis, variorum opusculorum auctoris, quorum quidem mense octobri superioris anni, adjecta pœna arbitraria, lectionem per diœcesim nostram interdixeramus. » Idipsum de Janseniano opere, ejusque doctrina viritim professi sunt utriusque academiæ, Lovaniensis ac Duacenæ, doctores primarii, ac Theologiæ magistri. Jam Lutetiæ Parisiorum quemadmodum idem illud Romani Pontificis decretum illustrissimi Archiepiscopi jussu per omnes parœcias solemni ritu inter sacra promulgatum fuerit, nihil necesse habeo dicere; res enim nota omnibus, et pervagata est [1]. Pertinuit hoc ad publicam diœcesis totius disciplinam, ut ista religionis, pietatisque venena docti pariter, et indocti cavenda sibi esse cognoscerent. Quod autem eruditorum, ac theologorum interfuit, dedit operam sacra Parisiensis Facultas, ut quæ ab Romano Pontifice notata illic erant, et proscripta dogmata, propugnari a quoquam, ac doceri, proprio decreto prohiberet. In quo pristinum suum confirmavit, instauravitque judicium, quod ante annos quinque et octoginta fecerat, Christi anno 1560. quo in easdem illas, quas epistola defendit, et alias Iprensis scholæ propositiones sententiam dixit.

Catholica causa longe tutior. — A qua desciscere ad Iprensem novitatem periculosum est. — Dissentire ab Romana Ecclesia hæreticum est in rebus fidei.

Hæc igitur, et his plura, quæ brevitatis studio prætermittimus, insunt in Iprensium dogmatistarum causa, cujus patrocinium sumpsit Abbatis epistola. In nostra porro et antiqua quid? Nihil hic ego commendandi causa gloriosius dicam. Hoc uno brevi ac simplici ero contentus: Nec illorum esse sĭmilia, utpote contraria, quæ sentimus, præque nobis ferimus: nec hæresis, et erroris ab fide catholica damnati vel levissime suspecta, sed pura, sincera, integra, nobis cum Tridentina synodo, cum Romanorum Pontificum decre-

[1] Decretum Paris. anni 1644. vide apud Ricard. lib. 2. de lib. arb. c. 3. § 4. Extat Cens. Paris. Facult. apud Petav. l. 5. de Opif. cap. 13. Tom. 3. Dogm. et apud Ricard. init. oper.

tis, cum catholici orbis academiis, cum antiquis omnibus, ac recentioribus theologis, præter novitium, et enectum illum τῶν ψευδωνύμων Iprensium gregem, uno verbo cum universa Christiana Ecclesia communia.

Jam apud se his animadversis, prudens quisquis reputet, cum in eo negotio fidei, in quam baptismo initiatus est, integritas, hoc est æterna salus agatur, quæ sine recta fide obtineri non potest, ecquid tutius, consultiusque sit, rem tantam, quanta est cœlestis, et sempiterna felicitas, qua nihil quemque, ut pretiosius ducere, sic habere carius oportet, in suspectæ, ac periculi plenæ, ut quod levissimum est dicam, novitatis aleam committere, an illius spem in optimo, et firmissimo fundamento hærentem, ac collocatam habere. Una hæc, et perbrevis, sed latissime patens, multumque necessaria cogitatio, si altius sincere Christianum in pectus descenderit, non parum, opinor, profuerit ad continendos in avita professione Catholicorum animos, et ab nuperæ sectæ commercio retrahendos. Quis enim aliter de eo sperare possit, qui quod a Petro Cellensi verissime proditum est[1], accuratius expenderit? « Novitatem illam, quæ a Patrum vestigiis exorbitet, tam in fide, quam in moribus, necnon et in vocum, seu nominum novitatibus, semper anathematizandam esse. » Tum multo id exploratius videri debet, si Lanfranco[2] assentiendum est, quod Catholicus nemo detrectet, « Ex doctorum consensu hæreticum esse omnem hominem, qui a Romana, et universali Ecclesia, in fidei doctrina discordat. » Quippe, ut Justinianus ait[3], « hoc credimus esse catholicum, quod Romani Pontificis religioso responso nobis fuerit intimatum. » Quid igitur novis illis dogmaticis facias, « [4] qui primæ Sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt? » Equidem nihil in istos acerbius dicam, nec iis aliud exoptem, præterquam meliorem mentem, hoc est minime contumacem, nec nimis amantem sui, quæque pacis ac privatæ salutis, quam honoris, ac processus potiorem rationem habeat. Hoc ni faciant, verendum est, ne in istos de Tarpeia rupe vibratum hujusmodi apostolicæ sententiæ fulmen incurrat[5]: « Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat; sed extorris a sancto fiat ministerio; nec de ejus judicio postea quisque curam habeat. »

Hæc sola, uti dicere cœperam, animadversio pluris apud probos et solertes rerum æstimatores fiet, quam sexcentæ *considerationes* earum similes, quas epistolæ auctor exposuit; quæ sunt innumeris, nec usitatis ex ineptiis, flagitiisque contextæ. Horum nos specimen in hac dissertatione præbuimus, plerisque prætermissis, quæ quidem aliis, quibus otii plus erit, castiganda relinquimus. Ceterum paucis in illis capitibus, quæ delibare satis in præsentiarum habui, prorsus id, quod propositum erat, assecutum me esse confido: ut hoc omnes intelligere possint, neque quidquam eorum anonymum Abbatem præstitisse, propter quæ hanc se epistolam elucubrasse profitetur; neque causæ multum habuisse præfationis auctorem, cur eumdem exquisitis adeo laudibus extolleret, minime veteris illius, ut debuit, memor dicti[6]: « Ut vera laus ornat, ita falsa castigat; » vel istius[7], « Si veræ sunt laudes tuæ, præconia sunt; si falsæ, convicia. » Denique nisi aliis ex indiciis, experimentisque, quam ex epistola ista, talem eum cognoverit, qualem esse prædicat; horum alterutrum vitare non potest, quin vel inscitia occæcatus fuisse videatur, cum præfationem illam scriberet, vel contra pudoris, officiique leges strenue, intemperanterque mentitus.

[1] In Præf. Tom. 9. Bibl. PP. col. 824. — [2] Lanfr. cont. Bereng. To. 6. Bibl. PP. col. 191. C. — [3] Justin. ad Hormis. Tom. 3. Conc. pag. 782. E.

[4] Gelas. ep. 4. ib. 625. C. — [5] Gelas. apud Nicol. Papam in epist. ad Michael. Imp. — [6] Symma. — [7] Cæsar. Hom. 25.

FINIS TRACTATUS DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE ET S. AUGUSTINI DOCTRINA.

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE LEGE ET GRATIA.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRÆSULI

ISAACIO HABERTO

EPISCOPO, ET COMITI VABRENSI.

NUNQUAM antea fore putaveram (Illustrissime Præsul) ut pro tuenda Mosaica lege contra criminatores illius litteram ullam facerem. Non enim proditurum rebar his temporibus quempiam, qui hanc opinionis labem conciperet animo : multo vero minus, qui eam scriptis auderet attingere. Quod si vereri hoc in mentem mihi venisset, haud equidem emersurum ex Ecclesiæ sinu tale portentum arbitrarer, sed ex illa fæce Manichæorum, et similium pestium ; quarum hodie vel nullæ, vel exiguæ admodum reliquiæ supersunt. Nunc quoniam ita casus tulit, sive potius offensi criminibus nostris Numinis indignatio, ut id gementibus bonis omnibus eveniret : ego neque laboranti Ecclesiæ pro virili parte deesse volui ; et te, cujus hoc auspiciis capesserem, potissimum delegi. Quod cur instituerim, etsi argumentari nihil hic cujusquam interest, causas tamen afferre possum maximas, et justissimas. In primis excellentem tuum cum in doctrinis ceteris ; tum in hac, unde controversia ista nata est, usum, ac peritiam. Cujus rei inditio sunt, præter magisterii, quem privatus adeptus es, theologici gradum ; tua illa præstantissimi ingenii monimenta ; quibus immortale apud eruditos nominis tibi decus ; Ecclesiæ singularem opem, ac præsidium comparasti. Accedit par doctrinæ magnitudini laus et commendatio virtutum : per quas ecclesiastico dignas homine tua sic omnis anteacta decurrit ætas, ut ejus integritatem nulla, ne falsæ quidem, nedum dubiæ suspicionis aura perstrinxerit. Quibus sane meritis, et honestarum rerum studiis expolitum, et excultum divina te providentia ad principatum ordinis illius evexit : ut quæ in te animi decora, et ornamenta congesserat, ea manarent latius ; ac se, tanquam ex eminenti loco, communem ad salutem dilapsa, usu, exemploque diffunderent. His tertius adjungatur licet, et ad hujus quidem illecebram officii præpotens, privatus in me tuus, ac meus in te vicissim amor, earundem communione artium conciliatus ac devinctus ; cujus

publice exstare testimonium aliquod optavi. Verum nulla me tam ex omnibus, ut hanc nomini tuo lucubrationem dicarem, ratio perpulit, quam quod in eadem te jactatum esse contentione memineram; et contra eosdem adversarios non minus strenue, quam gloriose dimicasse. Cum tu quidem nondum ad infulas vocatus, et Parisiensis adhuc Ecclesiæ theologus; sed jam fama ubique notus; tum celeberrimis concionibus, tum refertis omni doctrinarum copia, et gravitate libris grassantem opinionis novæ licentiam retunderes. Quo ex tuo facto illa te merces ab improbis est consecuta, quæ ejusmodi, qualis tu es, ab hominum genere isto proponitur; ut ab Ecclesiæ pernicie per te depulsus illorum furor, in teipsum redundaret. Exstiterunt enim ab eo tempore libri ab illis editi complures impuri, ac maledici: quibus et se pristini in erroris obfirmarunt insania; et in te contumeliose, ac petulanter invecti sunt. Nam de me, quem tecum allatrarunt, levior est querela; cui quidem gloriandum etiam est, uti causa tibi conjunctus fueram, sic injuriæ, tolerantiæque consortem fieri.

Horum librorum unus est, quem isti secundum Apologeticum inscripserunt Iprensis Augustini, in quo iracundiæ, ac maledicentiæ suæ vela plenius explicarunt: et nominatim infanda illa contra veterem legem; quæ a te præsertim, sed et a meipso notata erant et convicta; majore fiducia resumpserunt. Quamobrem cum hæc ab illis instaurata in auctorem Legis Deum contumelia ferri ultra non posset, atque ad illius propugnationem omnino aggredi decrevissem; selegi ex Apologetico isto capita quædam ad propositum mihi argumentum spectantia, quæ refellerem. Ex quibus confectam hanc disputationem aliquanto apud me tempore continui, experiri volens, ecquid interquiescentibus nobis tacere possent, ac flatus remitterent: cum quidem intelligerem, perinde atque ferrum attritu cotis acuitur, aut flatu ventilatus ignis accrescit, ita confligendi perpetuitate, litis, et rixæ cupidos homines implacabiles reddi.

Sed cum me spes ista mea fefellisset, ac frequentes ab illis spargi libros interim animadverterem, quibus dogmatis sui particulam semper aliquam vendibiliorem facerent, haud amplius cunctandum putavi, quin ea proferrem, quæ reposita, et parata jam habebam. Ad id vero præcipue me insulsi, et illepidi scriptoris indignitas excitavit: qui longiore, ut apparet, impunitate confidentior factus, irrumpere est ausus in medium; et sectæ communis injuriam, odio, ac pestilentia libri cujusdam nuper est ultus; quem sub mentito Vincentii Lenis nomine divulgavit; ut non tam ad sectæ labantis ruinas fulciendas, quam ad seculi hujus infelicitatem nobilitandam iste cumulus accederet. Ab hac ergo velitatione recens, et in procinctu

adhuc positus (si quidem et iste frangendus, ac levi certamine conficiendus obiter fuit) verti me ad eam, quam dixi, contra Armacanos accurandam dissertationem de lege Mosaica et Gratia. Quod opus antea tibi et amico, et doctori theologo destinatum, nunc etiam episcopo nuncupavi. Tu hoc vero, qualecumque est, oblatum tibi munus, vel ut amicus (nam et in eo perseverare te scio) propenso ac benevolo animo capies : vel, ut theologorum arbiter et magister, de eo (quod nec ipse recuso) judicium feres: vel, ut episcopus, idipsum meæ in te perpetuæ, ac singularis observantiæ monimentum, et pignus æqui bonique consules.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ A. T.

Devotissimus Dionysius PETAVIUS.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE LEGE ET GRATIA.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur illorum opinio, qui legi Mosaicæ præceptum attribuunt illicitæ rei ac nefariæ. Cujus erroris summa ad certa capita revocatur.

I. Omnium hæresum, quæ Ecclesiam hactenus infestam habuerunt, antiquissimæ ac teterrimæ fuerunt illæ, quæ auctori boni, vero et sempiterno Deo, mali auctorem opposuerunt alterum, ac peræque sempiternum. Quo in genere Cerdones, Valentini, Marciones, Manichæi, Priscillianistæ, ac postremo Waldenses, celebre sibi apud posteros nomen impietate pepererunt. At istorum omnium utcumque gravis, ac detestandus error fuit hac una re tolerabilis, quod eumdem intellexerunt boni ac mali auctorem esse non posse Deum : itaque in duos potius officia ista partiti sunt natura, efficientiaque contrarios, quam ut unum amborum utique meliorem, imo solum bonum, mali quippiam aut velle per sese, aut efficere, aut imperare dicerent. De hoc mali genere loquor, quod proprie malum est, hoc est infectum vitii, ac turpitudinis macula, et ab regula rationis rectæ, atque honestatis abhorret. Hujus erroris consectarium illud fuit, ut quia veterem, ac Mosaicam legem impiam, ac sceleratam esse judicabant, latorem illius, et conditorem fuisse jactarent ejus similem, hoc est malum, malique principem Deum.

II. Tunc est autem mala lex, et legis ipse malus, ac vituperandus auctor, cum et illa scelus et flagitium facere per sese, ac recta imperat; et iste, quam ejusmodi esse novit, iis, quibus præest, pro jure suo, ac potestate constituit. Ergo et illi, quos nominavi, antiquiores hæretici Mosaicæ legis capita pleraque reprehendere solebant, iisque vitium ac peccatum præcipi dicere; ut eo concesso. quod reliquum erat, obtinerent; alium quemdam præter bonum, et confessum Deum, parem huic æternitate ac potestate statuendum esse, malum, ac mali principem. Adeo vel in tanto stupore, ac tam horribili cæcitate, cujusmodi illorum animos obsederat, tamen illud videbant : idem boni ac mali principium esse non posse. Necdum scilicet Lutheri, Calvini, et nuperæ aliæ labes exstiterant, quæ hoc postremum profiteri non dubitarent, non minus peccati, ac sceleris auctorem ac destinatorem esse Deum, quam recte honesteque facti.

Cujus erroris fautores, et propugnatores non soli sunt hæretici; sed etiam catholicarum partium aliqui; contra quos hanc disputationem suscepimus. Qui tum veterem legem, itidem ut illi, quos paulo ante dixi, superiores hæretici, impuram ac nefariam esse reipsa docent: tum ejusdem institutorem, quod isti eloqui timuerunt, unicum, eumque bonum nihilominus, Deum esse prædicant.

III. Hanc esse novorum theologorum sententiam, quantumvis negent, ac tergiversentur, ex eorum verbis ac decretis, quæ in apologia secunda scriptor anonymus nuperrime recoxit, hoc modo demonstratur.

Malam et injustam legem cum dicimus, nulla dicti hujus, opinor, alia nobis occurrit notio, quam ut ea talis intelligatur, quæ turpe aliquod, et vitiosum facere ex professo jubet. At hujusmodi per illa tempora Mosaicam fuisse legem, sectæ illius est opinio, ut in tomo primo Theologicorum dogmatum, libro decimo demonstravimus: ex quo illorum verba repetemus [1]. Etenim « propter carnalia diligere Deum, non gratuitus, sed mercenarius amor est, *inquiunt*, ideoque impurus, carnalis, vitiosus. » Hujus itaque vitiosi amoris, et impuri [2], « puritatique cœlestis regni adipiscendi necessariæ ex diametro contrarii, » sive [3] « terrenæ cupiditatis fomentum ac præmium lex illa ex professo promittebat, » ait ille, ac mox ex Augustino [4] probat, inter Judæos fuisse quosdam bonos, « qui Deum ibi pie colebant, sed tamen propter terrenas res, propter ista præsentia. Sunt enim impii, qui præsentium rerum bona a dæmonibus quærunt. Hic autem populus ideo melior erat gentibus, quod quamvis præsentia bona, et temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium et spiritalium, et corporalium. »

Ad quæ Augustini verba dogmatistes hæc adnotat [5]: « Quo fit, ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem a Deo vero, sicut et gentium, recederet, non tamen eousque ut in dæmonia, aut idola laberentur. » Quod et ex alio loco ejusdem Augustini [6] probat. « Iste ergo recessit a Deo, sed non longe, quia quasi pecus factus sum, et ego semper tecum. Illi vero longe recesserunt: quia non solum terrena desideraverunt, sed ea a dæmonibus, et a diabolo petiverunt. »

Itaque [7] « Synagoga, ait idem, considerata ut synagoga, non erat aliud, quam terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium unum Deum. » Tum paulo ante, « Testamentum vetus, in quo sola terrena promitterentur, congruis hominibus datum esse, non ea de causa, ut per hujusmodi Testamenti promissiones, et observationem eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur: sed ne res illas, quas carnali vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent. »

Item in titulo capitis noni: « Status veteris Testamenti, ut talis, non erat justitiæ, et salutis, sed potius peccati, et mortis. »

IV. Hæc verba, ceteraque illius operis ac dogmatis eodem spectantia, venenum illud continent opinionis impuræ, legem Mosaicam per se, et ex instituto, ac voluntate legislatoris Dei, scelus imperasse; hoc est vitiosum, et damnabile quiddam non solum permisisse, sed etiam præcepisse; ac minis, et præmiorum illecebris ad rem turpem, et flagitiosam incitasse. Etenim si Deum propter carnalia, et terrena diligere, peccatum est; et a Deo vero defectio: cum vetus lex hoc ipsum per sese, et ex professo ageret, ut ad Dei cultum, et obsequium terrenorum spe commodorum alliceret; eamque cupiditatem non aliis, quam istis, propositis bonis inflammare studeret; mali hortatrix ac præceptrix sine controversia fuit. Ut si quis legum lator, veritus ne cives nuptarum pudicitiæ insidias faciant, edicto caveat, ut qui uxorem nullam habent, aut causariam et nuptiali officio inutilem habent, concubinam adsciscant; ac detrectantes qua proposito supplicio, qua præmiis ad obsequendum impellat; improba sit, et flagitiosa lex illa, tametsi bonum ad finem referatur.

V. Tria sunt igitur in novo isto dogmate, perinde ab communi hominum, atque ab Christiano remota sensu, et citra controversiam hæretica. Alterum, quod legem veterem, *terrenæ cupiditatis*, quam « vitiosam, impuram, et carnalem dilectionem » vocat, quia « non gratuita, sed mercenaria est, » illius, inquam, « cupiditatis fomentum ac præmium ex professo promisisse » dicit. Hoc enim est, provocare ex professo homines ad peccandum: nempe ad illud exequendum quod ex professo lex, imo legis auctor Deus imperat. Alterum est, quod « Synagogam, consideratam ut syna-

[1] Theol. dogmatum to. 1. lib. 10. cap. 23. § 3. ex tom. 3. lib. 13. cap. 6. p. 115. A. 1. — [2] Ib. D. 2. — [3] Ib. p. 16. E. 2. — [4] In Ps. 72. p. 322. A. B.

[5] Vide tom. 1. Theolog. Dogm. l. 10. cap. 23. § 4. — [6] Aug. ibid. pag. 326. A. 2. — [7] Vide Theol. dog. locum cit.

gogam, non aliud fuisse » dicit, « quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, » vitioso illo amore, et cupiditate colentium Deum. Vel, quod eodem relabitur, « Statum veteris Testamenti, ut talis est, non fuisse justitiæ, et salutis, sed potius peccati, et mortis. » Quod quid aliud est, quam in Deum ipsum refundere vitium illud, et turpitudinem probrosæ ac nefariæ cupiditatis? Etenim *Synagoga*, *considerata ut synagoga*, Dei opus est, ac vera ejus Ecclesia, uti tunc tempora ferebant; quam quidem coegit, ac congregavit ex instituto Deus; et quibus voluit, atque expedire censuit, officiorum legibus, præceptisque temperavit. Quocirca si Synagoga, qua synagoga est, mala, et vitio est oblita, mali per se est auctor, artifex et institutor Deus. Ut qui hominem, consideratum ut hominem, vitiosum esse dicat, turpiter mentiatur, et illius creatori Deo contumeliam faciat, tametsi re ipsa pessimos esse fingas homines universos. « Siquidem homines opus sunt Dei, in quantum homines sunt: sed sub diabolo sunt, in quantum peccatores sunt, » ut ait Augustinus [1]. Qui et alio loco [2], « Quasi duæ res sunt, *inquit*, homo, et peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. » Tertium quod *Testamentum vetus*, ac legem Mosaicam, non ea de causa datam esse Judæis adstruit, ut eorum saluti consuleretur; sed ut ne terrena bona, quæ vitioso amore diligebant, a dæmonibus potius quam a Deo peterent.

VI. Quod si verum est, eo vis tota Legis ac fructus redigitur, ut tolerabilius duntaxat peccare doceat, et vitandi gravioris delicti gratia, levius alterum admittere. Quanquam levius, tolerabiliusque dici non potest, peccandi copiam a Deo petere, quam a dæmone. Imo gravius, atrociusque crimen est, orare Deum, uti fallere, pejerare, aut scelus aliud facere per illum liceat, quam hoc idem a diabolo, vel falso aliquo numine postulare; ut qui apud Horatium ita precabatur,

> Pulchra Laverna,
> Da mihi fallere: da sanctum rectumque videri,
> Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

Atqui illud ipsum, quod est turpius, et flagitiosius, quam hoc, cujus vitandi causa susceptum dicitur, suadente, imo imperante, cogente, auctore denique Deo, ab Judæis usurpatum esse docuit recentis conditor sectæ: et ne vitiosæ, improbæque cupiditatis lenonem, et conciliatorem faceret diabolum, facere non dubitavit Deum. Quid enim aliud est, Legem a Deo datam dicere, quæ « vitiosæ cupiditatis fomentum, ac præmium ex professo promittebat, » ne illud idem promittere diabolus occuparet, nisi affirmare Deum abs se vitii adjumenta illa, et fomenta capi, ac sperari, quam ab diabolo maluisse? Quanto prudentius, ac religiosius ethnici illi veteres, qui stuprorum, latrociniorum, cædium auctoritatem Veneri, Baccho, Mercurio, Marti, ac profanis diis ceteris, hoc est dæmonibus, mandabant; quam nuperi isti theologi, qui Deo vero, ac summo partes allegant fovendæ, promovendæque nequitiæ?

CAPUT SECUNDUM.

Vetus Testamentum, ex nuperorum dogmatistarum opinione, omni gratia, et auxilio ad bene vivendum, et ad salutem necessario caruisse: idque non Judæorum, sed Legis ipsius vitio atque culpa.

I. Ejusdem indolis est, quod illius auctor sectæ Judæis asserit in statu illo Testamenti veteris, nullam prorsus affuisse gratiam. Quod non sic ab istis affirmari putandum est, ut hoc tantummodo velint: Mosaicam legem, vetusque Testamentum nihil ex sese, ac suapte vi, et indole, gratiæ contulisse. (Hoc enim Catholici omnes fatentur: Legem nihil omnino gratiæ tribuisse per sese, interioris, et proprie dictæ: sed ejus auctorem, et largitorem unicum in-

[1] Aug. lib. 1. con. 8. epist. Pel. c. 18.

[2] Id. tract. 22. in Joan.

telligunt esse Christum ; cujus meritis per omnia et antecedentia, et consequentia tempora justi, ac salvi facti sunt, quicumque justitiæ, ac salutis compotes fuerunt.) Sed illud hoc sensu afferunt ; omni ut auxilio gratiæ Christi ad recte agendum, et ad vitanda peccata, atque ad damnationem effugiendam, et ad salutem consequendam necessario funditus destituti fuerint : idque non ulla præcipua culpa sua, sed ex natura Legis ipsius, et status antiqui Testamenti : qui postulabat, uti nulla Israelitico populo, qui sub illo versabatur, gratia suppeteret. Atque hoc prioris illius decreti consectarium est, quo legis Mosaicæ statum impurum, vitiosum, et damnabilem fuisse pronuntiant.

II. Principio nullam ex Christi meritis affuisse gratiam Testamenti veteris alumnis Apologetici scriptor ex antistitis sui verbis ita demonstrat [1]. Qui cum scripsisset, « Testamentum vetus magnam quamdam quasi comœdiam fuisse, quæ non tam propter seipsam, quam propter id, cui præfigurando serviebat, hoc est propter Testamentum novum, ejusque principem, et hæredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idonea ageretur ; » causam reddit illius dicti sui : « Quandoquidem enim, *ait*, carnalibus implicata studiis, et amoribus, terrenæque felicitati venandæ dedita, cœlestium, atque spiritualium incapax esset cogitationum ; quid congruentius, quam ut illa, quæ inutilis esset saluti suæ, saltem alienæ figurandæ procurandæque serviret ? » Ac « totam Testamenti istius observantiam veteris hominis servitutem » nominat. Est autem *homo vetus*, eo sensu, quem Apostolus usurpare solet, ex eoque nuperus apologista, nihil aliud, quam peccato corrupta, depravataque natura, sive peccati status, aut *corpus peccati*. De quo sic in epistola ad Romanos [2], *Hoc scientes*, inquit, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* Chrysostomus *hominem veterem* interpretatur, ὁλόκληρον κακίαν, hoc est *integram pravitatem, ac suis omnibus partibus absolutam :* quam et *corpus* ait esse *peccati :* nimirum [3], « nequitiam ex diversis pravitatis partibus conflatam ; » uti corpus ex suis membris componitur.

III. Hanc ipsam gratiæ Christi Testamenti veteris alumnis negatæ funditus hæresim, reliqua detegunt illorum dicta partim a nobis prolata in tomo primo Theologicorum dogmatum : partim ab apologista repetita pariter, ac defensa [4], « Cardinem, *aiunt*, voluntatis (eorum, qui sub lege vivebant) rapiebat non fides, quæ per veram Dei dilectionem operatur ; sed terrena cupiditas, cujus fomentum, ac præmium lex illa ex professo promittebat, etc. »

« [5] Quo fit, ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem, a Deo vero, sicut et gentium, recederet, non tamen eousque, ut in dæmonia, aut idola laberentur. » Quamobrem eadem Judæorum et gentilium, quod ad gratiæ præsidia pertinet, fuisse rationem, natio ista novorum theologorum existimat ; hoc est ambos illa ex æquo caruisse, quod prorsus initio septimi capitis ejus libri, unde superiora sumpsimus, asseverat, « Idem videlicet de gratia sufficiente Testamenti veteris hæredibus data arbitrandum esse, quod de illa eadem gratia in gentiles effusa statui debet. » Porro de infidelibus hæc illorum sententia est, quam titulus undecimi capitis libri ejusdem tertii præ se fert : « Infideles carent gratia sufficiente ad salutem, tam proxima, quam remota, et omnibus principiis ejus. » Et initio capitis, ne ejusmodi quidem sufficiens auxilium infidelibus assignari patitur, quale theologi quidam attribuunt ; cogitationem quampiam ad peccatum impediendum utilem, et utrumque præparantem ad excipiendam gratiam. Hac igitur, et omni adeo sufficiente gratia destitutos fuisse Judæos, asserunt isti : ac passim illud inculcant.

IV. Imprimis autem ille ipse locus, quem Apologetici secundi scriptor ex magistri sui opere designat [6], titulo illo declarat, qui septimo capiti inscriptus est [7] : *Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem, vel ullum præceptum ejus.* Porro in eodem capite postquam gratiam illam, sine qua præcepta servari nequeunt, docuit esse [8] « dilectionem ipsam justitiæ, quæ non est alia, nisi illa vera, pura, legitima, laudataque charitas Dei [9], quæ sola legem implet, quia plenitudo legis est dilectio, » et absque illa [10], « non solum totam legem servari non posse, nec solum supernaturaliter, et meritorie : sed nec ullum præceptum ejus ita posse servari, ut peccatum vitetur ; » postea concludit sic [11] : « Quæ cum ita se habeant, jam consequenter liquet, quam incongrue dicatur tam carnalibus

[1] Lib. 2. c. 15. pag. 160. ex to. 3. lib. 3. cap. 6. p. 116. — [2] Rom. 6. — [3] Chrysost. homil. 11. pag. 80. Τὴν ἀπό διαφόρων μερῶν πονηρίας συγκειμένην πάλιν κακίαν.

[4] Cit. a nobis tom. 1. lib. 10. c. 23. § 3. ex pag. 116. E. 2. — [5] Ib. p. 117. B. — [6] Lib. 2. cap. 3. et seq. — [7] Pag. ead. 117. — [8] Pag. 117. E. — [9] Ibid. p. 118. B. 2. — [10] Ibid. p. 117. A. B. [11] Ibid. p. 118. B. 2.

animis gratiam affuisse sufficientem, præcepta morum ex ista sublimi, et spirituali justitiæ dilectione servandi, quibus ideo hoc ipsum vetus Testamentum, terrenaque ipsius præmia promissa, ac data sunt, quod (ut supra vidimus) spiritualium rerum incapaces essent. » Ac paucis interpositis : « Quomodo igitur sufficientem gratiam habebant implendi legem, et quod multo mirabilius, adipiscendæ salutis, qui meliora temporalibus capere, imo cogitare non poterant ? » Ad hæc [1], « ab ipsa gratia non solum invocanda, sed etiam agnoscenda longo intervallo omnes hæredes veteris Testamenti distitisse » scribit idem capite sequenti, idque sæpius inculcat : ut cum inter alia scribit sic in eodem capite [2] : « Tales erant omnes omnino veteris Testamenti filii, gratiæ prorsus ignari : imo contemptores. »

V. Denique totum illud caput sextum libri tertii, ex quo Apologetici scriptor [3] infanda illa decerpsit, quæ in antecedenti capite descripsimus, diserte hoc ipsum asseverat : nullam penitus gratiam illuxisse Testamenti veteris hæredibus. Nam duplicem vitam hominis esse dicit [4] : « Alteram carnalibus sensibus implicitam, gaudiis carnalibus deditam, quæ carnalem fugitat offensam, voluptatemque sectatur. Hujus vitæ felicitas temporalis est : a qua vita incipere, necessitatis est, quamvis in ea persistere, voluntatis. Alteram, cujus in mente gaudium est, cujus interna, et æterna felicitas. » Utramque deinde vitam asserit Deum cura sua, et providentia dignatum esse ; ita ut priori bona illa tantum adspergeret, quæ capere ac concupiscere poterat ; hoc est caduca, et carnalia : posteriori vero, spiritalia et cœlestia. « Itaque ostendere volens, *ait*, Deus terrenam, temporalemque felicitatem donum suum esse, nec aliunde nisi ab ipso, non a dæmonibus, falsisve diis sperari oportere, prioribus præsentis seculi temporibus dispensandum judicavit Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc est carnalem, carnalibus voluptatibus inhærentem, a quo ista vita necesse est incipiat ; posterioribus novum reservavit, quo bona spiritualia largiretur. » Tum ista pertexit : « Propter hanc igitur causam, et hanc utriusque Testamenti differentiam, nihil omnino spiritale in veteri Testamento promittitur ; sed sola carnalia, quæ veteri homini, ac vitæ congruunt, divitiæ, opulentia, victoriæ, pax temporalis, regnum, gloria, etc. » Addit, « Hoc Testamentum, in quo sola terrena promitterentur, congruis hominibus dedisse Deum ; hoc est carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces, nondum possent ad ea magni pendenda, ac diligenda traduci ; idque non ea de causa, ut per hujusmodi Testamenti promissiones, et observationem, eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. » Et paulo post [5], « Tota itaque spes, tota charitas erga Deum, totusque cultus erat carnalis, ideoque vitiosus. Nam et avari strenue Deum diligunt, velut satellitem suæ cupiditatis, etc. Nec vero ista omnia, quæ de carnalibus istis animis filiorum veteris Testamenti diximus, de improbis intelligenda sunt ; sed potius de illis, qui probiores esse videbantur. » Unde ita concludit, ut superiori capite monstravimus [6] : « Synagogam, consideratam ut synagogam, non esse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem, etc. » Tum [7] « Legem illam veterem terrenæ cupiditatis, adeoque vitiosæ, fomentum ac præmium ex professo promisisse. »

VI. Jam vero Testamentum illud antiquum, sive Mosaicæ legis statum, omnis prorsus expertem gratiæ fuisse, hoc est nullam ejus alumnis, et hæredibus impertitam esse, sic nuperis istis theologis placet, ut hoc conditioni ipsi status illius, ac naturæ Testamenti veteris assignent, non eorum vitio, ac culpæ, qui bona lege male sunt usi, ac peccatis suis hanc sibi gratiæ, et ad bene vivendum necessarii auxilii copiam intercluserunt. Sic enim in ejusdem libri capite septimo legitur [8] : « Ex qua sane conditione, et interiori statu Synagogæ, naturaque veteris Testamenti facile liquet, quid de gratia sufficienti Testamenti illius hæredibus data ad custodiendum decalogum, ac legem Dei, salutemque spiritalem animæ consequendam, arbitrandum sit. » Nimirum non plus gratiæ in Judæos, quam in gentiles effusum fuisse ; hoc est omnino nihil, ut subinde pluribus explanat, idque *ex conditione, interiori statu et natura Testamenti veteris :* et in capite nono [9], ait « naturam Testamenti illius, ac statum populi, et conditionem temporis illius talem fuisse. » Item significant illa verba, quæ paulo ante commemoravi, *Synagogam, consideratam ut synagogam, etc.* Et, *ex professo carnali cupiditati fomenta promisisse.* Tum ista,

[1] Id. cap. 8. pag. 120. D. — [2] Ibid. p. 121. C. 2. — [3] Apol. lib. 2. cap. 8. p. 181.

[4] P. 114. — [5] P. 115. — [6] § 3. — [7] P. 116. E. 2. — [8] P. 117. C. — [9] P. 122. B. 2.

non ea de causa Testamentum illud datum fuisse, « ut Judæorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. » Ac ne longum faciam, quæ sunt a nobis ex illorum scriptis hoc in capite selecta, necnon cetera omnia, quæ in eorum libris ad idem argumentum uberrime disputantur, præ se istud ferunt: Legi ac Testamento veteri ex natura sua, et propria conditione ac statu convenisse, ut impedimento esset gratiæ; et eam funditus interciperet, atque ab Synagoga per sese, ac suapte vi, et indole prohiberet.

CAPUT TERTIUM.

1-2. Apologetici nuperi κρύψις et fucus, in propugnando Mosaicæ legis adversario. — 3. Legem per se esse bonam; ex accidenti vero causam peccati. — 4. Dogmatistæ nuperi falsa opinio. — 5. Augustini auctoritate damnata. — 6. Manichæorum et Marcionitarum affinis hæresi.

I. Cum et adeo sint horrenda novæ factionis architecti dogmata, quæ capite utroque superiori perstrinxi: et tam aperte convicta, ut celari, aut excusari tergiversatione ulla nequeant: eum vel quid agat nescientem, vel pudoris expertem oportet esse, qui ad ista serio tuenda, et propugnanda stilum, ac mentem adjiciat. Fecit hoc Armacanorum ille symmista; qui Apologeticum nuper edidit adversus illustrissimum ac reverendissimum D. Habertum ex insignis Ecclesiæ Parisiensis theologo Vabrensem factum antistitem. Quo in libro, inter alia flagitia, illud ipsum de lege veteri a me reprehensum, et confutatum alio in loco, designavit ad defensionis pompam aliquam, et speciem. Nam quod illic oppugnaveram, de eo disputare se, et quæ in invidiam erant vocata, purgare, ac tueri velle præ se tulit.

Sed ubi ad rem ventum est, alia egit omnia; perque ludificationem, eo, quod controversiæ caput erat, omisso, ad ea, quæ necessaria non erant, nec in quæstionem adducta, deflexit.

II. Veteris Testamenti statum, quo *Synagoga, considerata ut synagoga*, constabat; et in quo tota illius sita ratio erat, et essentia; per sese bonum, et laudabilem fuisse, tanquam ab auctore, institutoreque Deo profectum, dixi faventibus Catholicis omnibus; ex accidente tamen, et propter male utentium bona lege pravitatem, et socordiam, in eorum damnum ac perniciem vertisse, præter indolem suam, præterque Conditoris mentem, ac propositum. Ex quo sequitur, falsum esse novæ sectæ commentum, quod antecedens utrumque caput exposuit: cum Legem ipsam vitiosæ cupiditati ex professo fomenta ministrasse docet, ac peccandi magistram fuisse.

At Apologetici scriptor [1], dissimulato eo, quod in causa præcipuum erat, et in quo justissima querelæ, accusationisque summa vertebatur, partim frigida exceptione cavillari et eludere magis, quam purgare crimen instituit: partim in iis, quæ confessa, neque dubia erant, explicandis supervacaneam operam insumpsit.

III. Legis antiquæ beneficio nulli veram constitisse justitiam: nec, quantum in illa fuit, a peccatis extricatum esse quemquam; sed hoc sola Christi gratia homines assecutos esse, longo sermone ac crebris Augustini sententiis approbat: quasi de eo quæstio inter nos ulla versata fuerit. Atqui nemo hoc prorsus diffitetur. Verum aliud in causa est, et in opinione dogmatistæ nuperi: quod illi pro hæretico a nobis objectum, ne littera quidem attigit iste, sed comiter dissimulando præteriit.

Sane apostolus Paulus in ea, quam ad Romanos scripsit, ubi de lege Mosaica, ejusque vi, ac fructu, accuratissime disputat, Legem asserit, non gratiam, ac justitiam, aut peccatorum veniam hominibus attulisse, sed iræ potius, ac delicti, et damnationis incrementum [2], *Lex enim iram operatur*. Et [3], *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. Item [4], *Sine lege peccatum mortuum erat, etc. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit*. At idem vim illam maleficam, et ad peccatum impellentem, non Legi per se, proprieque convenire docet: sed ex accidenti, et per occasionem

[1] Lib. 2. Apol. c. 8. p. 178. et seq.

[2] Rom. 4. 15. — [3] Rom. 5. 20. — [4] Rom. 7. 8.

duntaxat : quemadmodum bonæ res interdum noxiæ ac detrimentosæ fiunt ; cum male bonis utimur. Itaque *Lex*, inquit [1], *sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Tum [2], *Scimus quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum.* Jam qua ratione lex illa bona, et sancta, mali et peccati causa fuerit, declarat ibidem [3]. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Item [4], *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit.*

Erat itaque Lex per sese *bona, et sancta, et spiritualis, et ad vitam ;* sed ex accidenti, morum perniciem, ac peccandi libidinem incitavit. « Sciri enim fecit peccatum potius, ait Augustinus [5], quam caveri : et ideo magis augeri, quam minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accessit. » Item alibi [6], « Quando cognoscit homo peccatum, si non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur, sine dubio lex iram operatur. » At ista minime culpa Legis est, nec ejus vitio factum, ut fraudi esset hominibus : sed horum importunitati potius, et corruptæ ac depravatæ indoli, morboque tribuendum est, quod in damnum, et exitium salutaris medicina cesserit.

IV. Recte hoc animadvertit Origenes, homilia septima in Exodum, ubi illud Ezechielis [7] : *Ego dedi eis præcepta non bona, et judicia, in quibus non vivent,* hæc adnotat, « Tentati enim in præceptis Domini non inveniuntur fideles. Ideo enim inventum est eis mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem ; quia unum, atque idem mandatum, si servetur, vitam ; si non servetur, generat mortem, dicitur mandata non bona. » Et Chrysostomus in homilia 54. tomi quinti : « (1) Data Lex est, *inquit*, ut peccatorum impetum reprimeret ; et ut meliores faceret eos, qui illam acciperent. Verum contra evenit, propter illorum socordiam. Peccata enim auxerunt. » Et alia plura addit ejusdemmodi, ut illam Scripturæ interpretandæ regulam approbet : Quod interdum τὰς ἐκβάσεις, id est eventa pro causis divinorum consiliorum habere videatur : ut cum Christus [8] idcirco venisse se ait in mundum, ut Judæi occæcentur.

Vide Methodium apud Epiphanium, Hæresi 64. ubi latissime de Lege disputat, et quemadmodum in malum conversa videatur.

V. Quamobrem irreligiosa vox est dogmatistæ recentioris illa, quam superiori capite memoravi : et ab Apostoli, ejusque interpretis Augustini, ac fidei catholicæ decretis, ipsoque adeo communi hominum sensu dissidens ; cujus patrocinium temere apologia nupera sibi sumpsit. Etenim qui potest bona, justa et sancta esse lex, quæ per se flagitium imperat : quæ ex professo vitiosæ cupiditati fomenta præbet : quæ ad hoc data ex instituto dicitur, ut terreno, pravo, ac vitioso amori velificetur? An vero spiritalis ea lex erit, et carnalibus adversa Judæis, quæ nihil nisi carnale præcipit ; hoc est Deo propter terrena servire commoda jubet : quod non mediocre esse delictum natio ista theologorum existimat? An *ad vitam mandatum erit* illud, quod concupiscentiam, ac terrenarum rerum cupiditatem per se, ac dedita opera fovere, alere, ac promovere studet : qua pestis capitalior est nulla ; neque magis inimica dilectioni : [9] *Qui autem non diligit, manet in morte.*

VI. Jam quod ad Augustinum, ceterosque Patres attinet, omnium voce ac sententia recens illud dogma jugulatur. Neque vero necesse est, singulorum dicta proferre. Unus est locus, in quem plurimorum auctoritates, ac testimonia collecta confluunt. Dixi primi capitis initio, commune hoc habuisse priscas, et obsoletas hæreses, velut Marcionitarum et Manichæorum, uti Testamento veteri legique Judaicæ bellum indicerent. Hoc ut cum ratione facere se probarent, illud potissimum pugnabant, quæ ab lege præscripta erant, et imperata, mala esse pleraque, et ad vitium ac flagitium implicata : adeoque legis novæ, ac mandatorum Christi sanctitati contraria. Ut, exempli gratia, præceptum illud talionis, quo *oculus pro oculo, dens pro dente* reddi jubetur sceleratum esse dicebant, et abrogatum a Christo, damnatumque Matthæi quinto : ut et alia in eodem capite comprehensa, quale

(1) Chrysost. hom. 54. to. 5. Savil. p. 363. ver. 10. Πάλιν ὁ νόμος ἐδόθη, ἵνα κωλύσῃ τὴν τῶν ἁμαρτημάτων φορὰν, ἵνα ἐπιεικεστέρους ποιήσῃ τοὺς δεχομένους. Ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξέβη παρὰ τὴν ῥαθυμίαν ἐκείνων. Ηὔξησαν γὰρ τὰ ἁμαρτήματα.

[1] Rom. 7. 12. — [2] Ib. ver. 14. — [3] Ib. ver. 8. — [4] Ib. ver. 10. — [5] Aug. de spir. et lit. cap. 4.

[6] Lib. de grat. et lib. arb. c. 10. Vide et lib. 13. de Civ. Dei. c. 5. — [7] Ezech. 20. 25. — [8] Joan. 9. 9. — [9] 1. Joan. 3. 14.

est odium inimicorum, et uxoris dimissio.

At vicissim catholici Patres, illam Legis infamiam, et calumnias non alia ratione propulsabant, quam ut ostenderent, nihil ejusmodi, quale pestes istæ jactabant, hoc est turpe, ac vitiosum, antiqua lege præcipi : et quæ illi reprehendebant, honesta et legitima fuisse, ac per id tempus Hebræorum populo, ejusque moribus, et ingeniis accommodata, planeque necessaria. Sic adversus Manichæos, et eorum principem Faustum luculenta disputatione contendit Augustinus multis libris, ac præsertim decimo nono, et vicesimo secundo, et in libro contra Adimantum. Contra Marcionem quoque Tertullianus, Legis patrocinium, maxime in quarto libro suscepit [1]. Irenæus item [2] adversus similes hæreticos pro eadem lege decertat. Tum Epiphanius contra Ptolemæum [3], Marcionem [4], Manichæum [5], aliosque nonnullos. Qui quidem nominatim ob id incusatam a Manichæo legem Mosaicam refert (1), quod ab illa cupiditas, cædes, aliaque flagitia profecta, mandataque fuissent.

VII. Est hoc nuperæ, quam oppugnamus, sectæ germanum ac proprium dogma. Nam *fomenta terrenæ, vitiosæ*, et charitatis inimicæ cupiditatis *ex professo promisisse* legem veterem affirmant. Quamobrem licet istos eodem, quo Manichæos arguit Epiphanius, argumento refellere. « (2) Si ab Legis, *inquit*, auctore est cupiditas, et eam operatur, cur ubique contra cupiditatem præcepta dat, qui cupiditatem immittit? Qui quidem ita præscribit : Ne concupiscas res proximi tui, neque bovem ipsius; neque jumentum, neque ancillam, neque agrum; nec uxorem illius, nec alia quæcumque sunt proximi tui. Si cupiditatem tollit e medio, non ejus præbitor est dicendus. » Num aliter instaret, ac disputaret Epiphanius, si hodie viveret, ac cum redivivis istis legis Mosaicæ reprehensoribus pro eadem tuenda lege certaret?

Hoc igitur ipsum controversiæ caput, et totius disputationis locus erat præcipuus, in quo hærere, ac pedem conferre decuit illum, qui apologeticum alterum dedolavit : ut quod sectæ suæ conditori objectum fuerat, de eo potissimum ageret, responderetque, si posset, et nisi cavillari, ac fucum facere mallet.

Quamobrem nugari deinceps desinat, quisquis ille est, et istic sit. Doceat nos quemadmodum ab legis antiquæ, et auctoris ejus Dei contumelia, patriarchæ sui decreta vindicet. Ostendat vel non esse flagitium, lenocinari vitiis, ac peccatis, eaque variis illecebris et irritamentis ex professo fovere : vel non istud egisse Mosaicam legem, ex novæ sectæ sententia, et impuræ libidini, cupiditatique dedita opera serviisse.

Hæc in apologia sua purgare, aut præstare certe, ac palam tueri patronum illius attinebat : non supervacanea illa, et ad rem minime spectantia commemorare, quemadmodum lex gratiæ nihil ex sese contulerit; nec peccatum curaverit : sed confirmavit potius, ac vires suffecerit; et id genus alia, quæ nec ad litem faciunt, et ignota vulgo non erant, etiam antequam Theognis nasceretur.

(1) EPIPH. hær. 66. § 70. p. 691. B. Καὶ φησιν, ἐξ αὐτοῦ ἐπιθυμία, ἐξ αὐτοῦ φόνοι. Καὶ τὰ ἄλλα πάντα.

(2) EPIPH. ibid. Εἰ γὰρ ἐξ αὐτοῦ ἡ ἐπιθυμία καὶ ἐπιθυμίας ἐνεργεῖ, πῶς ἄνω καὶ κάτω κατὰ ἐπιθυμίας γράφει ὁ τὴν ἐπιθυμίαν ἐμβάλλων; ὁ λέγων, μὴ ἐπιθυμήσῃς τὰ τοῦ πλησίον, μήτε τὸν βοῦν αὐτοῦ, μηδὲ τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ, μηδὲ τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, μηδὲ τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, μηδὲ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, μηδὲ ὅσα ἐστὶ τῷ πλησίον σου. Εἰ ἀναιρεῖ τὴν ἐπιθυμίαν, οὐκ αὐτὸς τῆς ἐπιθυμίας ἐστι χορηγός.

[1] Vide cap. 4. et seq. — [2] Ut lib. 4. cap. 29. et c. 52.

[3] Hær. 33. — [4] Hær. 42. — [5] Hær. 66.

CAPUT QUARTUM.

1. Legis antiquæ vituperatores, eorumque principem contra se sentire, ac veræ interdum opinioni suffragari. Quid sit ex professo aliquid facere, et ex accidenti. — 2. Declaratur medicorum exemplo, quomodo lex vetus ex accidenti peccatum augebat. — 3. Refelluntur ex Augustino Legis obtrectatores. — 4. Tum ex usu communi loquendi, et absurdo, quod ex illorum sententia sequitur.

I. Sed quid ad Legis obtrectatores retundendos, aliunde testimonia et argumenta conquirimus? Dabo istos ipsos contra se pro eadem, quam criminari ausi sunt, lege pugnantes. Augustini æmulus iste, qui nuper inscitam illam fabulam recoxit, postquam Legis effecta, et importata per eam maleficia declamavit; demum *explicare modum* instituit, *quo lex peccatum abundare fecit, et iram operata est.* Verba sunt hæc illius [1]: « Quapropter, et modus explicandus est, quo prævaricationis gratia, seu propter prævaricationem, lex posita fuit: et quo tandem consilio lex talis hominibus infirmis data, qua peccatis afflicti gravius adhuc affligerentur. Hoc enim a divina misericordia, atque benignitate prima fronte videtur abhorrere. » Huic vero quæstioni respondet sic: « Hoc per accidens contingere ex parte Dei: per se ex innato, et consuetudine roborato hominis vitio, etc. Legis ergo accessus per se quidem tendit ad restringendum cupiditatis impetum, quatenus frenandum esse docet: sed propter insitam visceribus hominis libidinem, fit ut inde ardentius inflammetur, etc. Lex enim per se non fomes, sed limes ardoris est: quamvis propter vitium, ex limite exarcescat magis, ac magis. »

Hæc ut verissima sunt, sic ab aliis discrepant ejusdem sententiis, quas superioribus capitibus exposui. Ibi enim Legem aiebat, peccatis, ac vitiis, hoc est *rerum terrenarum cupiditati,* quam *carnalem* ac *vitiosam* esse statuit, « formentum, ac præmium ex professo promittere. » Quod autem *ex professo* facit Lex, id *per se* facit, non *per accidens.* Itaque *per se fomes est ardoris,* et amoris impuri, ac vitiosi: quod istic negat. Quid est aliud *profiteri*, quam *aperte, ac palam præ se ferre*, ac *polliceri?* Sic medicinam profiteri, aut philosophiam, est per se, et ex instituto disciplinas istas docere velle.

II. Et ut ab re medica nondum recedam, opus ejus artis, hoc est corporum sanatio, duobus exerceri modis potest; aut ex professo, aut ex accidenti. Ex professo medetur, qui sponte, ac de industria, in auxilium vulnerum morborumque, idonea remedia ex artis suæ præceptis adhibet. Siquidem « ut alimenta sanis corporibus agricultura; sic sanitatem ægris medicina promittit, » ait Cornelius Celsus [2]. Ubi *promittendi* verbo est usus, quod Græcis est ἐπαγγέλλεσθαι, et idem ac *profiteri.* Ex accidenti vero sanitatem affert, qui aliud agens, et imprudens eam restituit, dum aliquid facit, unde præter ipsius mentem, ac consilium, illa consequitur. Sic de Jasone Pheræo proditum est, hunc ab inimico vitam eripere volente ea parte corporis percussum, quæ interiore et insanabili vomica laborabat, repente aperta illa convaluisse. Sic quæ apud Ausonium:

> Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
> Nec satis ad mortem credidit esse datum,
> Miscuit argenti letalia pondera vivi,
> Cogeret ut celerem vis geminata necem.

Quæ res illi saluti fuit. Nam hydrargyrum viam sibi, ac veneno, per inferiorem alvum fecit, cum eoque dejectum est. Isti ambo non ex professo, sed ingratiis, et ex accidenti vitam ac sanitatem iis, quibus nolebant, reddiderunt.

Hoc modo lex Mosaica, si *per accidens* tantum peccatum augebat, et fomes erat amoris vitiosi, non id ex professo faciebat. Atqui *fomentum ex professo, ac præmium promittebat* obscenæ illi, et vituperandæ cupiditati, ut sectæ magister docet. Non igitur *per accidens,* sed *per se*, hoc est directe, ac destinato consilio id agebat. Hoc conflictu sermonis, et repugnantia constricta tenetur nova hæc opinio. Cujus si sensum non habuit Apologetici scriptor, multum pinguis homo est, et parum acutus; sin videns sciensque dissimulavit, versutus est et callidus, qui desperatæ causæ latebram captavit in loco illo communi, de quo nulla inter nos erat quæstio; id vero prætermisit, cujus gratia postulatus a nobis ac reprehensus fuerat.

[1] Tom. 3, lib. 1. cap. 10.

[2] Init. lib. 1.

III. Ut autem temerarii dicti et absoni magis illos pudeat, age quod de lege veteri illic est dictum, in aliam transferamus. Augustini ex libro primo ad Simplicianum locum quemdam affert ὁ Ανομος. (sic enim oppugnatorem Legis appellare licebit eodem jure, quo Αλόγους Epiphanius hæreticos illos vocat[1], qui Evangelium Joannis rejicientes, etiam prædicatum, et nobilitatum ab eo τὸν λόγον, id est *Verbum* abnegabant.) Ille ergo vituperator Legis, Augustinum citat interpretem Apostolicæ illius sententiæ, *quæ ministrationem mortis* legem nominat[2]: et alterius, in qua *legem subintrasse* dicit[3], *ut abundaret delictum;* et ejusdemmodi ceterarum, in quibus ὀξύμωρον aliquid appareat. « Nec mireris, ait Augustinus[4], cum de ipsa prædicatione Evangelii dictum sit[5], *Christi odor bonus sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem.* »

Eamdem igitur hac in parte rationem esse censet Augustinus veteris ac novæ legis, quatenus utraque per se bona est, et ad bonum hortatur, et impellit: ad malum vero, non per se, sed ex accidenti. Utrobique enim « per bonum factum est malum, dum male accipitur bonum: » ait idem Augustinus alio in loco[6]. Et[7], « Quis nescit non legis, sed hominum vitio, lege subintrante, abundasse peccatum? » Idem et Chrysostomus affirmat homilia 12. in epistolam ad Romanos, ubi Apostolum excusat, quod legem Mosaicam nimium depretiasse videatur minus attente cogitantibus, et quasi auctorem peccati facere. « (1) Si enim, *inquit*, crimen hoc Legis est, quod peccatum per eam occasionem ceperit, idipsum etiam in novo Testamento reperiet. Quippe in novo Testamento innumeræ sunt etiam leges, et de majoribus plurimis rebus editæ. In his ergo non minus, quam in illa, idem evenire videas: nec solum in concupiscentia, sed in omni prorsus pravitate. »

IV. Quamobrem quod de lege veteri ὁ Ἄνομος dixit, audeat etiam de Evangelio profiteri sic: Evangelica lex *ex professo* data est, ut *mortem ministraret* hominibus, et ut *abundaret delictum:* quis eam vocem Christianus æquis auribus admittat, quis non exhorrescat? Atqui par est pro suo modulo scelus in illa altera, quam de lege Mosaica pronuntiavit Anomorum princeps, et hujus manipularis editor Apologetici tuetur.

Sane Christum ipsum, id est Messiam *positum esse* dicit[8], adeoque *missum* significat per Simeonem Spiritus sanctus *in ruinam multorum.* Tum de se Christus idem profitetur[9], *se in judicium in hunc mundum venisse,* hoc est in majorem condemnationem, ac pœnam eorum, a quibus repudiatus et contemptus est, maxime Judæorum; ut Chrysostomus, eodem isto in loco, et ad illum evangelicum tam ipse quam Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, aliique docent: quatenus ad improbos eadem illa verba referuntur: quorum propria sunt ista, quæ sequuntur: *Ut qui vident, cæci fiant:* hoc est *gravius excœcentur*, ut ait Augustinus.

Audiamus hac de re pulcherrime disputantem Ambrosium in libro primo de Jacobo et vita beata, capite quarto. « Quid miraris igitur, *inquit,* si lex quibusdam morti sit, cum morti sit et Domini salutaris adventus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi quærit ex gratia: manet autem mandati gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicinæ: sic divinum mandatum ad vitam æternam, etc. » Mox ista pertexit: « Sicut ergo bonum est antidotum, etiamsi imprudenti, aut intemperanti non bonum: » sic bonum mandatum, etiamsi « intemperanti non bonum est. »

Eximius est de eodem argumento locus Aug. in lib. 1. contra Cresconium grammaticum, cap. 23. et sequentibus; ubi non solum res omnes, quæ ad naturalem usum hominum a Deo conditæ sunt, « non omnibus tamen habentibus utiles esse » probat; « sed tantummodo bene utentibus, » ut lucem, ut cibum, ut medicamentum, arma, vestes: verum etiam baptismum, et « illa bona, quæ ad legem Dei pertinent: » ac præsertim legem ipsam veterem: cujus occasione peccatum operatam esse concupiscentiam omnem testatur Apostolus. Inde ad baptismum rediens, præclare demonstrat, eamdem hujus ac legis

(1) Chrysost. to. 3. pag. 93. Εἰ γὰρ ἔγκλημα τοῦ νόμου, τὸ δι' αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν ἀφορμὴν λαβεῖν, εὑρεθήσεται καὶ ἐν τῇ καινῇ τοῦτο συμβαῖνον. Καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ καινῇ νόμοι μυρίοι, καὶ περὶ πολλῶν μειζόνων τραγμάτων. Καὶ τὸ αὐτὸ ἴδοι τις ἂν ἐκβαῖνον κἀκεῖ, οὐκ ἐπὶ τῆς ἐπιθυμίας μόνον, ἀλλ' ἐπὶ πάσης ἁπλῶς κακίας.

[1] Epiph. Hær. 51. § 3. — [2] 2. Cor. 3. 7. — [3] Rom. 5. 20. — [4] Aug. lib. 1. qu. 2. ad Simp. tom. 4. p. 266. D. 2. cit. tom. 3. cap. 10. p. 17. ab Adver. Legis.

[5] 2. Cor. 2. 15. — [6] Tract. 62. in Joan. — [7] Aug. lib. 2. Oper. Imp. cont. Jul. p. 436. — [8] Luc. 2. 34. — [9] Joan. 9. 39.

Mosaicæ rationem esse, quod ad bonum, vel pravum illius usum attinet; ac Donatistas aliter existimantes, et baptismo suo plus æquo tribuentes acerrima oratione convincit.

Quæ cum ita sint, an quisquam vecors adeo sit, qui Christum afferat *ex professo* a Patre esse missum, et in hunc mundum venisse, ut Judæi majori damnatione plecterentur; aut ut pervicaciam eorum, ac cæcitatem augeret?

V. Hæc sunt portenta Lutheranæ, Calvinianæque hæresis, quam Manichæa, ex hac parte, contaminatiorem esse supra demonstravimus. Qui enim minus de Christo, et Evangelio usurpare tale aliquid audeant, quam de lege Mosaica; cujus auctor, conditor, et lator idem ipse Christus fuit? Quippe *Jesus populum de terra Ægypti salvasse, et eos, qui non crediderunt, perdidisse,* ab apostolo Juda dicitur [1]. Quamobrem detestanda utrobique vox est, sive Christum *ex professo* ad cujusquam hominis venisse perniciem dixeris: sive legem antiquam fovendis *ex professo* vitiis fuisse concessam.

Quanquam quid hic Christum, ac Deum, vel ab eo traditam peræque veterem ac novam legem commemorare attinet? Ecce tibi creatæ res omnes, quamvis et a bono creatore conditæ, et bonæ ipsæ sint, mali tamen plus fere, quam boni afferunt iis, quorum gratia productæ sunt: pluribus certe nocent, quam prosunt; quia plures electis mali sunt, ac reprobi; quibus exitiosæ istæ sunt. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt,* ut ait Sapiens [2], *et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam insipientium;* quorum utique major, quam aliorum, imo *infinitus est numerus.* Quod si quis ideo creaturas a Deo factas [3] *ex professo* dicat, ut hominum sceleribus obsecundent, et ad ea perpetranda, fomentis ac præmiis illos acuant, profanus merito, ac scelestus habeatur.

VI. Atque ut majoribus istis commodis illarum, et incommodis omissis, quæ ad animorum salutem pertinent; in minoribus, et propriis corporis insistam; licet adversus Calvinum, et Lutherum, eo argumenti genere contendere, quod ad Manichæorum similem, imo, ut dixi, tolerabiliorem convincendam insaniam, adhibere solet Augustinus. Ut in libro 15. contra Faustum [4], de locis illis disputans, quibus Legi detrahi videtur, negat in illis reprehendi Legem: « sicut non reprehenditur scientia, cum dicitur: Scientia inflat, charitas vero ædificat. » Et paulo post, « Ergo Lex semper est bona; sive obsit inanibus gratia, sive prosit plenis gratia; semper est bona: sicut sol semper est bonus, quia omnis creatura Dei bona est, sive dolentibus oculis noceat, sive sanos mulceat. » Exspecto quam mox isti frontem perfricent; et scientiam, quam Dei esse munus, impii sint si dubitant; ex professo datam asserant, ut fastu, et gloriolæ vento sufflati homines intumescant. Aut ut solem a Deo creatum, et expositum oculis dicant *ex professo,* uti male sit contuentibus illum ægris luminibus. « Isto modo, inquit de illis loquens Augustinus [5], possunt et solem vituperare, quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni a judicibus jubentur ad solem. » Cur enim eloqui talia vereantur, si Legem *ex professo* fovendis, et excitandis cupiditatibus, ac vitiis inservisse docent? Mille sunt ad manum exemplorum similium, quibus traduci Anomorum error, vel frangi pervicacia possit.

[1] Jud. 5. — [2] Sap. 14. 11. — [3] Eccl. 1. 15.

[4] Cap. 18. — [5] Aug. 12. de Civit. cap. 4.

CAPUT QUINTUM.

1. Anomorum erroris capita tria ; quæ singillatim refutantur. — 2. Primum : Synagogam non fuisse veram Ecclesiam, sed colluvionem quamdam hominum carnalium ex genere suo damnabilem. — 3. Atque hoc non ex eo factum esse, quod mali essent, sed quod ex Legis præscripto viverent. — 4. Secundum caput : in Ecclesia, tam quæ ante Christum exstitit, quam quæ postea secuta est, solos censeri justos. — 5. Tertium caput : Judæos eo ipso, quod Legi obtemperarent, scelus fecisse, ac damnationem meruisse.

I. Atque ut ordine, ac via disputatio nostra cursum suum teneat, tria constituam Anomorum doctrinæ capita, sic tanquam mystica dogmata : quæ cum in illorum patriarchæ libris partim diserte tradita sunt ; partim ex claris, et aperte positis necessario sequuntur ; tum ab Apologetici scriptore manifestius, et distinctius, quam ab illo ipso, cujus causam tuetur, explicata sunt.

Horum primum est, Synagogam, sive Judæorum congregationem, quæ sub lege Mosaica, et veteri Testamento merebat, quantumvis legi ac testamento isti ex ejus spiritu serviret, Dei Ecclesiam minime fuisse. Sed nullam, præter Christianam, exstitisse unquam Ecclesiam : judaicam autem, ac veterem Synagogam, nonnisi colluvionem quamdam fuisse hominum carnalium ex genere suo vitiosam, ac damnabilem.

Alterum est, solos justos et sanctos in vera, et unica Dei Ecclesia, quæ ante natum Christum exstitit, comprehensos fuisse : ex quo idem colligitur de hodierna necessario consequens.

Tertium, Judæos in veteri Testamento legis Mosaicæ ex ejus præscripto, et imperio parentes, hoc est eo modo, et affectu, quem Lex, auctorve Legis Deus aperte præscribebat, ejus mandata servantes, eo ipso peccasse, et damnationis reos fuisse.

Tria hæc nuperæ decreta sectæ, qua illorum ex placitis et principiis exflorescere, qua disertis etiam verbis, ac sententiis affirmari in eorum libris, ante omnia demonstrandum est : maxime ex Apologetico, cujus auctor calliditatis ad dissimulandum, et versutiæ minus attulit.

II. In primis igitur, Synagogam judaicam, quæ Christi antecessit adventum, et ad vetus Testamentum pertinuit, Dei Ecclesiam non fuisse, docet Apologeticus secundus, capite sexto libri secundi : in quo probare nititur id, quod in lemmate capitis præfixum legitur, « perperam a D. Haberto Synagogam cum Ecclesia confundi, et Testamenti veteris alumnos, quique ad Testamentum illud attinebant, cum justis, et sanctis, qui ejusdem veteris Testamenti tempore vivebant, et ad novum spectabant, promiscue haberi. »

Quamobrem cum D. Habertus ita scripsisset[1] ; Augustinum sentire, « nonnisi unam fuisse unquam Ecclesiam, unamque Religionem, tametsi triplex fuerit Lex, Naturalis, Mosaica, et Evangelica : tum eamdem Ecclesiam, in qua hodie censemur, sub Mosaica lege vixisse, et eam observasse, ac sanctificasse, hoc est sancte, ac religiose coluisse : » ad hæc Apologeticus[2], verum id quidem fatetur, quod ex Augustino sumptum est, unam ab initio, ad hoc tempus Ecclesiam decurrisse, « quæ justos omnes, et electos ab Abele, ad novissimum omnium futurum amplectitur : » verum negat, « Synagogam judaicam ejusmodi Ecclesiam fuisse ; quippe Judæorum religionem nihil aliud nisi figuram Christianæ fuisse : ac Testamenti veteris alumnos, de quibus Dominus Iprensis loquitur, unicæ istius Ecclesiæ partem nullam constituisse. » Addit, « justos illos omnes, qui ante legem editam et deinceps ea jam lata floruerunt, in eadem, in qua nunc sumus, Ecclesia versatos esse, sed in veteri Testamento non censeri ; quamvis illius tempore vixerint. Nimirum quod de apostolis suis Dominus dixit, eos in mundo esse, sed non esse de mundo ; idipsum et de priscis illis Patribus viris sanctis usurpari licere : sic eos in veteri fuisse Testamento, ut de veteri Testamento non fuerint : » quod totidem verbis

[1] Apolog. pag. 170.

[2] P. 171.

explicat Augustinus in expositione epistolæ ad Galatas. Qui et alio in loco [1], « veteris quidem Testamenti dispensatores, et gestatores, sed novi hæredes illos » vocat : et « nondum nomine, sed re ipsa Christianos *ait* fuisse. » Hæc Apologeticus : quorum iste sensus, atque hæc summa videtur esse : Unam duntaxat ab orbe condito, per omnes ætates, Ecclesiam exstitisse, eamque Christianam ; quæ justos omnes amplexa sit, qui Testamenti veteris tempore vixerunt : Synagogam vero, sive Judaici populi cœtum, qui Mosaicæ legi, et Testamento veteri serviebat, extra veram Ecclesiam fuisse.

III. Neque vero dum alumnos Mosaicæ legis extra veræ fines Ecclesiæ relegat, eos solos intelligit, qui origine tantum et carne Judæi, aut etiam externa professione, et commercio Sacramentorum implicati, innexique ceteris, nullum in animo retinebant fidei, qualem ætas illa ferebat, vel charitatis vestigium, sed prorsus infideles, et exleges erant : cujusmodi hominum ingens per id tempus multitudo fuit ; qui vicinarum usu gentium, et consuetudine depravati, ad earum mores, superstitionesque qua palam, qua occulte deflectere solebant. Non illos, inquam, Apologia solos extorres ab Ecclesia vera fuisse sciscit : verum Judæos universos, qui in vetere Testamento profitebantur, ac Mosaicæ legi obsequebantur. Quorum extra veram illam, et unicam Ecclesiam deportandorum causam hanc idoneam fuisse censet, quod legi ex præscripto ejus obtemperarent, hoc est, quod ab lege imperata eo fine, ac scopo proposito facerent, quem lex ipsa monstrabat, ac præ se ferebat.

Hanc illius sectæ mentem esse, tum Apologiæ verba illa declarant, quæ hic exscripsi, ac cetera capitis ejusdem ; tum ista capitis noni [2] : « An quisquam dubitare poterit, quin filiorum Testamenti veteris status ejusmodi ex Augustini mente fuerit, qualem D. Iprensis descripsit ? hoc est multitudo carnalium hominum, qui Deo non aliter obtemperabant, quam bonorum desiderio terrenorum, et amittendorum metu : qui neque fidem, neque spem, neque charitatem habebant ; et, quod consequens est, vitam æternam assequi nullo modo poterant ; quo nonnisi per illas virtutes pervenitur. » Igitur qui Deum colebant, ejusque præceptis obediebant terrenorum spe, ac desiderio bonorum, et iisdem carendi metu, extra veram, et unicam Ecclesiam habebantur ; eratque damnabilis illorum status, utpote qui ex infidelibus, ac desperatis, et omni peccatorum genere contaminatis hominibus constabat. Atqui Mosaica lex, ut iidem Anomi sentiunt, illam terrenorum bonorum cupiditatem, et affectum colendi numinis, ex solo commodorum istorum desiderio, ex professo fovebat, quod supra demonstravimus [3]. Ex quo id sequitur, quod probandum sumpsimus, Synagogam judaicam, sive populum Hebræorum, quocum Deus Testamentum vetus, ac fœdus suum pepigerat, quatenus eidem testamento, ac legi Mosaicæ, ex præscripto legis ipsius, et eo, quem Deus ingenerare volebat, affectu serviebat, non fuisse Dei Ecclesiam ; sed quamdam hominum infidelium, et sceleratorum colluviem. In hunc sensum Anomorum principis effatum illud [4] aperte conspirat, cui Apologia patrocinatur [5] : « Synagogam, consideratam ut synagogam, non fuisse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium, solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium unum Deum ; » de quo vide quæ capite primo et secundo dicta sunt, et quæ paulo post uberius exponentur. Denique cum solos justos veteris tempore Testamenti, in vera Ecclesia numeratos esse putet Apologeticus, et eosdem neget ad Synagogam, aut vetus Testamentum pertinuisse ; sed in novo Testamento, Ecclesiaque Christiana recensendos velit, quod subinde monstrabimus ; evidens est, Testamenti veteris statum, legisque Mosaicæ, ab Ecclesiæ veræ communione segregari.

IV. Quod igitur de tribus novitiæ illius sectæ dogmatibus secundo est a nobis loco positum, solos justos et sanctos tempore veteris legis, in vera Ecclesia numeratos fuisse, id ex Apologetici verbis hunc in modum colligitur. Etenim si nulli, præterquam justi, et sancti, extra vetus Testamentum erant, aut in vera Ecclesia, id est Christiana, reponebantur, ceteris qui justitia carebant, sub lege, ac Testamento veteri relictis, (quod affirmari in Apologetico [6], hujus initio capitis ostendimus,) ac si omnes illi, qui sub Testamento erant vetere, alieni erant ab veræ Ecclesiæ societate, utpote fidei, spei, et charitatis funditus expertes, ut ex eodem Apologetico paulo ante memoravimus ; profecto nemo, nisi justus, et sanctus, Ecclesiæ veræ pars fuit.

Quin etiam Apologeticus, libri ejusdem secundi capite octavo [7], Ecclesiam illam unicam,

[1] Lib. 3. ad Bonif. con. ep. Pel. cap. 4. — [2] Apol. p. 186. — [3] Cap. 1. — [4] To. 3. lib. 3. c. 6. p. 115. C. D. 2. — [5] Apol. lib. 2. cap. 8. p. 181. — [6] Cap. 6. lib. 2. p. 169. 170. 171. — [7] P. 181. lin. 25.

et veram, ad quam Synagoga pertinebat, ait « per illud tempus in exiguo justorum numero resedisse. » Quicumque ergo justi non erant, et ab sola charitate, ac sanctitate, lethali quopiam admisso peccato deciderant, in Ecclesiæ corpore non manebant. Quod alterutro modo factum esse ex Apologetici rationibus oportuit. Aut enim una cum charitate, ac justitia, necessario fidem amittebant, quicumque lethale aliquod crimen incurrerant; aut si fides in illis hærebat adhuc, ea minime sufficiebat, ut in Ecclesiæ parte aliqua numerarentur. Horum utrum dixerint, nihil ad hæresim, et Catholicæ fidei labem interest. Nam utrumque pro hæretico damnatum, et inter cetera Lutheri, Calvinique, et ante hos Wiclefi, nefaria dogmata jampridem ecclesiastica censura notatum est. Quod si una, eademque Testamenti veteris tempore fuit Ecclesia, quæ nunc est; nec alia præter Christianam unquam exstitit; ut Apologetico placet; idem et in hodierna consequens erit, nemo ut in illa censeatur, qui solam fidem reliquam habeat, postquam charitatis, et sanctitatis jacturam graviore aliqua sua culpa fecerit.

V. Tertium nuperæ Anomorum sectæ παράδοξον illud erat, Judæos Testamenti veteris alumnos, in eo ipso, quod legi obtemperabant, hoc est dum ea, quæ imperata sibi erant, eo fine, animoque præstabant, quem lex ipsa præscripserat, scelus fecisse, ac sempiternam damnationem meruisse. Id adeo illorum ex dictis ac decretis ita conficitur. Quorum hoc est primum [1]: « Diligere Deum propter carnalia, impurus, carnalis, et vitiosus amor est, eique propter sola terrena inhærere, » hoc est illi servire, et ejus præceptis obsequi, « valde vitiosum est, puritatique cœlestis regni adipiscendi necessariæ ex diametro contrarium, » aiunt novi isti theologi, ex patriarchæ sui sententia: cujus verba sunt illa, quæ retuli. Nam et universe amorem illum, quem vocant, concupiscentiæ, quo Deo non propter se solum, sed propter qualiacumque bona ab illo promissa servitur, et obtemperatur, malum vitiosumque esse sentiunt, eodem illo præeunte. « Concupiscentia, *inquit* [2], respectu Dei amor vitiosus est. » Quo nomine affectum illum intelligit, qui ex mera, et perfecta charitate non oritur, ut ex sequentibus, adeoque tota ex illa disputatione constat: maxime autem ex eo quod amorem illum Dei, quo « propter retributionem operamur, dum aliquid a Deo extra ipsum, vel ipsum etiam, tanquam mercedem sibi utilem, exspectant » homines, vitiosum, et Christiano indignum esse dicit [3].

VI. Atqui Mosaica lex (quod alterum est istorum dogma) illam ipsam concupiscentiam, cupiditatemque terrenarum rerum, et mercenarium obsequium *ex professo* alebat, et incitabat, fomentis adhibitis, ac præmiis, uti capite primo ex illorum verbis ostendimus. Quisquis igitur eo animo, et affectu, quem lex, imo legis auctor, latorque Deus, elicere cupiebat, et omnimodis studebat, Dei præcepta servaret; et ab eo imperata faceret, hoc est eorum spe bonorum, ac præmiorum desiderio, quæ sola tum ad exigendum obsequium ostendebat Deus; eo ipso graviter peccabat, et æterni supplicii reus erat, non illiberali tantum, sed etiam vitiosa, et impura cupiditate, iram illius in sese provocans. Hoc vero insuper inopinatum, et abhorrens indidem sequitur, non eum modo deliquisse, qui legis jussis obtemperaret, sed etiam quo vehementius, et alacrius obsequi studeret, eo ipso graviore in culpa fuisse. Nam cum peccet is, qui turpi, et vitiosa cupiditate ad agendum, aut appetendum aliquid trahitur; quanto ardentior est illa, ut totam in sese conversam, et occupatam voluntatem habeat, tanto scilicet majus, atrociusque crimen existit. Quamobrem si legi parere, eo, quem lex proprie ingenerare studebat, amore terrenorum bonorum, ac spe, in vitio, ac delicto numerabatur; quo illud cupidius est actum, eo peccatum est magis. Hæc sunt consectaria doctrinæ illius, quam ab antistitibus suis traditam Apologetici auctor pro catholica, et apostolica tuendam, explicandamque suscepit.

VII. Neque vero sublevandæ pessimæ suæ causæ tutum satis perfugium in illa Pauli sententia constituunt, quæ Judæis veteribus *in figura omnia contigisse* dicit [4]: vel in eo, quod Augustinus [5] legis antiquæ cæremonias et sacramenta cum *ludicris puerilibus*, et crepundiis comparat, « quibus puerilis animus avocatur; quæ grandescenti excutiuntur e manibus. » Ex quo Armacanus illepidi cujusdam dicti occasionem sumpsit [6], « Nihil aliud fuisse Testamentum illud, nisi magnam quamdam quasi comœdiam, quæ non tam propter se ipsam, quam propter id, cui præfigurando serviebat, hoc est propter Testamentum no-

[1] To. 3. lib. 3. c. 6. p. 115. A. 1. et D. 2. — [2] Ibid. lib. 5. c. 9. p. 122. B. 2. — [3] Ib. cap. 10. pag. 224. E.

[4] 1. Cor. 10. 11. — [5] August. in Ps. 73. pag. 327. C. 2. — [6] Apud Apolog. tom. 3. lib. 3. c. 6. p. 116. A. 2.

vum, ejusque principem et hæredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idonea ageretur. » Hæc, et generis ejusdem alia, quæ contra illustrissimum D. Habertum Vabrensem antistitem odiose cumulat Apologetici scriptor [1], nihilo vendibiliorem Anomorum causam faciunt. Non enim sanctarum rerum per scelera, et flagitia significationes instituendæ sunt; nec ad eas adumbrandas, id quod per se criminosum est, fas sit ulla lege, ac mandato præscribere. Imo vero, quo res est aliqua sacratior, quæ impuræ gestioni, fabulæque subjicitur, eo minus est illa tolerabilis. Addit enim ad insitam sibi turpitudinem etiam violatæ sanctitatis, et sacrilegii notam.

VIII. Euripidi poetæ vitio datum est ab antiquis [2], quod in docendis fabulis obscœnarum palam in scena rerum actiones, spectatorum oculis objiceret,

Γάμους ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην,

velut [3], « Junctam Pasiphaen Dictæo tauro; » cujusmodi spectaculum Neronem exhibuisse testis est Suetonius [4]. Hoc vero per sese nefarium, si ad sacrum, et religiosum aliquid significandum adhiberetur, quis non detestando perhorresceret? « (1) Siquidem rem bonam et honestam sub re turpi subjicere, et quæ utilia sunt per ea quæ detrimentosa sunt ostentare, non est ejus qui prodesse velit, (quippe utilitas ibi latens est, et obscura,) sed potius obesse cupientis. Hoc enim est in promptu; » ut prudenter scriptum est a Maximo Tyrio. Atqui fabulam et comœdiam ejusmodi Testamenti veteris, Apologetici scriptor cum Armacano suo constituit, et illius auctorem, ac comœdodidascalum facit ejusdem Testamenti conditorem Deum. Quid enim aliud istos moliri censeas, qui impurum, et flagitiosum divinitatis cultum, ac λατρείαν Israelitico populo mandasse Deum asserunt; et propositis præmiis ac pœnis, velut irritamentis, promovere studuisse? Non capiunt Christianæ aures, ac piæ tam apertam blasphemiam: quam vitare prorsus Armacani, salva magistri sui et antistitis auctoritate, nequeunt. Sed de hoc argumento scriptum est a nobis alibi copiosius [5].

CAPUT SEXTUM.

1. Digressio ad explicandum Legis, ac Testamenti veteris statum, ex Apostoli ad Romanos epistolæ doctrina ab Augustino declarata. — 2. Judæorum, ac gentilium de justitia contentio. — 3. Quid Lex proprie egerit. — 4. Cur eam a gratia sejunxerit Apostolus. — 5. Legis veteris ratio potissimum in sanctione, sive pœnæ inflictione spectatur. Quid sit sub lege esse. — 6. Finis, ac scopus in danda lege, Deo propositus, isque triplex. — 7. Qui singillatim probatur.

I. Quo et expeditior sit controversiæ hujus exitus, et Anomorum fallaciæ suis ex latebris evolutæ, magis appareant, atque extent, visum mihi est hoc loco nonnulla proponere de Mosaicæ legis, ac Testamenti veteris statu, et efficientia; quæ lucem nobis præferant ad eam caliginem discutiendam, quam natio ista rebus alioqui non ut ex sese certis, ita perspicuis offudit. Et quoniam omnia fere, quæ de Lege, ac gratia explicantur a theologis, ad Apostoli doctrinam, quæ in epistola præsertim ad Romanos tradita est, tanquam ad regulam, diriguntur; inde nobis faciendum est initium, ut de illius epistolæ primario fine, ac summa institutæ illic disputationis agamus. Nec aliunde repetenda est istius ratio, quam ex Augustino ipso, qui luculentissime ex omnibus de hoc argumento disseruit, et vero præcipuam quæstioni huic occasionem dedit.

Ex Augustini proinde sententia [6] constat, id quod alioqui ipsa per sese lectio docere potest, ibi Apostoli consilium esse, contra oblatran-

(1) Maximus Tyrius or. 8. Τὸ γὰρ ὑποβαλεῖν αἰσχρῷ καλὸν, καὶ τὰ ὠφελοῦντα διὰ τοῦ βλαβερῶν ἐπιδείκνυσθαι, οὐκ ὠφελεῖν βουλομένου ἔργον (τὸ γὰρ ὠφελοῦν ἀφανές) ἀλλὰ βλάπτειν. Πρόχειρον γάρ.

[1] Lib. 2. Ap. § 1. c. 5. — [2] Aristophan. in Ranis et Schol. — [3] Mart. de Spect. Epig. 5. — [4] Suet. Ner. cap. 11.

[5] Lib. 10. tom. 1. c. 23. — [6] Aug. l. 1. ad Simpl. qu. 2. p. 267. to. 4. et lib. de Spir. et lit. c. 7. et 8.

tes utrinque, hinc gentiles, inde Judæos, deque principatu meritorum, et prærogativa litigantes, Christi redemptoris, et illatæ per eum gratiæ partes suscipere. Nam cum ex ambobus populis, Judæis, et ethnicis, Christiana coaluisset Ecclesia; quædam, ut humanitus evenit, inter illos contentiones, et simultates extiterunt. Ac primi quidem Christo nomen dederant Judæi : qui cum ob legem divinitus traditam majoribus suis, ac prophetas, et sacramenta, fœdusque secum a Deo percussum, reliquis se mortalibus anteferrent, meritis hoc suis, et dignitati tribuebant, quod Christus e cœlo descenderat, et Evangelium, ac cœleste adeo regnum hominibus apportarat.

II. Quamobrem gentiles, et præputio præditos, tanquam impares, et indignos beneficio tanto, ab communione primum illius arcebant. Hinc illæ Orientis Ecclesiæ turbæ, ab Judæis fidelibus contra principes apostolos nec leves, nec raro concitatæ; quod ethnicis iter fidei, et salutis aperiri, nondum æquo animo paterentur. Quorum etiam querelas, et offensionem veriti Christi discipuli, cum solis fere Judæis initio rationem habebant. Post autem divino monitu, ac prodigiis ad impertiendas Evangelio nationes impulsi, popularium in se suorum invidiam acuerunt : qui tam parabilem illis reddi salutis, æternitatisque spem indigne ferentes, eo demum lapsi sunt, ut ea lege gentiles admittendos ad Evangelii communionem dicerent, si ante Mosaicis ritibus, ac cæremoniis initiati præputium ponerent. Quod et plerisque persuaserunt. Sed hic error apostolici interdicti gladio in Hierosolymitano concilio succisus identidem tamen pullulare non desiit: ut ad eum opprimendum non mediocri contentione, neque paucis, ac vulgaribus hortationibus opus apostolo Paulo deinceps fuerit. At gentiles ipsi mutuo in Judæos odio, et contemptu se vicissim ulciscebantur : quorum et sacramenta, ac mysteria parvipendebant, et de sapientibus suis, ac philosophis, doctrinarumque omnium possessione gloriabantur.

Hanc rerum in Ecclesia perturbationem nactus Apostolus; quod vel Romæ, ut est credibile, potissimum invaluerat, vel doceri maxime Romanos orbis principes, per eosque propagari in reliquos Christianæ fidei salubritatem intererat, hoc sibi ad illos scribendi sumpsit argumentum epistola ista; cujus ea primaria quæstio est, ut ait Augustinus in Expositione ad eamdem epistolam, « Utrum Judæis solis Evangelium Domini nostri venerit propter merita operum Legis, an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit justificatio fidei, quæ est in Christo Jesu. Ut non quia justi erant homines, crederent, sed credendo justificati, deinceps juste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit Apostolus, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi, quam propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuito datum. »

Atque ut amborum animos opinione sui, et gloriolæ cupiditate ad contemptum aliorum, et odium incitatos compesceret, neutris eam, quam affectabant, virtutis et sanctitatis laudem obtigisse demonstrat. Nam quod ad gentiles attinet, qui de sapientia, et exquisita rerum notitia sibi placebant, adeo nihil hac re profecisse docet, ut illorum præstantissimi quique, quos sapientes, et philosophos appellabant, omnium mortalium deterrimi, et inquinatissimi fuerint. Sed nec Judæos, qui legem divinitus acceptam ostentare solebant, multum ex eo consecutos ostendit. Non enim meliores inde esse factos, nec ex illa, uti par erat, servata, decus ac laudem: sed violata potius, delicti, ac damnationis incrementum acquisisse. Siquidem pessimos, ac depravatissimos fuisse dicit. Qui [1] *cum alios docerent, seipsos non docerent, qui prædicarent non furandum, et furarentur, etc. Qui cum in Lege gloriarentur, per prævaricationem Legis Deum inhonorarent*, adeo ut *nomen Dei per illos blasphemaretur inter gentes.*

III. Quoniam vero tum Judæi plerique, qui Christo nomen dederant, justificatos se Legis beneficio credebant, ejusque merito justitiæ, Christi fide, et Evangelio donatos; tum ceteri, quorum animus ab Evangelio adhuc abhorrebat, nihil se hujus indigere ad promerendam justitiam putabant, sola Lege contenti; idcirco de efficientia Legis, et fructu accurate disserit Apostolus, ut minime illam ad justitiam, et salutem satis esse doceat. Quod ut persuadeat, duo illa componit inter se, legem Mosaicam, et gratiam : ac quid cuique per se, et ex censu proprio conveniat, æstimare pergit; non quid ex alterius consortio, et communione in se translatum obtineat.

Lex igitur, si per se spectetur, hoc unum habet officium, ut quid faciendum, quid cavendum sit, præscribat. Præsertim vero ut pœnarum comminatione ab infringendo mandato homines absterreat. Inde est, quod Apostolus

[1] Rom. 2. 21.

ait, *iram operari legem*, quoniam « hoc actum est per legem, ut ait Augustinus [1], ut peccatum agnosceretur, et prævaricatione augeretur ; » quippe per legem, inquit Apostolus [2], cognitio peccati, quod ita lex velut latens ostendit, ut ad illud cavendum, aut superandum, neutiquam vires sufficiat. Nam servilem animum per se duntaxat affert hominibus, et mali, ac supplicii metum ostentat. Ut autem cognitum ex lege peccatum vitari possit, ac lex impleri, non lex ipsa tribuit, nec justitia legis, sed sola Christi fides, et gratia.

« Quocirca quando cognoscit homo peccatum, ait Augustinus [3], si non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur ; sine dubio lex iram operatur, etc. quia ira Dei major est in prævaricatore, qui per legem cognoscit peccatum, et tamen facit. »

IV. Quod autem Apostolus Legem sejunxit a gratia [4], et quid ex sese quæque conferret, seorsum consideravit, causa fuit Judæorum, quos contra disputabat, importunitas, et insolentia ; *qui ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* : ac sibi ad justitiam assequendam sufficere legem existimabant : Ideo necesse fuit Apostolo duo illa separatim intueri, et quid singulorum proprium esset, ac quid per se navaret exponere. Quod non sic intelligendum est, quemadmodum Anomorum habet non satis considerata ratio, ut a lege prorsus divulsa fuerit gratia, hoc est nullum cum lege adjumentum gratiæ Deus olim Judæis concesserit. Ita enim sese res habet, quod alibi diximus, ut si quis philosophos nescio quos refellere cupiens, qui efficientes causas a Deo creatas per se deinceps, et sine concursu illius moveri ad agendum, ac niti suapte vi et ingenita sentiunt ; eam rationem teneat, ut quid creatæ causæ proprium sit, quid item Creatoris, separatim explicet. Qui sic disputabit, non eo sentire judicabitur, interjectam causam sine principalis ope, et concursu aliquid efficere : sed ea potius, quæ in re, et usu conjuncta sunt, natura et cogitatione separasse. Sed de hac re postea. Nunc quod cœpimus, de Apostoli doctrina pergamus dicere.

V. Animadverti paulo ante, in lege Mosaica potissimum illud ab Apostolo spectari, quod pœnam, et capitalem noxam contra se committentibus infligit. Etenim duo sunt in omni lege, alterum mandatum ipsum, quo jubetur, vel prohibetur aliquid : alterum, pœna, quæ contra legem facientibus irrogatur, quam jurisconsulti *sanctionem* vocant. Quæ posterior ratio potissimum in lege spectatur ab Apostolo, cum de lege disputat. Ut cum *ministrationem mortis* vocat [5], *litteris deformatam in lapidibus, et ministrationem damnationis*. Aut cum ita scribit [6], *Lex iram operatur*. Item [7], *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Propterea et lex mortis nominatur [8], eo quod præcepta sic a Deo data sunt, ut adversus delinquentes pœnæ, ac supplicia denuntiarentur. « Ut populus, cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur, ait Augustinus [9], et quemadmodum videbant dari in manus suas interficiendos inimicos impios, cultoresque simulacrorum ; sic ipsi formidarent in manus inimicorum suorum dari, si Dei veri jussa contemnerent, et ad cultum idolorum, atque impietates gentium laberentur. » Sic in libro primo ad Simplicianum, quæstione secunda [10], Usitatius, *inquit*, vocatur lex, quando minatur, et terret, et vindicat. » Quam etiam ob causam sub lege esse proprie dicuntur apud Augustinum, qui legem non implentes, rei ab illa constituuntur, ac morti, quam illa minatur, obnoxii. « Qui legem implet, ait Augustinus [11], non est sub lege, sed cum lege ; qui autem sub lege est, non juvatur, sed premitur lege ; » et alibi [12], « Sub illa esse dicuntur, quibus dominatur ; eis autem dominatur, quos punit. Punit autem prævaricatores omnes. » Et paulo post, « Usitatius enim vocatur lex, quando minatur, et terret, et vindicat. » Sic Ambrosio tributus commentarius in epistolam ad Romanos hæc Apostoli verba declarans [13], *Peccatum enim vestri non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia :* luculentam hac de re orationem explicat [14]. « Si secundum præcepta, quæ dat, ambulemus, *inquit*, peccatum nobis dicit non posse dominari. Iis enim dominatur, qui peccant. Non enim ita ambulantes ut præcipit, sub lege sumus : si vero non peccemus, non sumus sub lege, sed sub gratia. Si autem peccemus, versamur sub lege, et incipiet nostri dominari peccatum : quia qui facit peccatum, servus est peccati : et necesse est quod sit sub lege quandiu remissam non accipit. Peccatum enim auctoritate legis reum facit pecca-

[1] Ep. 95. p. 123. — [2] Rom. 3. 21. — [3] Lib. de grat. et lib. arb. c. 10. — [4] Rom. 10. 3. — [5] 1. Cor. 3. 8. — [6] Rom. 4. 15. [7] Gal. 3. 10. — [8] Rom. 7. 6.

[9] Lib. cont. Adim. c. 17. — [10] Aug lib. 1. ad Simpl. qu. 2. p. 167. A. 1. — [11] Tract. 3. in Joan. p. 10. — [12] Lib. 1. ad Simpl. qu. 1. p. 166. — [13] Rom. 6. 14. — [14] Ambr. 103. 276.

torem : ac per hoc cui data remissio est, et custodit se, ne de cetero peccet, neque peccatum ei dominabitur, neque sub lege est. Cessat enim circa eum auctoritas legis, qui liberatus est a peccato. Quos enim reos tenet lex, traditi sunt illi a peccato. Qui ergo peccatis exutus est, non potest esse sub lege. »

VI. Præter hæc vero, ac præ omnibus illud in Apostoli disputatione de Lege considerari volo, quem finem, ac scopum in edenda lege Judæis Deus sibi præscripserit. Non enim uniusmodi reperitur. Nam interdum sic de ea loquitur, ut ob hoc datam significet, ut abundaret delictum. *Lex*, inquit [1], *subintravit, ut abundaret delictum.* Et [2], *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Hoc est concludi permisit, ac velut arctari omnes in peccatum, ait Photinus apud Œcumenium, et si qua sunt alia ejusdemmodi loca. Nonnunquam adversus peccata, et ad ea comprimenda, et amputanda *posita esse* dicitur : *Propter trangressiones*, inquit [3], *posita est.* Hoc est *eas prohibitura*, ut ait Hieronymus in commentario ad illum locum, quod et alii plerique interpretes, maxime græci, secuti sunt. Nonnunquam legis fructus ille monstratur, uti peccatorum suorum, ac meritorum conscii homines ad gratiam, et Dei auxilium confugerent. Ita enim Augustinus verba illa Apostoli, quæ supra memorata sunt, *Conclusit omnia sub peccato*, intelligenda putat [4] : nempe « hoc actum esse per legem, ut peccatum agnosceretur, et prævaricatione augeretur, et sic adversus victoriam peccati, ad divinam gratiam, quæ in promissionibus est, confugeretur. »

Ex quibus omnibus triplicem velut gradum divinæ providentiæ, ac finem discernere oportet, quem in danda lege propositum habuit. Primus est, ac directus, ut a peccando deterreret homines. « (1) Quid enim volebat Lex ? ait Chrysostomus, nempe justum facere hominem, etc. hic igitur finis erat Legis, et ad hoc omnia spectabant, et hujus rei gratia omnia facta sunt; et festa, præcepta, sacrificia, ac cetera omnia eo pertinebant, ut homo justificaretur. » Quam eamdem de legislatione sententiam innumeris in locis repetit idem Chrysostomus, quo sensu plerique Patres verba illa Isaiæ [5], ut apud Septuaginta leguntur, interpretati sunt, *Lex in auxilium data est.* Hinc Dorotheus in Doctrina prima [6], « Dedit, *inquit*, legem bonus Deus ad auxilium, ad conversionem, ad emendationem pravitatis. » Eodem quoque pertinet, quod plerique veteres, cum de causis incarnationis, et adventus Christi disserunt, unam hanc ante alias adducunt, quod cum sanandis humani generis peccatis, sic tanquam morbis, varia adhibuisset remedia, et in irritum cuncta cessissent, postremo quod erat omnium præstantissimum, excogitavit. Inter illa vero medicamenta Legem, ac Prophetas enumerant. Sic Athanasius in libro de Incarnatione [7], Joannes Damascenus, Dorotheus in illo quem paulo ante citavimus loco, Andreas Cretensis [8] ; et alii bene multi. Philo Carpatius in Cantica : « Post omnia, *inquit*, condita decem præcepta legis data sunt homini, ut qui naturæ legem abjecerat, divina saltem frenaretur. »

Verum cum perexiguum fore fructum illum legis prævideret Deus, neque virium satis habiturum legis terrorem, aut præmiorum illecebram, ad continendos in officio mortales ; alterum veluti effectum legis destinavit ; uti pessimos homines sineret occasione ex lege sumpta, in majora provolvi scelera : ut hæc pœna antecedentium esset criminum, præceps in graviora lapsus, ac cæcitas, et obduratio mentis, quam nec effici, nec directe a Deo procurari, pia et sana fides agnoscit, nec nisi justo judicio permitti.

Sed quia divinæ bonitatis peculiare illud est, ut mala non alia de causa fieri permittat, quam ut ex illis bona procuret ; « nec ulla cujusquam ruina ex divina dispositione constituta est, » ut ait Prosper [9] ; hinc alius porro, idemque tertius finis objectus est divinæ sapientiæ, quem ex illa permissi mali labe traheret, ut homines peccatorum suorum tædio, ac legis, et pœnarum terrore fracti, ac domiti, cum se debiliores esse cernerent, quam ut paria cum lege, divinaque justitia facere possent, humiles fierent, et ad meliora reverti cupientes, liberatoris gratiam, et misericordiam elicerent. Hic triplex in lege statuenda finis legislatoris Dei, ac Mosaici mandati fru-

(1) Chrys. homil. 17. in epist. ad Rom. pag. 148. Τί γὰρ ἐβούλετο ὁ νόμος ; δίκαιον ποιῆσαι τὸν ἄνθρωπον, etc. τοῦτο οὖν τέλος ἦν τοῦ νόμου, καὶ εἰς τοῦτο πάντα ἔβλεπε, καὶ διὰ τοῦτο πάντα ἐγένετο, καὶ αἱ ἑορταὶ, καὶ αἱ ἐντολαὶ, καὶ θυσίαι, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, ἵνα δικαιωθῇ ὁ ἄνθρωπος.

[1] Rom. 5. 20. — [2] Gal. 3. 22. — [3] Gal. 3. 19. — [4] Epist. 95. — [5] Is. 8. v. 20. — [6] Doroth. to. 11. Bibl. PP. p. 749. B. — [7] Pag. 46. C. — [8] Hom. de Annunt. p. 15. — [9] Lib. 2. de voc. gent. c. 12.

ctus, Augustini, ac Patrum quamplurimorum auctoritate nititur.

VII. Primum de tribus scopum Augustinus indicat in tractatu ad Psalmum 123. sub finem, « Solent, *inquit*, omnes hæretici, maxime Manichæi, reprehendere Legem, et dicere, quia Deus illam non dedit. Exponendus est locus iste, ut cognoscatur, quia et legem Deus dedit, et lex per Moysen data est, ut nos salvaret, » (nimirum quantum erat ex sese, et ex dantis consilio, ac voluntate.) Et in epistola 89 [1]. « Nam et ipsa lex in hoc adjutorium data est iis, qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant, vel quid justitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. »

Joannes item Damascenus libro tertio de Fide, capite primo sub initium ; in Lege danda, ut et Prophetis, id Deum studuisse, et assequi voluisse scribit, ut peccatum deleret, late diffusum, et ut ad bonum statum revocaret hominem.

De secundo Legis fine passim idem Augustinus meminit, ut in eadem epistola 89. « Lex, *inquit*, subintravit, ut abundaret delictum; sive cum homines negligunt, quod Deus jubet, sive cum de suis viribus præsumentes, adjutorium gratiæ non implorant, et addunt infirmitati superbiam. » Item in primo ad Simplicianum, quæstione prima [2], « Lex auget concupiscentiam, *inquit*, ex prohibitione, et reum obligat ex prævaricatione, jubendo quæ implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. » Vide et librum de Spiritu et littera, capite quarto. Et in libro quæstionum super Exodum [3] : « Lex posita est in veteri Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit, ut abundaret delictum. »

VIII. Tertius denique fructus Legis iisdem fere sententiis Augustini comprehenditur, ut ad Psalmum 118 [4]. « Sed ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam. » Et paulo post [5], « Oportebat ego ut superbis, et de libertate sui arbitrii præsumentibus lex daretur, qua prævaricata, quicumque compuncti humiliarentur, non jam per legem, sed per fidem, ad subvenientem currerent gratiam. » Rursus ad Psalmum 102. « Ad hoc data est lex, ut convinceretur languidus, et medicum imploraret. » Et in libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite 4. « Per Moysem, *inquit*, revelatum est Testamentum vetus, per quem data est lex sancta, et justa, et bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua convincerentur superbi suam justitiam volentes constituere, quasi divino adjutorio non egentes ; et rei facti litteræ, confugerent ad gratiæ spiritum, non sua justitia justificandi, sed Dei, hoc est, quæ illis esset ex Deo. » Denique libro 1. de gratia Christi, capite octavo, hanc esse legis utilitatem demonstrat, « Quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, et ut concupiscentias malas superent adjuvandos. Jubet enim magis, quam juvat : docet morbum esse, non sanat. Imo ab eo potius quod non sanatur augetur, ut attentius et sollicitius gratiæ medicina quæratur. »

Verum innumera sunt Augustini de hoc argumento testimonia, quæ ab Armacanis magno numero collecta sunt, ut absonum dogma, et sponte sua ruiturum, hac fultura sustentarent.

Postremo de Legis instituto, et effecto, quod ex accidente, ac præter latoris voluntatem exstitit, erudite disputat tributus Ambrosio commentarius in epistolam ad Romanos [6]. « Plane, *inquit*, necessaria fuit lex, ut ostenderet imputari apud Deum peccata, quæ impune fieri credebantur : ut de cetero scirent quid evitare deberent. » Unde Esaias propheta [7] ; *Lex*, inquit, *in adjutorium data est*. « Ut quia ipsi naturæ quodammodo inserta sunt justitiæ semina, addita lex est, cujus auctoritate et magisterio ingenium naturæ proficeret ad fructum justitiæ faciendum, etc. Providenter ergo data est lex in adjutorium, sicut testatur Propheta : sed populus veterem consuetudinem sequens, multiplicavit peccata. Ipso enim usu plus cœpit peccare, quam antea peccaverat : et sic factum est, ut data lege non meminerentur, sed abundarent peccata. »

[1] Pag. 150. — [2] P. 166. — [3] Qu. 166. Tom. 4. — [4] P. 570. — [5] 572. — [6] Apud Ambros. 272. M. — [7] Esa. 8.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria ex ratione Legis superiori capite confecta. — 1. Refellitur error Anomorum negantium Judæos, ad servandam legem sibi divinitus traditam, ullis gratiæ fuisse præsidiis instructos. — 2. Gratiæ genus duplex, initialis, et adultæ. — 3. Hanc charitatis, illam fidei nomine Augustinus appellat : et utramque rursus charitatem nominat. — 4. Legis quoque vocabulum interdum mandata, interdum cœtum significat populi lege devincti. — 5. Utroque modo lex vetus a nova distat, ut figura a veritate. — 6. Ex eo vetus est dictum prius Testamentum, quod in promissis temporalibus figuraret spiritalia, et æterna. — 7. Præcepta legis novæ, quod ad substantiam attinet, eadem quæ veteris, aut pene eadem esse veterum aliqui dixerunt. — 8. Finis in quo diversus : et an promissum in lege veteri regnum cœlorum.

I. Omnis illa superiori exposita capite, atque ex sacrorum librorum, et Augustini auctoritate confecta ratio Legis, quædam nobis consectaria, et velut πορίσματα pariet, ad insequentem opportuna disputationem, et magno deinceps usui futura. Quorum primum est, in quod tota fere moles disputationis hujus incumbit : et unde occasionem nacta recens Anomorum opinio, ad contumeliam legis erupit. Etenim quia necessariam ad bene agendum gratiam, quam *sufficientem* vulgo nominant, funditus e medio tollere instituerunt, nullam omnino legi comitem adjunctam fuisse docent ; nec Judæos, quibus illa divinitus est data, ullis ad eam *servandam* auxiliis esse gratiæ subornatos, ac suffultos. Quod minime tolerandum genus erroris, ex iis, quæ capite antecedente notata sunt, arguitur, ac refellitur ; dum ita constat ; legem eo fine latam a Deo, ut, quod luculenter, ac passim inculcat Augustinus [1], « cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur, et facti rei sub lege, peterent misericordiam a legis conditore. » Vel [2], « Ut gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret. » Et in epistola 89. « Nam et ipsa lex, *ait*, in adjutorium data est illis, qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant, vel quid justitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. Qui autem sic audiunt, quod ait lex : Non concupisces, ut hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod jussum est, dari sibi virtutem credant, et petant, ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum. » Si igitur hunc in edenda lege veteri finem proposuit sibi Deus ; si hujusmodi ex illa fructum capere voluit, ut superbi peccatores delictorum suorum conscientia fracti, et attoniti, sibi primum displicerent ; tum se peccatores confessi, humiles coram Deo fierent, atque ejus opem postremo implorarent, et gratiam : si hoc sexcentis in locis affirmat, et uberrima oratione declarat Augustinus : et illis adeo in locis et sententiis, quibus magni et minuti ex Anomorum grege scriptores librorum suorum margines impleverunt ; ac si effecta illa omnia, gratiæ propria sunt ejus, quæ per Christum, et Christi meritis parta tribuitur : profecto legi Mosaicæ gratiæ præsidium annexum fuit ; nec ea prorsus exsanguis, et exsucca siti cœlestis illius roris exaruit.

« Ad hoc data lex est, ait Augustinus [3], ut de magno parvum faceret, ut te ad faciendum legem vires de tuo non habere monstraret : ac si opis indigens, et egenus ad gratiam confugeres, et clamares, Miserere mei Domine. » Atqui « peccatorem se agnoscere, ac confiteri, humiliare seipsum Deo, ad remissionem peccatorum currere, » plane opera sunt gratiæ : ut alibi tradit Augustinus idem [4]. Cujus et ista sunt [5] : « Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, tunc incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum confessio est operum malorum, etc. Quia et hoc ipsum, quod tibi displicuit, peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, et ejus veritas tibi ostenderet. » Sed nec ipsa rei istius cogitatio, nec initium voluntatis exterritæ, ac supplicis, aliunde quam ex Christi gratia suppetit : ut Arausicana secunda synodus, canone 4. decrevit, et 6. et 7. et Tridentinum concilium sessione sexta, capite quinto, et canone tertio.

II. Præterea duplex ex iisdem fontibus synodalium decretorum, et Augustini, gratiæ discernendum est genus. Nam alia est rudis, et inchoata, quam initialem vocant, et est bonæ voluntatis initium, ac quidam velut co-

[1] Lib. 2. de Act. cum Fel. c. 11. — [2] Id. ep. 157. — [3] In Ps. 118. Conc. 27. p. 573.

[4] Tract. in Ps. 41. p. 154. — [5] Id. Tract. 12. in Jo.

natus resipiscendi, promerendique gratiam. Altera est tanquam adulta, ac robusta gratia, quæ robur ac nervos habet, ad operis effectum. Utramque gratiam liquido, ac diserte Augustinus exprimit multis in locis, quibus gratiam, et divinum adjutorium ad opera bona, per antecedentem fidem, et bonam voluntatem, et orationem impetrari dicit. Ut in epistola 89. Ubi gratiam distinguit ab conatu obtemperandi, infirmitatis propriæ confessione, et adjutorii postulatione. « Valet, inquit paulo post initium, liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo, et faciendo. » Tum in locis illis paulo ante allatis legem asserit ideo datam, ut per eam territi homines, et humiliati, gratiæ adjutorium postularent. Ut cum ait, « Jubet ideo, ut facere jussa conati, et nostra infirmitate fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus. » Et libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum capite quinto, « Ideo quippe lex iram operatur, *inquit*, ut territo atque converso, ad justitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur, per Jesum Christum Dominum nostrum. » Cui suffragatur Ambrosius in libro primo de Jacob et vita beata, capite sexto : Ubi cum percontatus esset, « Quod opus erat, ut lex promulgaretur. si profutura non erat? » sibi ita respondet: « Proposuit tamen mihi; cœpi confiteri, quod negabam; cœpi delictum meum cognoscere, et justitiam non operire; cœpi pronuntiare adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietates cordis mei. » Quibus in locis et innumeris aliis, Augustini præsertim, lucet duplex illud gratiæ genus. Nam altera est imbecilla, et inchoata, velut adumbratio quædam, ac delineatio prima: cujusmodi sunt dispositiones ad emerendam gratiam justificationis : altera est jam adulta, et provecta, ad quam obtinendam præparant nos priora, quæ diximus, auxilia, sive primi voluntatis affectus, et impetus, « quam inchoationem fidei, quæ conceptioni similis est, » Augustinus appellat libro primo ad Simplicianum, quæstione secunda.

III. Nonnunquam vero Augustinus idem posterius illud gratiæ genus *charitatem* vocat, sicut prius, *fidem*. Ut in epistola 116 [1]. « Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem. »

Imo vero, quod in primis observatione dignum est, ambo illa gratiæ præsidia, omnemque adeo motum animi, quo et peccatores convertuntur, et conversi justificantur, *charitatem* nominat : ut in libro de Natura et gratia, capite 70. « Charitas ergo inchoata, *inquit*, inchoata justitia est : charitas provecta, provecta justitia est : charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est. » Tum in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 18. « Præcepto dilectionis, ut invicem diligamus, admonitum *ait* esse liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret. » Ergo dilectionem, sive charitatem, vocat motum, et affectum bonæ voluntatis, quo eamdem dilectionem, sed validiorem, hoc est, ut alibi loquitur [2], *incrementum charitatis*, meretur. Atque hoc consentaneum est ejusdem Augustini definitioni, qua *bonam voluntatem* nihil aliud esse dicit [3], quam *charitatem*. Ex quo illud sequitur, quod alio loco docuit [4] : « Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam : poterit autem, cum magnam habuerit, et robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt, etc. » Tum subinde, « Et quis istam, etsi parvam, dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit? » Hæc sunt idonea ad illius, quod proposui, faciendam fidem, charitatis vocabulo apud Augustinum plerumque censeri motus omnes, et affectus piæ voluntatis, tam qui justificationem antecedunt, quam qui sunt ea posteriores. Cujus rei inscitia valde peccarunt novi Legis adversarii.

IV. Rursus haud in postremis tenenda est notatio illa vocabuli *Legis*, cum ad veterem, aut novam significandam adhibetur. Habet enim duplicem usum ac potestatem : et primum pro mandato, præceptoque sumitur, quo jubetur, aut prohibetur quippiam : ex quo vulgaris orta est præcepti divisio in *negativum*, et *affirmativum*. Deinde statum ipsum communitatis ac cœtus significat, tum lege devincti, et obligati, tum ejusdem professione fidei, ac sacramentorum communione in

[1] P. 182. — [2] Lib. de Cor. et grat. c. 5.

[3] Lib. 1. de grat. Christi cap. 21. — [4] Lib. de grat. et lib. arb. c. 17.

unum aggregati Ecclesiæ corpus. Sic cum legem Mosaicam dicimus, interdum ad mandata ipsa respicimus, quæ in monte Sinai Judæis edita sunt : atque ea præsertim ratione, ut jam animadvertimus, qua pœnas et præmia, vitæ utraque præsentis, sed illas potissimum, intentant. Alias statum ipsum intelligimus Israelitici populi ; quem leges ab Moyse latæ, et vivendi instituta sic obstrictum, et obligatum tenebant, ut sive illa servaret, mercedem ibi propositam, et a Deo promissa commoda caperet, sive ab illis recederet, pœnas committeret iisdem legibus constitutas.

Totidem modis nova lex, quæ et *gratiæ* vocatur, usurpari potest. Siquidem vel præcepta ipsa significat, quæ partim Ecclesiæ cum Synagoga veteri communia, partim exquisita magis, et ad perfectum officium limatiora, et expressiora sunt. Vel status ipse demonstratur Christiani populi, et Ecclesiæ Deo servientis eo ritu, atque cultu, quem Christus Dei filius constituit, ac præscripsit.

V. Utriusque porro discrimen, cum sit multiplex, tum quod præsentis tractationis interest, ea in re cernitur, quod prius Testamentum figura quædam, et imago posterioris, ac novi fuit : hoc vero, rem illius signis, ac figuris adumbratam exhibuit. Hujus fidem facit in plerisque, ac sane præcipuis Apostolus ad Corinthios scribens [1]. *Hæc autem*, ait, *in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt, etc.* Item [2], *Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad corruptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.* Et alibi generatim sic [3] : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsa imaginem rerum, etc.* Atque hoc passim in illa, unde sumptum istud est, ad Hebræos epistola, testatur ac declarat Apostolus.

Eæ figuræ, adumbrationesque novi in vetere Testamento, qua cæremoniis, et sacramentis, qua præceptis ipsis continebantur. Sic in priori genere [4], *circumcisio manu facta, circumcisionem Christi* per baptismum, vel [5] *circumcisionem cordis in spiritu* significabat, quam lex nova repræsentavit. Paschalis agnus Christum adumbrabat pro salute hominum occisum, et fidelis populi pabulo destinatum. Sic cetera ejusdem epuli certis futurorum significationibus serviebant, quas evolvit Apostolus in priore ad Corinthios epistola.

In posteriori genere, hoc est in præceptis, non minus figuræ locum habebant : maxime vero, quod in illis terrena bona, vitæque præsentis commoda proponebantur, tanquam præmia recte factorum ; ac similiter pœnæ omnes temporales indicebantur, egestas, orbitas, servitus, captivitas, morbi, ceteraque vitæ hujus incommoda, mors ipsa denique, si quis contra mandata committeret. Quo duplici genere, præmiorum videlicet, ac pœnarum temporalium, spiritualia, et sempiterna, adeoque futura bona, malaque significabantur, quæ in novo Testamento palam denuntiata sunt.

VI. Hanc Testamenti veteris, legisque propriam esse notam, ac velut χαρακτῆρα, post Apostolum Augustinus passim prædicat. Qui et *Vetus* ob id appellatum esse dicit [6] : « quod in figuris rerum spiritualium habere viderentur promissa carnalia. » Et alibi [7] : « Educto autem populo in monte Sina divinitus acceptam tradidit legem, quod vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet ; et per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. »

Tum alio in loco diserte [8], « Eadem, *inquit*, sunt in veteri, et novo, ibi obumbrata, hic revelata : ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale præmium occulte significetur : hic autem manifestissime spiritalia promittuntur, et æterna. » Et in libro contra Adimantum [9], « Omnia illa præcepta carnali populo imposita, futuram disciplinam spiritalis populi prophetabant. » Ideo vetus Testamentum alio loco [10] « nihil aliud esse » dicit, « quam imaginem novi populi, et novi Testamenti pollicentis regnum cœlorum. » Denique in libro quarto contra Faustum, « Temporalium, *inquit*, rerum promissiones Testamento veteri contineri, et ideo vetus Testamentum appellari, nemo nostrum ambigit, et quod æternæ vitæ promissio, regnumque cœlorum ad novum pertinet Testamentum : sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis seculorum obvenit, non suspicio mea, sed Apostolicus intellectus est, etc. » Ita Primasius [11], « Illud, *inquit*, terrena promittebat, et temporalia, et

[1] 1. Cor. 10. 6. — [2] Ib. ver. 11. — [3] Heb. 10. 1. — [4] Col. 2. 11. — [5] 1. Cor. 2. 29. — [6] Aug. 10. de Civit. c. 25.

[7] Lib. 18. de Civit. cap. 11. — [8] Lib. 4. qu. super num. 33. tom. 4. pag. 106. — [9] Cap. 15. pag. 81. — [10] Lib. de vera Relig. c. 27. — [11] In cap. 8. ep. ad Heb. to. 1. Bib. col. 1309.

præcipiebat carnalia: istud vero æterna, et cœlestia promittit, præcipiens spiritualia. » Vide inter alios Ivonis Carnotensis opusculum de convenientia veteris, et novi sacrificii [1]. Et recte Ambrosio tributus commentarius [2] : « Lex vetus, *inquit*, non criminis utique nomen est, sed temporis, vel ætatis. Senuit enim, quia cessavit. »

VII. Quod ad legem novam attinet, hoc est præcepta ipsa Christianæ religionis, ac novi Testamenti, illa, si per sese, et, ut loqui solent, *substantiæ* suæ ratione spectetur, non multum distat ab Mosaica. Etenim complures antiquorum Patrum asserunt, eadem in utraque lege data fuisse præcepta: ut alibi docuimus [3]. Quanquam in libro primo Retractationum, capite 22. id absolute, generatimque dici non probat Augustinus: et quod in libro contra Adimantum scripserat [4], « Nulla in evangelica, atque apostolica doctrina reperiri, quamvis ardua et divina præcepta, et promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint, » emendat sic, « ut addendum sit, *pene*, atque dicendum, ut pene nulla in evangelica atque apostolica doctrina, etc. » Quippe nova quædam ab Christo edita fuisse præcepta, quæ in vetere Testamento nondum promulgata fuerant; ut in sermone evangelico in monte habito, ubi non erat cur « Dominus diceret, Audistis quia dictum est antiquis hoc, ego autem dico vobis hoc: si nihil ipse amplius præciperet, quam præceptum est in illis veteribus libris. » Sed utcumque se habeant nova ista præcepta, et sive nulla in veteri Testamento illorum facta sit mentio; sive ne ista quidem illic prætermissa fuerint; de quo paulo post aliquid dicam; omnia certe veteris præcepta legis, quæ ad mores pertinent, eadem et in novo Testamento præscripta sunt, iisque Christiani etiamnum populi tenentur. In his ergo, saltem quod ad substantiam ipsam attinet, nullum veteris est ab lege nova discrimen.

VIII. Sed interest finis, qui in utraque proponitur, ac præmii, vel pœnæ, quibus illæ sanciuntur. Nam vetus lex, ut terrenorum ac temporalium mercede bonorum obsequium eliciebat, sic temporalibus pœnis, ac tum bonorum illorum, tum vitæ jactura, ab delictis absterrebat. Nova vero lex, minimum bonis istis malisque tribuens, sempiterna pronuntiat præmia, pœnasque sempiternas, ut paulo ante significavi. Nam *regnum cœlorum* clare, ac diserte in novo Testamento, novaque lege concipitur. Itaque Christus in illo sermone, quem in monte habuit, « mirum principium doctrinæ cœlestis » adhibens, ut observat Chromatius [5], « non a terrore incipit, sed a beatitudine, non terrorem faciens, sed potius desiderium. Vice enim agonothetæ, vel munerarii, certatoribus in hoc stadio spiritali præmium grande proponit; ut dum adspiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorrescant. »

Huc illud pertinet, quod Augustinus in primis, aliique tradunt, *regnum cœlorum* omnino in veteri lege non esse promissum. Sic enim ille in capite 22. primi libri Retractationum, quod paulo ante citavimus: « Deinde regnum cœlorum, *inquit*, illi populo fuisse promissum non legimus in iis, quæ promissa sunt legé data per Mosen in monte Sina, quod proprie vetus dicitur Testamentum: quod præfiguratum dicit Apostolus per ancillam Saræ, et filium ejus. Sed et ibi figuratum est et novum per ipsam Saram, et filium ejus. »

IX. Quem ad Augustini locum animadvertes id, quod alibi observavit idem [6]; vetus Testamentum, sive legem veterem, duobus modis usurpari solere: primus est « secundum divinarum Scripturarum auctoritatem, » inquit ille; hoc est quatenus Scripturas omnes amplectitur, quæ Testamenti veteris vocabulo censentur: alter est, cum pro lege sumitur, quæ in monte Sina data est: quam apostolus [7] *generasse* dicit *in servitutem*, cuique novum Testamentum, et lex gratiæ, ac libertatis opponitur ab eodem apostolo. In Testamento igitur vetere posteriore hoc modo sumpto, sive lege in Sina Judæis edita, « non invenitur promitti, ait Augustinus, apertissime nisi terrena felicitas: » quo tamen promisso, novi Testamenti vera, et spiritalia, et homine digniora bona significata sunt. At in eodem Testamento vetere prioris modi; hoc est in plerisque propheticis, et aliis canonicis libris, regnum cœlorum, et spiritalia, novique propria Testamenti præmia demonstrantur: tametsi rarius, quam in novo, nec ita diserte, manifesteque declarata sunt. Hilarius certe legem asserit, non modo « Christum annuntiasse, » sed etiam « remissionem peccatorum prædicasse, et regnum cœlorum spopondisse. »

[1] To. 10. Bibl. PP. col. 790. — [2] Comment. in cap. 7. ad Rom. 280. — [3] Tom. 1. lib. 10. de Deo. c. 24. parag. 10. et seq.

[4] Cap. 3. to. 6. p. 74. Idem docet Chrysost. hom. 12. in Ep. ad Rom. pag. 153. — [5] Serm. 2. de octo Beatit. to. 2. Bibl. PP. 153. — [6] Lib. de Gest. Pelag. cap. 5. — [7] Gal. 4. 24.

Denique nemini est illud ignotum, (1) legis vocabulum interdum totum vetus significare Testamentum, una cum propheticis, et historicis libris ; uti perpetuo Apostolum usurpare scribit Chrysostomus. Ex quo intelliges, Judæos qui sub lege, ac veteri Testamento erant, non adeo immersos in curas, cogitationesque carnis fuisse, ut æternæ vitæ, ac promissorum spiritalium sensu prorsus omni carerent : ut Armacani somniant ; quos ambigua notio vocis istius, *legis*, ac bonæ mentis inopia, in eam labem opinionis induxit.

CAPUT OCTAVUM.

1. Nulla lex, qua præceptis constat, gratiam ac vires ad agendum sufficit. — 2. Lex nova, non ut lex, sed ut statum, auctorem, et opes novi Testamenti complectitur, auxilia gratiæ subministrat. — 3. Ita Spiritus S. nova lex digito Dei cordibus inscripta dicitur. — 4. Christi gratia non sic est propria novi Testamenti, ut in vetus porrecta non fuerit. — 5. Finis proximus legis veteris temporalis, consentaneis gratiæ accessionibus rudem populum ad spiritalia, et æterna desideranda provexit. — 6. Status iste veteris proprius legis imperfectus fuit, malus non fuit. — 7. Medicorum hoc exemplo declaratur.— 8.-9. Et ex Augustino, aliisque probatur.

I. De adjutorio gratiæ, cujusmodi in utroque Testamento fuit, et ad legem est adjunctum, veterem pariter, ac novam, certa ex antedictis constituenda ratio est : et utrum generis ejusdem attributa sit ; ac, si discriminis aliquid intercessit, quæ cujusque nota et proprietas fuerit. In quo nihil prius faciendum est, quam ut id animo repetatur, quod capite superiori docuimus : si lex eatenus spectetur, ut est præceptum aliquod, et mandatum, facere jubens quippiam, aut vetans, nihilo plus novam, quam veterem suppeditasse gratiæ. Quod inter alios Dominicus Soto fusius exponit[1]. Qui nonnullos redarguit, afferentes in illo Joannis evangelistæ loco [2], *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, « hoc discrimen inter legem illam vetustam, et nostram constitui, neque vero aliud, quam Sacramentorum : quod scilicet illa non conferrent gratiam, nostra vero illam efficerent. » Similiter cum ait [3], *Arbitramur justificari hominem per fidem, et non ex operibus legis* ; « non intendit, *inquit*, peculiare interstitium inter legem veterem, et nostram constituere, etc. Itaque non constituebat differentiam inter legem, et legem : sed inter opera cujuscumque legis, sive naturalis, sive scriptæ, quamvis divinitus conditæ, sive humanæ ; et fidem Christi. » Atque ut paulo ante scripsit, « Hoc a lapsu primi hominis commune semper fuit omni legi, et seculo, ut nonnisi per unicam fidem Mediatoris, magis minusve implicitam, vel explicitam, pateret ulli unquam mortalium salus. » Quare lex nulla, ne Christiana quidem per sese, et ut lex, ac præceptum est, gratiam, ac vires bene agendi sufficit : sed adjuncta illi auxilia, quæ dicuntur, gratiæ sufficientis, et idoneæ ad præstanda legis officia, per fidem *implicitam* aut *explicitam*, ut Sotus loquitur, atque aut venturi, aut jam missi, functique munere suo mediatoris Christi Domini.

II. Quod igitur dici interdum audimus, *novam legem* gratiam repræsentasse, cujus inops antiqua fuerit : id non de lege ipsa nova, qua lex est, intelligi debet, sed ut novi Testamenti statum significat, atque ejus auctorem, et inclusas in illo, ac comprehensas opes amplectitur. Est enim utriusque Testamenti auctor quidem, et artifex Jesus Christus, (quem *populum de terra Ægypti salvasse* ait Judas apostolus [4],) verum prioris per ministros, et officiales suos : posterioris vero per sese : uti Paulus initio epistolæ ad Hæbreos docet. Itaque tametsi Christus tanquam vivus sit, perennisque fons quidam, largissime manans, et in omnes omnium temporum homines, gratiæ ac donorum cœlestium copiam usquequaque diffundens, quia [5] *nullum aliud nomen est sub*

(1) Chrys. hom. 36. ad epist. 1. ad Cor. ad cap. 14. vers. 21. Ἀλλ' ὅπερ ἔφθην εἰπών, πᾶσαν τὴν παλαιὰν ἀεὶ νόμον καλεῖ, καὶ τοὺς Προφήτας, καὶ τὰς ἱστορίας.

[1] In 4. dist. 2. qu. 1. art. 4. pag. 93. — [2] Joan. 1. — [3] Rom. 3. 28. — [4] Jud. 5. — [5] Act. 4. 12.

cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ; nihilominus novi Testamenti peculiaris fructus ille censetur, tam Christus ipse, quam ejus merita, et horum pretio comparata, auxiliorum gratiæ inexhausta, et affluens ubertas : præsertim quia nova ratione, et superioribus inusitata temporibus, post adventum, mortemque Christi communicari cœpit ; ut non efficientia sola, quemadmodum antea, sed substantia ipsa sancti Spiritus sanctificandis, adoptandisque justis, et regni cœlestis hæredibus applicata fuerit. De quo singulari Dei beneficio, ac novi Testamenti proprio, nihil hic addam ad ea, quæ in octavo libro de Trinitate affatim exposita sunt [1].

III. Hac itaque de causa, quod auctor et fons gratiæ Christus, ejusque Spiritus sanctus in Testamenti novi, sive legis novæ censu numeratur, factum illud videmus, uti Spiritus ipse sanctus interdum nova lex appelletur, *digito Dei* nostris cordibus inscripta. De quo luculenta ista sunt Augustini in libro de Spiritu et littera, capite 21. « Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, et præcepti finis ? » Quibus ista subjicit valde ad rem spectantia : « Nam quia veteris Testamenti promissa terrena sunt, licet (exceptis sacramentis, quæ umbra erant futurorum, sicut est circumcisio, et sabbatum, et aliæ dierum observationes, et quarumdam escarum cæremoniæ, et multiplex sacrificiorum, sacrorumque ritus, quæ vetustati carnalis legis, jugoque servili congruebant) talia contineant præcepta justitiæ, qualia nunc quoque observare præcipimur, etc. Tamen quia in eo, sicut dixi, promissa terrena, et temporalia recitantur, quæ bona sunt hujus corruptibilis carnis ; quamvis eis sempiterna, atque cœlestia, ad novum scilicet Testamentum pertinentia, figurarentur, nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est intelligibile bonum, cum dicitur [2], *Dabo leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum scribam eas.* Unde significavit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis justitiam dilecturos. » Hic Augustini locus utriusque legis discrimen, et indolem, ac præsertim novæ vim, et proprietatem pulcherrime describit. Simul illud affirmat, quod paulo ante dixi, legem novam plerumque non præceptum ipsum significare, sed gratiam, et hujus fontem, et originem, hoc est Spiritum sanctum, qui in novo Testamento, velut in paradiso constitutus, quadrifariam inde sectas aquas in omnes mundi partes, hoc est ætates omnes humani generis emittit. Hoc sensu interpretandum illud est, quod interdum dicitur, Legem novam, sive Testamentum novum, non solum monstrasse, jussisseque quid fieri oporteret, sed etiam vires ad agendum, auxiliumque præbuisse.

IV. Quamobrem Christi Domini, ejusque Spiritus virtus et efficientia, non sic attributa est, propriaque facta novi Testamenti, ut non in vetus porrecta fuerit. Tam enim late patuit gratia Christi, quam ejus merita. Ea vero per omnia tempora, etiam anteriora propagata sunt. « Non enim novo consilio, ait Leo [3], Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit : sed a constitutione unam, eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia autem Dei, quæ semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum. »

Bene, quod scribit Leo, *auctam esse Christo nascente,* hoc est novo Testamento patefacto, *non cœptam gratiam.* Nam revera copiosior, et affluentior in novo cœpit esse, quam in antiquo fuerat. Etenim divina Sapientia ita gratiæ suæ munera, et humanæ imbecillitatis auxilia dispensavit, ut pro modulo cujusque status, et pro fine ac scopo, in quem propria singulorum officia dirigebat, consentaneum iis adjumenti genus, et idoneam copiam destinarit. Itaque in novo Testamento, cui et finis præstantior, et excellentiora proposita sunt præcepta, singularis cujusdam tum dignitatis, tum ubertatis attributa gratia est. Finis Testamenti novi, cœleste regnum est, ac plena summi boni possessio : quæ in claro Dei contuitu, et perfecto ejus amore consistit. Quæ res ad animum, ac spiritum potius, quam ad corpus pertinet. Ideo exquisitior quædam, et, ut ita dixerim, magis spiritualis illis gratia debetur ; quæ ab corporis, ac rerum terrenarum commercio homines avocans, totos in cœlum, ac cœlestium bonorum curam, cogitationemque transferat. Summa igitur, et perfectio adjumentorum gratiæ, quæ novi Testamenti

[1] Cap. 4. et seq. — [2] Jerem. 31. 33.

[3] Serm. 3. de Nativ.

propria censentur, ad fidem per supremam, et eximiam charitatem operatam refertur.

V. In vetere Testamento, proximus, et, ut loqui solent, *immediatus* finis, abundantia fuit externarum commoditatum, et eorum, quæ ad fructum vitæ præsentis attinent; terra præpinguis, ac ferax, ejusque frugum, ac proventuum ad victum, et voluptatis amœnitatem perpetua, et secura perceptio : salubritas aeris, et corporum sanitas; tranquillitas pacis; cetera denique id genus, quorum in Mosaicis, et propheticis Scripturis constans, et crebro repetita fit mentio. Hæc vero mortalis vitæ commoda, non absolute, ac propter se a Deo Judæis ostensa sunt, sed ut essent imagines, et figuræ futurorum, ac tanto meliorum bonorum, quanto animus corpori, cœlestia terrenis, æterna caducis, et fugacibus antecedunt; de quo superiori capite diximus.

Ut igitur per bonorum istiusmodi præsentem copiam, et illecebram, ad potiora, et in illis adumbrata præmia paulatim spem suam, et desiderium attollerent, quibusdam accessionibus gratiæ excultus illorum, et præparatus est animus. Ac primis rudimentis istis, velut lineamentis sanctitatis et justitiæ, quam primo proximeque per legem informabat tam hujus auctor, quam gratiæ, Spiritus sanctus, consentanea respondebant, et addebantur auxilia, sine quibus coli Deus ex qualicumque fide, et ejus mandatis obtemperari non poterat. Hæc gratia, legis, ut dixi, peculiaris, sed nonnisi per Christi parta merita, *initialis* et *inchoata* jure nominabitur; cujus proprium munus fuit fidem aspirare, ac notitiam Dei, aliquanto clariorem expressioremque, quam in lege naturæ : cum illum agnoscerent, et profiterentur non solum creatorem omnium rerum, sed vindicem insuper, ac liberatorem, assertoremque populi ex omnibus nationibus electi, et asciti; tum amplissimorum largitorem munerum, ac præstantiorum per illa monstratorem et promissorem. Ex quo voluntas illorum accendebatur, tum certa spe, ac desiderio potiundorum hujusmodi commodorum, sive præsentium, sive per ea significatorum : tum amore in largitorem eorumdem, ejusque venerandi, et mutuis officiis remunerandi desiderio : itidemque metu ne violanda lege, offensum illum haberent, ac tam præsentibus illis, quam adumbratis per ea, et propositis utcumque bonis exciderent.

VI. Neque vero legislator, et conditor Deus eo consilio Judæis illam dabat, vel ei consentaneos per gratiam suam ingenerabat affectus, ac motus animi, quibus aut amaretur propter externa illa commoda, aut propter generis ejusdem cavenda incommoda metueretur, ut in illis sisterent, nec ultra hos limites impetus suos et conatus extenderent. Verum hæc initia scilicet erant, et quasi lineamenta, ut dixi, prima, quibus ad excellentiorem, ac robustiorem gratiam promerendam expolirentur : ac si in eo quod acceperant usurpando, et excolendo fidelem operam navarent, celsiorem in gradum charitatis, et justitiæ, uberiore, præstantioreque affusa illa gratia, promoveri possent.

Interim dum in priore illo statu adhuc hærebant, quem ad legis proprie pertinere spiritum ostendimus, non male hoc ipso cum iis agebatur, tametsi nondum perfecte, absoluteque sancti erant, nec eximium, ac divinum illum gradum justitiæ, ac charitatis erant adepti. Itaque malus, ac vitiosus ex sese non fuit status iste Judaici populi, quo ex proprio legis affectu, id est initiali gratia illa, Deum colebant, ejusque mandatis obtemperabant, promissæ spe mercedis, aut pœnarum metu præcepta servantes : quamvis nondum justi, ac sancti forent, hoc est justificante gratia prædíti; si in eodem illo gradu simpliciter, ac præcise considerentur.

VII. Quam rem scitu pernecessariam alio in loco declaravimus [1], ad idque similitudine usi sumus cum primis apta; quam hoc loco paucis commemorare, valde ad institutam disputationem attinet. Ut igitur medici male affectis corporibus curam adhibentes, duplici utuntur remedio : altero leviore, ac minus valido, quo veluti præparant, et ad firmiora, solidioraque viam muniunt; ut sunt antegressæ purgationes, alvi subductiones, balnea, ciborum delectus, fomenta corporum : quæ προκαθαρτικὰ, id est *præmedicationes* appellantur : altero fortiore, et quasi decretorio, quo morbus ipse proxime depellitur. Sic ad animorum sanationem duplex a Deo medela comparata est : una rudis, et inchoata, quæ nondum peccati labem abstergere potest, sed ante præparat, et obstinatæ mentis rigorem præmollit, ac viam aditumque facit ad insequentem gratiam. Hanc *primam medelam* Prosper nominat ita scribens [2] : « Amat ergo languores suos, et pro sanitate habet, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut inci-

[1] To. 1. lib. 10. cap. 27. § 11. et seq.

[2] Præf. cap. 6. Gall.

piat nosse quod langueat, et possit opem medici desiderare, qua surgat. » Altera est medicina, qua et peccatum propulsatur, et justitia restituitur. Harum prior, *gratia prævenies, et excitans* vulgo dicitur : posterior, *gratia sanctificans, et justificans*, sive *auxilium gratiæ justificantis*, quo peccatoris animus ad Deum omnino convertitur, et ex peccatore fit justus, et sanctus.

VIII. Jam in superiore corporum medela, qui nondum a morbo liberatus est, et in primis versatur adhuc curationis initiis, nondum ille quidem sanus est, sed non hoc ipso male cum eo agitur, quod curari, ac sanitatem recuperare incipit, etsi nondum ejus compos est factus : nec prima illa tentamenta, ac medendi principia, morbi accessiones esse, jure aliquis dixerit : neque statum istum ægri corporis, curari jam incipientis, morbidum, ac periculosum putet ; cum tanto magis ad sanitatem appropinquet, cujus jam ei pars aliqua, cum illius, quod restat, spe bona, repræsentari cœpit. Non igitur, propter antegressa ista medicationis exordia, male ac periculose affectum corpus esse perseverat ; sed propter antiquam valetudinem, cui propulsandæ, ac sanandæ penitus prima illa medicamenta, cum et quasi præparationes non sufficiunt. Sic cum ab lethalis statu peccati, transitus fit ad justitiam, quæ *justificatio* dicitur, fit quædam, prævenientis ope gratiæ, voluntatis commotio, et inchoatio charitatis, quæ nondum sufficit ad salutem, perfectamque sanitatem. De qua præclare Augustinus ad Simplicianum ita scribit [1] : « Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, etc. « Ac subinde, » Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes : non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil horum tamen sine gratia misericordiæ Dei, etc. » Et in libro de Spiritu et littera, capite 34 [2]. « Visorum, *inquit*, suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes ; ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat : sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem ; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. » Agit hac de re pluribus Tridentinum concilium in sexta sessione [3], ubi de justificatione, id est progressione ad justitiam, et sanctitatem disserit.

IX. In hac igitur affectione animi ac statu, quo nondum perfecte justitiam est adeptus homo, hæret adhuc in peccato, ac damnatione, necdum plene cum Deo in gratiam rediit, sed ad eam paulatim adducitur, ac disponitur. Nemo tamen istum ipsum, quem dixi, damnationis, et inimicitiæ cum Deo statum, primordiis illis sanationis, et justificationis imputare, nisi stolide, ac sacrilege potest. Siquidem contra peccatum faciunt illa quod possunt ; ac pro modulo suo fractos, et collapsos erigunt ad bene de Deo sperandum, ejusque tum implorandam, tum vero promerendam uberiorem opem, et gratiam. Quod quidem bene Augustinus explicavit in tractatu ad Psalmum quinquagesimum [4]. « Est, *inquit*, Spiritus sanctus in confitente. Jam ad donum Spiritus sancti pertines, quia tibi displicet, quod fecisti. Immundo spiritui peccata placent, sancto displicent. Quamvis ergo adhuc veniam depreceris, tamen ex alia parte, qua tibi displicet malum, quod commisisti, Deo conjungeris. Hoc enim et tibi displicet, quod et illi. Jam duo estis ad expugnandam febrem tuam, tu et medicus. » Quo in loco tum ad illam, qua sum usus supra, medici, ac morbi similitudinem alludit : tum ante peccati depulsionem, perfectamque reconciliationem, nonnullas agnoscit impulsiones gratiæ, et opitulationes, quæ ad detestanda, et confitenda delicta peccatores incitant, et ad veniam eliciendam validiore impetrato præsidio gratiæ provehunt. Ex his omnibus, quæ pro instituto parcius explicata, copiosius alio loco pertractabimus, intellectum satis arbitror, quæ sit natura, conditiove gratiæ, et auxilii illius, quod Testamenti veteris alumnis attributum proprie, nec tamen sine Christi meritis, fuisse diximus ; quibusque finibus circumscribenda sit illius efficacitas ; et quantum conferre, ac navare potuerit ad peccati sanationem, et justitiam assequendam, si talibus adjumentis recte uti vellent homines, ac sese morigeros, et tractabiles præberent. Nunc eadem illa parata nobis, et in promptu posita esse debent ad Lutheri, et Calvini frenandam licentiam : qui partim rerum illarum inscitia, partim temeritate, partim melioribus ac doctioribus obtrectandi libidine, haud pauca jactarunt tum aliena communi hominum sensu, tum vero cum Christianæ fidei salubritate pugnantia : quæ nos deinceps, ut instituimus, exponere, ac refutare conabimur.

[1] Aug. 1. ad Simp. qu. 2. p. 267. to. 4. — [2] To. 3. p. 319. [3] Cap. 5. — [4] To. 8. pag. 200. C.

CAPUT NONUM.

1. Ex dictis lux admovetur Anomorum dogmati. — 2. Quid sit Synagoga, ut synagoga, et quæ vis reduplicativi termini. — 3. Synagogæ χαρακτηριστικὸν ἴδίωμα, fœdus antiquum, et Mosaica lex erat. — 4. Consentaneis gratiæ per Christum auxiliis non caruit.

I. Revocetur in primis, ac retrahatur in medium ostentum illud, quod superius exagitavimus, et ad eam lucem admoveatur, quæ ex proxime antecedentibus capitibus existit. Ita enim clarius nobis illius importunitas, ac falsitas constabit.

« Synagogam, ait Armacanus [1], consideratam ut synagogam, non fuisse aliud, quam terreni populi turbam, hominumque carnalium solis terrenis, et carnalibus incubantium, et propter illa sola colentium unum Deum : » et ejusdemmodi cetera, quæ primo capite ex illo descripta sunt : in quibus perspicue sentit, statum ipsum Synagogæ, sub Testamento veteri per se, et ex legis, ac Testamenti veteris instituto, vitiosum, ac damnabilem exstitisse : quia [2] « carnali, vitiosæque cupiditati fomentum, ac præmium lex illa ex professo promittebat, » hoc est cupiditatem, et concupiscentiam malam dedita opera provocabat, et incitabat. Hinc « Synagogæ, ut synagoga erat, consideratæ, statum illum tenebras, et umbram mortis » appellari ab Augustino putat, ita scribente [3], « Vetus Testamentum tenebris, et umbræ mortis datum esse. » Quibus subjungit istud, quo eodem illum *Synagogæ*, *ut synagogæ*, *statum* ex animo suo, et sententia describit [4]. « Nempe hominibus ex magna cæcitate cordis nihil omnino nisi carnalia diligentibus, sectantibus, expectantibus, cogitantibus, ideoque quantumcumque legem sibi datam observare viderentur, et in legis justitia sine querela ambularent, a vera cordis justitia, et regno cœlorum assequendo valde remotis. » Cujus incontinenti rationem subtexit : « Animum enim creaturæ rationalis, *inquit*, solis rebus terrenis, Deoque propter sola terrena inhærere, valde vitiosum est, puritatique cœlestis regni adipiscendi necessariæ ex diametro contrarium. »

II. Quocirca, ut jam ante collegimus, cum Deum propter sola terrena colere, eique inhærere, vitiosum sit, et saluti adipiscendæ contrarium : hoc autem lex *ex professo* egerit, ut talem affectum Judæis ingeneraret : apparet ex ejus opinione, qui propria illa duo posuit, id etiam affirmandum esse, quod necessario cum antecedentibus nectitur, legem Mosaicam vitiosum ex se aliquid, ac saluti contrarium jussisse. Ejusdemmodi est hoc etiam, de *Synagoga, ut synagoga est*, quod paulo ante memini. Expendatur enim modus iste sermonis, cum in enuntiando repetimus, et congeminamus aliquid, quem *reduplicativum terminum* dialecticorum scholæ nominant, ut sunt *homo, ut homo ; album, ut album*, et alia similia. Ea cum sic efferuntur, rem ipsam per se spectatam, ac secundum naturam suam, propriamque rationem significant, hoc est secundum ea, quæ in ejus definitione ponuntur, ceteris omnibus circumscriptis, quæ adventitia sunt, et ad simplicem, ac germanam illius notionem minime pertinent. Sic homo, consideratus ut homo est, nec dives est, aut pauper, nec bonus, id est virtute præditus, aut vitiosus est, nihil habet denique, præter ea, quæ humanæ naturæ propria censentur. Hic mos est, ususque communis loquendi, ad quem vocem suam dirigunt non eruditi solum et philosophi, sed etiam qui humano utcumque modo sapiunt, et ridiculi esse nolunt.

III. Itaque generalis est istarum enuntiationum regula, quæ hujusmodi conduplicationem habent, ut qui sensum earum capere velit, prius *termini*, ut vocant, *simplicis* naturam, et proprietatem intelligat. Quid *Synagoga* sit, *qua synagoga est*, ex Synagogæ natura, et definitione judicandum est. Ea porro sic institui potest : Synagoga est Israelitici populi cœtus, pacto cum Deo fœdere, ac certis ab eodem per Mosem obligatus legibus, ac ritibus, quibus, velut figuris, novi Testamenti veritas adumbrata fuit. Hæc prorsus est Synagogæ, quatenus Ecclesia est vetus, ac veteri obnoxia Testamento, propria ratio. Cujus velut forma, et, ut Græci loquuntur, χαρακτηριστικον ἰδίωμα, fœdus antiquum, et Mosaica lex erat : quæ Judæos in officio continebat, pro-

[1] To 3. lib. 3. cap. 6. p. 115. C. 2. — [2] Ib. pag. 116. E. 2. [3] Aug. Annot. in Jer. cap. 28. — [4] Loco cit. pag. 115. D. 2.

positis hinc terrenis præmiis, inde pœnis et suppliciis, quibus futurorum, ac sempiternorum arcanæ significationes inerant.

Quamobrem Synagoga considerata ut synagoga, nihil erit aliud, quam multitudo Judaici populi, qua fœdere isto, et Mosaica lege tenetur. Hoc vero modo spectata perinde est habenda, ut est fœdus, ac lex hujusmodi; adeoque duo inter se ista reciprocantur, ut si bona, vel mala lex est, bona sit, vel mala Synagoga: et si hæc bona, vel mala est, bona lex item, vel mala censenda sit. Est autem, ut supra dixi, bona vel mala lex eatenus, quod bonum est id, aut malum, quod illa præcipit; et ad quod agendum, vel cavendum, præmiorum, ac pœnarum denuntiatione compellit. Hinc ergo directo, ac manifeste sequitur, legem Mosaicam, vetusque Testamentum, cujus propria lex fuit, malum quippiam, et vitiosum, ac damnabile fuisse, ex Anomorum decreto; quandoquidem malam vitiosamque cupiditatem, hoc est terrenam et carnalem concupiscentiam alebant ex professo, eique fomenta ministrabant.

IV. In hac opinionis, doctrinæque pravitate, sacramentum dixere novi theologi. Qui Testamentum vetus negant [1] in eum finem a Deo Judæis oblatum fuisse, ut eorum salus æterna in tuto locaretur: sed ut ne terrena, et caduca bona, vitioso ab illis amore concupiscenda, et persequenda, aliunde, quam a Deo sperarent, et caperent. Quorum absurda ratio, et in semet incurrens, seseque collidens, ex iis, quæ sunt antecedenti disputata capite, labefactatur, et evertitur [2]. Hinc enim constat, legem Mosaicam, vetusque Testamentum, non caruisse necessariis auxiliis gratiæ, eique fini consentaneis, quem in statu illo constituendo divina sibi sapientia præstituerat. Quibus adjumentis si recte, ac prudenter uti vellet populus iste, paulatim ad majora, et perfectiora proveheretur. Atque hæc auxiliorum gratiæ largitas non ab alio, quam ab meritorum Christi fonte profluxit. Quippe « ab exordio generis humani, ait Augustinus [3], quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus præcepta pie, et juste vixerunt, quandolibet, et ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, et apud Patrem manentem, et in carne venturum. » Et alio loco [4]: « Proinde cum omnes, *ait*, justi, hoc est veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo: profecto quod scriptum est [5], non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri nos, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est. » Leo item papa sermone 14. de Passione. « Una, *inquit*, fides justificat universorum temporum sanctos, et ad eamdem spem fidelium pertinet quidquid per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, vel nos confitemur factum, vel patres nostri adoptavere faciendum. » Ceterum illam ipsam Christi gratiam, ex fine, ac proposito legis, hoc est si ad eum fructum, effectumque respicias, ad quem Testamentum vetus, ac legis lationem retulit Deus, prorsus attributam, et annexam illi fuisse res ipsa loquitur; eodem prorsus modo, quo idoneam, et sufficientem opem gratiæ nullis unquam defuisse temporibus, theologus nemo dubitat, qui quidem hac sit appellatione dignus.

[1] Tom. 3. lib. 3. c. 6. pag. 114. C. — [2] Vide sup. cap. 3. — [3] Aug. ep. 49. qu. 2. p. 73. — [4] Epist. 157. pag. 271. — [5] Act. 4. 12.

CAPUT DECIMUM.

1. Inscita Anomi convicia in ipsum recidunt. — 2. Suæ in Legem calumniæ patronum falso inscribit Augustinum. — 3. Cujus testimoniis convincitur iisdem, quæ pro se laudat. — 4. Synagoga, ut synagoga, vere fuit Dei Ecclesia.

I. Hic conviciis ac probris saturum in nos stilum acuit, solitoque fertur impotentius Apologetici scriptor [1], et *prodigiosam inscitiam* hanc nominat, quod patriarchæ sui dictum illud de *Synagoga, considerata ut synagoga est,* in invidiam adduxerim Manichæi furoris, et hoc etiam detestabilius esse dixerim. Non enim intellexisse me ait, id quod Augustinus tam frequenter inculcat, revera talem fuisse Synagogam, qualem sententia illa sua descripsit Armacanus.

Verum *portentum* illud, quod in alios conferunt, *inscitiæ*, eruditus lector judicet, an non magis in illos recidat, cujus partim communi eos sensus, et hominibus insita ratio, partim ipsa sua vox, et confessio convictos, ac damnatos tenet. In primis enim quæ frons erit illorum, si aut capere se negent, aut inficiari audeant, quod capite præsertim antecedente docui; *Synagogam, ut synagogam*, extra crimen et infamiam esse, cum Dei sit opus ipsius, nec illis infecta maculis, quæ in Judaicum populum ejus culpa redundarunt? Fuerit gens Hebræa majori sui parte *carnalis*, impura, terrenis immersa cupiditatibus, nihil cœleste sapiens: imo tota ipsa, si istis videbitur, vitio hoc, tanquam scabie, et elephantiasi contabuerit: adeo ut nemo sanus, nemo fide, moribusque probatus synagoga in illa repertus sit: an idcirco *Synagoga, ut synagoga*, tali dedecore, et ignominia notanda fuit? An cum Ecclesia Christiana in eum statum redigetur, quem aliquando fore prædixit in Evangelio Dominus his verbis [2]: *Verumtamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* quibus perpaucos sub tempus novissimi judicii fore fideles significat; usurpare tum illud fas erit, Ecclesiam, consideratam ut Ecclesiam, cœtum esse perditorum, ac nefariorum hominum? Quis sic loqui, nisi impius, ac fanaticus audebit? Atqui *Synagoga, considerata ut synagoga*, quod sæpe dicendum est, non minus quam Ecclesia Christiana, [3] *Dei ædificatio est:* quantumvis mole, ac structura sit inferior; neque cum illa comparanda.

II. Jam quod illius in legem veterem, auctoremque legis jactæ contumeliæ patronum inscribunt Augustinum; hoc invitissimo, ac repugnante prorsus illo faciunt: neque, quod vel mediocris est ingenii, mentem ejus, ac sententiam assequuntur. Relegat, et singillatim excutiat dissimilis istorum, hoc est paululum acutus lector, quantum est locorum Augustini, quod vel falsus hujus interpres attulit, vel ex eo corrasit Apologetici consarcinator. Nihil ad rem facere cognoscet. Omnium locorum istorum ad duo fere capita summa redigitur: quorum alterum ad legem pertinet: alterum ad eos, qui sub lege vivebant. Prius est hujusmodi: Vetus Testamentum, legemque Mosaicam terrenorum, et temporalium spe bonorum, ac malorum generis ejusdem metu, Judæos in officio continuisse; utraque vero, futurorum, et sempiternorum figuras et imagines fuisse, adeoque totum ipsum Testamentum vetus arcanis quibusdam significationibus novum adumbrasse. Caput alterum est; duplex in Hebræo populo hominum genus exstitisse: alios terrenos, et carnales, « qui non illic amplius, quam promissa temporalia cogitata concupiscebant, ait Augustinus [4], in quibus æterna figurata, et prophetata non intelligebant: » alios « qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, » hoc est novum Testamentum, ejusque præmia per umbras illas, et figuras « intelligebant ac diligebant: » quales erant « sancti patriarchæ, et prophetæ. » Ad hæc duo plane revocantur omnia, quæ ex allatis Augustini sententiis conficere voluit Anomorum signifer Armacanus, ejusque patronus, in Apologetico secundo.

III. Atqui eadem ista pronuntiata duo, tum ad id probandum quod intendimus, et quod hactenus pugnamus; tum ad illorum labefactandam causam, erroremque convincendum apprime conferunt: ut mihi, ne quid asperius

[1] Lib. 2. c. 8. pag. 181. — [2] Luc. 18. 8.

[3] 1. Cor. 3. 9. — [4] Aug. 15. cont. Faust. Man. c. 2.

dicam, nimis securi, ac parum attenti fuisse videantur, cum ex Augustini libris illa describerent. Age enim videamus, quid ex illis consequens sit, et cum decretis istis Augustini, sententiisque connexum. Nimirum, si quid sapimus, hoc nos docent; legem Mosaicam, vetusque Testamentum per se, et ex instituto, hoc est ex mente latoris et scopo consideratum, tale fuisse, ac pro eo habendum et judicandum esse, quale posterioris generis, hoc est justorum et sanctorum animis, et studiis observatum dicitur; non autem cujusmodi priores, id est carnales et terreni, illud idem spectabant, ac sibi propositum habebant. Sane legis antiquæ, ac Testamenti Mosaici status ex eo metiendus, et æstimandus est, quod illi naturale est, et οὐσιῶδες, non ex eo quod est adventitium, et ex accidenti convenit. Legis autem propria, et nativa qualitas ex mente legislatoris, et fine constituitur. Quare cum ideo data lex Judæis ab Augustino dicatur, ut per illius figuras, et imagines ad potiora, et æterna, novique propria Testamenti bona tenderent, quod pios ac sanctos illorum temporum intellexisse, et observasse demonstrat idem: prorsus Testamentum vetus, qua hujusmodi fuit, hoc est, *consideratum ut vetus erat Testamentum*, extra invidiam carnalis est, ac terreni, vitiosique status: a quo sancti isti patriarchæ ac prophetæ longissime distabant eo ipso, quod illum legis, et Testamenti veteris scopum, et primarium institutum vita et factis suis expresserant.

IV. Quod de Lege, ac Testamento dixi, idem de *Synagoga*, *considerata ut est synagoga*, sentiendum est. Hæc enim Testamenti veteris Ecclesia fuit; quod Augustinus, ex eoque Beda [1], et Amalarius Fortunatus [2] observant. Nimirum [3] « quamvis proprie dicatur synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum (verba sunt Augustini) tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam. » Falso igitur tum Anomorum princeps *Synagogæ*, *consideratæ ut synagoga est*, vitiosum fuisse statum, ac damnabilem docuit: tum ejus suffragator, et patronus in Apologetico [4], Synagogam ab Ecclesia vera, quæ Testamenti veteris tempore fuit, adeo distinguit, ut illam ex sese malam et probrosam, hanc vero non aliam quam novi Testamenti peculiarem, et Christianam fuisse significet. Atqui *Synagoga*, utique *considerata ut synagoga*, hoc est legi Mosaicæ, et hujus auctoris Dei fini, ac voluntati consentanea, Ecclesia fuit Dei viventis, ut testatur Augustinus. Et qui hunc, ut dixi, secutus est, Beda, alibi [5] duas Saulis filias, Merob et Michol, allegorice significare dicit, priorem quidem et primogenitam, Synagogam; posteriorem autem, Ecclesiam. « Quibus etiam nominum, *inquit*, etymologia congruit. Nam quia synagoga electorum, non de cunctis late nationibus, sed de multitudine solius est Israeliticæ stirpis collecta, Ecclesia autem omnibus est ad fidem convocata de gentibus; recte primogenita filia de multitudine; secunda ex omnibus interpretari perhibetur. » Hic Beda Merob *ex multitudine*, hoc est מרוב: Michol autem *ex omnibus*, hoc est מכל interpretatur, et electos assignat utrique, tanquam præcipua illius membra peregrinantis adhuc, ac bonos intra se pisces malosque colligentis: vel electos ob fidem, ac veri Dei notitiam et cultum, atque ex omnibus gentibus in peculiarem populum assumptos vocat. Sic utravis de causa Clemens Alexandrinus in septimo Stromateon [6], Ecclesiam appellat, ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν, *congregationem electorum*. Non igitur *Synagoga, ut synagoga est*, carnalis, et invisi Deo, ac damnati populi nomen est, extra Ecclesiam, et æternæ spem salutis procul positi; cum in illa etiam Testamenti veteris electi contineantur.

Quin etiam Ambrosius [7], « Christum, *ait*, fuisse caput veteris synagogæ, quam Moyses fundavit et condidit. » Anne alia fingi ista potest, quam *Synagoga, considerata ut synagoga*? Hujus ergo caput Christus fuit: atque adeo carnalium, terrenorum, perditorum, desperatorumque caput hominum; si nonnisi tali ex fæce Synagoga constabat; quæ est Armacanorum, et Anomorum opinio.

[1] Beda lib. 2. in Luc. to. 5. col. 263. et in cap. 5. Proverb. to. 4. col. 650. — [2] Amalar. lib. 1. de Of. to. 10. Bib. col. 330. — [3] Aug. in Ps. 77. p. 348.

[4] Lib. 1. cap. 8. p. 181. et seq. — [5] Beda in 2. Samu. cap. 10. tom. 4. col. 238. — [6] P. 514. edit. Hein. — [7] Ambr. in Ps. 43. to. 2. col. 708. G.

CAPUT UNDECIMUM.

1. Explicatur fons et origo illius erroris, quo Legis et Testamenti veteris status vitiosus ab Anomis statuitur. Duo in vetere Testamento genera hominum bonorum, et malorum : e quibus longe plures isti fuerunt : ac sic interdum de Judæis Scripturæ loquuntur, quasi nemo in illis justus esset. — 2. Quod imitatus est Apostolus. — 3. Ex quo regulam interpretandæ Scripturæ Patres constituunt. — 4. Unde commode loca multa conciliantur. — 5. Anomorum improbum dictum. — 6. Perperam in Apologia defensum : cujus auctor adeo occæcatus fuit, ut conflictum sententiæ suæ cum iis testimoniis, quibus eam fulcire conatus est, non animadverteret.

I. Maximi nunc et inauditi illius erroris, quo recens ista laborat Anomorum sententia, causam, et originem edisseram. Judæorum populus, eorumque synagoga, vel Ecclesia ex duplici conflata erat hominum turba, bonis videlicet, ac malis : ut ex Augustino superiori capite memini. Malorum cœtus, uti fit, multis partibus bonorum superabat numerum, ut etsi vacua, et inanis ab istis ætas nulla decurrerit, perpauci tamen iidem fuerint, et improborum comparatione pene nulli. Cujus rei fidem faciunt illius gentis historiæ sacræ pariter, et profanæ : tum prophetici libri crebris, ac vehementibus querelis hujusmodi referti. Ac si plerumque de illo populo loquuntur, quasi nemo ibi bonus, ac justus extiterit, nemo Dei cultor, et legis observans. Sed tanquam inveterato languore confectum corpus diffusa per omnia membra tabes, ac pestis exederit. Quem Judaicæ synagogæ statum graphice describit Esaias præsertim in primo capite, necnon in aliis sequentibus. Tum Jeremias, Ezechiel, et alii passim. Nec sic tamen generalem hanc corruptelam temporum suorum, et orbitatem deplorant bonorum virorum, ut non identidem restare aliquos significent, quorum in virtute, ac meritis divina bonitas acquiescat. Sed propter istorum præ illis, ut dixi, paucitatem, infinitam vero ceterorum copiam, sic de Judæis, eorumque cœtu, et synagoga sermonem interdum faciunt, ut, nisi aliunde secus statuendum intelligas, putes neminem illic non pessimum, depravatissimumque vixisse.

II. Hunc Scripturæ veteris, et propheticæ morem imitatus est Paulus apostolus, maxime in ea, quam ad Romanos scripsit, epistola. Nam cum hoc in illa spectaret, ut Judæos legi Mosaicæ, et operum suorum merito præfidentes ab tam arroganti, et periculosa de se opinione deduceret, doceretque nihil eos sine Christi gratia posse facere : ut supra capite quinto demonstravimus : necesse habuit ex ipso rerum usu, et exemplis illorum, atque factis argumentum capere ; ut agnoscerent, quod Legis solius beneficio consecutos se esse jactarent, ut juste sancteque viverent, adeo non obtinuisse, ut vel corruptissimis essent, perditissimisque moribus, atque ipsis etiam, quos præ se contemnebant, gentilibus deteriores. Vide caput secundum illius epistolæ, in quo Judæos cum gentibus contendens, commodiores has fuisse docet illis, qui sibi interim magisterium arrogabant humani generis ; de quibus ita [1] : *Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo ; et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, etc.* Mox quales isti, et quam legis observantes declarat sic : *Qui ergo alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœcharis : qui abominaris idola, sacrilegium facis : qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes ; sicut scriptum est* [2]. Hinc apparet Apostolum in exemplum aduxisse Judæorum pessimos, qui per omnem ætatem plurimi in isto populo fuerunt, fures, adulteros, sacrilegos, legis prævaricatores : cujusmodi ab Isaia, et Ezechiele prophetis notantur. Ejusmodi tum fuisse cunctos in illa gente, nemine excepto, credibile non est ; imo falsum est. Etenim nullum tempus afferri potest, ut vel corruptissimum deligas, in quo non pessimis admixti fuerint aliqui boni, certe quidem, qui neque fures, neque mœchi, nec tam pravi essent denique, quam erant illi, quos in medium produxit Apostolus. Justi ergo erant nonnulli, nec isti pauci, ut ex iisdem prophetis, et historiis sacris, aliisque temporum illorum annalibus constat.

[1] Rom. 2. 17.

[2] Isa. 52. 5. et Ezech. 36. 23.

III. Hic igitur valet illa regula interpretandæ Scripturæ, quam tanti faciunt Augustinus, Hieronymus, aliique Patres: quæ quam nessaria sit, Anomorum, contra quos pugnamus modo, lapsus ostendit. Hos enim illius inscitia regulæ, ad ista, quæ dudum nos exercent, opinionum portenta compulit. Atqui nec operosa, nec abstrusa valde, sed in propatulo posita, et parabilis est illa regula, quam sic explicat Augustinus [1]: « Scripturæ mos est ita loqui de parte, tanquam de toto, sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum; et postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria. »

Et in libro de unitate Ecclesiæ, capite 13. eamdem commendat regulam, ac multos in utroque regno Judaico fuisse sanctos et justos in medio impiorum asserit Hieronymus in epistola 146. illum ipsum *Canonem scripturarum* commemorans [2]: « Omnia non ad totum referenda esse; sed ad partem maximam: » ut ibi [3], *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et alibi [4]: *Omnes qui venerunt ante me, fures sunt, et latrones.* Et Paulus ad Corinthios [5]: *Omnibus*, inquit, *omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* Et ad Philippenses: *Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non ea, quæ sunt Jesu Christi.*

Ita Prosper in libro primo de Vocatione gentium, capite nono, eamdem loquendi consuetudinem Scripturæ familiarem notat, « qua ita locutionem suam divinus stilus ordinat, ut ea, quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur. » Quod iisdem fere, quibus Hieronymus, probat exemplis.

IV. Ad hunc canonem pleraque dirigenda sunt eorum, quæ Paulus in illa epistola de Judæorum corruptela, et eorum depravatissimis moribus disputat, capite nimirum secundo, ubi mœchos et fures, et quidvis aliud appellare videtur universos; idque capite sequenti confirmat sic [6]: *Causati enim sumus Judæos, et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est* [7]: *Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hieronymus certe, ac Prosper locum illum Psalmi decimi tertii, quo utitur Apostolus, ad illam regulam pertinere dicit, adeoque de parte Judaici populi, non de toto, quod idem scribit Apostolus, intelligendum esse demonstrat. Par est idemque de Augustino judicium illis omnibus in locis, quibus Armacani Karrainitæ commentum suum fulciunt. Non enim alio ex fonte, quam ex Apostolo, hausit Augustinus quæ in Judaici populi, Synagogæque judaicæ labes, ac vitia declamat: quæ sic delingunt novi isti dogmatistæ, et ad eorum voces apicesque sic mordicus adhærent, ut ne unum quidem eximi ab communi illa peste, ac perditissimo statu patiantur: quoniam generatim Augustinus, ne uno quidem excepto, comprehendit omnes. Verum sapere deinceps incipiant, et Augustino ipso præeunte discant, per omne Scripturæ corpus sparsam illam esse consuetudinem sermonis, ut quod de parte est intelligendum, de toto pronuntiari videatur.

V. Hinc Apologetici [8] falsa et insulsa de nobis querela, et virulenta criminatio diluitur: tanquam latentem illum sub Arnaldi persona nescio quem immerito reprehenderim, quod exactam legis veteris observationem apud Deum fuisse mercedis expertem his verbis docuit [9]: « Nam si Judaicus quondam populus, in tam accurata illa legis observatione, ac tam numerosis Religionis officiis nihil apud Deum merebatur, propterea quod sine hujus spiritu illa omnia præstabat: ac ne verum quidem finem noverat, ad quem ea referri oportebat, etc. » Hanc nos sententiam et Scripturis sacris adversam, et tot sanctorum virorum, qui in veteri Testamento sanctitate celebres habiti sunt, exemplis convictam, ac profligatam, uti par erat, damnavimus in sexto libro operis illius, quod contra Arnaldum nuper edidimus [10]. Cujus me gratia reum ignorantiæ, ac temeritatis postulat Apologetici scriptor, et vadimonium denuntiat, testes appellans contra me tum sacros et canonicos scriptores, tum antiquos Patres, qui de Judæis universe illud idem prædicant, quod in illa sententia continetur. Verum, uti dixi, falso in nos ista calumnia confertur. Nam ex superiore illa Augustini, ceterorumque regula constat, non

[1] Aug. epist. 59. p. 115. A. 2. — [2] To. 1. col. 1004. A. — [3] Ps. 13. — [4] Joan. 10. — [5] 2. Cor. 9. — [6] Rom. 3. 9. — [7] Ps. 13. 2. et seq. — [8] Apol. lib. 2. c. 7. p. 175. — [9] Præf. Arnal. lib. de Freq. com. p. 40. edit. 1. — [10] Cap. 12.

rigide præfracteque de Judæis omnibus intelligendum esse, quod generatim de gentis istius pravitate, ac corruptela dicitur.

VI. Hic vero operæ pretium est animadvertere, quam stupenda sit in expostulatione ista cæcitas adversarii, qui in semet incurrit, ac suo se gladio conficit. Quid est enim, obsecro, commune cum illis, quæ nobis opponit, Scripturæ Patrumque testimoniis, Iudii illius Anomi sententiæ, quam reprehendimus? Illi quos acriore censura castigant, nefarios ac perditos, et legis contemptores, ac viclatores adeo fuisse demonstrant, ut et hoc ipsum notent, quod immania scelera et ab lege interdicta committerent. Iste *Judaicum populum* profert *accuratum legis observatorem*. Amabo te, quisquis es Apologetici scriptor, qui sub aliena larva delitescis ; vel nusquam potius appares ; unum mihi responde si potes : Satin' quadrare ista videntur Scripturæ, ac Patrum antiquorum dicta et placita, cum illo magistri tui, et sectæ antistitis effato, cujus illa purgandi gratia contulisti [1] ?

VII. Ut a sacris libris incipiam, Jeremiam affers nobis de Judaico populo ita conquerentem [2] : *Hoc*, inquit, *verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, et ero vobis Deus : et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.* Legis ecce præcepta Judæis tradita, et præscripta dicit, ut illa *servarent, et facerent :* quod tanto postea de Scribarum, Pharisæorumque responsis, legi utique consentaneis, Christus ipse præcepit. Illi vero quid ? Num *accurate* legem, ut mandatum erat, *observarunt? Et non audierunt,* pergit Propheta, *nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum, et non in ante, a die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc.* Ergo illi tantum abest legem ut observasse dicantur ; ut contra ipsam omnino commiserint, et, ut alibi propheta idem loquitur [3], *pactum irritum fecerint.* Sic Apostolus, quem et ipse profers, in epistola ad Hebræos [4] : *Vituperans*, inquit, *eos dicit* [5] : *Ecce dies veniunt, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, Testamentum novum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum*, etc. Tum veteris Testamenti causam hanc subjicit: *Quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego neglexi eos.* Sic apud Joannem Christus [6] : *Nonne Moyses dedit vobis legem; et nemo ex vobis facit legem?* Actorum denique septimo [7], *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Et [8], *Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis.* Hæc Scripturæ testimonia, quæ in Apologia proferuntur, Judæos arguunt, non qui legis officiis omnibus exacte satisfacerent, sed qui illam violarent, ac pessum darent.

VIII. Similes sunt antiquorum Patrum sententiæ, quas idem Apologetici auctor ad negotium suum accommodavit. Velut iste est Ambrosii [9] : « Nullus enim fructus exstitit Judæorum, nullus vineæ hujus proventus, de qua Dominus ait, Exspectavi ut faceret uvas, fecit autem spinas. » Ita etiam Gregorius papa in homilia 40 [10]. ubi divitis illius sumptuosi, ac splendidi epulatoris figuram Judaicum populum adumbrare dicit, « qui acceptæ legis deliciis ad nitorem usus est gloriæ, non ad necessitatem. » Eadem et Augustini mens est, ubicumque de corruptela populi veteris agit: quem sane minime legis observantem inducit, sed ejusmodi [11] ut, etsi Dei præcepta non servaret, servare tamen sibi videretur, itaque videri vellet. Quales erant Scribæ, et Pharisæi, quos tamen Christus legem observasse negat, ut et Stephanus.

Jam horum omnium subducta ratione, prorsus agnoscimus nullam rem magis esse contrariam alteri, quam sunt illa omnia Scripturæ, Patrumque testimonia Armacano illi decreto, cujus tuendi gratia sunt in Apologia illa quæsita. Nam *exacta legis observatio*, qualem iste Judæis tribuit, ab legis violatione distat, cujus reos fuisse Judæos, omnia illa Scripturæ, ac Patrum oracula testantur.

Verum ut hoc demus, ab suis testibus non dissentire Arnaldum, utque ab generali Judaici nominis labe, ac vituperatione, quam sententiæ illæ prædicant, ne unum quidem virtute ulla redemptum, exceptumque velimus, (quod et esse falsissimum, et allatæ iisdem ex Patribus regulæ adversari liquet,) sed ut hoc concedamus, Judæos ad unum omnes contaminatissimos, et sceleratissimos fuisse ; nemo tamen illos ipsos tales exstitisse dixerit, quatenus Judæi erant, vel quatenus veteri Testa-

[1] Apol. c. 7. p. 176. — [2] Jerem. 7. 23. — [3] Jerem. 31. 32. — [4] Hebr. 8. — [5] Jerem. loco cit. — [6] Joan. 7. 19. — [7] Act. 7. 51. — [8] Ib. ver. 53.

[9] Ambr. in Luc. lib. 9. ad cap. 20. Luc. ver. 9. Apol. p. 175. — [10] Cit. Apol. p. 176. — [11] Aug. cont. Adim. c. 17. cit. Apol. pag. 180.

mento, ac lege obligati tenebantur : sive Ecclesiam illorum, et « Synagogam, consideratam ut synagogam, cœtum fuisse perditorum ac vitiosorum hujusmodi hominum. » Quod Apologia tueri tanquam recte usurpatum instituit : nec tamen hactenus potuit, cum ne ulla quidem littera id significent loca omnia, quæ ad eludendam reprehensionem nostram tanto studio congessit.

CAPUT DUODECIMUM.

De causis, propter quas Deus cum Judaico populo fœdus antiquum iniit. — 1. Falsa Anomorum ratio, qui fœdus illud in crimen vocant. — 2. Refelluntur quæ ex Augustino perperam colligunt contra statum antiquæ legis. — 3. Absurda illorum opinio, et falsa Augustini loci interpretatio, in quo Testamentum vetus comœdiæ instar fuisse dicitur.

I. Eadem damnandi erroris labe maculata sunt illa, quæ in nonum ac decimum caput libri secundi Apologiæ scriptor contulit. Prioris hæc quidem est inscriptio : *Rationes ex Augustino petitæ, propter quas Deus Testamentum vetus instituit : ita ut fœdus iniret cum populo carnali, qui nonnisi carnaliter, et præmiorum spe temporalium illi serviturus esset.* Hoc lemma capitis obscure, ambigueque de industria conceptum est, ut sub eo periculosi dogmatis virus occultatum falleret. Deum fœdus icere cum carnali, infectoque peccatis ac vitiis populo, quem sciret in potestate sua minime fore, pessimeque victurum ; non est a bonitate, ac sanctitate illius alienum, nec auctoritatem ei nefariæ rei, et sceleris adscribit. Sed non est hac decreti salubritate secta ista contenta. Aliud satagit ac molitur, quod nonnisi tecte, ac dissimulanter, et quasi furtim injicit. Nam fœdus ipsum criminosum fuisse vult, et pactionem eo factam esse culpæ ac flagitii ; cujus perpetrandæ necessitatem stipulatione quadam populo suo Deus imposuerit. Quid enim aliud crocitant, qui et legis, ac Testamenti veteris conditorem non negant esse Deum, si Christiani sunt : et eamdem legem, idemque Testamentum, malum et vitiosum ex professo aliquid præcepisse docent : quod jam sæpe [1], sed non plus quam necesse est repetendo demonstravimus ?

II. Hoc sectæ novæ arcano dogmate, et in eo occultando calliditate, insidiisque patefactis ; cautior factus eruditus lector, ad illa deinceps adjungat animum, quæ adversus illustrissimum, et doctrina, pietateque præstantissimum Vabrensem episcopum, ac meipsum quoque, ad illam certissimam propugnandam hæresim opposuit Apologetici scriptor : adjudicet, quam belle cum rationibus iis, quas ex Augustino confecit iste, doctrina illa consentiat. Primam causam fuisse refert [2] ex Augustino, cur carnalibus Judæis legem peræque carnalibus armatam promissis, ac minis obtulerit Deus. Nempe [3] « ut ostenderet ad se pertinere ista omnia, et in sua esse potestate non solum æterna, quæ in futurum promisit ; verum etiam temporalia, quæ in terra dat, quibus voluerit. » Ac ne, quod antea dixit, « ab idolis, et dæmonibus ista peterent, utiliter a Domino Deo illa pollicita sunt carnalibus hæc amantibus, et nondum capientibus promissa cœlestia. » Recte hoc quidem Augustinus. Sed nihil ad Anomorum, et Apologetici negotium. Imo ex illa ipsa sanctissimi doctoris auctoritate, falsi arguitur illorum novitas. Quid enim ? Nonne ex illo concluditur, vitiosum non esse, nec damnandum animi hunc affectum, quo terrenorum bonorum, præsertim a Deo promissorum, spe, et amore mandatis illius obtemperatur ? Nam si Deus legem edidit, qua lege habitum hunc animi, et affectum elicere, et *ex expresso fomentis ac præmiis*, ut isti loquuntur, eblandiri, atque alere studuit : profecto nec impurus, nec *vitiosus*, sed licitus est, et cum honestate, meritoque conjunctus. Vide quæ supra de hac re dixi, capite præsertim primo : ubi, ex Anomorum opinione, gravius in lege veteri, ac Testa-

[1] Cap. 1. et seq. — [2] Apol. lib. 2. c. 9. p. 103. [3] August. Conc. 1. in Ps. 34.

mento scelus imperatum esse docui, cum hoc effecit, ut a Deo terrena illa commoda peterentur, quam si a diabolo sperata eadem, postulataque fuissent.

Verum, etsi id, quod temere secta ista persuasit sibi, etiam Augustino visum esse concederem, amorem illum, et spem terrenorum, et carnalium a Deo consequendorum bonorum, quibus ad obsequendum allecti sunt Judæi, in malis vitiosis esse numerandum ; nihilo ex eo fieret Anomorum causa melior. Non enim inde consequens esset, quod Apologia probandum sumpserat, talem *Synagogæ, qua synagoga est,* affectum proprium fuisse ; vel *Testamenti, qua testamentum est*, hoc est, ut a Deo institutum est, qui mali ac vitiosi nihil nec præcipere potest, nec in præcipiendo spectare. *Mundi enim sunt oculi tui*, ait ad Deum Propheta [1], *ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

III. Altera est ratio [2], propter quam dici ab Augustino contendit Apologia, vetus institutum esse Testamentum : ut in eo « magnam quam dam quasi comœdiam » præberet, « quæ non tam propter seipsam, quam propter id, cui præfigurando serviebat, hoc est propter Testamentum novum, ejusque principem, et hæredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idonea ageretur. » Hoc si vere dictum est, comœdiæ illius ut actores Judæos, sic auctorem, institutorem, et κωμῳδιδάσκαλον ipsummet fuisse Deum oportet. Nam quid agerent, Judæi ipsi nesciebant, hoc est quem in finem fabula ista decurreret; ac cujusmodi futurarum rerum significationibus lex illa serviret. « Quandoquidem enim, ait Armacanus, carnalibus implicata studiis et amoribus gens illa, terrenæque felicitati venandæ dedita, cœlestium, atque spiritualium incapax esset cogitationum, quid congruentius, quam utilla, quæ inutilis esset saluti suæ, saltem alienæ figurandæ, procurandæque serviret? » Cum ergo brutarum more pecudum quid agerent, et quorsum illa, quam agebant, comœdia pertineret, Judæi funditus ignorarent, tota ejus administratio, et οἰκονομία, et ad futurorum significationem accommodatio, auctori, uti dixi, et magistro tribuenda est Deo, qui agendæ illi, docendæque præerat, et concordiam istam figurarum, atque signorum, cum veris et expressis, ac futuris olim rebus intelligebat, ac regebat. Atqui comœdia ipsa, actioque fabulæ ab histrione gesta populo, turpis, et flagitiosa per sese fuit, ut Anomorum princeps existimat: qui totam illam ludicram fabulæ gestionem hac una re definit, quam lex Mosaica, et Testamentum vetus *ex professo* ingenerare, ac fovere studebat; uti Deo terrenorum, et carnalium auctoramento bonorum obstricti illectique servirent. Quod obsequii, ac servitutis genus, cum inhonestum, et irreligiosum, ac vitiosum esse idem ille pronuntiet, eo demum rem deducit, ut pudendæ actionis auctorem, suasorem, et artificem faciat Deum. Ut si quis scortationem in scena palam exhibeat,

(1) Nuptias nefandas in artem introducens;

quo nomine Euripides ab græco Comico notatus est; tametsi rei hoc honestæ adumbrandæ causa facere se dicat: velut, ad sacrosanctum Christi fœdus cum Ecclesia significandum : profanus nihilominus, ac detestandus habeatur. An non eadem in causa sunt Anomi magni ac minuti; qui conditorem Testamenti veteris affirmant novo fœderi flagitiosa, et obscœna fabula prælusisse, et ad futurorum significandam sanctitatem figuræ loco nefariam, et sacrilegam cupiditatem adhibuisse?

IV. Nihil igitur istos Augustinus adjuvat. Non adjuvat autem? Imo peræque nullus adversatur, vel illis adeo in locis ipsis, quæ pro se afferunt. In quo illorum hallucinatio se prodit. Ad caput nonum libri secundi [3], Apologeticus Augustini concionem primam citat ad Psalmum 34. cujus verba supra reddidimus. In his illud exstat, « Utiliter a Domino Deo temporalia ista pollicita esse carnalibus hæc amantibus. » Si « ab ipso Domino Deo promissa esse terrena et carnalia bona, terrenis et carnalibus hominibus, » tantummodo dixisset, satis hoc esset ad purgandum Dei mandatum, et promissum, ne turpem, *et vitiosam cupiditatem ex professo fovere* putaretur. [4] *Non enim Deus volens iniquitatem tu es:* quanto minus præcipiens, ac dedita opera eliciens et instigans? Sed eo non contentus Augustinus ; tanquam Anomorum istorum sententiam tanto ante prævidens, *utiliter promissa illa* esse scripsit. Atqui nihil *utiliter a Deo* promittitur, quod malum est, et ipsimet promittenti Deo odiosum, et execrandum; cujusmodi est, quod lex illa directe, ac per sese jubebat fieri, et ad quod præmiis ac terroribus inci-

(1) ARISTOPH. in Ran. Γάμους ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην.

[1] Habac. c. 13. — [2] Apol. lib. 2. c. 9. p. 183. ex Armac. p. 116. — [3] P. 183. — [4] Ps. 5. 5.

tabat : si vera est Anomorum opinio. Eadem est ceterorum Augustini locorum ratio ; quæ isti contra se imprudentes, et aliud agentes proferunt.

V. Age enim procedat in speciem ejusdem Augustini locus alter, ex libro tertio ad Bonifacium, capite 4. ubi ita scribit : « Et vetus igitur Testamentum Deus condidit, quia Deo placuit usque ad plenitudinem temporis promissis terrenis, tanquam in præmio constitutis, promissa velare cœlestia, et populo terrenis bonis inhianti, et propterea durum cor habenti, quamvis spiritualem, tamen in tabulis lapideis, legem dare. » Ecce tibi Testamentum vetus a Deo conditum, fatetur Augustinus : in eoque terrena præmia constituta, quibus cœlestia velarentur. Volo mihi respondeat quantum est in illo grege conjuratorum capitum, utrumnam parere legi, intuentem in illa terrena præmia, quibus cœlestia repræsentabantur, crimen ac scelus fuerit. Si nullum fuisse dixerint, eo id animo, et eum ob finem facere, quem lex recta, et ex professo præcipiebat, cum et Testamentum vetus, qua testamentum vetus erat, status fuerit legis menti, ac proposito consentaneus, et Synagoga, sive Ecclesia judaica, quatenus synagoga, illo ipso statu, ac Testamento vetere censeatur : neutrum hæret in vitio : nec invidia damnandæ, ac nefariæ cupiditatis onerandum est ; ne ad utriusque conditorem, et exactorem injuria ista pertineat. Nam si impurum, et sceleratum istud obsequium eatenus fuisse putant, qua in solis terrenis commodis sistebat Judæorum animus, sine ullo sensu cœlestium, ac per obductas umbras, et figuras translucentium bonorum ; nihil hoc ut Testamentum vetus, et Synagogam ; si utrumque sit Testamentum, aut ut synagoga consideretur. Hæc enim sic enuntiata et concepta, id præcise significant, quod ex institutione sua, et auctoris, ac legislatoris voluntate illis convenit, non quod hominum pravitas, et corruptela bonæ legi mala mente servientium, ex accidenti illis importare potuit. Quemadmodum lex ipsa Christiana, novumque Testamentum non idcirco vituperanda sunt ; nec Ecclesia, « considerata ut Ecclesia, non esse aliud » dicenda est, « quam terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio solis terrenis, et carnalibus incubantium ; » aut hujusmodi alia, quæ in Ecclesiam veterem Armacani stili licentia congessit : quamvis multo plures hodie sint, qui sub Christiano nomine turpiter vivunt, et quovis ex perdita illa antiquitate Judæo digniores sunt, in quos probra ista, plenaque dedecoris elogia conferantur.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. De Anomorum errore, qui hominibus sub lege, non *sufficientem*, sed *impedientem* gratiam affuisse dicit. Hanc merito ab Illustris. D. Haberto Vabrensi episcopo fuisse reprehensam. — 2. Qui adversus illorum calumnias defenditur. — 3. Duobus modis impedire aliquid potest, per se, aut ex accidenti. — 4. Utro modo in Testamento veteri impedientem dicas affuisse gratiam, nihil Anomorum opinioni commodare. Quo sensu lex peccatum dici intelligitur : deque eo sacrilegus Anomorum error. — 5. Eodem atque illi modo legem veterem accusant, Christianam quoque damnari posse : nec non quæ in ea sunt sanctissima.

I. Si ad illa, quæ antecedenti capite dicta sunt, intelligenda, sanam et integram mentem adverterent Anomi : jam inter nos negotium esset omne confectum. Sed non ita faciunt : et rixarum, ac jurgiorum cupidi magis, quam veræ, solidæque doctrinæ, omnia commiscent ; nec peræque quidquam laborant, ac ne id quod revera sunt, plus æquo periculosæ cupidi novitatis habeantur. Volo hic illorum indolis exemplum, ac specimen exstare. Absurdum illud Armacani dictum merito reprehenderat illustrissimus Vabrensis episcopus D. Habertus, quod ille titulo cujusdam capitis inscripserat [1] : « Non adfuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem, vel ullum præceptum ejus. » Tum hoc alterum [2] : « Status veteris Testamenti figurativus, et propheticus non afferebat Judæis

[1] 1. To. 3. lib. 3. cap. 7. p. 117.

[2] Ib. c. 8. pag. 119.

gratiam sufficientem, sed potius impedientem. » Quod utrumque catholicis auribus inusitatum hucusque disputando refellimus. Ac D. Habertus illam vocum indecoram, ut in re gravi atque sancta, conflictionem nominatim redarguit, quod *impedientem* ullam *gratiam* divinitus illi populo tributam ausus est asserere.

II. Contra hunc Apologeticus repugnans [1], morosæ et enectæ subtilitatis argutia fucum imperitis facere conatur. Negat [2] de eo gratiæ genere locutum Armacanum, quod D. Habertus intelligi voluit : sed de altera, Legisque propria, non Christi, gratia, quæ peculiaris est Testamenti novi : nec ad vetus ullo modo pertinet. Quam enim hoc afferebat [3], non eam proprie censeri gratiam, sed quiddam fuisse impediens potius, ac retardans ab observatione legis, quam in eam aliquid conferens, aut ad juvandum sufficiens. Ut ista sit litigiosi illius tituli sententia, ex Anomorum principis mente : « Non afferebat Judæis gratiam sufficientem vetus Testamentum ; sed id quod illis afferebat, erat potius impediens, quam sufficiens. » Nam quæ vere dicta est gratia, Christi redemptoris, et novi Testamenti propria, ea perpetuo est adjuvans, nec unquam impediens haberi potest. Ita scriptor Apologetici. De cujus supervacanea μικρολογία dicam ex parte paulo post. Nunc illud præstare hominem istum, quicumque tandem est, jubebo, quod ait, vetus Testamentum ullam prorsus adjuvantem, adeoque manantem ex meritis Christi, tribuisse gratiam. Hoc enim ab Armacani placitis abhorret. Siquidem, Testamentum aliquod afferre, ac suppeditare gratiam cum dicimus, si recte ac sobrie loquimur, hoc ipsum volumus, legi ac mandato Testamenti illius, attributum et annexum esse divinitus auxilium aliquod gratiæ, quo ad legem observandam, hominum, qui lege ista tenentur, imbecillitas adjuvatur. Quod ex fine potissimum æstimandum est, quem in edenda lege, lator ipsius propositum habuit. Atqui Mosaica lex ideo data est, ut homines superbi se ad exequenda mandata idoneos non esse cognoscerent, « ac multitudine prævaricationum confusi, ac territi, ipsaque confusione, ac timore humiliati, discerent ad gratiam, quam non habebant, implorandam fugere : ut gratia adjuti possent implere, quod antea accepta duntaxat lege non poterant, » ait Armacanus [4]. Porro illi ipsi motus animorum, hæc agnitio primum infirmitatis, egestatisque suæ, confusio, ac terror ex delicti conscientia, tum vero *humiliatio*, et ad Deum recursus, imploratioque gratiæ, sine antecedente Christi salvatoris gratia exprimi nequeunt. Necesse est igitur una cum lege, ac Testamento vetere destinatum a Deo fuisse opitulantis gratiæ subsidium, ex Christi meritis ; sine quo primarius ac velut nativus, ex Dei ordinatione, finis legis obtineri non posset. Ita prorsus acuti isti theologi in id, quod minime volunt, inviti recidunt, ut annexam fuisse Christi gratiam legi Mosaicæ fateantur. De quo legenda sunt quæ supra, capite quinto et sexto, tum alio in opere [5], pleniori sermone disputavimus.

III. Hinc apparet, jure ab illustrissimo et doctissimo præsule notatum fuisse Anomorum principem, quod ausus sit dicere, « sufficientem nullam gratiam servandi legem (sic enim latine istos loqui delectat) hominibus sub lege viventibus affuisse. » Item « statum Testamenti veteris non attulisse Judæis sufficientem gratiam, sed potius impedientem. » Nam cum una cum lege, ad hanc ipsam servandam, Christi gratiam præsto fuisse Judæis ex Anomorum decretis, ac Scripturæ, Patrumque sententia certissime constet : profecto qui *impedientem* illam vocant gratiam, quæ legi ac Testamento veteri est adjuncta, non aliam quam Christi gratiam, appellationis istius probro, invidiæque subjiciunt. Frustra est autem, neque quid dicat intelligit Apologeticus, dum qualemcumque gratiam veteris Testamenti *impedientem* nominat. Quod etsi probabili aliquo sensu dici potest, ut paulo post patebit ; tamen, qua mente hoc usurpat Anomorum schola, proque ceteris illorum decretis ac principiis, nonnisi falso ac perverse dicitur. Etenim duobus modis impedire, ac revocare ab officio, et salute potest quidquid extrinsecus oblatum est, et injectum : primum ex sese, ac destinato consilio ejus, a quo istud immittitur : ut sunt illecebræ malarum cogitationum, et instinctus, qui humanis in cordibus opera dæmonum excitantur : quas *tentationes* vocant. Deinde ex accidenti, et eorum vitio atque culpa, quibus male affectis importune illud objicitur, quod est alioqui suapte natura minime perniciosum.

IV. Volo mihi nunc respondeant, qui « statum veteris Testamenti impedientem Judæis attulisse gratiam » existimant : aut « eumdem

[1] Lib. 2. c. 3. — [2] Ib. p. 135. — [3] Apol. pag. 137. — [4] To. 3. lib. 3. c. 4.

[5] To. 1. lib. 10. c. 19. § 6. et seq. et cap. 21. et seq.

statum, ut talem, non fuisse justitiæ, aut salutis; sed potius peccati et mortis : » Utrumnam priori modo, hoc est per sese, et ex instituto suo, hoc habuerit, ut a justitia, et salute Judæos impediret; atque ad peccatum, ac mortem illos traheret : an posteriori, hoc est eorum vitio duntaxat, quos lege ac statu illo Testamenti veteris obligavit Deus. Non eos arbitror sic oblitos sui, et a ratione, sensuque Christiano derelictos, ut ex duobus primum eligant. Est enim aperte istud impium, et Manichæorum, aut his etiam deteriorum schola dignum, legem ac Testamentum hujusmodi datum a Deo Judæis dicere, quod per se, et *ut tale est*, eorum saluti impedimentum afferret, atque in peccatum mortemque præcipitaret. Tum huic perfidæ, ac sacrilegæ opinioni resistit Apostolus in epistola ad Romanos, præsertim in septimo capite: ubi cum *legem mortis* eam appellasset, quam Moses tulerat, quo id sensu dixerit, subinde quæstione ita posita declarat [1] : *Quid ergo dicemus, lex peccatum est?* Et respondens ipse sibi, *Absit*, inquit, quæ vox deprecandi, ac detestandi gratia in absurdis, ac nefariis adhibetur. Scire velim quemadmodum hoc ipsum lex, quod eam esse negat Apostolus, *peccatum esse* potuerit. Quis autem in eo cunctetur, ac non statim respondeat, *peccatum* tunc futuram intelligi legem, si peccatum facere præcipiat, hoc est rem aliquam inhonestam, ac damnabilem imperet? Ita Theodoretus dictum illud accepit; cum ait, Apostolum « (1) primo blasphemam hanc percontationem esse docuisse, cum negativa usus est voce, Absit. » Deinde in sequentibus ostendisse, « non solum legem peccati magistram non esse : sed e contrario accusatricem esse peccati. Quippe quid sit malum non cognovissem, nisi illa docuisset. » Quod igitur per se, ac directe lex operatur, id bonum, ac sanctum esse testatur Apostolus; et idcirco [2] *legem sanctam* nominat, et *mandatum sanctum, justum, et bonum* : quatenus scilicet peccatum detegit, et ab eo committendo quoad potest absterret. Quod autem occasionem illa eadem delinquendi præbuerit, id ex accidenti, præterque legis, et latoris ejus mentem accidisse confirmat. Quod si lex ad id hortaretur, et impelleret, quod malum, ac vitiosum est; tunc revera lex *peccatum esset*, id est auctor peccati. Atque hoc Photius quoque in commentario secutus est, qui *peccatum esse legem* interpretatur « (2) ad peccatum compellere. » Quamobrem tanquam blasphemum hoc execrandumque condemnat Apostolus; si quis legem asserat, imperare, præcipere, ac mandare aliquid, quod peccatum sit. Atqui hoc ipsum quod abominando aversatur Apostolus, expressis, et conceptis verbis Armacani docuerunt. Quod late superiora capita declararunt [3].

V. Quod si horrenda illa, et perspicue blasphema voce, ac sententia commotus Apologetici scriptor, ejurare modo hanc præoptet : ut, quod Apostolus ipse, communisque sensus, ac sua cuique ratio præscribit, ex accidenti duntaxat, et occasione præter mentem oblata, effectricem peccati fuisse legem sentiat; nihil agat omnino. Etenim non magis veteri, ac Mosaicæ, quam Christianæ legi; quam ei omni, quod hæc habet præ illa sanctissimum; quam ipsimet denique fonti auctorique sanctitatis, et gratiæ Christo Domino; tribui istud potest, ut peccati, et exitii causa dicatur. « Si enim Apostoli [4] quibusdam quidem odor mortis ad mortem sunt, quibusdam autem odor vitæ ad vitam, (ait Eusebius Cæsariensis [5]) si illi, qui per Christum sal sunt; et qui per Christum luminaria efficiuntur, ad mortem, et ad vitam his qui credunt, et qui non credunt habentur, quanto magis is qui donavit hæc hominibus Christus? » Itaque perinde novi Testamenti gratia *impediens* appellari debet, ac quidquid illud est, quod ad dedecorandam Mosaicam legem, in eam confert Anomorum imperita natio, totum in Christianam redundabit. Siquidem « et sancta possent obesse, ait Augustinus [6], in bonis enim sancta ad salutem insunt, in malis ad judicium. » Quod ipsorum exemplo sacramentorum probare pergit, Eucharistiæ, atque baptismi. Hæc enim perinde ut sunt affecti, quibus ista conferuntur, ita commoda, aut noxia, impedientia, aut adjuvantia dicuntur. Christus ipse, quo nihil melius, nihil sanctius, nihil ex sese commodius est hominum generi, tamen majori horum

(1) Theod. in cap. 7. ad Rom. tom. 3. pag. 53. Καὶ πρῶτον μὲν βλάσφημον ἔδειξε τὴν ἐρώτησιν, καὶ τὸν ἀπαγορευτικὸν τέθεικε λόγον, (μὴ γένοιτο) εἶτα διδάσκει τοῦ νόμου τὸ χρήσιμον· (ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ τοῦ νόμου) οὐ μόνον, φησὶν, ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἁμαρτίας διδάσκαλος, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, ἁμαρτίας κατήγορος. Οὐ γὰρ ἂν ἔγνων τί τὸ κακὸν, εἰ μὴ ἐκεῖνος ἐδίδαξε.

(2) Phot. apud Œcum. Καὶ γεγονεν εἰς ἁμαρτίαν ὠθῶν.

[1] Rom. 7. 7. — [2] Ib. ver. 12. — [3] Cap. 1. 2. et seq. maxime 8. et hoc ipso.

[4] Euseb. lib. 2. Opusc. p. 35. — [5] 2. Cor. 2. 16. — [6] Tract. 6. in Joan. p. 23. C. 2.

parti damnum affert ac perniciem : usque adeo ut *in ruinam positus multorum,* ab Evangelista dicatur [1]; et a Propheta [2], *in lapidem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel ; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem.* Ecquod veteri de lege tam disertum expressumque testimonium proferre possunt Anomi, ex quo impeditam ab illa potius, quam expeditam salutem approbent; quam sunt ista de Christo iisdem e Scripturarum oraculis deprompta? Cur non igitur, itidem ut de veteri Testamento, sic de novo, ac de ejus latore Christo Domino, sentiunt, ac prædicant; utrumque hoc ad impediendam magis, quam explicandam, et in tuto collocandam salutem, Christianis esse concessum? Atque ejusdemmodi cetera, quæ ad Mosaicæ legis invidiam trahunt, iisdem freti testimoniis et argumentis, quæ non minus ad infamandam Christianam valere debent, si quid ex illis recte colligunt. Tantane est istorum hominum ἀπροσεξία, ut quid sit ex oratione, ratiocinatione neque sua consequens, non videant?

VI. Jam si Christus, qui est ipsa sanctitas, et justitia, illo, quem diximus, sensu, hoc est ex accidenti, et occasione præter mentem et consilium ipsius ab iis arrepta, qui vitio suo male bono sunt usi, plerisque mortalium exitiosus est, [3] *et odor mortis in mortem :* multo magis illa ipsa, quæ dicitur gratia Christi, qua et homines a peccatis eximuntur, et ad justitiam perducuntur, iisdem fiet, eorum culpa, letalis ac pestifera. Addit enim contempta mox, et abjecta ad infelicitatis illorum cumulum, et incrementum affert damnationis, calamitosioremque reddit eorum statum. *Terra quippe,* ut ait Apostolus [4], *sæpe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo : proferens autem spinam et tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio est in combustionem.* Ad hoc igitur valuit, illorum culpa, abundantia illa gratiæ Christi, ut graviore quam dudum maledicto, pœnaque plecterentur.

De iisdem fidei gratiæque Christi desertoribus, ac cœlesti dono abutentibus, similis est querela Petri apostoli [5] : *Si enim refugientes,* inquit, *coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

An non eo, quem attigi supra, modo ac sensu Christi gratia detrimento illis fuit, quorum deterior illo ipso conditio facta est, quod ejus aliquando compotes fuerunt, ac quibus satius fuisse dicit Apostolus, si illa perpetuo caruissent? « Sic nimirum, ut ait Bernardus [6], de magnis bonis mala oriri non minima solent; cum facti eximii de bonis Domini utimur donis, tanquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profecto qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. » Jam ergo ex Anomorum, et Apologetici decretis, *impediens* potius, quam *adjuvans* Christi gratia censebitur; perinde ac Mosaica lex. Nam utraque sancta, et justa, et bona per sese, non aliam ob causam fraudi illis, et noxæ fuit, qui illam acceperunt, quam quod pessime affecti, et comparati, in pestem exitiumque suum salutaria dona verterunt.

[1] Luc. 2. 34. — [2] Isa. 8. 14. — [3] 2. Cor. 2. 16.

[4] Hebr. 6. 7. — [5] 2. Pet. 2. 20. — [6] Serm. 84. in Cant.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

1. Excutitur altera calumnia Anomorum apologistæ, qui ex Pelagiana hæresi invidiam facit veteris Testamenti defensoribus. — 2. Anomos abhorrere ab Augustini sententia. — 3. Qua ratione Pelagiani veteris Testamenti sanctos laudare instituerint. — 4. Longe ab his diversum fuisse propositum illustr. D. Vabrensis episcopi. — 5. Sub lege esse, et sub lege vivere, diversa sunt. — 6. Quid sit sub lege esse. — 8. Non id semper in malam partem accipi; ut apologista credidit. — 10. Idipsum de nova etiam usurpari lege, quod de antiqua dicitur. — 11. Hinc Anomorum fallacia, et fucus discutitur.

I. Cum erroris Pelagiani tam aperte convictus sit cum Armacanis suis Apologetici scriptor, tamenne Pelagianismi accusare alios audebit, et hoc crimen alienissimis ab illa pestilentia, et immerentibus impingere? Non impune hanc quidem ille tantam calumniam feret. Ac vide, obsecro, lector, quæ ratio sit hominis istius. Mea hæc justissima querela de Arnaldo fuerat, quam decimo capite libri hujus exposui; quod « Judaicum populum in accurata legis observatione, nihil apud Deum meruisse » dixerat. Quod ego in sexto libro de Pœnitentia publica[1], illorum potissimum exemplis refellere institueram, qui sub veteri lege summa virtutis, ac sanctitatis laude floruerunt : uti Moses, Aaron, Phinees, Samuel, David, Ezechias, Josias, Elias, Eliseus, prophetæque ceteri; ut innumerabiles alios omittam; quos omnes nihil accurata legis observatione meriti consecutos esse nemo, nisi perinde impius atque insanus, dixerit. Eodem contra D. Iprensem argumento usus est reverendissimus D. Vabrensis episcopus. At scriptor Apologetici [2] falsa et ludicra exceptione petitionis illius vim et impetum conatus eludere, objicit, itidem nos argumentari, ut olim Pelagiani adversus Catholicos consueverant. Qui lege commendanda, et sanctis appellandis viris, quos egregie ac laudabiliter acta sub illa ætas memorabiles fecerat, hoc efficere ac persuadere studebant : non minus Mosaicam legem, ac vetus Testamentum, quam Christianum, et novum, ad promerendam salutem contulisse. Errare deinde nos ejus inscitia [3], quod ab Augustino sæpius traditum est, « Non idem esse, legis tempore vixisse, quod est, sub lege fuisse; ac sanctos illos patriarchas, et prophetas, etsi decurrentibus adhuc legis, veterisque Testamenti temporibus exstiterint, non tamen sub lege, id est legi obnoxios fuisse; sed ad novum pertinuisse Testamentum. »

II. Sed multum in illa struenda calumnia apologista caligavit. Nam et Armacani hæresis, cui ille patrocinatur, incredibiliter distat ab Augustini sententia; et longe aliter exemplis sanctorum veterum usi sunt Pelagiani adversus Catholicos, ac nos contra nuperos istos, tam horum, quam aliorum fautores erroris, et instauratores adhibemus. In primis Armacanus, cui et Apologeticus cum tota sua schola subscribit, Judaicum populum, quem ab communione gratiæ, ac salutis excludit, non magis culpa sua, quam legis ipsius, ac legislatoris vitio, in tantam pravitatem, et calamitatem impositum fuisse defendit. Quippe quem lex ipsa, minis ac pœnis propositis, tum etiam præmiis, ad peccandum incitabat ex professo, dum vitiosum ab illo impiæ, ac facinorosæ servitutis affectum exprimeret, ac fomentis pravæ cupiditatis eliceret. Quod diserte ab magistro sectæ proditum, et defensum fuisse superioribus fere omnibus capitibus ostendimus. Augustinus vero, imo quidquid catholici hominis uspiam exstitit, procul abfuit ab illa impuritate dogmatis. Nos alio in loco [4] multa ex Augustino, aliisque Patribus, et, quod amplius est, ex divinis Scripturis, testimonia congessimus, quorum pondere obtritus, et elisus iste novitius error est. Ea repetere hic, odiosum et supervacaneum arbitror. Certe vel unus ille locus Augustini, quem in capite octavo secundus Apologetici liber plus semel inculcavit, ad illorum refrenandam, castigandamque licentiam sufficere potuit; in quo ita scribit [5] : « Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse? » Quæ Augustini verba, cum illis Isaiæ congruunt, quæ in græca editione leguntur [6], *legem in auxilium datam esse*, vel cum illis Apostoli [7], quibus *legem propter transgressiones positam esse* dicit : hoc est *transgressiones*

[1] Lib. 6. c. 12. de Pœnit. publ. — [2] Lib. 2. c. 7. pag. 173. — [3] Ibid. et cap. 8. — [4] Vide cap. 24. lib. 10. de Deo. — [5] Aug. 3. ad Bonif. c. 4. — [6] Isa. 8. 20. — [7] Gal. 3. 19.

prohibituram, ex Hieronymi interpretatione. Ecquod vero adjutorium ab illa lege manavit in Judaicum populum: aut quomodo in auxilium a Deo concessa credi potest, si *ex professo* data fuit in eum finem, ut vitiosam aleret, foveretque cupiditatem, hoc est peccare juberet, imo cogeret; dum, terrenis propositis hinc præmiis, inde pœnis, illorum amore pariter, atque horum metu, et utroque, ut Armacani censent, vitioso, ac nefario, Judæos ad obsequium compelleret? Hæc sunt a nobis supra disputata copiosius ; necnon in decimo libro tomi primi Dogmatum theologicorum, qui est de Deo, postremis capitibus septem.

III. Quod autem Pelagianos, similiter ac nos facimus, exempla sanctorum ex Testamento vetere sumpsisse, eaque Catholicis intentasse, Apologeticus objicit, perquam inepte hoc facit, ac ridicule. Nam aliud hæreticorum illorum propositum fuit, ac longe dissimilis argumentandi ratio. Augustinum audiamus, eorum mentem, et insidiosum consilium verbis istis explicantem[1]: « Isti, *inquit*, inimici gratiæ Dei, quæ data est pusillis et magnis per Jesum Christum Dominum nostrum, ideo dicunt antiquos homines Dei perfectæ fuisse justitiæ, ne Christi incarnatione, passione, resurrectione, cujus fide salvi facti sunt, eguisse videantur. » Ergo ideo sanctorum veterum exempla jactabant, quos absque gratiæ Christi præsidio ad tantam justitiæ perfectionem evolasse credebant, ut illam ipsam Christi gratiam minime esse necessariam ostenderent.

Ac rursus capite vicesimo primo ejusdem libri, contra illa Pelagianorum verba disputans, *Dicimus sanctos veteris Testamenti perfecta hinc justitia ad æternam transisse vitam, etc.* ita respondet Augustinus : « Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. » Tum paucis interjectis, « Hoc vos non vultis, *inquit*, inimici gratiæ Christi; ut eadem gratia Jesu Christi salvi facti credantur antiqui : sed distribuitis tempora secundum Pelagium; in cujus libris hoc legitur : et ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum; quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, et in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius, evacuantes, quod dictum est; unus enim Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus. »

[1] Lib. 1. ad Bon. cap. 7. — [2] Cap. 36.

Fuit et alia causa Pelagio commemorandorum sanctorum, qui sub lege vixerunt ; ut alterum suum decretum illorum auctoritate probaret : posse homines in hac vita sine ullo esse peccato. De quo vide Augustinum in libro de Natura et gratia[2].

IV. Satin' ex iis de apologistæ, ac similium iniqua obtrectatione constat ? Ecquis enim nostrum (illustrissimum D. Vabrensem episcopum, meque ipsum intelligo) ad eum finem exempla ista sanctorum retulit, cujus gratia Pelagianos iis abutentes reprehendit Augustinus? Quisquamne nostrum sanctos illos patriarchas, et prophetas vel *ante legem salvos esse factos per naturam*, vel *per legem* postea, sine Christi gratia dixit unquam, ac vel littera significavit? aut ἀναμαρτήτους illos fuisse docuit, hoc est peccati funditus expertes? Quid habet ratio nostra commune cum Pelagiana causa ? Aut quid hominibus istis facias, qui talibus conviciis quoscumque libitum est aspergere solent, ac pro Pelagianis, et Semipelagianis temere traducunt ? Quarum appellationum vim, ac proprietatem adeo nesciunt, ut, quod superiori capite demonstratum est, in illorum hæresi toto ipsi corpore volutentur.

Equidem, ut de me potissimum agam, duo sum, quæ volui, ex illa commemoratione veterum sanctorum assecutus, quæ Armacanorum, atque unius horum apologistæ, capita totidem erroris evertunt. Horum prius est, quod ex illis cognoscimus, non defuisse Testamenti veteris, ac legis Mosaicæ temporibus auxilia gratiæ; non alterius utique, quam Christi partæ meritis, et concessæ : neque « statum ipsum veteris Testamenti figurativum, et propheticum, impedientem potius attulisse Judæis, quam sufficientem gratiam. » Alterum est, eumdem illum legis, et Testamenti veteris statum, quatenus ejusmodi fuit, hoc est ex instituto suo, et legislatoris consilio, ac destinatione, non exclusisse meritum operum bonorum; nec infructuosum Judæis fuisse, ex vi status illius, legis observandæ studium. Quod utrumque tota antecedente disputatione patefactum, et invictis rationibus conclusum, atque ab inconsultæ novitatis calumniis extricatum esse confidimus. De posteriori vero præsertim, legenda sunt, quæ in decimo capite diximus.

V. Atenim [3] aliud est legis vixisse tempore ; aliud, sub lege vixisse : sancti autem illi, quos

[3] Apol. lib. 2. c. 6. p. 171. 172. et cap. 7. p. 173. 177. et toto cap. 8.

in exemplum adduximus, etsi legis, et Testamenti veteris tempore floruerunt, sub lege tamen non erant, nec ad eam, sed ad novum Testamentum pertinebant. Ita enim Apologetici scriptor : qui reverendiss. D. Vabrensi, ac mihi pariter insultat, tanquam discriminis illius ignoratione uterque nostrum ad ridicula quædam, et absurda delapsus fuerit. Etenim quicumque in Judaico illo populo legis observantes, ac justi, sanctique olim extiterunt, utique non ad vetus, sed ad novum Testamentum pertinebant. Non enim sub lege erant, neque servili statu, sed Christi et gratiæ libertate censebantur : ut passim docet Augustinus, præsertim in libro contra Adimantum capite 17. et in epistola 19. aliisque locis, quos alibi commemoravimus [1]. Quocirca perperam ratiocinari nos ait, dum quid veteri Testamento conveniat, illorum exemplis demonstrare instituimus, qui ab hoc alieni Testamento in novum Testamentum, ac statum gratiæ translati fuerant.

VI. Verum hæc arguta cavillatio nihil præter inanem pompam, ac speciem habet, atque in vocis ambiguitate latebram captat. Siquidem hoc ipsum quod dicimus, *ad vetus Testamentum pertinere*, vel, quod idem est, *sub lege esse*, duobus modis intelligitur. Primum absolute, ac simpliciter, ut sit legi esse subjectum, vel, ut Apostolus loquitur [2], *debitorem esse legis faciendæ*. Et hoc est ad mandata servanda obligatione quadam teneri, quæ ex pacto ac fœdere, vel ab unoquoque viritim suscepto, vel a majoribus inito, ac transmisso nascitur. Hanc enim vim *Testamenti* vox habet : quod et *fœdus* appellatur. Id autem devinctione mutua paciscentium inter se constat, et officiorum lege, ac conditione, quorum præstandorum fides utrinque pactione sancitur. Ea cujusmodi in Judaico fœdere, ac vetere Testamento fuerint, antiquæ Scripturæ libri omnes passim ac diserte loquuntur, Mosaici præsertim, et prophetici. Ex quibus apparet in certas, easque mutuas functiones, ac præstationes, Deum inter, et Israelitas velut stipulationem quamdam esse factam, ut et populus universus editis a Deo per Mosem legibus, ac præceptis obtemperaret ; ac sese, posterosque suos omnes, excepto nemine, servandis illis in perpetuum obstringeret, hoc est illorum obsequio, quadam se servitute subjiceret : et vicissim Deus præsentis vitæ commoda, sospitatem, opulentiam, pacem, ac tranquillitatem, tum vero peculiarem in illos benignitatem, curam, providentiam, amoremque polliceretur.

Sic Levitici capite 25. 3. *Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, etc. Dabo pacem in finibus vestris : dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequimini inimicos vestros, et corruant coram vobis, etc. Respiciam vos, et crescere vos faciam : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum.* Et Isaias [3], *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.*

VII. Hoc est ergo sub lege esse ; id est legi subjici, et ad eam servandam obligari. Non enim *sub lege esse* perpetuo in deteriorem partem, ac de malis, et sceleratis Judæis accipitur, sed simpliciter de Israelitico omni populo, qui Mosaica lege censetur, et ejus præceptis, ac sacramentis alligatus est. Nam ut generatim omnibus tam bonis, quam malis Jacobi posteris impósita lex est, sic sub lege, hoc est adstricti, et obnoxii legi erant universi. Etenim [4] *prius quam veniret fides*, ait Apostolus, *sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Quibus *custodiendi, concludendique* verbis, quæ in græco *arcis, ac septi cujusdam custodia coercere* significant, demonstrari putat Chrysostomus, « (1) securitatem, quam legis mandata præstabant, quæ illos in tuto collocabant. (Id enim ἀσφάλεια designat.) Quippe lex metu, ac vitæ instituto, quod præscribebat, tamquam in munito castello, detinens illos, fidei reservabat. » Qui locus Chrysostomi contra novam doctrinam antidoti instar esse potest. Nam [5] « Testamentum vetus, in quo sola terrena promitterentur, non ea de causa

(1) CHRYSOST. pag. 742. Τὸ γὰρ ἐφρουρούμεθα, καὶ συγκεκλεισμένοι, οὐδὲν ἕτερον δηλοῦντός ἐστιν, ἢ τὴν ἐκ τῶν ἐντολῶν τοῦ νόμου γενομένην ἀσφάλειαν. Ὥσπερ γὰρ ἐν τειχίῳ τινὶ τῷ φόβῳ κατέχων αὐτοὺς, καὶ τῷ βίῳ τῷ κατ' αὐτὸν ὁ νόμος ἐτήρει τῇ πίστει.

[1] Tom. 1. Dogm. Theo. lib. 10. c. 21. par. 14. et seq. — [2] Gal. 5. 3. — [3] Isa. 1. 19. — [4] Gal. 3. 23. — [5] Tom. 3. lib. 3. c. 6. p. 114.

datum esse » secta ista defendit, « ut per hujusmodi Testamenti promissiones, et observationem, eorum salus in tuto locaretur. » Cui manifeste contradicit Chrysostomus. Idque pædagogi, quam Apostolus adjungit, similitudo declarat. Etenim pædagogus puero in eum finem præficitur, ut sub illo tutus iste sit; et in ejus cura, et præsidio infirma hujus ætas acquiescat. Vide quæ de hac cum pædagogo comparatione legis, adversus Armacanos istos alio in loco disputavimus [1].

VIII. Sed ut ad illud redeam, quod probare cœperam; apparet ex illis Apostoli verbis, quod dicitur, *sub lege esse*, non ita semper accipi, ut apologista credidit: sed simpliciter legis statum, ac vitæ genus designare illius mandatis alligatum, et adstrictum.

Simile est et illud ejusdem apostoli [2]: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, quum ipse non essem sub lege; ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem.* Perspicuum est, eos qui sub lege erant, hic illos vocari, qui legi parebant, ejusque præcepta et sacramenta servabant: ad quorum se morem, usumque finxit Apostolus, dum et Timotheum circumcidit, et Nazaræum se fecit ac caput totondit, et sacrificium obtulit: idque κατὰ συγκατάβασιν, et οἰκονομίαν egit, ut Græci loquuntur. Ita Chrysostomus, græcique interpretes reliqui; ut et latini, Sedulius, Primasius, aliique vulgo. Igitur *sub lege esse*, nihil aliud est, quam observare legem ac Mosaicos ritus, et instituta sectari. Hoc est Judæum esse. Huic enim opponit ex adverso gentiles, qui Judaica lege minime tenebantur, proxime sequentibus verbis; *His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem*: τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος. Ergo ut *sub lege esse*, idem est atque ἔννομον vel ὑπόνομον esse: sic *extra legem esse*, vel legis nexibus solutum, est esse ἄνομον, non utique *exlegem*, et *iniquum*, ac *sceleratum;* sed immunem a Mosaicæ, scriptæque legis cultu: quales erant gentiles, ad quorum captum, moremque, quoad fas fuit, sese accommodavit Apostolus. Sic Græci Latinique, quos nominavi, hunc locum enarrant.

Rursus in epistola ad Romanos eodem sensu dixit, *in lege esse*, quo *sub lege* illis in locis. *Scimus*, inquit [3], *quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur.* Nempe quia Judæis solis lex est data, ut adnotat Chrysostomus, idcirco ἐν νόμῳ sunt, id est legi subjecti. Ut enim Atticis legibus Solonis, Attici soli; Lycurgi legibus, Lacedæmonii: sic Mosaicis soli tenebantur Hebræi, tam justi, atque sancti, quam carnales, ac scelesti.

IX. Alias *sub lege esse* dicuntur, qui legi non obtemperant, sed eam violant. Quos Augustinum *damnabiliter* dicit *esse sub lege*, in epistola 19. [4] ubi duplicem illum modum, quo *sub lege fuisse* Judæos diximus, egregie confirmat. In primis enim *sub lege esse* quempiam adnotat, non solum qui circumcisionem, et Judaica sacrifici retinet; sed etiam qui quod lex jubet, *Non concupisces*, observare tenetur: quod etiam Christianos comprehendit, qui eatenus sub lege sunt, sed modo Christiana, et evangelica, quæ Decalogi pleraque mandata complectitur. Postea modum alium subjicit Augustinus, quo Apostolus « hos damnabiliter dicit esse sub lege, quos reos facit lex non implentes legem. » De quo plenius alibi disseruimus [5]: ejusque locutionis causam et originem patefecimus. Nimirum cum lex Mosaica ab Apostolo et Augustino consideratur, quatenus pœna violatoribus illius proposita est; ex quo *lex mortis* eidem Apostolo nominatur; *sub lege*, ac legi obnoxii dicuntur esse [6], qui contra legem committunt, ejusque vi, et severitate coerceri merentur. Hoc sensu, ut scribit Augustinus [7], « sub lege esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit. Punit autem prævaricatores omnes. »

X. Neque vero ad Mosaicam tantummodo legem istud attinet, ut peccatores, et criminosi posteriore hoc modo sub lege esse dicantur: sed etiam in nova, et Christiana locum habet. Quemadmodum in libro de Natura et gratia, capite 57. declarat Augustinus. Quippe « jam baptizatis etiam dictum est [8]: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis.* » Deinde subjungit: *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Igitur carnales etiam Christiani, quales erant inter Corinthios, de quibus loquitur Apostolus [9], *Adhuc enim carnales estis, quum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Carnales item Galatæ [10], *qui invicem mordebant, et consumebant:* ideoque *spiritu non ambulabant*, quia *desideria carnis perficiebant:* et quicumque alii Christianam legem

[1] Tom. 1. Dogm. lib. 10. c. 26. — [2] 1. Cor. 9. 20. — [3] Rom. 3. 19. — [4] Pag. 30. B. C. 2. — [5] Lib. 10. Tom. 1. c. 22. maxime § 10.

[6] Rom. 7. 6. — [7] Lib. 1. ad Simpl. qu. 1. pag. 160. — [8] Gal. 5. 17. — [9] 1. Cor. 3. 3. — [10] Gal. 5. 15.

professi, *spiritu non ambulabant*, sed opera carnis faciebant, sub lege esse dicebantur. Atque isti quidem duplici illa ratione *sub lege erant*, hoc est legi subjiciebantur; quia et legis observandæ debitores erant, quod commune cum bonis habebant; et propter violatum legis mandatum constitutis ab ea pœnis erant obnoxii, hoc est vim illius, ac severitatem sentire cogebantur. At boni et justi, priore tantummodo sub lege censebantur; quoniam ex præscripto legis eos oportebat vivere. Ceterum in quocumque statu, adeoque sub novo Testamento, qui male vivunt, et pravis cedunt concupiscentiis, sub lege esse testatur idem Augustinus in libro de Continentia, capite tertio, « Qui vero per legem, *inquit*, cognoverunt eas[1] : *Per legem enim cognitio peccati;* et [2], *Concupiscentiam*, inquit, *nesciebam*, *nisi lex diceret, Non concupisces;* et earum tamen oppugnatione vincuntur; qui sub lege vivunt, quia jubetur quod bonum est, et non datur, non vivunt sub gratia, quæ dat per Spiritum sanctum quod per legem jubetur. »

XI. His demum animo perspectis, manifesta est apologistæ, adeoque totius Anomorum sectæ fallacia; qui Judaicum omnem populum, quamlibet acri, et sedula legis observatione, meriti nihil assecutum esse dicunt, eo quod sub lege essent, et ad vetus Testamentum pertinebant. Latet enim præpostera et insidiosa fraus illorum sub ambigua notione locutionis istius, *esse sub lege*, vel *sub vetere Testamento*. Nam qui primo de duobus sensu sub lege fuerunt, merito minime caruerunt, neque gratia; ut Armacani, et horum unus apologista fatentur. Atque illi sane ad Synagogam, *ut synagoga est*, hoc est ad veram, et antiquam Ecclesiam proprie spectabant, et ad Dei Testamentum antiquum, qua testamentum erat. Nam ad primarium legis institutum, et auctoris legis Dei in hac danda propositum, et voluntatem vitam suam accommodabant: quæ utique voluntas hujusmodi erat, qualem Scripturæ omnes antiquæ prædicant, ac nominatim Propheta in Psalmo 118. his verbis commendat : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Cum igitur exacte legem servarent boni illi, et sancti viri legi ac Testamento veteri subjecti, neque gratia, neque merito, et mercede vacui erant : quam *retributionem* vocat idem propheta, ejusque gratia se ad Dei mandata capessenda propenso animo fuisse testatur. Nam quod in eodem illo populo, et Synagoga, longe diversa conditione complures extiterunt, quibus non auxilium quidem gratiæ, ut post paulo demonstrabitur, sed meritum, meritoque respondens merces defuit : cujusmodi fuerint isti, illa ipsa Scripturæ, Patrumque testimonia declarant, quæ ad invidiam legi Mosaicæ, ac Synagogæ, Judaicoque populo veteri parandam, Armacani patronus contulit in septimum, et octavum caput libri secundi. De quibus copiose dixi supra capite decimo : ubi ostensum est, nihil ad rem nostram istorum exempla pertinere, quandoquidem scelerati omnes, et perditi fuerunt, de quibus illis in locis mentio fit; ac partim nihil ad Testamentum vetus, qua Dei testamentum erat; aut ad Synagogam, ut erat synagoga, hoc est antiqua Dei Ecclesia, spectabant, quia nullum in illis inerat fidei, spei, charitatisque vestigium; neque cultus patriæ legis, et religionis; quam idolorum ritu, et gentili superstitione mutaverant; partim etsi fidem, et nonnullam veri adorandi præ se Dei speciem ferrent, animum gerebant gravissimis, horrendisque criminibus infectum, et illi ipsi, quem colebant, exosum Deo, atque ab ejus lege ac mandatis alienissimum. Itaque sub lege posteriore illo modo duntaxat erant, ut legis sententia, et severitate plecterentur: non autem priore, in quo Testamenti veteris, legis, et Synagogæ, qua testamentum, lex, et synagoga fuerunt, ratio, institutumque consistit. Tantum abest, ut exacte lex ab illis observata fuerit: de quo genere lis inter nos, id est Catholicos, et horum adversarios est orta. Sed de iis superiora relegenda sunt capita, maxime decimum: in quo pressius et accuratius est illa tractata quæstio.

[1] Rom. 3. 21.

[2] Rom. 7. 7.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Hominibus sub lege degentibus, et infidelibus affuisse gratiam Christi demonstratur argumento longe validissimo, et Anomorum inscita hallucinatio convincitur.

I. Nunc quod hujus disputationis reliquum est exsequar; et illis etiam, qui sub lege quoquo modo, id est secundo, ac deteriore fuerunt, affuisse gratiæ præsidium ostendam: ex quo istud necessario sequetur, falsissime jactatum hoc ab Armacanis, nihil prorsus veteri sub lege, ac Testamento, adjuvantis gratiæ Judæis attributum: reliquasque nænias, in quibus refutandis non sine tædio hactenus occupamur. Nam cum duo genera Judæorum hominum exstiterint, pro duplici illa ratione sub lege degendi, quam exposui antecedenti capite; si de posteriori, eoque deteriore probari potest, non ab eo Christi gratiam abfuisse; quia de priori, propter illos, quos in exemplum pietatis ac sanctitatis attuli, dubitari non potest; de universa gente, ac Synagoga confecta res erit; liquidoque constabit, nulli ejus parti gratiam et idoneum auxilium defuisse. Hoc si vel ipsos, contra quos modo disputamus, fateri et assentiri etiam invitos cogimus, quid erit vi veritatis ista potentius? Atqui et hoc facile est factu; et nusquam alias certius evidentiusque constitit, quantis tenebris oppressa sit hæc Anomorum factio, et quam in oppugnanda catholica veritate judicii, ac constantiæ parum adhibuerit.

II. « Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem, vel ullum præceptum ejus, » Anomorum est decretum, capite secundo libri hujus a nobis expositum: quod Apologetici scriptor acerrime propugnat. Hujus dicti quæ sententia sit in primis constare debet. Potest autem esse duplex. Aut enim sic intelligitur, ut ex vi, et efficientia propria legis, nulla manasse gratia dicatur, nec ullum auxilium, quo interius roboratus animus, ad servandam legem, et exequenda mandata convalesceret. Aut ita, ut Christi parta meritis nulla in legis ac Testamenti veteris alumnos et hæredes gratia redundarit. Non potest priore sensu illud eorum effatum nisi putide ac ridicule accipi. Ecquis enim Christianus hodie dubitat, ex quo Pelagii extincta est hæresis, quin gratiæ fons totius, quæ quidem proprie gratia dicitur, Christus sit Dominus; et unius illius meritis ad salutem necessaria omnium temporum auxilia gratiæ tribuenda sint? Nemo Judæis in lege veteri nullam gratiæ stillam adspersam fuisse nisi per Christum, aut nescit, aut negat. Posteriore itaque sensu *gratiam illam sufficientem servandi legem*, ut polite eleganterque loquuntur, ab Judæis abjudicant, tanquam ita prædicent: « Non affuisse hominibus sub lege viventibus auxilium ullum gratiæ, ad legem servandam, vel aliquod præceptum ejus sufficientis, ac necessariæ, Christi meritis imputandum. » Hic vero repetendum est, quod supra capite antecedente docui [1]: *sub lege esse*, vel *sub Testamento veteri*, proprie illos intelligi, qui justi non erant, ac sancti. Hujusmodi enim apologista, ut ibidem ostensum est, ad novum pertinere Testamentum existimat. Soli ergo vitiis ac peccatis irretiti, hoc est carnales Judæi, quemadmodum sub lege, ita gratiæ penitus expertes, Anomorum, et patroni horum apologistæ opinione fuerunt.

III. Atqui si hoc dixerint, quod ab iis dici omnino necesse est, his sese laqueis irretient, quibus extricari et expediri nulla sua cavillatione poterunt. Sumamus enim quempiam vetere ex illo populo impium, ac nefarium hominem; aut eum denique, qui graviore aliquo commisso crimine fidem a se, cum charitate, vel hanc solam excusserit, velut Manasses fuit, et ante hunc propheta David. Quorum ille cum nullum impietatis, et flagitii genus intentatum reliquisset, postea resipuit, et cum Deo in gratiam rediit: hic autem, minoribus aliquanto perpetratis criminibus, eadem Dei benignitate revocatus a lapsu, ac reconciliatus. Isti proculdubio, quandiu in culpa et Dei inimicitia jacebant, carnales erant, « quia hic dicitur esse in carne, qui aliquid sequitur, quod lege prohibetur. Et omnis incredulus in carne est, id est carnalis, » ait Ambrosio tributus commentarius [2] ad illa Apostoli, quæ

[1] Parag. 5.

[2] Ambr. ad cap. 7. ep. ad Rom. ver. 5.

hoc ipsum significant : *Cum enim essemus in carne, vitia peccatorum, quæ per legem ostenduntur, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* Iidem sub lege, ac veteri Testamento censebantur pessimo illo modo, et eo quem intelligunt Armacani, cum asserunt « non affuisse hominibus sub lege degentibus auxilium ullum gratiæ sufficientis ex Christi meritis profectæ. » Ex quo tria necessario consequuntur, e quibus unum ab illis eligi, velint nolint, oportet; quod qualecumque tandem optaverint, effugere non poterunt, quin vel in sacrilegi mendacii, vel in nefandæ hæresis notam, et ignominiam incidant; vel secum ipsi turpissime discordent. Aut enim ambos illos negabunt a sceleribus suis, et eo statu, quo sub lege tenebantur, per pœnitentiam ad Deum esse conversos, contra divinæ Scripturæ fidem : aut illam ipsam pœnitentiam, conversionemque sine Christi gratia dicent esse consecutos, ut germanos se Pelagianos ostentent: aut si neutrum fateri audent; « affuisse iis hominibus, qui sub lege erant, sufficientem gratiam, » inficiari desinent. Etenim quæ Davidi, ac Manassi aspiravit Christi gratia, hæc illos sub lege, hoc est sub peccati jugo, ac dominatu reperit, *Virtus enim peccati lex*, ait Apostolus [1]; atque ut Ambrosio inscriptus commentarius adnotat [2], « Mori legi, Deo vivere est : quia lex dominatur peccatoribus. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur legi. » Quare affuit ipsis sospitatrix gratia in ipso statu legis, et sub lege, ac Testamento veteri positis : ut falso ab Armacanis, et apologista jactatum sit, nullam sub lege ac Testamento constitutis Judæis sufficientem affuisse gratiam.

IV. Quod de Manasse, ac Davide dixi, idem de ceteris significare volo, qui justi in lege veteri ex peccatoribus facti sunt. Cujusmodi fuerunt omnes, et illi adeo quorum exemplo usi sumus, illustrissimus D. Vabrensis episcopus, et ego, ut Anomorum licentiæ intercederemus: qui gratia prorsus omni destitutum fuisse Testamentum vetus, ac statum legis existimant, nosque, qui ex illis sanctis contra ipsos argumentum caperemus, inclementer appellant [3]. Quos quidem pudere jam debet, cum se deprehensos his in angustiis absurdi, et inextricabilis dogmatis senserint; homines sui plusquam veritatis, et catholicæ salubritatis amantes, et in tam perdita causa

Φυσῶντες οὐ σμικροῖσιν ἀυλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίας φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.

Eadem vis argumenti valet etiam in infidelibus, « quos omni carere gratia sufficiente ad salutem, tam proxima, quam remota, et omnibus principiis ejus, » Armacanorum natio deprædicat [4]. Nam qui præveniente, et opitulante Christi gratia in illo statu reperti vocantur ad fidem, gratiam utique sufficientem obtinent, et ejus auxilio qualicumque tandem nisu emergere incipiunt ex tenebris, et ad lucem aspirare. Igitur in statu illo damnabili affuit illis sufficiens gratia. Non ergo carent infideles omni penitus sufficienti ad salutem auxilio.

V. Atque ut nondum ab ulceris hujus curatione digrediar : sed ut tanquam scalpello in vomicam altius impresso, purulentia omnis excernatur; agedum dicti ab illis sui, et sententiæ reposcamus rationem. Respondeant nobis quid sibi velint, cum ita pronuntiant : « Non affuisse Judæis sub legis statu degentibus sufficientem gratiam : sed nec infidelibus adesse. » Hoc enim altero de duobus intelligi, explicarique modo, ac sensu necesse est, ut paulo ante dixi, et nunc paucis repetendum est. Primus est ejusmodi, ut neuter status sufficientem gratiam suapte vi, et indole pariat. Posterior, ut ex meritis Christi, quasi adventitius nullus gratiæ fructus in utrumque statum redundet. Horum duorum alterum eligant oportet, si humano more loqui volunt. At utrumque ridiculum est, et impeditum adeo, ut ipsi se explicare nequeant. Nam si priorem optent, quid ineptius, quam de hoc contra Scholasticos tanta contentione pugnare profiteri se, quod nemo unquam istorum ne cogitavit quidem ; neque vero quisquam mortalium , nisi amens et furiosus, persuadere sibi potest ? Etenim « statum veteris Testamenti, ut talem, non fuisse justitiæ, et salutis, sed potius peccati, et mortis » censent Armacani [5], itidem ut *statum infidelitatis :* et utrumque in æquo statuunt, quod ad gratiæ penuriam et egestatem attinet. Quisquamne igitur adeo ab communi sensu derelictus hactenus fuit, qui *peccati statum* ullum per se gratiæ feracem esse defenderet? Ut si quis meretricium vitæ statum ex sese gratiam subministrare diceret, et idonea ejus auxilia ad peccatum delendum, hoc est ad sui ipsius interitum, et perniciem? An quisquam doctorum , et theologorum , quos sectæ signifer allatravit, gratiæ fontem , et efficientiam in tanta pravitate constituit? Nemo utique, nec

[1] 1. Cor. 15. 56. — [2] In cap. 7. ad Rom. 278. E. — [3] Apol. l. 2. c. 7. p. 179. Vide sup. cap. 14. — [4] To. 3. lib. 3. cap. 11. — [5] To. 3. lib. 3. c. 9.

ea proinde mens Armacanorum in abjudicanda sufficiente gratia ab utroque illo statu esse potest.

VI. Restat ergo secundum illud, uti nullam ex merito Christi gratiam affuisse Judæis olim, nec adesse modo infidelibus eo sensu disputent, ut quandiu in suo illo statu Judaismi, aut infidelitatis manent, nulla ipsis gratiæ adjumenta suppetant. Atque ita sentire demum istos ex eo cognoscitur, quod cum iis objectum est; adeo non defuisse Judæis antiquis gratiam Christi, ut inter illos complures eximia vitæ sanctitate, integritateque vixerint, quod sine gratia Christi assequi nequiverint: adversus hoc excipiant, idcirco nihil argumento isto contra se nos efficere; quod justi omnes illi, eo ipso, quod gratia donati fuerint, et justitiam adepti, a priore illo statu Testamenti veteris, ad novi statum translati, et Christianis accensiti fuerint. Prorsus itaque sic disserunt, idcirco se nihil gratiæ in Judaicum statum, aut infidelium transfusum asserere, quod eo momento in utrovis esse statu desierint, quo primus illos gratiæ motus excitare cœpit. At hoc ipsum non solum falsum, et hæreticum est; sed etiam inextricabile. Fingamus, primum gratiæ impetum eam habere vim, ut peccatorum omnium abstersa labe, statim hominem reconciliet Deo, eumque justum ex impio, et peccatore faciat: certe cum primum advenit, et torpentem, imo vero mortuum afflare, et illuminare cœpit, nonnisi ad infidelem, et in deplorato illo statu jacentem hominem venit; antequam ad alterum, melioremque transiisset. Cum igitur nondum ad Christum conversum, et in priore statu adhuc hærentem animum occuparit, ac prævenerit gratia sufficiens, affuit utique homini sub lege posito, vel infideli.

VII. Ac perinde argutantur nuperi isti theologi, ut si quis aut viventes homines mori neget, aut mortuos ad vitam esse revocatos a Christo, vel in extremo rerum occasu revocandos, et ita ratiocinetur: quandoquidem eodem puncto temporis, quo mors illis accidit, viventes esse desinunt, non viventibus supervenire mortem: sed neque mortuis vitam restitui, quia cum vivere incipiunt, mortui amplius non sunt. Par enim et eadem est illorum argumentatio, qui infidelibus, atque in Judaismo deprehensis negant adesse gratiam; quoniam tum demum, cum adesse incipit, alterum in statum transcribuntur. Quamobrem ut est insulsa prior illa de mortuis in vitam restitutis calumnia; sic Armacanorum ludicrum est, et joculare commentum.

Quid quod ad primum gratiæ prævenientis appulsum, non statim ab eo, quo sub lege esse dicuntur, statu peccatores ad alium transferuntur, qui *novi Testamenti*, vel *gratiæ* vocatur? Soli quippe justi, ac sancti tam in Judaismo veteri, quam in Christianismo ad hunc pertinent: ut Armacanos sentire superius ostendimus. Nam isti eos duntaxat interpretantur *sub lege esse*, ex Apostoli, et Augustini sententia, qui peccatis irretiti sunt; de quibus hic illum loqui asserit, his verbis [1]: « Tandiu enim dicit (Apostolus) sub lege esse hominem, quandiu vivit peccato: quemadmodum tandiu mulier sub lege viri est, quandiu vivit vir. » Quoniam igitur, ex Armacanorum opinione, nullus e *statu legis*, qui est *peccati status*, ad *novi Testamenti*, sive *gratiæ statum*, quandiu est *sub peccato*, traducitur: nemo autem a peccato, nisi per infusionem justitiæ, et gratiæ sanctificantis eximitur; profecto qui hanc antecedit status, dum ad justitiam opportunis auxiliis paulatim peccator adducitur, *legis* est, et *peccati status*. Ex quo consequens est, falso dici ab Armacanis, nullum hominibus sub lege degentibus sufficientis adesse præsidium gratiæ, quandiu ad novum Testamentum nondum pertinent: sed adhuc sub veteri, qui idem est cum *peccati statu*, continentur.

Postremo, quemadmodum de iis qui sub Judaismo vixerunt, et infidelibus perabsurdam illorum rationem esse demonstravimus, cum utrisque sufficientem gratiam funditus detrahunt, eo quod simul atque gratia illos afflare cœpit, statum mutant: ita prorsus ex eorumdem decretis sequitur, nullam omnino sufficientem gratiam adesse Christianis in peccatum letale lapsis; quod, ubi prævenientis gratiæ prima illos aura perstrinxit, ad novum statum ab veteri, qui *legis*, et *peccati* dicitur, repentina mutatione transitum faciunt.

[1] Aug. 83. qu. 66.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Explicatur novorum dogmatistarum opinio de gratia Christi. — 2. Quam illi solum esse charitatis inspirationem asserunt. — 3. Apologetici auctor huic doctrinæ consentaneus. — 4. Nullum esse opus bonum ex illorum sententia, nisi fiat ex amore justitiæ. — 5. Iidem virtutes omnes sola charitate metiuntur.

I. Sæpe mihi de Armacanis, ac de errorum, qui ab illis vulgati sunt, pravitate cogitanti, venit in mentem quærere, quo præsertim ex fonte, ac seminario pestilentis illa doctrinæ venena propagata sint. Ac tandem illud, quod esse certissimum arbitror, occurrit, male intellectam, vel penitus ignoratam potius Christi gratiam fraudi illis fuisse, eosque per hæc novarum opinionum prærupta devios, ac præcipites egisse. Nam qui aliter, atque oportuit, de illa sentire, ac loqui instituissent, hos ipsos minime mirum est, tam necessariæ rei occæcatos inscitia, in reliquis, quæ inde ducuntur, tradendis, ac definiendis non lapsu, sed ruina esse prostratos. Itaque qui in constituenda medica Christi ope ac gratia capitalem illorum labem erroris convicerit, is et in arcem sectæ istius invaserit, et ejus machinationem omnem uno ictu, impetuque disjecerit.

Quod equidem, auctore Legis, in quam hostili animo isti sunt, et gratiæ, cui plurimum detrahunt, aspirante Deo, deinceps aggrediar facere. Sed illorum ante de Christi gratia declaranda est opinio; hoc est, perinde nobis adversarius, ac fidei Christianæ inimicus error, contra quem velitari tantisper hic decrevi, donec justa cum illo acie, prælioque contendam : quod suo loco reservabitur.

II. Gratiam Christi salvatoris, quam *medicinalem* vocant, de qua cum Pelagianis Augustino proprie controversia fuit, quæque ab scientia distinguitur, solius esse charitatis inspirationem, Anomorum est opinio. Quod ipsum sectæ illius antistes multis ex Augustino depromptis locis, et positis ab eo principiis affirmat. Primum, quod gratia illa Christiana ejusmodi ab Augustino constituitur, « qua fit, ut homo qui ante fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam, sive qua in homine inchoatur voluntas bona, ut per gratiam bonum velit. » Quam « bonam voluntatem *aiunt*, ex illius sententia, nihil aliud esse, quam veram illam, et proprie dictam Dei charitatem. »

Deinde, « quia sanctus Augustinus adversus Pelagianos disputans semper gratiæ illius confessionem postulat, qua fit ut operemur justitiam, seu bonum opus, quod Deus præcipit nobis; atque adeo qua legem, quam propter carnis infirmitatem implere non possumus, voluntate, atque actione impleamus. »

Tertio probat ex eo, quia « suavitatem eam, qua fit ut diligamus Deum, » Augustinus docet « esse veram, et unicam gratiam adjutorii medicinalis Dei. »

Quarto, quod « illud sit verum adjutorium Christi, quo divinitus adjuvamur, ut in declinando a malo, et faciendo bono, quibus duobus universa justitia hominis comprehenditur, ipsa rectitudine, ipsaque justitia, quæ in præceptis emicat, delectemur : hoc est ut illa faciamus non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Nam nisi sic operemur, nec bene operamur, nec alieni sumus a voluntate peccandi. »

Quinto denique, « quod illud solum sit unicum et verum gratiæ Christi, et gratiæ novi Testamenti adjutorium, quo dilectio justitiæ, sive charitas diffunditur in cordibus nostris, ut ex ista Dei dilectione præcepta faciamus. »

III. Hæc Anomorum sectæ princeps; quibus Apologetici scriptor assentitur [1], ut ex illius verbis perspicue cognoscitur. Scribit enim « gratiæ nomen proprie, ac speciatim in hoc unum competere, quod Patres, et Scripturæ

[1] Apol. lib. 2. c. 4. p. 140.

sanctæ vocant gratiam Jesu Christi. » Exinde pagina sequenti [1] eamdem *Christi gratiam* explicans « nihil aliud esse » dicit, « præterquam amoris et charitatis impulsum, quem in cordibus nostris Spiritus sanctus efficit. » « Hæc sola, *inquit*, proprie dicta gratia est : quandoquidem bonum quoddam est divini ordinis, penitusque cœlestis. Itaque sola prærogativam hanc habet, ut nunquam sit impediens, et ut ipsa nemo abuti possit : quoniam peculiare hujus effectum istud est, impedire ne homo ceteris abutatur omnibus. Nam ut Apostolus ait [2], *Charitas non agit perperam :* atque ut ex essentia sua plenitudo legis est, ut idem Apostolus docet [3], et Augustinus plerisque in locis, fieri non potest, ut homines lædat, et eorum noceat animarum saluti; quoniam vita est ipsamet illorum et salus. Cetera autem dona, gratiæque ceteræ, ac beneficia, quæ hominibus a Deo tribuuntur, nihil ipsis prosunt, sed obsunt potius, si a vera Christi gratia separentur, quæ fidem, spem, et charitatem Christianam includit. »

Hæc Apologetici verba sunt e gallicis summa fide latina facta. In quibus gratiam illam, quæ Christi proprie vocatur, et quam contra Pelagianos, et Massilienses horum reliquias strenue propugnavit, et illustravit Augustinus; illam, inquam, gratiam quam, hoc potissimum auctore ac vindice, hodieque catholica tuetur Ecclesia, apologista cum suis Armacanis, et Anomis, perfectam vult esse charitatem : nec aliam, præter hanc, Christi gratiam agnoscit. Quod ex illius verbis cognoscitur; dum eam solam Christi esse gratiam asserit, « quæ fidem, spem, et charitatem continet : » et eam quidem charitatem, *quæ plenitudo legis est*, et ab Apostolo capite illo decimo tertio prioris ad Corinthios epistolæ describitur. Quam insuper fidei, spei, ceterisque virtutibus, ac martyrio ipsi, adeoque donis omnibus, et Spiritus sancti charismatibus anteponit : quæ cum letali peccato ne puncto quidem temporis potest consistere : ut quæ *vita* sit *animarum*, *et salus*. Adde reliqua illius capitis Apologetici; quæ, ne longiores in describendo simus, hic sunt a nobis omissa. Ex iis enim arcanum, et mysticum istius sectæ dogma proditur; nullam Christi esse gratiam, præter impulsum veræ, ac perfectæ charitatis, quæ, expulso peccato, vitam animæ, justitiamque restituit.

IV. Rursus Anomorum coryphæus explicare pergit, « quo pacto sola inspiratio charitatis sit illa gratia, quæ ad velle, et operari, (sic enim illi loqui placuit,) ad declinandum a malo, et faciendum bonum, ad juste recteque vivendum, et consequenter ad omnia bona opera facienda, et mala vitanda, totamque legem implendam, contra Pelagium necessaria est. » Cujus rationem hanc generatim reddit; quia omne opus, ut bonum sit, debet fieri non formidine pœnæ, sed amore justitiæ; quam Augustini esse sententiam confirmat. Qui autem diligit justitiam, diligit Deum; adeoque amor ille justitiæ charitas est ; ut idem scribit Augustinus [4]. Ergo « quidquid Augustinus toties dixit de inspiratione dilectionis, et charitatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, non de alia intelligit charitate, quam de charitate justitiæ. »

Admonet tamen postea, charitatem istam, sive *dilectionem*, *ex qua nascitur fides*, et quam solam Christi esse gratiam dixerat, « non semper ita sumi ab Augustino, quemadmodum hoc tempore passim, et fere semper in scholis usurpari solet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus. » At Augustinus « charitatem accipere plerumque solet pro dilectione, qua vere, sincere, et gratis, ex animo, propter seipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligitur Deus; sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori, et inferiori affectu hæreat. Nam talis amor, quantumcumque remissus, exilis, ac tenuis, est verissimus, et castissimus fructus charitatis Dei, sive dilectionis amicitiæ, nulla concupiscentiæ ad se reflexæ perversitate distortus. »

V. Idem porro virtutes omnes nihil præter charitatem esse putat : adeoque *spem*, unam ex iis, quas theologicas vocant. Quam quidem non ex amore concupiscentiæ, ut vulgo theologi persuasum habent, sed ex eadem illa charitate proficisci docet : quatenus beatitudinem desiderantes, hanc ipsam ad Deum referimus, et hujus amore concupiscimus. Quocirca Deo mercedis, etiam æternæ, gratia servire, cum hoc propter Deum, et ejus amore non facimus, vitiosum, ac turpe esse judicat : multoque magis, si metu sempiterni supplicii ad Deum convertimur, et in ejus potestate sumus, nisi hoc Dei, ac justitiæ amore suscipimus.

Hæc Armacanorum, et Anomorum opinio

[1] P. 141. — [2] 1. Cor. 13. 4. — [3] Rom. 13. 10.

[4] Serm. 17. de ver. Apost. c. 3.

est de vera, proprieque dicta Christi gratia ; cujusmodi adversus Pelagianam hæresim, et ab ea constitutum gratiæ genus acerrime defendit Augustinus. Quo ex illorum principio existit illa, quam hoc in libro depellimus, nefaria Testamenti veteris, et sacrilega criminatio. Etenim qui Deum promissarum spe commoditatum, ac desiderio colere, et ei obsequi, perversum et vitiosum existimant, quique hunc ipsum animi affectum ex professo legem veterem elicere, ac fovere studuisse prædicant, quid vel dicunt aliud, vel dicere omnino possunt, si sibi consentanei esse velint, nisi legem istam peccati ac vitii conciliatricem, ac lenam, pravam itidem, ac perversam fuisse? Quod abunde toto hoc opere patefactum, et convictum, ne ipsos quidem negaturos esse confido, qui se imprudentes, et incautos in laqueos parum sanæ opinionis induerint. Nunc eorumdem proposita hoc in capite decretorum flagitia persequar, et quantum ab Christianæ fidei salubritate distant, in sequentibus ostendam.

CAPUT SECUNDUM.

Explicantur nonnulla ad hanc controversiam disceptandam necessaria. — 1. Amorem generalem affectum esse fusum per omnes virtutes : quem et charitatis nomine affixit Augustinus. — 2. Duplex gratia, sive charitas, inchoata, et robusta. Utriusque varios esse gradus : quod in priori specie monstratur. — 3. Ilos ipsos gradus in Tridentino concilio describi. — 4. Qui quidem justificationem antecedunt, ut eadem synodus declarat.

I. Sed antequam grassanti publicam in perniciem erroris illius morbo mederi aggredior, pauca quædam præmuniendis lectorum animis explicare statui ; ac velut antidoti loco, ex ipsis catholicæ fidei principiis, et saniore, quam illa est Armacanorum, Theologia conficere.

Quorum primum illud est, quod ad amorem pertinet, quo in affectu considerando tota fere de gratia hæc disputatio nostra consistet. Hunc igitur generalem, perque omnes diffusum esse virtutes animi motum, merito S. Thomas asserit his verbis [1] : « Amor, *inquit*, non determinatur ad aliquod genus virtutis, vel vitii. Sed amor ordinatus includitur in qualibet virtute. Quilibet enim virtuosus amat proprium bonum virtutis : amor autem inordinatus includitur in quolibet peccato. Ex amore enim inordinato procedit inordinata cupiditas. » Atque idem alibi observat [2], « licet charitas sit amor, non tamen omnem amorem esse charitatem, » cum ad omnes virtutes amor pertineat ; eo quod « quælibet virtus ordo est amoris, » ut Augustino placet [3].

Nonnunquam tamen cum amore universe sumpto charitatis nomen adæquatur ; itaque usurpat Augustinus [4] dum *charitatem* vocat *amorem boni* ; necnon *bonam voluntatem* ; ut supra significavimus [5], capite septimo libri antecedentis.

II. Quo quidem in capite duplicem ab eodem Augustino constitui gratiam, hoc est charitatem illam, sive bonam voluntatem, ostendimus. Nam una est rudis adhuc, et infirma, qua tantum volumus, etiam cum nondum possumus : altera est firmior, et robustior, qua quod volumus opere ipso præstamus. Utramque describit Augustinus in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 15. « Gratia vero Dei, *inquit*, semper est bona : et per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. » Vide et caput 17. ex quo locum quemdam ad institutum nostrum utilem capite illo septimo descripsimus. De hoc duplici gratiæ, charitatisque genere, legenda sunt illa, quæ in tomo primo Theologicorum dogmatum libro decimo scripsimus [6].

Ceterum duo illa gratiæ genera multiplices

[1] S. Tho. 2. 2. qu. 125. art. 2. — [2] In 1. 2. qu. 62. art. 2. ad 3. — [3] Lib. 1. de mor. Eccles. cap. 15. — [4] Lib. 8. de Trin. c. 10. — [5] Cap. 7. § 3. — [6] Cap. 20. § 8.

gradus singula continent. Quorum ut ad negotium nostrum usus, et officia partiamur ; placet ad primum genus auxilia omnia gratiæ referre, quæ justificationem antecedunt, et cum peccati statu consistunt. Posteriori vero ejusdem gratiæ adjumenta cetera tribuere, quibus homo Deo reconciliatus, actuosam, et mandatis servandis operatam exercere charitatem incipit, et quotidianis incrementis ad majora proficere.

Prior gratia dividitur in primam, sive initialem, quæ merita omnia prorsus antecedit, et gratuita Dei liberalitate in nobis sine nobis efficitur : et in sequentem, quæ illius bono, et voluntario usu, tanquam merito, comparatur. Etenim qui a peccato ad justitiam convertitur, primum divinitus illuminata mente, et ad credendum impulsa voluntate fidem concipit : atque ita sempiternæ pœnæ, quam peccatis a Deo constitutam esse scivit, metu perterritus, aut felicitatis itidem æternæ potiundæ spe, ac desiderio succensus, emergere ex misero, perditoque statu, et letali ab morbo recreari cupere incipit. Hæc est prima illecebra divinæ bonitatis, et misericordiæ, ac bonæ voluntatis initium, quod nullo nostro merito, improvisis, ac sæpe reluctantibus, et adhuc recentis flagitii labe calentibus nobis injicitur. Cui si eadem opitulante gratia obsecundare pergimus, deinceps motiones animi reliquæ consequuntur, nonnullo piæ voluntatis partæ merito, quibus obdurata consuetudine scelerum, et pervicacia pectora paulatim emolliri, fingique ad capessendam justitiam solent.

III. Hujusmodi impulsiones animorum, quæ orientis initia gratiæ consequuntur, et ex qualicumque merito pendent, continuatione quadam, ac serie nectit Tridentina synodus sessione sexta, capite sexto. Quo in capite docet, quemadmodum ante justificationem, et ad hanc excitante, ac juvante Dei gratia disponi, præpararique solent homines; quod iis verbis explicat: « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt : atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. » Hic primus est libere moventis se cum initialis auxilio gratiæ voluntatis affectus, quo ad assentiendum iis, quæ sunt proposita, sponte sua, et interiore quodum impulsu cietur. Ab hac velut stirpe, ac radice, quæ nullo prorsus ex merito, sed liberali et gratuita adspirantis ope gratiæ provenit, piæ ceteræ motiones oriuntur, illius merito concessæ, ut sæpius inculcat Augustinus : qui fide ait mereri nos reliqua, quibus ad justitiam provehimur, ut ante dixi, et iterum paulo post repetam. Quas quidem voluntatis permotiones Tridentina synodus ita pertexit : « Et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. » Igitur post primam illam effectionem gratiæ, qua voluntas ad credendum impellitur, ejusque pii affectus merito, existit in peccatoribus *divinæ justitiæ timor, quo utiliter concutiuntur* : deinde spes et fiducia de Dei misericordia, meritisque concepta Christi Domini : tum initium quoddam dilectionis Dei, tanquam auctoris justitiæ. Post, odium ac detestatio peccati, et pœnitentiæ motio, cujusmodi baptismo præire debet. Postremo baptismi capessendi voluntas ; et novæ instituendæ vitæ, ac divinæ servandæ legis certum firmumque consilium.

IV. Tot animi voluntatisque motionibus, quæ justificationem antecedunt, ad plenam perfectamque cum Deo gratiam ineundam peccatori aditus aperitur. Siquidem tota illa series piorum affectuum nondum habet justitiæ fructum ; sed ad eum capiendum *præparatio* quædam est, ut Tridentini Patres loquuntur, ac *dispositio*. Sic enim capite sequenti eadem synodus explicare pergit [1] : « Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur : quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum ; unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus. »

Ergo perfectam charitatem, ac Dei amicitiam, in qua vera est sita justitia, tot illi præcedunt voluntatis boni, et laudabiles motus, quorum radix, et principium est *initialis*, ut vocant, gratia, uti nullis impetrata meritis, sic meriti totius caput, quod gradatim accessionibus illius augetur ac perficitur : adeo ut antece-

[1] Trid. sess. 6. cap. 7.

dentis cujusque, post primam omnium, gratiæ sit, operisque fructus ac merces consequens gratia, ad perfectam usque justitiam, quæ proxime præcedentis, et jam robustioris voluntatis merito comparatur : ut Augustinus passim asserit, *meriti* nomine, non absolutum, et, ut vocant, *condignum* intelligens ; sed quod *congruum* dicitur. De quo tota illi fere de gratia disputanti contra Pelagianos, maximeque contra Semipelagianos est contentio. Animadvertimus autem capite illius libri septimo, omnes illas voluntatis affectiones, quibus a prima inchoatione gratiæ, ad perfectam, expultricemque peccati justitiam peccator adducitur, alias fidei, alias charitatis apud Augustinum vocabulo censeri; cum non sint proprie charitatis; non modo veræ, qua propter se Deus diligitur; sed ne illius quidem communis, quam ex mente Anomorum principis exposui antecedenti capite; et quam ille putat dilectionem esse justitiæ propter seipsam. Etenim inter motus illos voluntatis, timorem divinæ justitiæ, hoc est sempiternæ pœnæ, ac gehennæ metum, secundo loco ponit Tridentina synodus, proximeque post piam voluntatis inclinationem, qua fides impetratur, quæ ab initiali oritur gratia : tum post metum istum, initium illud charitatis et dilectionis justitiæ recenset; quam Anomorum coryphæus charitatis, imo gratiæ Christi titulo solam afficit. Ex quo quid sit consequens postea videro.

CAPUT TERTIUM.

Motum omnem gratiæ ex Christi provenire meritis late ex Augustino probatur.

I. Nunc eorum secundum, quæ ad præmuniendios lectores propositæ disputationi prævertenda dixeram, explicare aggredior. In quo docendum istud est, motus illos omnes, et affectiones animi, quibus ad perfectam gratiam perducimur, sive inchoationes illas gratiæ superiori expositas capite, unius mediatoris Dei atque hominum Christi meritis imputari; et ad medicinalem, quam vocant, Christi, ac novi Testamenti gratiam pertinere : hoc est in eo gratiæ genere censeri, quod adversus Pelagianos, Augustinus, et cum eo Catholicum deinceps nomen omne defendit.

Id adeo ex Augustini pene omnibus libris intelligitur, quos contra Pelagianas istas pestes elucubravit; multo vero clarius ex postremis, quibus reliquias hæresis illius evertit.

Cum enim exstitissent aliqui, qui Pelagii perfidiam eatenus damnarent, ut neminem justitiæ, ac salutis compotem fieri posse crederent, sine Christi gratia : nec « ad ullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentirent; » ut ad Augustinum scribit Hilarius : iidem tamen voluntatem recuperandæ sanitatis, et fidem, ac credulitatem naturalibus cujusque viribus imputarent; quæ inter opera minime numerabant. « Neque enim alicui operi curationis eorum, ait idem Hilarius, annumerandum putant, exterrita, et supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. » Cum igitur Massiliæ, aliisque Galliæ locis ita plerique sentirent, ut initia bonæ voluntatis, ac fidei, motusque ceteros, quibus ad justitiam paulatim provehimur, citra Christi gratiam, in potestate esse cujusque dicerent; ut « eo merito, quo voluerint, et crediderint, a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius sanitatis suæ consequantur effectum : » de his certior a Prospero, et Hilario factus Augustinus, libros duos edidit. Quorum in priore, qui de Prædestinatione sanctorum, illum ipsum de initiis bonæ voluntatis luculentissime castigat errorem.

II. In primis capite secundo, fidei ipsius initium, non autem solum ejus incrementum, a Deo esse, Christique gratia demonstrat, ne verum sit illud, quod dicebat Pelagius, « quodque in episcopali judicio Palæstino damnare compulsus est; gratiam Dei secundum merita nostra dari, si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus : sed illud potius, quod propter hoc nobis additur, ut plenius, perfectiusque credamus. » Igitur talis est

Augustini judicio initialis illa gratia, voluntasque credendi, adeo licet exigua, et obscura, ut eam Massilienses naturæ quamlibet originali labe corruptæ viribus attribuerint, ut qui illam Christi esse gratiam neget, in Pelagianiam incurrat hæresim, quæ « gratiam Dei secundum merita nostra dari » contendit. Nullam autem gratiam Dei aliam, « nisi per unum mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum generi humano impertitam de fidelium cordibus creditam delere » studebat, oppugnabatque Pelagius, uti scribit Augustinus initio epistolæ 106. Quare gratia Christi, illa est ipsa rudis et inchoata, necdum perfecta voluntas, et fides, cujus merito uberior, ac robustior gratia postmodum obtinetur : ut sit « merces fidei cœptæ fides aucta ; » quod eodem capite secundo libri de Prædestinatione sanctorum scribit Augustinus. « Quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur, » ait idem capite septimo.

III. Rursus in libro secundo ad Bonifacium, capite octavo, idem Augustinus Pelagianos arguit, qui boni cupiditatem, quamlibet exilem, sine gratiæ ope, provenire volebant solis naturæ viribus : « Isti enim volunt, *inquit*, in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam proficiendi gratia consequatur. » Ac subinde reprehendit eos, quod saltem *imperfecti boni cupiditatem* sine gratia obtineri crederent. « Verum et sic, *ait*, gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari : quod in Oriente Pelagius ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito, gratiæ venit adjutorium : ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur. Dominus autem ut responderet futuro Pelagio, non ait, Sine me difficile potestis aliquid facere : sed ait [1], *Sine me nihil potestis facere.* Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa evangelica sententia, non ait, Sine me nihil potestis perficere, sed facere. »

Accedat ad hunc locum etiam istud, quod illa Christi verba idem Augustinus enarrans tractatu in Joannem octogesimo scribit : « Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre ; cum dixisset, Hic fert fructum multum, non ait, Quia sine me parum potestis facere : sed, Nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. »

IV. Sed pergit in eodem illo capite octavo secundi libri ad Bonifacium Augustinus, et admonet, « Dominum, cum ait, Sine me nihil potestis facere, hoc uno verbo initium, finemque comprehendere. » Quod intelligens Apostolus, dixit [2], *Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Item illud [3] : *Non quia idonei simus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis ; sed sufficientia nostra ex Deo est.* « Cogitare, ait, aliquid : utique bonum. Minus est autem cogitare, quam cupere, etc. Quomodo ad id, quod minus est, id est ad cogitandum aliquid boni, non sumus idonei, tanquam ex nobismetipsis ; sed sufficientia nostra ex Deo est ; et ad id, quod est amplius, id est ad cupiendum aliquid boni, sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio ? »

Præterea capite sequenti, id est nono libri ejusdem secundi ad Bonifacium, uberrime declarat, præparationem qualemcumque cordis ab bonum, hoc est inchoationem boni, sine adjutorio gratiæ Dei non posse fieri ; nempe sine illius gratia, qui dixit, *Sine me nihil potestis facere ;* quæ non alia fingi potest, quam *medicinalis*, et proprie dicta gratia Christi. [4] *Præparatur enim voluntas a Domino.* Et quod Scriptura dicit [5], *Hominis est præparare cor, et a Domino præparatio linguæ*, id eo sensu dictum ait, « Quia in uno istorum cooperatur homini facienti, alterum solus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo : nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini a Domino esset, si bonum non esset. Si autem bonum est, nonnisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est. » Et paulo post : « Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis : in qua, si nos non prævenit Deus, non solum nec perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine ipso nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec perficere. »

V. Item capite decimo, « Hominis autem propositum bonum, ait, adjuvat quidem subsequens gratia : sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia, etc. Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commu-

[1] Joan. 15. — [2] Phil. 1. — [3] 2. Cor. 3.

[4] Prover. 8. ex 70. — [5] Prov. 16.

tari, nisi hoc in illo agat indebita, et gratuita misericordia Dei. »

Ad hæc in libro de Correptione et gratia, capite primo, « Desiderare auxilium gratiæ, *inquit*, initium gratiæ est. » Nam ut alibi dicit idem Augustinus [1], « Nondum inhabitans Spiritus S. adjuvat ut sint fideles ; inhabitans adjuvat jam fideles. »

Prosper item [2] ex Innocentii primi ad Milevitanum concilium epistola probat, « neminem nisi per Christum, libero bene uti arbitrio. » Et eodem in loco ex Zosimi papæ litteris colligit, « Omnem motum bonæ voluntatis ex Deo esse. »

Sic idem Prosper in libro contra Collatorem [3], « Omnia, *inquit*, quæ ad vitam et pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus ; sed per gratiam, qua natura reparatur , accepimus. » Deinde Arausicana secunda synodus, multis canonibus, quorum plerique ex Augustini scriptis excerpti sunt, eidem fidei dogmati auctoritatem addit. Nam canone tertio decernit, « Ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis Deus. » Et canone quarto statuit, « etiam ut purgari velimus, per Spiritus sancti infusionem in nobis fieri. » Et quinto canone, « Sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium ; per gratiæ donum fieri » dicit. Idem et in plerisque aliis canonibus significat. Insigniter autem canon 22. ex Augustino ita sciscit, « Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum. » Quod et in Sententia 323. Prosper posuit.

VI. Ex his omnibus locis id, quod probare instituimus, apparet, motum omnem bonæ voluntatis, quo ab statu peccati ad Deum, ac salutem attrahimur, quamlibet exiguum, et imbecillum, ex vera, proprieque dicta medicinali esse Christi gratia : ipsumque adeo velut rudimentum, et inchoationem bonæ voluntatis, qua sanari volumus, aut credere incipimus : ac non tantum firmiorem illum charitatis affectum, quo justitiam utcumque diligimus. Hoc enim quæ allata sunt Augustini loca perspicue significant. Quibus nunc unum alterumve ex eodem adjiciemus. Primus erit ex duodecimo capite libri de Prædestinatione sanctorum ; ubi post longam adversus Massilienses disputationem, qui primam bonæ voluntatis impulsionem, qua sanitatem appetimus, aut credere volumus, ex Christi gratia provenire non putabant ; universe declarat, qualem adversus illos gratiam necessariam esse defenderit. « Sed omnis, *inquit*, hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vere esse gratiam, id est, non secundum merita nostra dari, quamvis evidentissime divinorum eloquiorum testimoniis asseratur, etc. » Igitur gratia illa, de qua hactenus contra Massilienses potissimum certaverat, non est alia, quam Christi gratia ; et hæc ipsa proinde primam, de qua hic nos agimus, gratiam, et initium fidei, ac bonæ voluntatis amplectitur.

Item in epistola 105.[4] docet neminem liberari ab ullo peccato, vel originali, vel proprio, « nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum ; sed prius ipsius inspiratione fidei, et timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, et effectu. »

VII. Idem docet et Augustini discipulus Prosper variis in locis ; e quibus paucos hic referam. In libro contra Collatorem [5], hunc ipsum redarguit, quod diceret : « Non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem ; sed habere eum a semetipso desiderium sanitatis, et sua tantum sponte venire ad medicum ; non etiam hoc ipsum medici esse, quod veniat. » Hoc illud primum salutis est initium, et primus ægræ voluntatis conatus, quem cum Massilienses, ut in epistola sua Prosper alius ad Augustinum scribit, Christi gratiæ non imputarent, sed naturæ viribus ; Augustinus ad eamdem gratiam pertinere contendit, ut initio capitis dixi. Cui consentaneus est Prosper ille contra Collatorem scribens ; ac tam initia, quam incrementa gratiæ uni eidemque medico tribuit. « Cujus (peccatoris) salus prima est, *inquit*, ut sibi incipiat displicere, et vetustatem suæ debilitatis odisse. Sequens vero est, ut et sanari desideret, et a quo sananda sit, noverit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inferantur : ne cum ei ullo modo hæc inesse possint, merito videatur salvata, non gratia. »

Et in responsione ad capitulum sextum Gallorum, hominem ait « ex impio pium factum nullo præcedente bono merito accipere donum, quo medio adquirat et meritum : ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, per industriam liberi augeatur arbitrii. »

[1] Aug. epist. 105. p. 177. A. 1. — [2] Prosp. in epist. Cœl. c. 7. — [3] Prosp. p. 390.

[4] To. 2. pag. 170. B. 2. — [5] Prosp. pag. 368.

Rursus in libro contra Collatorem [1] adstruit, « humanam animam sic ædificari in Dei templum, ut non accipiat [2] fundamentum præter quod aliud nemo potest ponere, quod est Christus Jesus. Quando autem hoc fundamentum incipitur, nisi quando fides in audientis corde generatur? » Ac statim idipsum probat, nimirum nullam virtutem, neque bonum animi affectum aliunde initium habere, quam ex gratia; quia timor Domini donum Dei est, et sapientiæ principium. « Cum ergo timor Dei principium sit sapientiæ; quæ virtus haberi potest sine sapientia, cujus ex timore principium est? »

CAPUT QUARTUM.

Augustinum sæpe, cum de gratia Christi medicinali loquitur, solam intelligere robustam et actuosam, non autem initialem, et rudem. Ex quo Anomorum ingens ortus est error.

I. Tertium nobis superest caput ad consequentis usum disputationis in primis opportunum : Plerumque Patres, maxime vero omnium Augustinum, cum de gratia Christi medicinali, ac novi Testamenti propria, et a Pelagianis negata contra eos disputant, solam exprimere gratiam posterioris generis ex duobus, quæ supra constituimus [3]; nempe actuosam, et operis effectricem; non autem prioris generis alteram, initialem, ac rudem; aut ad operandum certe nondum satis virium habentem. Quod quidem, ut ad frangendam Armacanorum pervicaciam incredibiliter juvat, aliquot Augustini munitum, corroboratumque sententiis, in omnium oculis, et clarissima quadam luce statuam.

II. Persuadent hoc apprime loca illius omnia, quæ in libro decimo de Deo, capite vigesimo, ac vigesimo quinto, et hujus libri capite septimo ad hoc attuli, ut adversus novos dogmatistas ostenderem, legi veteri auxilium aliquod annexum fuisse gratiæ; quod in eum finem lata esse diceretur [4], « ut peccatum agnosceretur, et sic adversus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promissionibus est, confugeretur. Ut ad liberationem quærantur promissa Dei, quod est gratia Dei. » Item [5], « Ut volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam. » Rursus [6] : « Ad hoc data est lex, ait idem Augustinus, ut convinceretur languidus, et medicum imploraret : ut convincerentur peccatores, et ad gratiam accipiendam medicum implorarent. » Tum, « Ut crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. » Necnon, « ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat, » ait Fulgentius [7]. Quibus omnibus ex locis, aliisque quæ illic excerpta sunt, et quæ passim Augustinum legentibus occurrunt, duo illa perspicue colliguntur : alterum, legi veteri adjunctam esse medicinalem Christi gratiam, cujus ope territi, humiliati, confessi sanari vellent; et obtinendæ sanitatis concepto desiderio, ad medicum, ejusque misericordiam confugerent. Alterum, gratiam illic ab Augustino simpliciter nominari pleniorem, robustioremque gratiam; ad quam per initialis adjumenta gratiæ pervenitur. Gratiam enim absolute postulari, exposcique docent illa loca : tum ad gratiam cogi, ac confugere territos, humiliatosque peccatores : gratiam ab illis quæri, et optari : et his alia similia, quæ de prima, et initiali gratia intelligi sine Pelagiana labe nequeunt. Necesse est igitur, ut, quod demonstrare volumus, gratiæ nomine solam complexus sit Augustinus firmiorem, et præcepti operis effectricem.

III. Idipsum innumera loca testantur, quibus idem Augustinus per fidem, hoc est per primum, ac sine ullis meritis concessum auxilium Christi, mereri nos, et impetrare gratiam asserit. Sic in epistola 105 [8]. « fidem *ait* mereri gratiam operandi. » Item, « per fidem impetrari gratiam, et justificationem. » Plura

[1] Ib. p. 389. — [2] 1. Cor. — [3] Lib. 1. c. 7. et hujus c. 2. — [4] Aug. ep. 95. — [5] Aug. Ser. 12. de ver. Apost. Pros. Sen. 321. [6] Tract. ad Psal. 102. — [7] Lib. 2. de ver. Præd. — [8] P. 182.

ejusdem generis testimonia citata ex Augustino reperies in libro decimo tomi primi [1], et in libro de hæresi Pelagiana [2]. Quibus in locis gratiam Christi solam interpretatur operatricem, et valentem, quæ antecedente gratia, et parto per hanc merito comparatur. Ad hæc sæpius Augustinus, cum de gratia Christi adversus Pelagianos disputat, eam vocat dilectionem, et charitatem; nec qualemcumque, sed qua operemur, et legem servemus, quod sine gratia non possumus. Hujus generis cum infinita sint exempla in libris Augustini, pauca hic in specimem afferam. Libro quarto ad Bonifacium, capite 5, Pelagianam gratiam cum catholica comparans, illam cognitione sola, hanc operum efficientia metitur. « Legem quippe diversis, *ait*, locutionum modis, et veritate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam; ut scilicet a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus : non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus : quæ proprie gratia est. Nam scientia legis sine charitate inflat, non ædificat. » Hic Augustinus Christi gratiam veram, et proprie dictam, quam Pelagiana impugnabat hæresis, ait esse charitatem non tenuem, et imbecillem, sed vegetam, efficacem et operatricem.

Rursus Augustinus in libro de Natura et gratia [3], Pelagianam gratiam refellens, eique Christianam opponens, illam ait in possibilitate bene agendi, et cavendi peccati ab illis constitui; sed naturaliter insita, hoc est in libero arbitrio : alteram vero in alio genere possibilitatis consistere, quæ est gratia, Christi adepta meritis, sive charitas, aut voluntas hominis adjuta per Dei gratiam. « Si enim possibilitas naturalis, *inquit* [4], per liberum arbitrium, et ad cognoscendum quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est, ergo evacuatum est scandalum crucis. » Et capite 42. « Neque de ipsa possibilitate contendo, *inquit*, cum, sanata et adjuta hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat; dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra sana, atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. » Vides ut proprie dictam, et germanam Christi gratiam in bene vivendi, et operandi possibilitate sitam, charitatem esse censeat, quæ est plenitudo legis, et in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffunditur.

IV. Sic in libro de gratia Christi [5], de eadem possibilitate disputat; Pelagiana scilicet, quæ in naturali recte vivendi potestate posita est; et Catholica, quæ est gratia [6] « hominem adjuvans, ut decline' a malo, et faciat bonum, non solum revelando, et ostendendo quid fieri debeat, sed etiam cooperando, et dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat. » Ergo talis ab illo definitur Christi gratia, quæ non solum demonstrat quid facere oporteat; sed etiam adjuvat ut possit fieri.

Et in libro de Spiritu et littera, capite 25. de veteris, ac novi Testamenti differentia, et utriusque proprio adjumento loquens; « Cum igitur hæc appareat, *inquit*, distantia veteris et novi Testamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur; ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram; hic dilector per vivificantem spiritum : non ideo dicendum est, quod Deus adjuvet nos ad operandam justitiam, atque operetur in nobis et velle, et operari pro bona voluntate, quia præceptis justitiæ forinsecus insonat sensibus nostris; sed quia intrinsecus incrementum dat, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Talem ecce novi Testamenti gratiam definit, qua per vivificantem spiritum dilectores sumus, et ad operandam justitiam adjuvamur, *diffusa charitate in cordibus nostris*.

Et in eodem libro, sub finem capitis 26. « hoc esse » dicit « pertinere ad Testamentum novum, legem Dei habere, non in tabulis, sed in cordibus scriptam : hoc est, intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur, quia ex fide justificat gentes Deus. » Itaque propria novi Testamenti gratia, est fides, quæ per charitatem operatur.

Item in libro de Fide et operibus, capite 23 [7]. « Ab hoc, *inquit*, reatu graviore liberat gratia Spiritus sancti per Jesum Christum Dominum nostrum, quæ, diffusa charitate in cordibus nostris, donat justitiæ delectationem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur. » Non minus hic plena, fortis, ac victrix denique concupiscentiæ gratia perhibetur. Tum in libro de gratia Christi capite 26. « Ac per hoc, *in-*

[1] Cap. 20. § 6. — [2] Cap. 10. § 4. tom. 3. — [3] Cap. 11. et 40. et aliis.

[4] Ibid. cap. 4. — [5] Vide cap. 3. et seq. — [6] Ib. cap. 3. — [7] Tom. 4. pag. 34.

quit, gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illo, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. »

Sic concilium Africanum, quod Milevitanum perperam inscribi solet, canone 4.[1] *Quisquis dixerit*, inquit, *eamdem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsum nobis revelatur, et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Vide ut gratiam Christi talem constituat, qua mandata servare Dei, et operari valeamus.

Sed infinita prope est similium testimoniorum copia, tam apud Augustinum, quam in Prosperi, aliorumque libris, qui Pelagianam hæresim oppugnarunt, ac de Christi gratia commentati sunt.

V. Quo quidem in loco, mira est apologistæ, totiusque adeo sectæ Armacanorum incogitantia; qui in Christi definienda gratia fœdo, et inextricabili errore sunt lapsi, ac densissimas sibi nebularum tenebras obduxerunt, e quibus eluctari, ac proripere se, sine manifesto fidei catholicæ periculo, ac dispendio nequeunt. Quam enim unicam, et proprie dictam Christi gratiam esse jubent, eam iis Augustini sententiis, et hujusmodi argumentis approbant, quæ hoc affirmare cogunt: nullam esse gratiam novi Testamenti præter robustam, et actuosam illam, qua mandata Dei servare, et quæ iis præcipiuntur proxime exequi possimus. Ex quo quæ in illos recidunt incommoda, et absurda, postea demonstrabimus. Nunc istorum rationes expromendæ sunt, et ad catholicam regulam exigendæ.

CAPUT QUINTUM.

Armacanos nullam Christi gratiam medicinalem agnoscere aliam quam charitatem, hoc est perfectam, demonstratur ex quinque argumentorum locis, quos in eam rem afferunt.

I. Quinque locos argumentorum supra capite primo percensuimus, quibus Armacani gratiæ Christi medicinalis in eo sitam esse rationem probant, ut sit « charitatis inspiratio, qua fiat, ut Deum vere, sincere, et ut oportet diligamus. » Ex illis primus locus eas Augustini sententias colligit, quæ « gratiam, de qua S. Augustinus satagit, et de qua proprie cum Pelagianis controversia fuit, » eam esse demonstrat, « qua fit ut homo, qui ante fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam. » Hanc porro malam, bonamque voluntatem ita describit citatus ibidem Augustinus libro secundo de Peccatorum meritis et remissione, cap. 18. « Quocirca quod a Deo nos avertimus, nostrum est; et hæc est voluntas mala: quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, et adjuvante non possumus; et hæc est voluntas bona. » Hinc esse consequens dico, gratiam, sive adjutorium medicinale gratiæ Christi, de quo lis inter Augustinum, et Pelagianos fuit, nullum aliud esse, quam perfectam charitatem, qua super omnia diligitur Deus, quæque peccandi voluntatem, et affectum excludit omnem. Etenim si nulla est alia Christi gratia, præter eam, qua Deum *vere, sincere, et ut oportet diligimus*; quæ est charitas, sive bona voluntas: cum eadem *bona voluntas* sit ejusmodi, qua a peccato nos avertimus, et ad Deum nos convertimus; quemadmodum mala voluntas est, qua nos a Deo avertimus, et ad creaturam convertimus; sequitur hanc ipsam aversionem a peccato, et conversionem ad Deum, ab ea effici gratia, quæ sola medicinale Christi auxilium dicitur: et quæ illo caret effecto, non esse Christi gratiam: hoc, inquam, Armacana ista doctrina, et ratiocinatione necessario concluditur. Atqui *vera, sincera, et qualem esse oportet*, aversio a peccato, et conversio ad Deum, omnem pec-

[1] Tom. 1. Conc. p. 866

cati affectum, ac malam voluntatem ex animo ejicit. Si enim peccare adhuc delectat, et pestiferæ cujuspiam voluptatis nexibus irretitus, ac constrictus tenetur, neque vere, ac sincere, nec ut oportet aut a peccato est aversus, aut ad Deum conversus. Quare nondum vera est adjutus Dei gratia; quæ sola veram istam conversionem efficit; cum nulla sit, ex novo illo dogmate, quæ non revera hoc efficiat, hoc est efficax sit. Quicumque ergo motus est animi, qui peccatorem ad Deum perfecte non convertit, nec avertit a peccandi affectu : quod plenæ est ac perfectæ voluntatis, id est charitatis : alienus est a medicinali adjutorio Christi.

II. Rursus ad ejusdem constituendam gratiæ proprietatem, quæ eam a Pelagiana distinguit, Augustini testimonium affert, quod illam esse bonam voluntatem indicat, sive charitatem. Cum enim Pelagius [1] *possibilitatem non peccandi*, sive [2] *gratiam*, *sine qua nihil boni possumus facere*, quæ est Christi medicinalis gratia, in natura, et libero arbitrio collocaret, ut refert Augustinus [3] : hic ex adverso pro catholica fide stans, eam *possibilitatem* contendit [4] esse *Christi gratiam*, sive *voluntatem hominis adjutam per Dei gratiam*. Quod latius disseruimus in libro decimo tomi primi de Deo [5]. Jam vero gratiam illam, sive possibilitatem, quam Pelagianæ veram, et catholicam opponit, idem Augustinus ejusmodi esse declarat, *qua quæ sunt facienda facimus*. Sic enim loquitur in libro de Hæresibus, capite 88. « Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantum existimantes ipsum adjuvantem per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, et quæ sperare debeamus : non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ dicerimus esse facienda faciamus. » Hic ergo gratiam Christi ita definit, ut sit efficiens operum bonorum; vel quæ possibilitas est [6] « ut a malo declinemus, bonumque faciamus. » Quam cum naturæ, ac liberi arbitrii viribus imputaret Pelagius, hoc est gratiæ, quam solam necessariam putabat, et quæ Pelagiana propterea vocatur : Augustinus veræ et catholicæ gratiæ tribuendam existimat; hoc est interiori auxilio, et motioni voluntatis, quæ ex Christi meritis confertur. Quidquid enim illud est boni, et ad salutem pertinentis, ad quod necessarium Dei auxilium, et gratiam Pelagius solam hominis naturam esse dicebat; ad hoc ipsum assequendum, præter naturam, proprie dictam Christi gratiam requiri, pugnabat Augustinus. Quare cum Pelagius boni operis effectionem nominatim determinet, cum usum illius, quam agnoscebat, necessitatemque gratiæ commendat : Augustinus ex adverso illam eamdem boni operis efficientiam Christi gratiæ subjicit, plerisque omnibus iis locis, unde argumenta petunt Armacani, quibus genus constitutæ a se gratiæ, ac proprietatem approbant.

III. Hoc ipsum suadet etiam locus alius, qui ex libri de gratia Christi capite 18. ab iisdem Armacanis profertur. Ibi Pelagium refert, possibilitatem boni vel mali faciendi a Deo insitam, in natura, et voluntate posuisse : « velut quamdam radicem fructiferam, atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat, et pariat, et qua possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. » En Pelagianæ gratiæ conditio, efficientiaque propria, et illud ipsum, ad quod necessariam eam esse sentiebat : nempe laudabiles actiones, et opera virtutum. Hunc reprehendit Augustinus, « quod unam, eamdemque radicem constituit bonorum et malorum, contra evangelicam veritatem, doctrinamque apostolicam. Nam et Dominus [7] nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos. Et apostolus Paulus [8], cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium charitatem. » Tum quid vera sit gratia contra Pelagium explicans, ait duas illas arbores esse duos homines, *bonum et malum*. Porro « quid est bonus homo, *ait*, nisi voluntatis bonæ, hoc est arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est arbor radicis malæ? » Est igitur gratia Christi, Pelagianæ opposita, *voluntas bona*, quæ est charitas, eademque *bona* est *arbor*, *quæ fructus bonos facit*. « Fructus autem harum radicum, atque arborum, ait Augustinus, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, et mala de mala. » Quare gratia Christi, quantum ex illo Augustini loco colligitur, ex quo veræ Christi gratiæ natu-

[1] August. de gest. Pelag. cap. 10. — [2] Idem de hær. c. 8. Tom. 6. p. 14. B. — [3] Lib. de Nat. et Grat. c. 10. et 11. et 45. et 51. Item lib. de Gr. Chr. cap. 4.

[4] August. de Nat. et Gr. cap. 42. — [5] Tom. 1. lib. 10. cap. 16. § 14. et seq. — [6] Lib. de Gr. Chr. cap. 5. — [7] Mat. 7. 17. — [8] 1. Tim. 6. 10.

ram, et proprietatem Armacani probare studeant, sola est ea, quæ opus bonum efficit; non illa imperfecta, et inchoata quæ in sola rudi adhuc, et imbecilla voluntate consistit. Nam et Christus in illo Matthæi loco, ubi arboris bonæ meminit, quam gratiam et charitatem cum Augustino interpretantur Armacani, fructus illi tribuit bonos, et ad usum utiles, nec solis est floribus, quasi rudimentis fructuum, initiisque contentus, nedum foliis: sed maturis, et edulibus pomis, quæ sine ullo temporis discrimine requirere se, et exigere in figurata illa fici damnatione significat [1]. Instar enim foliorum, quæ sola in fico reperit, aut ad summum florum, primus ille est voluntatis impetus, nonnulla boni capessendi, vel peccati fugiendi cupiditate perstrictæ; quale est initium bonæ voluntatis, ac fidei, quod in naturæ, ac liberi arbitrii potestate Massilienses constituebant: contra quos in libro de Prædestinatione sanctorum disputat Augustinus. Hoc enim primum est ac rude desiderium recuperandæ sanitatis: quales ii sunt arboris fructus, qui hanc ab excisione, et incendio liberare nequeunt: de quibus in illo ipso capite, ac sermone de arbore bona et mala, ita loquitur Christus [2]: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Ecquis ergo fructus bonæ arboris proprius? *Sed qui facit,* inquit, *voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Itaque gratia illa Christi, de qua loquitur Augustinus iis in locis, quos citat Armacanus, non est quælibet motio voluntatis, sed efficax, actuosa, vegeta, firma, operumque bonorum, ac perfectorum ferax.

IV. Tertius est locus argumentandi, quo gratiam Christi medicinalem Armacani probant veram esse proprieque dictam charitatem; quod Augustinus « gratiam Christi medicinalem docet esse suavitatem, qua fit ut diligamus Deum. » Quippe « gratiæ illius confessionem a Pelagianis quærit, qua fit ut peccata caveantur, tentationesque superentur. » Hinc autem, et ex omnibus Augustini sententiis, quas ad illud adstruendum colligunt, idipsum, quod hactenus pugnamus, efficitur, nullam esse medicinalem Christi gratiam, præter robustam, firmam, et operum molitricem charitatem; initalem autem animi affectum, qui in sola voluntatis, eaque rudi, et imbecilla motione consistit, non esse gratiam Christi. Etenim talem isti charitatem quærunt apud Augustinum, ejusque verbis, et auctoritate conficiunt, « qua et peccata caventur, et tentationes superantur. » Quod profecto non cujuscumque charitatis officium est, sed actuosæ, ac Deum omnibus anteponentis, non inchoatæ, nec perfectum adhuc robur adeptæ. Nec aliud Augustini testimonia præ se ferunt, quæ ab illis citantur. Ut quod in epistola 89. scribit: « Qui autem sic audiunt quod ait lex, Non concupisces, ut hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod jussum est dari sibi virtutem credant, et petant, ad hoc eis lex subintravit, ut abundaret delictum. » Quodnam aliud gratiæ, ac charitatis genus indicatur his verbis, nisi perfectæ, et ad operandum efficacis, ac strenuæ? Tum paucis interjectis, ejusmodi « gratiæ benignum adjutorium » opponit Pelagianæ gratiæ, « quod ad faciendam justitiam, dato legis præcepto necessarium est. » Inde hanc ipsam *charitatem* ait *esse plenitudinem legis.* Eodem pertinet quod ex initio epist. 94. ab illis profertur, ubi ait August. « novam quamdam hæresim, et inimicam gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conari insurgere, hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, et non peccandi possibilitate creati sumus, et Dei mandata, quæ a nobis implerentur, accepimus. Ceterum ad eadem mandata servanda et implenda nullo divino adjutorio nos egere. » Et hic locus gratiam Christi solam hanc exprimit, qua mandata servare et implere possumus.

V. Ita quartum genus argumenti eamdem commendat gratiam, actuosam scilicet, et operum effectricem, cum ex Augustino probare student Armacani, illud esse « verum adjutorium Christi, quo divinitus adjuvamur, ut declinemus a malo, et faciamus bonum, quibus duobus universa justitia hominis comprehenditur. » Idque omnes Augustini ab illis prolatæ sententiæ confirmant. Ut quæ ex libro de Spiritu et littera, fine capitis 14. proponitur. « Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter: et ideo non fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Porro autem si adsit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi, etc. » Hic si gratia Christi *in amore justitiæ*, et *fide per dilectionem operante* ab Augustino significatur, et *in fructum ferente charitate*: profecto quæ-

[1] Matt. 21. 19. et Mar. 11. 13.

[2] Matt. 7. 21.

cumque hoc ex loco, et ceteris, quæ sunt similibus concepta verbis, medicinalis gratia Christi, ac Pelagianæ opposita conficitur, operatrix est, et fructifera ; nec alia dici Christi gratia debet, nisi quæ operis est effectrix, hoc est adulta jam et robur adepta. Sic qui ab iisdem Armacanis affertur locus ex epistola Augustini 120. nullam aliam, nisi perfectam charitatem sonat, expultricem timoris, et concupiscentiæ domitricem, ac legis observantem, id est præceptorum operum executricem, ut et alia ex Augustino eodem adjuncta loca demonstrant.

VI. Idipsum quinto ex argumentorum capite, et ad hoc adscriptis Augustini testimoniis apud dogmatistas, ostenditur. Siquidem « illud solum, unicum, et verum gratiæ Christi, et gratiæ novi Testamenti adjutorium, contra naturam, legem, doctrinam, præcepti cognitionem, peccati remissionem distinctum ; illud, inquam, quo dilectio justitiæ, seu charitas diffunditur in cordibus nostris, ut ex ista Dei dilectione præcepta faciamus, » quærere se, et ex Augustini locis demonstrare profitentur. Hoc autem non quodlibet est auxilium gratiæ, vel voluntatis impulsio ; sed ejusmodi plane, quod vegetum sit, ac firmum, atque perfectum.

Non aliud significant Augustini sententiæ omnes, quibus ad hujusmodi probandam gratiam utuntur, quæ partim ex libro de Spiritu et littera, partim ex libro de gratia Christi petitæ sunt : paucæ ex aliis libris excerptæ. Omnes autem eo conspirant, ut Christi gratia sit adjutorium validum ac perfectum, quo non solum velimus quod bonum est, sed etiam operemur. Sic enim in libro de Spiritu et littera, capite 25. gratia Christi, sive novi Testamenti, in eo proposita dicitur, « quod Deus adjuvet nos ad operandam justitiam, etc. diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Et capite 26. « Eamdem gratiam in eo definitam *ait*, ut scribantur leges Dei in cordibus hominum, etc. Hoc donum Spiritus sancti est, quod diffundit charitas in cordibus nostris : charitas non quælibet, sed charitas Dei de corde puro, et conscientia bona, et conscientia non ficta. »

In libro porro de gratia Christi[1], Pelagium redarguit, quod Deum neget adjuvare hominem, « dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse noverit faciat. » Et in quinto ac sexto capite, talem describit eamdem gratiam, qua adjuti reipsa, et *actu ipso*, ut loquuntur, operamur. « Qua gratia, inquit capite 12, agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus. » Hoc idem « adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ, per inspirationem flagrantissimæ, et luminosissimæ charitatis, » in scriptis Pelagii « non apparere omnino » queritur capite 35. Tale, inquam, auxilium, « quo adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat, » ait cap. 41. Cui consentanea sunt ab illis prolata cetera Augustini testimonia : tum vero concilii Carthaginensis canon quartus, qui falso Milevitano tribuitur ; in quo « gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc adjuvare nos » dicitur, « ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus. »

CAPUT SEXTUM.

1. Repetuntur summatim quæ in prioribus capitibus disputata sunt, ac pessime de gratia Christi sentire Anomos ostenditur, qui eam perfecta charitate circumscribunt. — 2. Idque perperam Augustini auctoritate defendere. — 3. Quod ut probetur, explicatur pauca Pelagiana hæresis. — 4. Tum Semipelagiana. Contra priorem disputans Augustinus gratiam ea notione sumpsit, qua est operum effectrix. — 6. Contenduntur inter se gratia ab Augustino tradita, et Pelagiana. — 7. Et illustrantur.

I. Duo sunt, quæ superioribus libri hujus quinque capitibus explicare, ac non indoctis hominibus probare volui ; et quod volui, prorsus confido me esse consecutum. Alterum fuit, Augustini testimonia, quæ ab Armacanis antiquæ legis hostibus ad declarandam veram et unicam Christi gratiam in medium allata sunt, pleraque omnia gratiam illam signifi-

[1] Lib. de Gr. Chr. cap. 3.

care, ac prædicare Christi, quæ operum bonorum efficientiam, et eorum, quæ lege præcepta sunt, exequendorum vim homini, roburque sufficiat. Alterum, pessime iisdem ex locis ratiocinari Armacanos istos, qui « proprie dictam Salvatoris gratiam, prout gratia proprie dicta Christi a scientia distinguitur, de qua sanctus Augustinus satagit, et de qua proprie cum Pelagianis controversia fuit, » solam esse volunt gratiam istam, quam ex illis Augustini locis eruere, et adversus communem theologorum sensum vindicare profitentur: nempe, ut ipsi dictitant, « solam charitatis inspirationem, qua fit, ut Deum vere, sincere, et ut oportet diligamus. » Hanc enim, quod et ipsi non dissimulant, Augustini testimonia illa, quibus utuntur, aperte, uniceque demonstrant. Atqui falsam, et hæreticam esse opinionem istam, satis constare arbitror ex antecedentibus capitibus [1]: unde eam Semipelagianorum esse propriam, vel horum potius errore detestabiliorem ostenditur: quoniam primis initiis, rudimentisque voluntatis, quæ ab Christi gratia excipere dimidiati isti Pelagiani solebant, multo præstantiora, et robustiora sunt effecta illa, quæ ab eo removentur genere gratiæ, quod Armacani solum esse proprie dictum ex Augustini sententiis asseverant: ut in secundo ac tertio capite docuimus.

II. Nec ad sublevandos novos dogmatistas, et ab consortio Semipelagianæ fæcis eximendos juvat illud, quod interdum [2] charitatem istam cui soli gratiæ Christi medicinalis nomen inscribunt, non ejusmodi esse dicunt, *qua super omnia diligitur Deus;* sed nonnunquam tenuem, et simpliciorem esse, *quæ in inferiori affectu hæreat* : nihil hoc, inquam, illos adjuvat. Nam qualemcumque hunc dilectionis affectum, in quo solo proprie dictam Christi gratiam constituunt, asserunt eam esse charitatem, « qua vere, sincere, et gratis, ex animo, propter seipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligitur Deus. » Atqui plures voluntatis motiones, quas ad justificationem obtinendam synodus Tridentina *dispositiones* nominat, affectum illum perfectæ dilectionis antecedunt; et eædem nihilominus ad veram Christi gratiam, et auxilia proprie dicta pertinent, uti supra demonstravimus [3].

Deinde quamvis Armacanus igniculos istos inchoatæ, necdum perfectæ dilectionis in censum referat medicinalis gratiæ Christi, et utcumque aliis in locis de vera Christi gratia loquatur, et sentiat; tenetur tamen in hoc ipso, quod quam unicam docet esse gratiam Christi, et quam ex Augustini dictis informare, ac probare studet, ex illis ipsis Augustini sententiis talis ea conficitur, et existit, quæ non rudis, et inchoata sit, primusque veluti conatus et impetus emergentis ex peccati statu voluntatis: sed robusta, et ad operandum efficax, et vegeta illius impulsio. Quam in plerisque citatis ex Augustino testimoniis appellari vidimus *fidem, quæ per charitatem operatur;* vel *dilectionem* illam, *quæ est plenitudo legis.* Cujusmodi sane non quicumque est *charitatis* affectus, nec exiguum, et quasi adumbratum medicinalis gratiæ lineamentum: sed maturus jam et adultus gratiæ vigor; qui plenis ac perfectis viribus ad agendum hominem instruat, ut ad observanda Dei præcepta, et exequenda virtutum officia convalescat.

Quamobrem cum alterutrum horum necesse sit; vel absurdissime de Christi gratia scripsisse, ac sibi ipsi contradicere sanctum Augustinum, si Armacani bona fide mentem ejus interpretati sunt; vel istos ad hæresim suam roborandam illius auctoritate abusos esse, si is in recte sentiendo constans sibi fuerit: quis non posterius hoc præoptet, ac præponat alteri, facileque det istos nihil ad Augustini tractationem præter occupatum studio partium animum, ac veritatis inscitiam attulisse? quod ego planum ac perspicuum, uti spero, deinceps omnibus faciam; certa potissimum notatione, animadversioneque tradenda, qua quidem ad Augustini intelligentiam non utili tantum, sed etiam necessaria, funditus illi caruerunt.

III. Eorum, qui in oppugnanda Christi gratia adversantem sibi nacti sunt Augustinum, duplex genus omnino fuit: Pelagiani, et qui Massilienses, ac Semipelagiani postea vocati sunt. Sed cum prioribus antiquius, et diuturnius, adeoque pertinacius certamen ille suscepit: cum posterioribus vero, inclinante jam ætate, cœpit confligere, cum a Prospero, et Hilario de suborta hæresi Pelagianæ nova illa propagine esset admonitus. Quo tempore libros elucubravit duos; unum *de Prædestinatione sanctorum,* alterum, *de dono Perseverantiæ* : quibus ea complexus est, quæ ad Semipelagianos istos proprie pertinebant. Igitur ut erant duarum illarum dogmata factionum, et principia, quibus innitebantur; ita quæ adversus singulos disputavit, ad eorum usum tem-

[1] Cap. 2. 3. 4. — [2] Vide sup. cap. 1. part. 4. [3] Cap. 2. et 3.

perare studuit; et gratiæ Christi, de qua contendebatur, qualitatem, efficientiam, ac proprietatem constituit. Pelagius gratiæ Christi, quæ quidem proprie sic vocatur, necessitatem funditus, et universe sustulit; asserens absque illa posse hominem non converti solum ad Deum, verum etiam perfectum tam honestæ, quam Christianæ vitæ statum, adeoque sempiternam salutem adipisci: tametsi tum ad regni cœlestis obtinendam gloriam, Christi notitia absolute necessaria illi visa sit: tum ad idem illud assequendum, reliqua omnis gratia magis utilis, quam necessaria. Hanc Pelagii hæresim fuisse, testis est qui id ubique prædicat Augustinus. Ut cum in Epistola 94. « novam quamdam *ait* hæresim inimicam gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conari exurgere, hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, et non peccandi possibilitate creati sumus, et Dei mandata, quæ a nobis implerentur, accepimus. Ceterum ad eadem mandata servanda, et implenda nullo divino adjutorio nos egere. » Sic epistola synodica concilii Carthaginensis, quæ inter Augustinianas nonagesima censetur, asserit, hæresim eamdem nullam *aliam Dei gratiam* agnoscere, præter *voluntatem* hominis *propriam*, « qua legem Dei possit implere. » Et, « nullum relinquere locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus. » Et Hieronymus [1] Pelagianos ait negare, « liberum arbitrium Dei niti auxilio, illiusque per singula ope indigere. »

IV. Semipelagiani vero ad bene operandum, et ad salutem consequendam necessariam confitentes esse gratiam, eamdem ad initium fidei, ac bonæ voluntatis minime requirebant. Verum unumquemque putabant inditis a Deo liberæ voluntatis, ac naturæ viribus posse salutis desiderium, et initium aliquod fidei concipere: ut ad gratiam conferendam Deus « non opera quærat; sed fidei nostræ devotione contentus sit; » ut ait Faustus Rhegiensis libro primo de Libero arbitrio, capite septimo, etc. « Sicut enim ad Deum largitio remunerandi, ita ad hominem devotio respicit inquirendi, » ait idem. Et paulo post: « Prima itaque vocatio compendium fidei requirit a nobis. Sequentis vero temporis gratia redemptis, ablutis, innovatis, sedulitatem operis, et curam laboriosæ servitutis indicit. » Et, « Fidem expectat a parvulis: opera etiam cum fide a confirmatis requirit: ita tamen ut credulitatis affectum proficientibus augeat, et laborantibus adjutor quotidianus assistat. » Tum capite decimo, disertius expressiusque errorem eumdem explicat: ubi inter cetera scribit, « Sicut dextram in omni homine ipse formavit; sed in potestate hominis posuit, ut eam quo vellet extenderet, et ad diversa opera conferret; pari modo sensum rationis, et arbitrium voluntatis in unamquamque animam inseruit, inspiravit, infudit; sed eam in manu humani consilii moderandam, et exercendam reliquit, ejusque officia juri hominis dominioque commisit, ut si malum depravatus appeteret, in arbitrii libertate permissum sibi sciret, licere nesciret. Si autem bonum caperet, actionem et perfectionem ejus a conditore deposceret, ad mercedem vero illius officiosa devotio pertineret. Et ideo hominis formator, et rector, bonæ voluntatis homini deputavit usum, sibi reservavit affectum. Non ergo æquum justumque uni velle concessit, et alteri denegavit. Sed sicut omni homini manum, oculum, gressumque donavit, ita similiter omni homini voluntatem, ut eam in quamlibet partem versaret, indulsit. »

V. Adversus utrosque disputans Augustinus, de gratia non eodem modo locutus est. Sed contra Pelagianos contendens, gratiam Christi generatim, et quam ample, lateque patet accepit. Nam qui totam funditus gratiam abnegabant, nec eam ad bona opera, vel salutem consequendam, imo ne ad perfectionem quidem Christianæ virtutis obtinendam, necessariam esse dictitabant, sic eos retundendos statuit, ut quod in illorum hæresi pestilentissimum, ac perniciosissimum erat, id potissimum everteret; cum hoc probaret, ac doceret, neque bonum opus ullum, nedum perfectum, sine gratia fieri, nec ad vitam æternam sine gratia Christi perveniri posse. Satis illud constat, Pelagium, ut sine auxilio gratiæ affatim in libero arbitrio inesse virium ad bonam beatamque vitam assequendam ostenderet, eo præsertim argumento uti solitum, quod frustra Deus homini legem, ac præcepta componendæ vitæ, et ad salutem comparandam idonea dedisset, nisi tantum roboris naturæ illius ingenuisset, quantum ad ea exequenda sufficeret. Declarant hoc omnia illa testimonia, quæ ex Augustino proferunt Armacani, ut qualis sit gratia Christi, illius auctoritate demonstrent; quorum aliqua superiori capite congessimus. Hæc enim gratiæ genus illud osten-

[1] Hieron. ad Ctesiph. col. 814. Vide supra lib. de Pelag. hær. cap. 2.

tant quod ad operandum efficax est, ac validum : qualis est perfecta jam, et corroborata dilectio, non rudis, et initialis, ut sæpe diximus.

VI. Ut autem melius hoc intelligi possit, expendendum illud est in primis, quis sit communis de gratia Christianorum sensus : et quæ sit antecepta illorum mentibus rei istius informatio, quam Græci προλῆψιν vocant, cum de gratia cogitant, aut loquuntur. Nimirum auxilium aliquod Dei statim animo describunt, quo ad vitam laudabiliter instituendam, et ad Christianarum officia virtutum, et bona opera præstanda, ac postremo ad æternam vitam comparandam divinitus adjuvamur : quem ad usum finemque adeo illam necessariam agnoscunt; ut sine ea boni neque facere aliquid in vita, neque post mortem consequi possimus. Hanc Christi gratiæ notionem docti indoctique pariter animo versant, cum de ea sermo illis oritur ; nec olim Pelagianos inter et Catholicos ulla fuit de ista communi gratiæ significatione dissensio. Verum in constituendo gratiæ, auxiliique genere, summa inter utrosque contentione certatum est. Ac Pelagius quidem de gratia, ejusque necessitate sic universe sentiebat, ut multis audientibus aliquando dixerit[1] : « Anathema qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam : et qui hanc conantur auferre, pœnas sortiuntur æternas. » Cujusmodi et Catholicorum erat professio. Sed illi gratiæ nomine vel naturam ipsam, et liberum hominis arbitrium, vel peccatorum remissionem, vel legis notitiam, ac scientiæ revelationem intelligebant ; ita ut ad sublevandam, corroborandamque voluntatem, nullum in eam proprie, ac proxime derivaretur auxilium, quod illius imbecillitatem erigeret, et ad agendum opitularetur. Catholici vero, præter illa cum Pelagianis communia sibi præsidia, interiora quædam alia requirebant, quæ charitatis, ac dilectionis, vel fidei per charitatem operatæ nomine complecti solet Augustinus.

VII. Ambo ista gratiæ genera declarat, et sibi mutuo opponit Augustinus cum multis in locis, tum in calce epistolæ 143. ubi primum callidam, et ambiguam de Christi gratia mentionem a Pelagio factam queritur in epistola ad Demetriadem virginem : in qua non satis explicabat, cujusmodi gratiam intelligeret, eamne, quæ ad solam scientiam, aut externam prædicationem, atque ejusmodi cetera refertur ; an potius « tantas voluntatis vires ; tantum dilectionis ardorem » ex spiritu sapientiæ manantem, « qui sufficiat ad implendam magnitudinem continentiæ ; » qualem a Deo postulandam scivit, impetravitque Sapiens[2]. Tum ita pergit scribere : « Satis enim dici non potest, quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter acrimoniam, atque facundiam leguntur a plurimis, apertam confessionem illius gratiæ reperiri, quam vehementer commendat Apostolus, qui etiam ipsius mensuram fidei, sine qua impossibile est Deo placere, ex qua justus vivit, quæ per dilectionem operatur, ante quam, et sine qua omnino nulla cujusquam bona opera existimanda sunt, quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Deum dicit unicuique partitum. Nec sola revelatione scientiæ nos divinitus adjuvari, ut pie, justeque vivamus, quæ sine charitate inflat ; verum etiam inspiratione charitatis ipsius, quæ plenitudo legis est, et quæ cor nostrum, ut scientia non inflet, ædificat. »

Hic perspicuum est, Augustinum utramque gratiam Christi, quam et Pelagius, et Catholici prædicabant, talem exprimere, qua bona opera fiunt, et virtutum officia præstantur. Certe veram et Christianam gratiam hujusmodi lectoribus objicit, quæ « ad implendam continentiæ magnitudinem sufficit : et ex qua justus vivit ; quæ bona opera nostra reddit ; quæ plenitudo legis est. »

Omitto cetera Augustini loca, in quibus duo inter se comparantur illa gratiæ genera : quorum haud pauca alibi collegimus[3]. In quibus omnibus talia opponuntur inter se adjumenta gratiæ, quæ Pelagius, et quæ Augustinus asserebant, ut perfectam utraque charitatem præ se ferant. Merito id quidem ; nam et alioqui usitata res est, et more hominum recepta, ut cum de naturali aliqua potentia, et facultate, vel de arte, et scientia disputamus, ac naturam illarum, et efficientiam explicare volumus, eum ex multis usum illarum, et actionem, affectionemve nominemus, quæ est omnium præcipua, et ad quam ceteræ tendunt ac referuntur, velut ad ultimum finem, quæ ejusdem esse possunt artis, aut facultatis actiones. Sic medicinam definimus eam artem, quæ ægris corporibus sanitatem restituit, ac morbos depellit. Atqui non ea sola

[1] Pelag. apud August. lib. 1. de Gr. Chr. cap. 2.

[2] Sap. 8. 11. — [3] Ut supra lib. de Pelag. hær. cap. 10.

est effectio medicinæ, proxime curare morbos, ac sanitatem reddere : sed sunt alia plurima ejusdem artis opera, quæ in morbum ipsum, aut sanitatem nihil ex propinquo actionis exercent, sed ad principalem efficientiam aliqua ratione conducunt : velut est herbas legere, et alia necessaria comparare ad morborum remedia, idque suis temporibus, ac certis opportunitatibus facere, victum quotidianum, ac diætam præscribere, explorare venam, scrutari corporis temperiem ; et id genus infinita alia, quæ cum ex scientia, et præscripto illius artis administrentur, nihil tamen in morbum per sese, sed ex loginquo moliuntur, et ad primarium artis opus apparandum, gubernandum, dirigendum, exequendumque conferunt. Idipsum de architectura, pictura et reliquis fere artibus usurpare licet. Nam si architectura quid sit, sive potius græce, οἰκοδομητικὴ τέχνη, roget aliquis, statim respondetur, artem esse domus fabricandæ. At quam multa ejusdem opera præcedere necesse est, antequam ad ultimum illud, et principale veniatur ? Sic picturæ opus esse respondebimus, corporearum rerum imagines lineamentis, et coloribus exprimere. Dici vix potest, quam multa prius efficienda pictori sint, quam postremum illud proxime attingat, et absolvat.

VIII. Hoc si ad propositum transferatur, incredibile est quantam lucem afferat, tum ad universum Christianæ gratiæ genus explicandum ; tum ad Augustini indagandum, eruendumque sensum ; tum postremo ad Armacanorum castigandam licentiam. Intelligimus enim gratiæ nomen, et efficientiam, hoc est medicationem animorum, sic late patere, uti corporum curationem : ac præcipuum illius opus, et ad quod adhibentur, comparanturque reliqua, esse, peccati abstersa labe et ægritudine, animæ sanitatem restituere. Sed ut eo perveniatur, multa prius agi, efficique oportere ; et rudimentis quibusdam, inchoationibusque virtutum, ac certa veluti disciplina paulatim ad summum ultimumque provehi. Quem progressum supra, capite secundo, ex Tridentini concilii auctoritate descripsimus.

Quamobrem quod Augustinus illis in locis, quæ ad constituendam naturam gratiæ Armacani in medium proferunt, iis eam verbis, ac sententiis circumscribere videtur, quæ peccati omnis expultricem, et eorum, quæ lex divina præcipit, effectricem, ac perfecte demum actuosam illam prædicant, non alio sensu prudens quisque, et non prorsus absurdus interpretabitur. Minime omnium, si Christianus et Catholicus sit, ex eo verum putabit esse, quod soli Armacani somniant, nullum aliud Augustinum agnovisse Christi gratiæ genus, vel *medicinale auxilium* novi Testamenti ; præterquam eximiam ac perfectam dilectionem, qua Deus propter se, vel propter seipsam justitia diligitur. Nec motus animi ceteros, qui affectum illum antecedunt, atque ipsum adeo gehennæ metum, quo a peccandi voluntate initio absterrentur homines, alienum ab eodem illo genere gratiæ medicinalis statuet, aut solis imputabit naturæ viribus. Quod quidem ab Armacanis fieri, et germanos ideo Pelagianos merito censendos esse, in sequentibus demonstrare pergam.

CAPUT SEPTIMUM.

1. De metu gehennæ, quem bonum esse catholica fides docet in Tridentino concilio statuta. — 2. Armacanorum varia, et hæretica de illo sententia. — 3. Quam negant ex Christi esse gratia. — 4. Sed ex Tridentino ipso decreto refelluntur. — 5. Eorumdem æstus et perplexa ratio. — 6. Lutheri de eodem metu, et ex eo suscepto dolore damnata opinio. — 7. Plane eadem quam instaurarunt Armacani.

I. Qui gratiam Christi medicinalem, sola vera charitatis inspiratione definiunt, nullum illius effectum esse judicant, præter dilectionem proprie dictam, qua justitia propter se, sive suapte causa is, qui justitia est, amatur Deus. Ea novæ sectæ est opinio, quam illius princeps iis verbis complectitur : « Gratia Christi tantummodo ad diligendum in cujusvis præcepti

impletione Deum, necessaria est : » tum aliis, quæ initio libri hujus exposui. Ex quibus sequi videtur, pœnæ ac gehennæ metum, et quæ ex eo proficiscuntur opera, non ex Christi gratia derivari ; et eo ipso bona, et honesta non esse : imo mala esse potius. Quod enim ex charitate non fit, id ex nulla fit virtute : ut est eorumdem Armacanorum sententia, qui virtutem omnem, esse charitatem existimant. Quod autem sine virtute agitur, si ex libera voluntate pendet, in malo ac vitio numeratur.

Atqui Tridentinum concilium [1] *anathema esse* decrevit, *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere.*

Hæc synodalis decreti sanctio novæ sectæ principes non quidem ad sanitatem, ac bonam mentem revocare potuit : sed hoc egit interim, uti sensus animi sui tectius, et obscurius expromerent, atque inconstantia sermonis, et ambiguitate lectores in diversa distraherent ; quo minus ad intimum eorum, arcanumque dogma curarent, possentve pertingere.

II. Certe dux illorum et antistes, cum de ea quæstione disputat, sic impeditus, et perplexus est, ac secum adeo disconvenit, ut apud hunc, parturientis feminæ nixum morosa quædam et scrupulosa verborum anxietas imitata videatur.

Primum ille « timorem gehennæ, sive pœnæ in se consideratum, sive parvum, sive magnum, sive remissum, sive intensum, esse utilem ac bonum » fatetur, quod ita definierit Tridentina synodus. Verum paulo post, illam ipsam professionem veri dogmatis quibusdam additamentis inficit, et ab synodalis decreti sententia detorquet ; quasi cum adversariis, quos illo canone confixit Synodus, colludere, ac prævaricari instituerit ; quod postea demonstrabitur. Nam timorem istum gehennæ, si in illo hæreatur, hoc est, nisi ex charitate proficiscatur, inordinatum vitiosumque fieri dicit, cum ex se sit bonus. Quemadmodum « licita, bonaque est, *ait*, voluntas assumendi cibi, et potus, appetitus tuendæ salutis corporalis, concubitus inter conjuges, scientiæ comparandæ studium, et infinita similia : quis tamen ignoret, ab iis, qui in hujusmodi rerum delectationibus hærent, per quas eis transeundum erat, gula, luxuria, curiositate, vanitate peccari? Nam hoc ipso, quo in rebus istiusmodi, velut jucundis, ac delectabilibus, animus commoratur, per quas tanquam peregrinus ad patriam, delectationum omnium fontem, tendere debet, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit. Nam ista, et non alia, est omnium perversitas, fruentium rebus illis, quibus utendum est. »

Quin idem postea quærit, « utrum timorem sempiterni interitus et gehennæ Deus immittat homini, an naturaliter ex naturæ viribus fluat. » Cui mox respondet : « non videri quemquam posse diffiteri, quin Deus eum in animo timentis operetur. » Idque ex Augustino [2] probat, qui « a Deo molliente cor hominis » oriri illum docet.

Addit, spiritum illum timoris, et servitutis Testamenti veteris proprium esse, sicut spiritus amoris proprius est novi. « Uterque tamen, *ait*, a Deo datus, et acceptus. Imo idem ipse spiritus fuisse significatur, qui propter diversos effectus utroque nomine nuncupatus sit. » Quod ex Augustino quoque [3] demonstrat.

III. Verum paucis interjectis, negat ex gratia Christi timorem istum proficisci. « Quamvis igitur fatendum sit, *inquit*, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari ; nullo tamen modo arbitrandum est, quod eum per illam veram Christi gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus est, operatur. Nam ista gratia effectum prorsus oppositum in voluntate facit. Est enim inspiratio cœlestis delectationis, qua Deus incipit dulcescere, quem timebat : quaque dulcedine perfusus animus, jam non formidine pœnæ, sed justitiæ dilectione operatur bonum. » Quare « operatur, *inquit*, Deus pœnarum timorem per aliam longe inferioris notæ gratiam : quæ, postquam infixa fuerit in animo judicii divini, sempiternæque pœnæ fides, fortassis gratiam peculiaris cujusdam, sive internæ, sive externæ providentiæ, et operationis non excedit. »

Quocirca eo tandem labitur, ut « timorem pœnæ, et opus justitiæ, quod ex timore imperatur, fidem quidem prærequirere » censeat, « sed ea jam in animo radicata, proprie strictequeque dictam Christi gratiam non exigere, sed ex proprii arbitrii viribus posse prosilire. »

« Quod si Deus timorem istum sua providentia in animis peccatorum vel semper, vel subinde concitet, vel etiam, si ita libet, interius inspiret, ea longe alterius rationis est, quam ea Christi gratia, de qua hactenus disse-

[1] Sess. 6. can. 8. — [2] Lib. Ann. in Job. c. 23.

[3] Serm. 13. de ver. Apost. c. 13. et qu. 55. super Exo.

ruimus. Limites enim naturalis providentiæ, quantum ad substantiam non excedit : cujusmodi gratiam etiam Pelagiani multis modis agnoverunt, et confessi sunt. »

Denique peccatum ex mero timore gehennæ sic vitari posse negat, ut vitando non peccatum aliud admittatur ; quandoquidem timori isti semper adjuncta est peccandi voluntas, si id impune liceret. Hæc de timore pœnæ ac gehennæ novæ sectæ patroni, ac principis est opinio ; quæ semetipsam evertit, ac plane sibi contraria est.

IV. Ex his considerandum primo istud est, quod sic esse timorem illum pœnæ indicat, ut est vescendi, ac bibendi voluntas, quæ nec per se bona est, nec mala ; sed ex genere τῶν ἀδιαφόρων, quæ pro utentis affectione ac voluntate, bonitatem ac malitiam capiunt : hujusmodi videlicet, quæ cum honestate, vel turpitudine conjuncta sit, quam *moralem* vocant. Nam si de naturali agitur, talis inest illis, qualis in naturalibus appetitionibus reliquis cernitur, quæ nec laude per sese, nec vituperatione dignæ sunt, sed mediæ, et indifferentes habentur, ut dixi, ac pro voluntatis usu, et impulsu, ad genus alterutrum pertinent. Jam si eamdem putat esse rationem timoris illius, et operis, quod ex eo fit ; vehementer fallitur, ac tam a seipso, quam ab catholicæ fidei regula dissentit, quam ipse sibi ex Tridentini concilii canone præcripsit. Etenim Tridentini Patres de præparationibus illic agunt, quibus ad justificationem, id est sanctitatem, ac justitiam capiendam, idonei fiunt homines ; quas quidem interiore animi permotione, et inspiratione constare docet, hoc est[1] « per excitantem, et adjuvantem Dei gratiam » effici ; « qua convertuntur eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando : ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens ; quippe qui et illam abjicere potest ; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. »

Quod igitur ex illa gratia, et consentiente voluntate proficiscitur, neque naturalis est, neque indifferens actio, sed bona est, et honesta. Nihil enim, nisi quod est hujusmodi, ex inspiratione Spiritus sancti, et gratia potest effici. Multo vero minus malum ac vitiosum illud esse potest, quod ex afflatu illo, operationeque gratiæ, ac sancti Spiritus efficitur.

[1] Trident. Conc. sess. 6. cap. 5.

V. In quo quis Armacanorum ἀλογίαν pro merito castigare possit : qui in se ipsos turpiter incurrunt, et priora decreta posterioribus, iisdemque contrariis evertunt? Postquam enim timorem gehennæ *in se consideratum, utilem, ac bonum esse* statuerunt, Tridentinæ synodi auctoritate permoti ; mox istam ipsam valere jubentes, ac ludibrio habentes auctoritatem Synodi, eumdem, nisi ex charitate prodeat, hoc est nisi id quod erat esse desinat, gehennæ metum vitiosum ac damnandum esse decernunt. Atqui de timore illo gehennæ proposita quæstio est, non qui ex charitate suscipitur, et ab ea imperatur, ac dirigitur. Stulta enim esset ista dubitatio, an sit bonus ; cum quidquid ex charitate fit, citra controversiam bonum sit. Sed de hujusmodi metu dubitatur, ac quæritur, qui citra charitatem, per sese, ac natura sua, et proprietate censetur. Vide enim unde nata, et quemadmodum concepta sit ab Armacano ista quæstio. Dixerat, et latissime hactenus probaverat, « gratiam Christi medicinalem ad opera solius dilectionis, quæ in virtutibus omnibus Christianis implicatur, necessariam esse. » Ex quo quid movere quempiam possit, ita subjungit : « Hinc vero dubium alicui subnasci posset, quid de operibus ex timore damnationis, seu gehennæ profectis existimandum sit. Nam illa videntur esse opera vere bona : quandoquidem attritio ex isto timore nata, etiam sit dispositio ad justificationem, dummodo sit conjuncta sacramento Pœnitentiæ. »

Apparet hic de timore damnationis inquiri, ac dubitari, non qui ex affectu charitatis oritur ; cum jam decisum, definitumque esse dicat, ad hujusmodi opera, quæ fiunt ex dilectione, gratiam Christi esse necessariam : sed de timore illo per se, et in propria ratione considerato, qua pœnæ est, ac gehennæ horror, et fuga, tanquam mali, et incommodi proprii. Talis enim intelligitur timor, qui cum sacramento Pœnitentiæ præparatio esse dicitur ad justificationem : non ille qui ex charitate proficiscitur.

VI. De istiusmodi ergo timore, qui a charitate diversus est, et eam præcedit, omnino disputare instituit Armacanus : eumdemque mox propter Tridentinum decretum, *utilem ac bonum* esse decernit. Nam et Tridentinum concilium, ut supra demonstravimus, de affectu illo timoris canonem suum edidit, non qui ex charitate nascitur, sed qui, ut dixi, *dispositio* est ad charitatem, et justitiam. Nec multum acuti est hominis hoc partim ex ca-

pite sexto sessionis sextæ, partim ex canonis octavi verbis colligere. *Si quis dixerit*, ait in canone, *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Quod decretum non adversus mortales ullos conditum est, qui metum gehennæ ex affectu charitatis ortum peccatum esse statuerint : nec enim fando istud hactenus est auditum : sed adversus recentiores hæreticos, imprimisque Lutherum ; qui de timore gehennæ, deque contritione ex illo suscepta, idem prorsus, atque iisdem propemodum verbis, et argumentis asseruit, quibus Armacanus.

Lutherus enim in articulo sexto de quadraginta et uno [1], quos Leo decimus in bulla sua damnavit, affirmat istud : « Contritio, quæ paratur per discussionem , collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem ; hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. » Quem articulum ab Leone, uti dixi, notatum anathemate, Lutherus in eo libro propugnans, qui *Assertio articulorum Martini Lutheri per bullam Leonis X. damnatorum* inscribitur, prorsus idem, quod Armacanus, docet : ut hic ex illo quæ scripsit hausisse videatur. Sic enim scribit Lutherus [2] : « Primum hoc nemo negabit, contritionem quantumlibet magnam, *nisi fiat amore justitiæ*, et ut ipsimet dicunt, *in charitate Dei*, non est vera, sed simulata. Omnia enim, quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, et falsa sunt, ut 1. Corinth. 13. docet Paulus, quia non fiunt ex tote corde, etc. At contritio per peccatorum collectionem parata, *sine amore Dei, et justitiæ*, hoc est sine corde, conterit : de hac enim locutus sum. Quare necessario sequitur, ut faciat hypocritam : qui *nec volenter, nec amanter* conteritur in corde suo. » Tum alteram partem, « Quod ea contritio faciat magis peccatorem, » latius demonstrare pergit iisdem, ut dixi, quibus Armacanus, rationibus, ut postea videbimus.

[1] Luth. to. 2. fol. 106. pag. 2.

VII. Nulla re igitur ab Lutherana hæresi distat Armacanorum opinio ; ac pari utramque sententia Leonis decimi, et Tridentini postea concilii decreta damnarunt. Siquidem ambæ timorem gehennæ, et contritionem illo solo animatam, et accensam respuunt, et peccati loco habent : ac nisi *ex charitate*, id est *amore justitiæ* proficiscatur, non solum ad emerendam veniam nihil in Sacramento conferre, sed novo etiam implicare delicto statuunt. Conferantur cum superioribus Lutheri verbis, quæ Armacanorum princeps eadem de re scriptis prodidit. Hic enim ex Augustino pronuntiat, « nullum esse bonum, quandiu fit formidine pœnæ, non amore justitiæ. Ipsa quippe justitia, quæ in præcepto bene vivendi, sive affirmativo, sive negativo elucet, sincere diligenda est, ut esse possit opus bonum. Qui autem justitiam dilexerit, nihil aliud diligit, nisi verum Deum. » Sic in illud incurrit Armacanus, quod in Luthero damnatum est ; metum illum gehennæ, et dolorem ex eo susceptum, qui non oritur *ex amore Dei ac justitiæ*, non esse opus bonum : adeoque malum esse opus, ac peccatum ; siquidem « nullum dari medium inter charitatem et culpabilem cupiditatem, » ejusdem principis sectæ illius est effatum.

Hujusmodi porro, qualis hodie est Armacanorum, Lutheri opinionem fuisse, et ab Leone X. ac tota Ecclesia pro hæretica damnatam et proscriptam, fidem faciunt, præter illa, quæ dixi, theologicarum, ut vocant, Facultatum variis in locis edita judicia atque decreta : velut Parisiensium, ac Lovaniensium : tum viritim ab singulis præstanti doctrina et sanctitate præditis, scripti de hac re contra Lutherum libri. Inter quos memorandus in primis est Joannes Fischerus Roffensis in Anglia episcopus, et martyr, qui adversus Lutheri articulos ab Leone damnatos luculentum opus elaboravit ; in quo et Lutheri dogma de contritione ex metu gehennæ, quod Armacani modo recoquunt, uberrime confutat ; et eamdem, quam nos hic tuemur, sententiam, tanquam oppositum errori illi catholicæ fidei decretum, explicat, et affirmat.

[2] Ibidem.

CAPUT OCTAVUM.

1. De Pœnitentia ex metu gehennæ suscepta, Armacanorum error, quo ita bonam illam esse fateri videntur, ut tamen non sit ex Christi gratia. — 3. De metu gehennæ, Augustini sententiæ in speciem contrariæ : ac primum eæ commemorantur, quæ illum commendare videntur. — 6. Tum quæ damnare. — 7. Quadruplex in universum timor a S. Thoma constituitur. — 8. Triplex ab aliis. Ejusdem causa duplex. — 9. De illo timore apud Augustinum observanda duo. Primum, loqui ipsum de eo timore, qui ex natura ortus cum affectu peccandi conjungitur, cum eum condemnat. — 12. Alterum observandum de duplici gratia rudi, et perfectiore. Hinc Armacanorum fucus detegitur.

I. Quantus sit in Armacanis æstus animi, quamque volubilis et inconstans illorum opinio, cum de timore gehennæ, ex eoque suscepta Pœnitentia disputant; puto qui antecedens caput legerit, ignorare posse neminem. Nunc eorum summatim flagitia colligam, ac quantopere a seipsis, et a catholica fide dissentiant, hoc capite monstrabo.

Ex iis maxime est illud absonum, et ἀθεολόγητον, quod metum eumdem gehennæ *utilem*, ac *bonum* fatentur, et a Deo ac Spiritu sancto in hominibus effici, non tamen ex Christi gratia; sed ex quadam Dei providentia, quæ naturæ limites neutiquam excedit. Quod sine dubio Pelagianam sapit hæresim. Nam nullus omnino motus animi, quo ad justitiam capiendam præparantur homines, aliunde est, quam ex Christi meritis et gratia, initio ab ipsa vocatione sumpto : uti Tridentina docet synodus : cujus hæc verba sunt in capite quinto sessionis sextæ. « Declarat, *inquit*, præterea justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse : hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. » Tum capite sequenti, particulatim explicat, cujusmodi justificationis sit exordium illud; quam *dispositionem* vocat *ad justitiam*; ac varias animi permotiones enumerat; inter quas *divinæ justitiæ timorem* post fidem recenset. Hunc igitur timorem *per Christum Jesum*, et ex ejus meritis et gratia sic existere, et in nobis oriri vult; uti fidem, et alia gratiæ auxilia, quæ etsi perfectissimo in gratiæ genere minime censentur; quia nondum peccati labem, ac statum eximunt, sed cum eo consistunt; pertinent tamen ad eam gratiam, quam contra Pelagianos, et eorum præsertim reliquias tota contentione defendit, et Christi meritis vindicat Augustinus. Vide caput secundum et tertium libri hujus, ne eadem hic repetere necesse habeam.

II. Quocirca non hæreticum solum est, sed etiam qualicumque theologo penitus indignum Armacanorum dogma, quo asserunt, timorem gehennæ, quo ad justificationem præparantur animi, et qui a Deo, ac Spiritu sancto communicatur, non ex Christi gratia proficisci, sed novi cujusdam, et Christianis auribus inusitati esse generis.

Sed hac titubantis sectæ, nec libere sensum suum expromentis, ac causæ diffidentis inconstantia, levitateque omissa, eam decretorum ipsius partem persequemur, quæ momenti majoris est; quæque penitus insedisse illius animo videtur. Nemo quippe est adeo parum intelligens, quin ea ipsa, quæ de metu gehennæ commode ab Armacano dicta memoravimus, non bona fide, nec ex animi prolata sententia, sed ingratiis extorta, et servili quodam timore damnationis expressa cognorit. Contra vero quæ adversus eumdem illum metum Lutheri consentanea hæresi multis capitibus exposuit; ea serio ac lubenti animo, et ut intus habebat, ab eodem concepta, scriptisque prodita fuisse.

Itaque contra hanc pestilentem, et hæreticam labem, propugnanda nobis est catholici decreti veritas, Tridentini canonis auctoritate sancita; prorsusque illud adstruendum : timorem gehennæ, qui nondum ex vera charitate proficiscitur, malum non esse, nec peccati macula suffusum; sed ad promerendam veniam, ac justitiam, congruentis habere vim meriti : eumdem porro cum sacramento Pœnitentiæ conjunctum, ad perfectam cum Deo ineundam gratiam idoneæ præparationis instar esse.

Duo hic sunt, ut apparet, disputationis hujus reliqua : quorum in priore demonstrandum est, ex Augustini præsertim sententia, bonum esse, nec turpificatum vitio aliquo mentis hunc affectum, quo vitandi sempiterni supplicii gratia laudabile aliquid capessimus, aut a peccato desistimus. In posteriore vero, explicare illud oportet, ex Tridentinæ synodi pla-

citis, eumdem illum animi motum, ac doloris sensum, qui ex timore istiusmodi capitur, idoneam esse præparationem ad emerendam peccatorum veniam, si ad eum Pœnitentiæ sacramentum accesserit.

III. Ut a priore ordiar, Augustini de timore isto sententiam brevi hac præscriptione complectar, in qua enodanda, et enucleanda tota consequens disputatio versabitur. Illum igitur assero de affectu isto, qui propositarum a Deo pœnarum metu nos in officio continet, atque ob admissa delicta sensum doloris affert, sic interdum loqui, ut bonum utilemque esse declaret, nedum ut novum esse peccatum existimet : alias vero cum peccandi voluntate conjunctum, adeoque malum eumdem videri dicere. Quæ decretorum ἐναντιοφάνεια, ne ad vituperationem tanti doctoris, et invidiam trahatur; danda nobis est opera, ut apta quapiam interpretatione pacari, et cum catholico dogmate conciliari possit. Hoc vero cum a plerisque tentatum, nec sine approbatione perfectum fuerit, esset profecto cur Armacanos miraremur rem adeo pervagatam, nec indignam scitu vel ignorare, vel silentio premere potuisse. Sed eorum in ceteris perspecta dissimulatio, eo usque progressum habuit, ut illis propemodum similium flagitiorum impunitatem; nobis vero mirandi cessationem attulerit. Quamobrem his tantisper sepositis, paucas ex Augustino sententias in utramque partem seligam, quibus timorem gehennæ commendare alias et probare : alias infamare, eique peccati notam videtur inurere.

In enarratione Psalmi 127. [1] duplicem timorem explicat; unum, qui nondum est castus, quo *gehenna timetur, unde terruit et Dominus*, cum scilicet futura supplicia comminatus est. « Audiunt, *inquit*, hæc homines; et quia vere futura sunt impiis, timent, et continent se a peccato. Timent quidem; sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus : et jam incipit homo juste vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor a charitate, sed successit timor castus. » Tum de eodem illo non casto timore : « Non timet, *inquit*, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est. » Habes hic *bonum et utilem* esse timorem illum.

[1] Tomo 8. pag. 610. D. 2. et seq.

IV. Rursus in sermone 18. de verbis Apostoli, de eodem timore agens, quo metu gehennæ continent se a peccatis homines, non amore justitiæ, inter alia sic scribit [2]; « Modo cum dicis mihi, Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo : quid dicturus sum? male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem; et ait, ubi dixit, Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant : sed eum timete, qui habet potestatem et corpus, et animam occidere in gehennam ignis : ita dico vobis hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice teipsum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes, serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te : et sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, et veniat charitas : intret in cor tuum, et quantum illa intrat, tantum timor erit. Timor enim id agebat, ne faceres : charitas id agit, ne velis facere, etiamsi impune possis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. »

V. Ad hæc, in tractatu tertio in epistolam canonicam Joannis [3], hortatur fideles, ut si *nondum amant* illa præmia, quæ Deus pollicetur, *vel hoc timeant*, quod minatur, æternum supplicium.

Et in Tractatu nono [4] uberrime timorem hunc eumdem commendat. « Cœpit aliquis credere diem judicii, *inquit*. Si cœpit credere, cœpit et timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii : nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? » Deinde timoris illius fru-

[2] Aug. Ser. 18. de verb. Apost. c. 8. — [3] To. 9. pag. 245. C. — [4] Ibid. pag. 262. B. 1.

ctus, et commoda describit; ac quemadmodum paulatim nos ad timorem illum castum, et charitatem perducit. Tum ista pertexit[1]: « Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, etc. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primo occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. »

Sunt et alia quamplurima ejusdem Augustini testimonia, quæ gehennæ metum illum *bonum*, *utilem*, *et saluberrimum* esse confirmant, tametsi non ex charitate, id est amore justitiæ profectus sit, sed eam antecedat: cujusmodi non pauca describuntur ab Armacanis.

At idem alias Augustinus, timorem illum non sine peccato esse significat; prorsus ut damnare videatur. In libro de Spiritu et littera, capite octavo: « Quicumque faciebant, *inquit*, quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset, impune committere. » Hic illum mentis affectum, quo vitandi supplicii gratia officium facimus, nihil præter speciem habere, neque Deo probari, videtur asserere; tanquam verum sit, quod de eo jactabat Lutherus, « Contritionem hujusmodi, quæ non ex charitate oritur, minime veram esse, sed simulatam. » Sic in capite decimo quarto libri ejusdem, sub finem: « Quod mandatum, *ait*, si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; et ideo nec fit. » Non enim fructus est bonus, qui « de charitatis radice non surgit. »

Ex libro de Natura et gratia, capite 57. « Sub lege est, *inquit*, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat. »

Item serm. 15. de verbis Apost. cap. 6. multa disserit ad eamdem sententiam: ut inter alia, « Qui timore, *inquit*, pœnæ non concupiscit, puta quia concupiscit, etc. Quid magnum est pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum: tu autem legem ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo et concupiscentiam tuam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum, et clamore pastorum ab ovili reversus est lupus. Ipse tamen semper reversus est lupus. »

Innumera sunt apud Augustinum loca generis ejusdem, quæ ab Armacanis studiose conquisita sunt: ut minime sit necesse plura hoc loco describere.

VII. Quamobrem cum se ita res habeat, uti timor gehennæ nonnunquam *bonus* et *utilis*, ac *saluberrimus* ab Augustino censeatur; interdum vero malus ac vitiosus, et cum peccato interiore conjunctus: evidens est, nec omnem istiusmodi affectum animi vituperandum esse, nec omnem promiscue laudandum: sed distinctione illic opus esse; quam quidem ex theologorum sententia facile constituemus, postquam de illius timoris proprietate ac natura constiterit.

Quadruplex, auctore S. Thoma[2], universe discernendus est timor. Unus est *mundanus*, quo ad temporalia vitanda mala Deum offendimus: secundus *servilis*, quo pœnæ metu a peccato deterremur: tertius *filialis*, qui culpæ ipsius metu, et ex Dei amore peccatum cavet: quartus, ex utroque temperatus *servili* et *filiali*, *initialis* ab illo nominatur. Post hæc in articulo quarto quæstionis ejusdem, quærit *utrum servilis timor sit bonus*. Ac respondet, in timore isto discernenda esse duo: aliud enim esse timorem ipsum per se consideratum; aliud annexam ei *servilitatem*, ut ipse loquitur. Hanc autem in eo constituit, quod pœnam respiciat, eamque cavere studeat, tanquam ultimum malorum: quatenus bonum huic oppositum, hoc est incolumitatem suam, summi et ultimi boni instar habet, nec ad Deum ullo modo refert. Hic enim servorum illiberalium, et improborum affectus est, qui diligenter cavent, ne contra herile mandatum aliquid committant, non heri ipsius causa, quem minime curant, sed sui ipsorum gratia, ne malo afficiantur. Qui ergo sic erga Deum comparatus est, ut peccatum declinet, aut de eo admisso

[1] Ibid. C. 2.

[2] S. Tho. 2. 2. qu. 19. art. 2.

doleat ob hoc unum, ne malum sibi consciscat, vel quod eo perpetrato pœnam commiserit; ita ut in eo, tanquam fine ultimo, conquiescat: quod tunc accidit, cum peccare vult, et contra mandatum facere, si impune possit : qui sic, inquam, habet in voluntate ac proposito animi, Deum iste serviliter timet; estque malus, et vitiosus hic timor, ex sancti doctoris sententia. Qui hoc addit, « Servilitatem non esse de ratione timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis. » Quocirca *timor servilis*, qua *servilis*, malus ab illo constituitur, eo quod *servilitas* est ipsa mala : at vero pœnæ timor in se, nec servilitate infectus ista, bonus est. Quod paucis ita demum complectitur : « Timor servilis, *inquit*, secundum substantiam suam bonus est; sed servilitas ejus est mala. »

VIII. Alii non multum abhorrentes, et iisdem principiis innixi paulo istud planius, et facilius explicant.

Triplicem ex metu pœnarum de peccatis dolendi modum discernunt[1] : quorum primus est, cum pro summo, et ultimo fine, illam a pœna liberationem propositam habet. Secundus, cum eamdem impunitatem respicit, tanquam conditionem, sine qua non illi peccasse doleret. Tertius, cum neutro modo afficitur, sed in pœnas commeritas simpliciter intentus, ob id dolore isto peccati sui contrahitur, quod illis luendis obnoxius est, nec in delicto perseverandi interim voluntatem retinet. Horum generum trium priora duo perspicue vitiosa sunt, et cum peccato aliquo conjuncta. Tertium, etsi nondum venit ad perfectum, citra criminis est notam, ac reprehensionem.

Atque ut in rem propositam altius descendamus, animadvertendum est, hunc ipsum timoris affectum duabus ex causis proficisci. Aut enim ex natura ipsa, et humanæ vi et captu rationis oritur. Quemadmodum [2] *disputante Paulo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus* est Felix præses, ut Lucas in Actis refert. Aut ex Spiritus sancti gratia, Christi utique parta meritis, animo peccatoris afflatur.

Prior nihil ad salutem consequendam, neque ad præparandam voluntatem, obtinendamque justitiam proprie confert, nisi ex accidenti et extrinsecus. Sicut qui ruentem in flagitium hominem violenter retinet, et a male agendo cohibet, potest illi mutandi animi, ac resipiscendi causam præbere : per sese vero peccandi voluntatem non eripit; quamvis præsentis supplicii metu proposito, efficere hoc potest, ut actionis perpetrandæ malæ consilium deponat, quandiu imminente illo terrore percellitur : quo amoto, et impunitate oblata, nisi aliud obstet, quam primum ad ingenium redibit.

At posterior metus, qui ex instinctu Spiritus sancti, Christique gratia nascitur, nullam in se, hoc est *in substantia*, ut vocant, sua, peccandi voluntatem includit : tametsi cum peccato, quod *habituale* nominant, adhuc cohæreat. Est enim non *proxima*, sed *remota*, quod dici solet, ad gratiam, veniamque percipiendam peccatoris dispositio.

Non esse malum, neque peccati inquinatum macula timorem hujusmodi, si ut in sese est, interiusque spectetur; satis ex eo convincitur, quod a gratia, et auctore sancto Spiritu manasse illum ponimus. Quod vero tale est, pravum, ac vitiosum esse nequit, ne in Deum ipsum, quod dictu nefas est, vitiositas illa redundet, isque male agendi voluntatem inspirasse videatur.

IX. His velut fundamentis positis, duo sunt illi solerter intuenda, qui et Augustini mentem capere, et Armacanorum fraudes, atque insidias cavere, et propositæ quæstionis expedire se laqueis volet. Quorum primum istud est, in plerisque locis, ubi de servili pœnarum, ac gehennæ timore loquitur Augustinus, eum intellexisse, non qui ex gratia, meritisque Christi ac sancti Spiritus afflatu gignitur, sed qui ex humano, et naturali affectu, et insito cuique conservandi sui amore procedit. Quem quidem merito proinde statui nihil ad salutem, aut impetrandam Dei gratiam, ac peccatorum veniam conducere : sed neque peccandi voluntatem detrahere : nec aliud præstare, quam ut male agendi progressionem tantisper inhibeat ac sistat, dum præsentis illius mali formido sublata fuerit.

De hoc timoris genere loqui Augustinum, ubicumque gehennæ metum cum peccandi voluntate conjunctum, ideoque damnandum esse statuit, facile is agnoscet, qui ab Armacano citata illius testimonia diligenter inspexerit. Etenim horum pleraque diserte metum illum exprimunt, qui *non adjuvante spiritu gratiæ* concipitur : ut est in illo loco, quem ex libro de Spiritu et littera, capite octavo, paulo ante descripsi [3]. Et in libro de gratia Christi, capite 13. « Quamvis multi, *inquit*, quod imperat lex facere videantur timore pœnæ,

[1] Ita Val. to. 4. disp. 7. quæst. 2. punct. 3.

[2] Act. 24. 26. — [3] § 6.

non amore justitiæ : quam dicit Apostolus justitiam suam, quæ ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed Dei; quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo. »

Hic Augustinus quod timore fit pœnæ, ex lege fieri dicit, et ad illam refert *justitiam*, quam Apostolus *suam* nominat [1] : *Ut inveniar*, inquit, *in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est : sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu ; quæ ex Deo est justitia in fide.* Atqui *legem, fidei, et gratiæ Christi* opponere solet Apostolus ; tanquam quod ex lege fit, non fiat ex gratia : ex quo sequitur, id quod ex timore pœnæ agitur, quoniam ex lege esse censetur, non agi ex Christi gratia, sed ex naturæ viribus, quas ad obsequium legis et supplicii terror excitavit.

X. Hanc rationem, quæ ex oppositione legis et gratiæ petitur, atque ex eo, quod legi servilis accensetur timor, magno conatu Armacanus intentat; et ingenti Augustinianorum locorum apparatu instruit in capite quodam [2], cui hoc lemma præfigit, *Timorem pœnæ non esse ex Christi gratia, quia facit justitiam inde natam ex lege, et justitiam nostram, non ex Deo.* Quamobrem illud, quod dixi, certissimum est, timorem gehennæ, quem omnibus iis locis, quos Armacanus citat, commemorat Augustinus, et quem peccandi voluntatem, si impune possit, implicatam, et inclusam habere dicit, non ex gratia, aut instinctu, ac motione sancti Spiritus oriri, sed ex naturæ viribus; atque idcirco nihil ad quæstionem nostram pertinere. Nos enim [3] hic de timore illo loquimur, qui ex gratia et inspiratione Spiritus sancti provenit, ut Tridentina synodus decrevit, quæ inter *dispositiones*, quibus ad justificationem paulatim peccator adducitur, timorem illum numerat, Armacano suffragante, qui eumdem « secundum se licitum, bonum, ac rectum esse » pronuntiat. Ex quo perspicuum est dissimilem hunc esse metum illius alterius, qui nec ex Christi gratia nobis ingeneratur, et peccandi animum, ac voluntatem in sese continet.

XI. Sic illud intelligendum, et ad eumdem, qui ex gratia non oritur, sed ex naturæ viribus, metum gehennæ referendum est, quod Armacanus affirmat [4], « Ex puro timore pœnæ non posse ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur. » Atque hoc ille crebris Augustini testimoniis probare studet, quæ fere sunt ejusmodi, qualia paulo ante descripsimus [5] : quibus nimirum docet, eos, qui sub lege vivebant, ita pœnæ timore constrictos a peccando coercuisse se, ut peccandi cupiditatem et consilium intus voluntate tacita foverent. Qua ex *legis* mentione, satis, ut paulo ante significavi, timoris genus ostenditur ; non illud, de quo agimus, quod ad perfectam conversionem peccatoris, ac justificationem præparat, et ex instituto divinæ sapientiæ ac bonitatis, ad insinuandam charitatem ordinatur ; ut ex Augustino, et Tridentini concilii decretis supra declaravimus : sed alterum, quod gratiæ non debetur ex sese, nec a Spiritu sancto proficiscitur ; verum naturali, et humano ex fonte profluit.

Est enim perabsurdum, imo impium, putare, quod Armacani sentiunt, ullum voluntatis affectum ex Christiana manare gratia, hoc est ab ea, quam, Pelagianis negantibus, Augustinus et Catholici omnes adstruebant, quod cum peccato necessario conjunctum sit; vel potius quod exerceri nisi peccando nequeat. Quid autem isti nuperi dogmatistæ aliud crocitant, dum gehennæ metum, quia ex charitate non procedit, malum, et novo implicatum peccato esse dictitant, hoc est interiori, et tacita voluntate peccandi : et eumdem tamen bonum, *licitum, rectumque*, si per se consideretur, ac *saluberrimum* esse prædicant, ac Tridentinæ de illo synodi decretum approbant; quo utique cavetur, metum ejusmodi præparationem esse, qua ad gratiam, et justitiam peccator adducitur; quod profecto, si Catholici esse volunt, non aliunde quam ex Christi gratia, et sancti Spiritus afflatu nasci fateantur ? Hinc ergo consequens erit, pravum, et culpandum voluntatis affectum per se, ac directe inspirari hominibus ab Spiritu sancto, et ex Christi oriri gratia : ut libri hujus capite septimo demonstravimus.

XII. Alterum de duobus, quæ in hac quæstione observanda proposui, ad fucum Armacanorum, et fallaciam deprehendendam mirifice attinet. Est vero illud ejusmodi : Ex illa duplici Christiana gratia, quam sæpius cogor quam vellem inculcare, ac repetere; una inchoata et initiali ; altera jam adulta et robusta; priorem, si per se solamque spectes, non sufficere ad legis observationem, vel præcepti operis executionem. Hujus enim proprium munus est, præparare duntaxat, ac movere voluntatem; ut velle incipiat operari, quamvis

[1] Phil. 3. 9. — [2] To. 3. lib. 5. cap. 25. [3] Vide sup. cap. 7. — [4] Cap. 27. et seq. — [5] § 6.

necdum operetur. Cui gratiæ ac vocationis initio, si, opitulante Deo, liberum hominis arbitrium respondeat, et quod suarum partium est conferat, succedit alia operis effectrix, qua confirmatus animus paulatim se peccati laqueis explicat, et ad exequenda Dei mandata roboratur. Jam vero gehennæ metus ille utilis, ac bonus, de quo hic disputamus, ad priorem gratiam pertinet, rudem et initialem ut in capite secundo libri hujus, et sequentibus ostendimus. Siquidem Tridentina synodus, quam illic citavimus, hanc unam esse definit ex iis motionibus, quæ charitatem, ac dilectionem antecedunt, et ad hanc præparant. Est autem charitatis peculiare munus, operari, ac præcepta exequi; ut pene singulis paginis repetit Armacanus. Itaque non est ad legis opera præstanda idoneum adhuc gratiæ illud auxilium; satis est, si voluntatem excitare, ac movere incipiat, et ad id, quod nondum perficere potest, optandum, ac postulandum impellere.

At Armacani, ut hunc ipsum metum ex Christi gratia minime proficisci, sed ex humanis viribus adstruant: imo ut malum, et cum peccato conjunctum esse doceant; cujusmodi esse gratia illa debeat ex iis Augustini locis constituunt, quæ ad firmiorem, et vegetiorem posterioris generis gratiam proprie spectant: cujus est ad opera legis exequenda, præstandaque virtutum officia vires idoneas conferre, ut si minus hoc per se gehennæ timor efficere possit, aliunde, quam ex Christi gratia, prodire videatur.

Jam enim capite quarto libri hujus ostendimus, Augustinum sæpenumero, cum de gratia loquitur, hanc secundi generis operatricem intelligere, non rudem, et inchoatam. Quod, ne longum faciam, ex paucis illis sententiis, quas supra, hoc ipso capite[1] descripsimus, licet animadvertere; in quibus gratiæ Christi proprium hunc effectum subjicit, implere legem, ac præcepta facere. Ut cum scribit[2]: «Legem timore non posse impleri, quoniam cum vere sit opus legis, caritate fit, non timore, quæ charitas gratia est novi Testamenti.» Et libro de Spiritu et littera[3]: «Ex lege timemus Deum, ex fide speramus in Deum. Sed timentibus pœnam absconditur gratia.» Item illud[4], «Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, et non impleverunt: et amaverunt, et impleverunt.» Subdole igitur, et captiose ludunt Armacani in ambigua significatione gratiæ, dum timorem gehennæ funditus abjudicant a Christi gratia, propterea quod non sufficit ad præcepta servanda, et opera legis exequenda; quod esse gratiæ proprium ex Augustino dum probant, dissimulant non de toto gratiæ genere illum loqui, sed de actuoso duntaxat, et robusto: quo timor gehennæ minime continetur: qui in primo, et adhuc imbecillo gratiæ genere ponitur, quod bonæ voluntatis habet initium. Hæc si quis diligenter observet, novi dogmatistæ fraudem ac versutiam contemnet: nec se ab salubri, et catholica doctrina sophistica ista cavillatione deduci patietur.

CAPUT NONUM.

1. Ex dictis colligitur, dolorem ob peccata ex metu gehennæ susceptum bonum esse, et ad justificationem præparare. — 3. Præcipuum adversariorum firmamentum illam esse sententiam, qua nullam aliam putant esse gratiam Christi præter charitatem veram, et proprie dictam. — 4. Fucus illorum in constituendo amore sui, qui quatenus in vitio ponatur, aut sit honestus, et ad institutum nostrum attineat, exponitur. — 5. Amorem hunc sui non se tanquam ultimum finem sibi proponere, sed peccandi voluntatem excludere. — 6. Ut hoc melius intelligatur, duplex ex Augustino radix operum ponitur, charitas, et cupiditas. Sed illa non est sola vera et proprie dicta.— 7. Quod ex Augustino demonstratur; qui et fidem ex charitate, et tamen ex fide charitatem provenire dicit. — 8. Unde concluditur, charitatem alias late, alias proprie, et stricte accipi. — 9. Quomodo ex hac distinctione Augustinus interpretandus sit.

I. Hujus gehennæ timoris, quem antecedenti capite ab Armacanorum calumnia vindicavimus, soboles est dolor quidam de peccato susceptus, sed imperfectus adhuc, et rudis, ac velut gratiæ tirocinium, quo ad plenam, uberioremque justitiam perpolitur, ac præparatur

[1] § 6. — [2] August. quæst. 15. sup. Deu. tom. 4. p. 114. A. 2. [3] Cap. 28. sub fin. — [4] Concione 2. in Psal. 90.

resipiscentis animus : dum pœnarum denuntiatione territus, peccandi interim voluntatem abjicit, ac melioris vitæ desiderio concepto, ad usurpanda remedia festinat. « Cum enim timetur pœna, quam minatur (Deus,) discitur amari præmium quod pollicetur : ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur, » ait Augustinus[1]. Et Isidorus Hispalensis libro secundo sententiarum de Summo bono, capite 8. timorem eumdem conversis ad Deum necessarium esse docet, ut ab eo incipientes perfectam ad charitatem proficiant. « Ante necesse est, *inquit*, timore converti ad Deum, ut metu futurarum pœnarum carnales illecebræ devincantur. Deinde oportet abjecto timore ad amorem vitæ æternæ transire. » Ac de servili timore loqui Isidorum, arguunt sequentia, cum sic scribit : « Unde et Apostolus, Non enim, inquit, accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis : per quem scilicet jam non peccati pœna servos comprimit, sed amor justitiæ liberos reddit. » Et sententia quarta : « Necesse est enim omni converso, ut post timorem consurgere ad charitatem Dei debeat quasi filius; ne semper sub timore jaceat quasi servus. Tunc enim amorem nostræ conversionis ostendimus, si denuo ut patrem diligimus, quem prius servili mente vere ut dominum formidabamus. » Vide Clementem Alexandrinum septimo Stromateon, pagina 532.

II. Hujusmodi pœnarum metum, ex eoque conceptum dolorem citra Pœnitentiæ sacramentum « per se ad justificationem non perducere peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, » totidem verbis docent Tridentini Patres[2] : estque communi theologorum consensu receptum : imo Christianorum omnium animis jampridem hic sensus insedit : quem magni scilicet ac pusilli primis ex elementis Christianæ institutionis acceptum retinent memoria, et ad usum adhibent usurpandæ in Sacramento pœnitentiæ.

Sed extitere nuper cupidi turbarum, ac novorum dogmatum homines non valde docti, et acuti, sed confidentes, et ad quidvis audendum parati : qui ex animis fidelium hanc eradere notionem, ac firmissimam persuasionem conarentur evellere. Quorum periculosus, et malesanus hic error, unius, alteriusve capitis disputatione coarguendus est. Quod erit perfacile, si quibus inducti rationibus ad eam opinionem adhæserint, eas falsas, et inanes esse constiterit. Hoc igitur agamus.

III. Credo ex iis, quæ hucusque secundo libro hoc exposuimus, liquido id esse cognitum, fontem et originem præcipuarum hæresum, quibus nova ista disciplina scatet, hoc illorum esse decretum, quod hactenus refutavimus : nullam aliam Christi esse gratiam, præterquam charitatem, sive dilectionem amoremque justitiæ, quo, sine ullo respectu ad id quod nostra interest, hanc diligimus, ac persequimur : ac quicumque affectus animi non ex illa radice provenit, non inutilem solum ad Christianam justitiam obtinendam, sed etiam noxium esse, utpote vitiosum, et novi macula criminis infectum. Ex hoc velut principio alterum statim est consequens opinionis venenum, tam gehennæ metum, quam qui ex hoc oritur, dolorem de peccato conceptum, novum esse peccatum, nisi ab vera charitate, ac dilectione Dei proficiscatur : et idcirco non idoneam esse præparationem ad percipiendam in Sacramento delictorum veniam. Quod neque verum est, neque veris, sed fucatis, et fallacibus argumentis ab illis asseritur, et a Tridentinæ auctoritate synodi, ac decretis abhorret.

De Tridentino concilio, ejusque, quam illi commentati sunt, absona interpretatione, paulo post. Nunc eorum rationibus occurremus, quibus dolorem istum ad promerendam in sacramento Pœnitentiæ justificationem negant sufficere.

Harum rationum, quarum vis in tota superiori disputatione hebetata est, ac retusa, præcipua est ista, qua sectæ illius antistes multum utitur; quod « dolor iste cum ex amore sui ipsius, et salutis suæ corporalis oriatur, non majoris pretii est apud Deum, neque majorem ad justitiam acquirendam proportionem habet, quam amor, quo quis integritatem corporis diligit. »

IV. Sed callida et insidiosa cavillatio est, cujus fraus et calumnia latet in *amoris sui ipsius* vocabulo : quod sane medium est, et tam in bonam, quam in deteriorem partem usurpari potest. Etenim qui sic amat se, ut tanquam ultimum ad finem, ad suum commodum, ac fructum omnia referat, idque divinæ voluntati, ac legi anteponat, sine dubio peccat, et perverse se amat, ac seipso fruitur.

[1] August. Serm. 214. de Temp.

[2] Trident. Conc. sess. 24. cap. 4.

Atque hic amor non solum naturalis est motus animi, sine ulla gratia, vel instinctu Spiritus sancti excitatus in homine : sed etiam delicti culpa oblitus, utpote ab recta , et bene consulta ratione desciscens. Quæ labes in eos affectus redundat, qui ex illo, tanquam vitiata, et pestilenti radice pullulant : qualis est gehennæ metus, et de admissis peccatis inde conceptus dolor. De quo amoris, vel doloris genere non hic agimus : verum de altero, quem Deus per Spiritum sanctum operatur in nobis ; ut vel Armacanus ipsemet agnoscit[1]. Hic vero tum ex sese bonus, et honestus est : tum minime naturalis, hoc est solis naturæ viribus excitatus, utpote ex fide, ac sancti Spiritus instinctu peculiari nobis insitus.

Hoc amoris affectu non seipsum homo sic diligit, ut naturam suam, quæque ad hanc pertinent, tantummodo spectet, ac naturali in sese modo, et propensione feratur : cujusmodi inest amor in omni animantium genere, cui « hoc est a natura tributum, ait Cicero[2], ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ ei nocitura videantur, omniaque, quæ sunt ad vivendum necessaria, inquirat, et paret; ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. » Verum ita se diligit, tamquam aliquid superioris ordinis, et naturæ captum, conditionemque præstans. Nam se eatenus amat, non ut ad finem naturalem, ac bonum quodpiam innatis viribus, et humana comparandum industria, vel ei contrarium vitandum malum dirigitur : sed ut ad summum, et natura qualibet creata præstantius adipiscendum, et fruendum bonum, hoc est Deum, refertur ; vel ad declinandum quod ei fini adversatur malum. Cujus utriusque, boni scilicet, ac mali cognitio, tum illius appetendi, hujus declinandi impetus, et affectus, non ex naturali, et acquisita marte nostro scientia, et insitis a natura præsidiis oriuntur : sed excellentiore quadam ex luce fidei, ac divini instructus motione proveniunt.

V. Hinc evidens est, hujusmodi amorem non esse vituperandum, nec inquinatum peccati ulla macula, sed honestum, et laudabilem : cujus videlicet radix est et origo sancta, auctorque Deus, et ejus spiritus. Nec enim sic in seipsum eo tendit amore peccator, aut quod malum sibi est ita metuit, ac fugit, ut se sibi tanquam finem ultimum propositum habeat, aut vel tacite, vel palam Deo præferat. Sed nec habitus sic est, ut nisi tanti adipiscendi boni spes esset objecta, vel sempiterni mali ac supplici metus instaret, libenter peccatum admitteret. Non enim de hoc genere amoris, vel timoris hic agitur, « qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, licere quod non licet, » ut ait Augustinus[3] : qui hanc servilis, et impuri timoris, amorisve proprietatem crebris sententiis inculcat. Quibus Armacanorum natio fraudulenter abutitur, dum ex iis imperite colligit, nullum penitus *amorem*, quem *concupiscentiæ* vocant theologi, nec timorem eodem ex fonte manantem agnoscere sanctum Augustinum, nisi qui sit hac perversitate vitiatus, et infectus. In quo longe illos aberrare, ac decipi supra demonstravimus : cum de tali affectu loquatur Augustinus, qui ex naturali, et humana, sed originali labe corrupta indole proficiscitur, non autem de eo, qui ex fide, et peculiari instinctu vocantis nos, et ad uberiorem gratiam præparantis Dei spiritus efficitur.

VI. Sed ut paulo rem altius repetam, et ut in asserendo sibi, hæresique suæ contra catholicam fidem Augustino, fraudem sectæ illius, ac dolum patefaciam ; sciri necesse est, duplicem esse humanarum actionum radicem, ut ex Apostolo docet Augustinus in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 18.[4] quem locum superius, capite quinto libri hujus exscripsimus. Quo quidem in loco Pelagium in libro primo de Libero arbitrio docentem habere nos possibilitatem boni et mali a Deo insitam, velut radicem fructiferam, quæ vel virtutes, vel vitia proferat, hoc est liberum arbitrium : hoc, inquam, scribentem Pelagium reprehendit Augustinus, quod non sit eadem radix bonorum et malorum : sed horum quidem radix sit cupiditas, ut ait Apostolus ; bonorum vero, charitas. Quamobrem quidquid ex charitate non oritur, siquidem *morali*, ut vocant, qualitate censetur, id ex cupiditate provenit : ut Augustinus illic statuit. Qui si *charitatis* nomine eam significat, quam nuperi dogmatistæ fingunt, veram, proprieque dictam Dei dilectionem ; causam suam obtinent. Hoc enim sequetur, nullam aliam Christi esse gratiam, præterquam istiusmodi charitatem. Nam cum sine Christi gratia nullum bonum fit opus, Christianum saltem, et ad justificationem pertinens, necesse erit omne, quod non ex vera, proprieque dicta cha-

[1] Vide supra cap. 7. § 2. — [2] Lib. 1. de Offic.

[3] Aug. lib. de Spir. et lit. cap. 37. — [4] August. lib. de Gr. Chr. cap. 18.

ritate pullulat, ad malum fructum pertinere, quoniam ex cupiditate proficiscitur : cum nulla inter ambas illas, velut media, radix interjecta sit.

VII. Sed multum ab veritate, et Augustini sententia recedunt qui sic disputant. Atque ut intelligant, quam parum in Augustini auctoritate præsidii habeant, testem ipsum dabimus Augustinum, esse opera quædam bona, quæ ex tali charitate non oriuntur : neque id omne peccatum esse, quod ex illa minime proficiscitur. Etenim fides ipsa opus quoddam est, ut Christus docet [1]. *Hoc est*, inquit, *opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Idque Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum [2] explicat, et Chrysostomus Homilia 89. tomi sexti [3]. At idem Augustinus illud ipsum opus bonum fidei non a dilectione, sive charitate proficisci asserit ; idque sæpius repetit. Est autem in tractatu ad Psalmum 107. [4] insignis hac de re locus ejusdem, nullo modo prætermittendus. « Ea sola bona opera dicenda sunt, *inquit*, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, ut antecedat fides ; ut inde ista, non ab istis incipiat illa ; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum. » Jam ergo repertum nobis est apud Augustinum opus aliquod bonum, quod non ex charitate provenit : ac, si vera est Armacanorum opinio, nec ex gratia quidem Salvatoris existit. Quippe nullam isti veram, ac proprie dictam Christi gratiam, hoc est ei, quam unam admittebat Pelagius, oppositam, agnoscunt, nisi quæ *bonum opus* efficit : ut supra docuimus [5]. Quam quidem fides nos impetrare, eodem ex Augustino probavimus alibi [6]. Hic enim « per fidem impetrari charitatem *ait* [7], qua sola vere bene operamur. » Idemque libro de Correptione et gratia capite tertio, et quarto, ac sequentibus docet. Et in libro de Prædestinatione sanctorum, capite septimo, « Ex fide ideo dici *ait* justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. » Porro idem Augustinus alio in loco [8], « ipsam obedientiam munus esse Dei » asserit, « quæ necesse est ut insit ei, cui charitas inest. »

VIII. Quocirca cum ex variis illis Augustini locis illud efficiatur ; fidem, qua obedimus utique Deo, cum quod vult jubetque facimus, ex charitate proficisci, sine qua esse non potest : et nihilominus fidem eamdem impetrare charitatem, et eam antecedere ; ut et opera bona, quæ nulla sunt, nisi ex charitate prodeant : cogimur omnino, uti secum consentientem habeamus Augustinum, id fateri, quod non semel adnotavimus [9] ; charitatis nomen non eodem ab illo modo semper usurpari, ac latius interdum accipi pro omni pio, ac religioso voluntatis affectu, cuicumque tandem Christianæ virtuti proprie tribuatur, alias pro vera et expultrice peccati, proprieque dicta dilectione Dei. Ac prioris generis significationisque charitas tam imbecillum, initialemque cujuscumque virtutis affectum, quam robustum et actuosum, hoc est operis efficacem complectitur. Ut sit charitas latius accepta tanquam γένος γενικώτατον, quod ad omnes pios et Christianos animi motus extenditur : ac primo dividatur bifariam ; nempe in affectus illos voluntatis, qui ex honesto aliquo, et inspirato divinitus per Christi merita proposito, sive, ut scholæ loqui amant, *motivo* proficiscuntur : non illo tamen excellente, quo in Deum absolute propter se, sine inferioris alterius boni ac finis complexione, spectatum animus intenditur : quæ est altera, longeque præstantior charitatis illius generatim sumptæ species, quæ perfecta, et theologica virtus dicitur, princeps omnium, ac regina. Rursus dupliciter species utraque tribuitur, non κατ' εἶδος, sed κατὰ τὸ ποσόν : hoc est non *essentiali*, ut vocant, *differentia*, sed ex accidente, et secundum quantitatem ; quatenus utrobique aliæ motiones sunt virtutum qualiumcumque rudes et inchoatæ, aliæ robustiores et perfectæ.

IX. Jam vero *charitatis* omnes illæ vel notiones, vel species ad Augustini varias, et in speciem pugnantes inter se sententias prudenter adhibendæ sunt : si et summum virum ab inaudita quadam levitate, ac decretorum inconstantia vindicare, et nos ipsos ab multiplicium errorum, et hæreseon infamia tutos præstare volumus. Quem ad utrumque scopulum pridem allisa nave, naufragium fecerunt Armacani. Qui quidem fateri hoc, et agnoscere vel inviti cogentur : quibus in locis asserit Augustinus [10], *bonam voluntatem* idem esse, ac *charitatem*, tum [11] utramque alias *parvam et invalidam* esse, alias *magnam et robustam ; charitatis* vocabulum generatim accipi, pro

[1] Joan. 6. 29. — [2] Cap. 7. — [3] Pag. 838. ed. Savil. — [4] Tom. 8. August. p. 292. c. 1. — [5] Cap. 1. lib. hujus. § 2. — [6] Tom. 1. lib. 10. cap. 20. § 6. — [7] August. epist. 106. p. 182. [8] Lib. de Corr. et Gr. cap. 5. — [9] Tom. 1. Dogm. lib. 10. cap. 20. § 5. et seq. et lib. 1. hujus operis. cap. 2. § 3. et lib. 2. cap. 2. — [10] Lib. de Gr. Chr. c. 21. — [11] Lib. de Gr. et lib. arb. cap. 17.

quacumque bona motione voluntatis, adeoque pro initiali affectu credulitatis, sive credendi voluntate, quæ fidem ipsam, et multo magis illam quam per fidem mereri et impetrare nos alibi ac sæpissime docet, utique veram, et proprie dictam antecedit charitatem, quæ bonorum est effectrix operum, observatrixque præceptorum. Ubicumque vero hanc ipsam robustiorem charitatem merito nos ait impetrare fidei, non eamdem profecto cum priore illa significat, quæ quamlibet rudis, ac tenuis, et operis nondum efficax, bona est voluntas et charitas. Ex quibus evidentissime constat, vere illud a nobis observatum charitatis apud Augustinum fuisse discrimen; et in clara meridianaque luce cæcutire noctuas Armacanas; quæ nec illum charitatis apud Augustinum varium usum ac dissimilem notare ac discernere potuerunt, et nullam aliam, præterquam veram proprieque dictam, ab illo designari charitatem tam pertinaciter, quam imperite tuentur.

CAPUT DECIMUM.

De justitia, et amore justitiæ, quam unicam Christi esse gratiam novi dogmatistæ statuunt. — 1. Explicatur ratio justitiæ communis. — 2. Quæ eadem cum honesto, decoro, et legi consentaneo, vel legitimo. — 3. Duplex decorum, sive honestum. — 4. Amorem justitiæ, quam charitatem vocat Augustinus, non esse proprie dictam charitatem, sed cujuscumque dilectionem honestatis. — 5. Nec justitiam ejusmodi esse, quæ Deo inest. Tum vero reperiri in iis etiam voluntatis motionibus, quæ amorem sui adjunctum habent, necnon timorem gehennæ. — 6. In his vero affectionibus, quæ ex fide proficiscuntur, reperiri piam in Deum propensionem. — 7. Item referri ad Deum ipsum vi, non tamen expresse. — 8. Nec esse justitiam nostram, sed Dei, et ex gratia oriri. — 9. Et honestatis amorem propter se continere. — 10. Duplex ex Augustino justitia.

I. Cum, ut initio secundi hujus libri diximus, novi, quod impugnamus, dogmatis fundamentum in constituenda gratiæ qualitate versetur, quod eam sola proprie dicta charitate metiuntur; charitatem autem nihil præter amorem propter se justitiæ esse disputant; idcirco de justitia, et hujus dilectione paucis hoc in capite agere decrevimus. Ita enim confido fore, uti certius, liquidiusque deprehendatur, quam inepte isti, absurdeque sentiant, ac bene longa, et loquaci disputatione nihil omnino dixerint: tum ut nostra, id est catholica, magis illustrata ratio obductas illorum oculis erroris tenebras clariori veritatis suæ splendore discutiat.

Hoc igitur ante omnia statuendum est, justitiæ nomine quamdam significari *rectitudinem*, ut S. Thomas loquitur [1], *ordinis ad alterum*: sive, ut alibi dicit [2], « ad finem debitum, et ad legem divinam, quæ est regula voluntatis humanæ; eaque communis est virtus. » Quam justitiæ notionem hausit ex Aristotele sanctus doctor. Nam ille quinto libro Moralium ad Nicomachum capite tertio, id justum universe nominari asserit, quod est νόμιμον id est *legitimum*. Itaque « (1) justus est, *inquit*, qui legibus obtemperat. Quæ enim legitima sunt, ea sunt justa: et quæ ab legum latrice facultate præscripta sunt, legitima dicuntur, et horum quodlibet justum esse dicimus. Si quidem leges de omnibus aliquid præcipiunt: » velut fortitudinis officia, et temperantiæ, et quæ ad virtutes ceteras referuntur. « (2) Atque hæc justitia, inquit idem, perfecta virtus est, non simpliciter, sed ut alterum respicit. » Habet enim virtus omnis nonnullam rationem debiti, non uniusmodi, sed pro eorum, quibus exhibetur, varietate diversum. Siquidem aliter nos erga eos gerimus, qui dignitate nos excellunt: aliter adversus æquales,

(1) Aristot. 5. Eth. cap. 3. Ἐπειδ' ὁ παράνομος ἄδικος ἦν, ὁ δὲ νόμιμος δίκαιος, δῆλον ὅτι πάντα τὰ νόμιμα ἐστί πως δίκαια. Τά τε γὰρ ὡρισμένα ὑπὸ τῆς νομοθετικῆς νόμιμά ἐστι, καὶ ἕκαστον τούτων δίκαιον εἶναι φαμέν. Οἱδὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων.

(2) Ibid. Αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη, ἀρετὴ μέν ἐστι τελεία, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον.

[1] S. Tho. 1. 2. qu. 113. art. 3. in corp.

[2] Ibid. qu. 55. r. 4. ad 4.

aut inferiores, ut idem S. Thomas alio in loco disserit [1].

II. Et quoniam *rectum* illud *officium* (ita enim Cicero nominat [2], quod Græci vocant κατόρθωμα) sive hominis ad seipsum est, sive ad alium, Deo ac legi divinæ quodammodo persolvitur : ideo valet Aristotelis illa præscriptio ; communem illam justitiam, perfectam esse virtutem, non ut in se consideratur, sed ut refertur ad alterum : hoc est, quatenus alteri, cui naturaliter obnoxii sumus, Deo videlicet, ejusque voluntati, quæ est antiquissima lex, omnia virtutum omnium officia reddimus.

Rursus vero, quatenus rectum illud, quod inest in recte atque ex virtute factis, ad finem consentaneum, et, ut S. Thomas ait, *debitum ordinatur*, sive ad legem divinam, ac tam in se, quam ad alterum bene constitutus homo esse debet ; idcirco justus ille ex usu sacrarum litterarum appellari solet, cujus animus, et vivendi ratio cum lege divina prorsus adæquatur : quo sensu *justitia*, a qua justi, et sancti denominantur, est adæquatio quædam, et congruentia cum lege, id est cum Dei voluntate. Ex quo intelligimus, idipsum esse justum, quod honestum : nisi quod λόγῳ, id est ratione sic differunt ; quoniam *justum*, ut dixi, ad alterum comparatur, quem tanquam debitores respicimus ; honestum vero idem istud est, quatenus honore, ac laude dignum est, nempe quod [3] « etsi a nullo laudetur, tamen est laudabile natura. »

Atque hoc ipsum etiam decorum appellari solet, « quod græce πρέπον dicitur. Cujus vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet, honestum est, et quod honestum est, decet, » ait Cicero, et post hunc Ambrosius [4] : qui amborum discrimen, « quod facilius intelligi, quam explanari posse » cum Cicerone dixerat, ita definit [5], « ut honestas velut bona valetudo sit, et quædam salubritas corporis : decus autem, tanquam venustas, et pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo super salubritatem, ac valetudinem videtur excellere, et tamen sine his esse non potest, neque ullo separari modo ; quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse, ac venustas non potest : sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum videatur, et sine ea esse non possit. » Itaque decorum illud velut florem esse dicit, cujus radix est honestas. « Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem, quasi mortem fugiat? Quid vero inhonestum, nisi quod ariditatem, ac mortem afferat? Virente igitur substantia virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix salva est. »

III. Jam decorum illud, quod re idem est cum honesto, atque justo, duplex a Cicerone describitur. « Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. » Quod Ambrosius explicat sic [6] : « Illud generale ita est, ac si æquabilem formam, atque universitatem honestatis in omni actu suo habeat concinentem, cum omnis sibi ejus vita consentit, nec in una aliqua re discrepat. Hoc speciale, cum aliquem actum in suis habet virtutibus præeminentem. »

Sic et honestas, et justitia, alia est generalis, quæ omnia virtutum officia complectitur, et *per universitatem funditur honestatis*, ut loquitur Ambrosius : alia specialis est, *quæ in parte aliqua enitet*. Nam alia est honestas fortitudinis, alia temperantiæ, alia prudentiæ : ut et decorum inest omnibus justumque diversum.

Ceterum qui virtutis cujuspiam officium eligit, ac præstare studet, eum necesse est in formam, ac speciem honesti ejus, ac justi, quod sibi proposuit, intuentem, idipsum appetere ac diligere ; ut qui temperanter aliquid facere vult, amore ducitur honestatis illius, ac justitiæ, quæ inest in coercendis moderandisque voluptatibus, quatenus divina lex id præcipit : si Christiana fungi virtute velit, quod idem in fortitudine, ac prudentia, ceterisque virtutibus accidit. Similiter qui omnia Christianorum omnium officia virtutum exequi, ac legem universam observare statuit, animo prius informat, et voluntate appetit, eligitque generale decorum illud, et honestum, ac justum, quod per omnes honesti, ac legitimi, hoc est justi partes diffunditur.

IV. Hic ille est amor justitiæ, cui charitatis et dilectionis nomen tribuit Augustinus, uti supra memoravimus [7]. Non enim solam veram, proprieque dictam charitatem huic illum vocabulo subjecisse, copiose hactenus ostendimus : sed amorem recti, honesti, atque justi, quod divina, et Christiana lege continetur, ac præcipitur. Itaque omnem piæ voluntatis affectum, quo sive ex præveniente Christi gratia, impius ac peccator ad vitæ melioris desiderium, et

[1] In 1. 2. qu. 60. art. 2. — [2] Lib. 1. Off. sub init. — [3] Cic. 1. de Off. — [4] Lib. 1. de Off. c. 45.

[5] Ambr. ibid. — [6] Ibid. c. 46. — [7] Lib. 1. c. 7. § 3. et lib. 2. cap. 2.

propositum accenditur, sive jam conversus, aut etiam justificatus, ad expressiora et firmiora Christianæ legis officia progreditur, charitatis vocabulo afficit Augustinus: quoniam amor inest honestatis in illo, ac justitiæ. Est enim prima motio, et quasi impetus voluntatis, quam ὁρμὴν Græci vocant, amor, qui est inclinatio quædam illius in bonum et propensio, sive *pondus*, ut loquitur Augustinus, *quo fertur* ipsa *quocumque fertur*. Quare quodcumque tandem virtutis opus faciendum eligit, cujusmodi nullum, nisi justum, id est legitimum, sive νομικόν, et honestum est, ab amore illius, id est appetitione incipit. Sic amor justitiæ initium est bonæ, ac laudabilis voluntatis, et actionis.

V. Neque vero justitia illic intelligenda est ea, quæ inest Deo, vel potius Deus est, qui est justitia, veritas, bonitas; quod Armacanus dogmatista novus arbitratus est [1]: sed est honestas, vel justitia, quæ virtuti cuilibet proposita est, et objecta. Etenim amor iste, quo voluntas justitiam expetit, ac prosequitur, actuosus est, sive, ut vocant, *practicus*, hoc est efficiens ejus quod appetit. Amat enim quod reipsa faciendo cupit assequi. Cujusmodi non est divina, et increata justitia, vel honestas; sed creata, et nisu, actioneque humanæ voluntatis exprimenda. In quo differt amor ille justitiæ a vera, proprieque dicta charitate, qua Deus propter se diligitur. Deum porro cum dico, justitiam quoque Dei, et bonitatem, et quodcumque tandem inest Deo, sive Deus est, intelligi volo. Nam amare Dei justitiam, qua bonum est Dei, charitatis est perfectæ, ac *theologicæ*, ut appellant, virtutis. Sed non est talis amor iste, de quo nunc agimus, justitiæ; sed virtutibus communis omnibus: quarum nulla nisi honestum, ac justum nihil persequitur. Quod de illis adeo dicendum est, quæ implicitum habent amorem ejus, qui sic amat, et *amori concupiscentiæ* vulgo tribuuntur; ut cum homo spe, ac desiderio felicitatis æternæ potiundæ, vel sempiternæ vitandæ damnationis, ad Deum converti expetit, et odio peccati ac detestatione tangitur, aut melioris inchoandæ, ac prosequendæ vitæ, sive divinæ observandæ legis voluntatem suscipit. Cum enim justum, honestumque sit obtemperare Deo, et quod hic vult, imperatque, facere; velit autem, ac jubeat Deus *timere illum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*, et æterna vitare supplicia; tum vero, iis ipsis ante oculos positis, id est *novissimis intellectis et provisis*, sapere, ac peccatum odisse, virtutemque colere: profecto qui istud facit, justum honestumque, id est legi et voluntati divinæ consentaneum, opus facit, et quod per se, ac nullum ad finem alium ac diversum actu ipso redactum, laude approbationeque sit dignum: quandoquidem ejus, cur fiat, honesta et probabilis afferri causa potest. Id autem honestum, ac propter se appetendum dicitur [2]; non quod nullius rei alterius gratia, sed propter se solum expetitur, verum quod ex se habet, unde honeste, ac laudabiliter potest appeti, etsi de nullo alio cogitetur, tanquam ulteriori aliquo fine.

VI. Et quoniam nulla est ad Christianam honestatem, vel justitiam pia voluntatis motio, quæ non ex fide proficiscatur, ut constanter ab Augustino traditur: [3] *Fides autem ex auditu est: auditus autem per verbum Christi:* ideo omnis hujusmodi per prævenientem gratiam excitatæ voluntatis impulsio, quem *amorem*, et *dilectionem justitiæ* ab Augustino vocari supra diximus, habet adjunctum pium et benevolum nescio quem sensum, et affectum erga Christum Dominum, ac Deum. Nam et hunc dignum esse judicat, cui de rebus occultis, et naturæ captum superantibus asseveranti certa fides adhibeatur: et quoniam promissa omnia, quibus ad peccati, et diaboli jugum excutiendum, Christi vero suscipiendum, allicitur humanus animus; vel æterni supplicii comminationes, quibus salubriter concutitur, ac terretur, non sine religiosa de Deo, atque Christo cogitatione, et honorifico judicio, ac placendi desiderio peccatores commovent, et paulatim convertunt; necesse est inesse tacitum quemdam illis permotionibus amoris affectum, ac desiderium tanti, cujus compotes esse cupiunt, et quo carere metuunt, boni.

Quamobrem illud adversus novam factionem ante omnia retinendum est: amorem justitiæ generatim universeque sumptæ, quam charitatem, dilectionemque justitiæ, aut etiam Dei, nonnunquam vocat Augustinus, ad omnia virtutum Christianarum genera pertinere, atque omnes pios, et honestos complecti voluntatis affectus, qui ex Christi gratia derivantur; et hunc ipsum amorem justitiæ alias perfectum, alias imperfectum, et inchoatum exprimi ab eodem Augustino.

VII. Neque vero, quod isti falso existimant, justitia, cujus amorem charitatis nomine afficit

[1] Vide to. 3. lib. 5. c. 2.

[2] S. Tho. 1. 1. qu. 245. art. 1. ad 1. — [3] Rom. 10. 17.

Augustinus, Deus est ipse proprie, et explicate, et, ut scholæ loquuntur, formaliter objectus; sed confuse, et δυνάμει, ac vi, sive, ut eædem barbarissantes scholæ dicere amant, *virtualiter*. Quod dupliciter evenit. Primum, quatenus boni omnis, præsertim honesti, et virtutis proprii, fons et origo est Deus, idque peculiari quadam ratione, et voluntate in nobis efficit. Deinde, quod istiusmodi voluntatis impetus, et motiones ex fide, et antecedente Dei, ejusque mandati notitia, tum affectu in illum pio, ac benevolo, uti paulo ante diximus, existunt. Unde consequens voluntatis electio, qua libere justitiam illam et honestatem qualemcumque arripit, vi præcedentis illius instinctus gratiæ in Deum tendit, et adjunctum habet. cum honesti desiderio, Dei ipsius amorem, ac sensum excellentiæ illius, aut indulgentiæ, ac bonitatis, aut severitatis ac justitiæ. Quemadmodum ubi semel agitatum est ventis mare, etiam illis interquiescentibus, undæ tamen adhuc tremulæ sunt, et earum « post ventum quoque volutatio est, » ut ait Seneca[1].

Est itaque laudabilis, et honestus ille affectus animi, qui et ex Christi gratia, non ex propriis naturæ viribus oritur; et ad hoc tendit, quod honestum est, ac legi, voluntatique Dei consentaneum; nec ulla peccandi voluntate maculatur. Qua triplici conditione notata et perspecta, scies quid inter timorem illum servilem, ac vitiosum, quem amori justitiæ opponit Augustinus, et hunc ipsum intersit, quo justitia propter se diligitur : et omnes Armacanorum insultus fractos, debilitatosque senties.

VIII. Etenim quod ad primum de tribus attinet, jam illud præmonuimus, motionem illam voluntatis rudem et inchoatam, qua primitus a peccato resipiscimus, et ad Deum nos convertere volumus, si ex divino instinctu, et Christi gratia in nobis efficitur, peccandi voluntatem excludere, et initium quoddam esse justitiæ, cujus amorem in sese complectitur. Nemo enim justus esse cupit, nisi volens, et amans ejus, quam desiderat, justitiæ. Cui contrarius est affectus ille, qui propriis viribus nititur, et justitiam, non quæ ex Deo est, sed suam persequitur. De quo ita scribit Augustinus[2] : « Lege Dei proposita quisquis tumuerit, et suis viribus eam implere se posse putaverit, et fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo pœnam; fuit quidem secundum justitiam, quæ ex lege est, homo sine querela, non furatur, non adulterat, etc. Potest hoc, potest fortassis. Unde? Timore pœnæ; quanquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Terrore ingenti armorum, atque telorum, et circumdantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam leo revocatur a præda : et tamen leo venit, leo redit : prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia tua est; qua justitia tibi consulis, ne torquearis. » Tum cetera pertexit, quæ supra capite octavo descripsimus[3]. De illo igitur timore, et voluntatis motione loquitur Augustinus, quæ est *justitia nostra*, hoc est humana, et insitis a natura viribus acquisita; non autem Christi excitata gratia. Cujus tanta vis, et efficacitas non est, ut peccandi consilium, ac voluntatem tollat, sed ut premat tantum, ne in actionem prodeat; cum interius, et in animo eadem interim voluntas hæreat delicti si impune liceret, reipsa perpetrandi.

IX. Sic in libro expositionis epistolæ ad Galatas[4], de utroque animi statu disserens, priorem, qui sub lege est ante gratiam, ita describit : « Quando prohibetur quidem, et conatur a peccato abstinere se, sed vincitur : quia nondum justitiam propter Deum, et propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirenda terrena servire. Itaque ubi videris ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, et relinquit justitiam : quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. » Hæc est humana, et carnalis justitia; qua cum peccandi deliberata voluntas, et cupiditas manet. Sequitur altera. « Tertia est, *inquit*, vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur : quod nisi charitate spiritali, quam Dominus exemplo suo docuit, et gratia donavit, fieri non potest. » Hujusmodi est non perfecta solum voluntatis motio, qua Deum propter seipsum, sive increatam bonitatem, et justitiam diligit : sed etiam qualemcumque honestatem, et justitiam, hoc est virtutis opus, officiumque consectatur; non ex proprio, innatoque impetu; verum ex divino sancti Spiritus instinctu, atque ex Christi gratia. Tunc enim justitiam ipsam propter se amat, eo quod illud eligit, et affectat, quod Deus præcipit, et ad quod hortatur ipsum, atque excitat : nec *temporale commodum justitiæ ante-*

[1] Sen. de Br. vitæ p. 2. et de Tranq. c. 2. Gellius lib. 2. c. 30. Synes. ep. 4. p. 162.

[2] Aug. Ser. 15. de verb. Apost. c. 6. — [3] § 6. — [4] To. 4. pag. 389. D. 1.

ponit isti. Neque enim Deum offendere vult; sed ad eum potius sese convertere, et cum illo in bona esse gratia, tametsi nondum ad perfectum amor iste pervenerit : quoniam præter Deum aliquid commodi sui, non tamen adversus Deum, vel supra Deum, amando persequitur.

X. Quippe aliud est oriens et inchoata justitia, sive honesti amor, et justi : aliud robusta, atque perfecta : cum tamen utraque justa, et honesta sit voluntas, hoc est charitas; ac per priorem impetretur posterior. « [1] Per fidem enim confugimus ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit, etc. Ut anima sanata, non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum. » Solet autem Augustinus *amorem justitiæ* vocare perfectum illum, et robustum, ac defæcatum : ut et gratiam ; quemadmodum eodem in libro, unde locus ille sumptus est [2], cum paulo post, « per fidem impetrari gratiam » asserit « contra peccatum; et fidem impetrare gratiam, qua lex impleatur, quæ gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur. » Et ad Simplicianum [3], « Nisi vocando, *ait*, præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipiat facultatem bene operandi : » quod ipsum alibi passim repetit, ut nos supra demonstravimus. Pessime igitur ex similibus Augustini testimoniis argumentantur Armacani, primos illos animi affectus, quando spe divinæ bonitatis erecti, vel metu sempiternæ mortis excitati, a peccato resipiscimus, et ad Deum abjecta peccandi voluntate revertimur, non esse honestatis, vel justitiæ dilectionem. Quoniam hæc ipsa dilectio posterius, quasi fructus, ac merces prioris illius propositi conceditur. Qua ex illorum ratiocinatione perinde sequitur, fidem non ex Christi esse gratia : quandoquidem per fidem impetrari gratiam non minus affirmat, quam et justitiæ dilectionem nominat.

CAPUT UNDECIMUM.

De Tridentini concilii sententia, et decreto super contritione. — 1. Novorum dogmatistarum falsa illius expositio. — 2. Contritio universe proposita, et definita primum a Synodo, tum in duas species divisa. — 3. Describitur caput quartum sessionis XIV. illius synodi. — 4. Tum novæ sectæ in eo explicando flagitia describuntur. — 5. Quæ quidem refelluntur. — 6. Maxime auctoritate doctorum, qui Tridentino concilio interfuerunt; ut Dominici Soti. — 7. Tum Andreæ Vegæ. — 8. Necnon aliorum.

I. Revocanda jam nostra disputatio est ad id, quod noni capitis initio explicare cœperam; a quo necessariis de causis paululum eram digressus, ut nonnulla præmolirer ac præstruerem, quæ novi dogmatis arcana scrutantibus multum lucis allatura videbantur. Quibus expositis repetenda sunt illa modo, quæ de peccati odio, ac detestatione ex gehennæ metu, et similibus de causis suscepta, nono illo capite obiter injecta sunt : et communis propugnanda Christianorum est sententia, quam et Tridentinæ auctoritate synodi comprobatam esse docui; frustra contradicentibus Armacanis; quorum si ulla in re, in illius certe interpretando concilii decreto, non est tolerabilis, neque sine castigatione prætereundus error. Sic enim illi disputant, in sessione 14. capite quarto, ubi de contritione, quæ una est de tribus sacramenti Pœnitentiæ partibus, agitur; docere Synodum illam, contritionem, qui est dolor ob commissum peccatum, ex vera, proprieque dicta charitate profectus, necessariam esse præparationem ad veniam delictorum sacerdotali absolutione capiendam. Falli vero omnes, ac decipi, qui attritionem existimant, citra Sacramenti quidem usurpationem, non impetrare delictorum gratiam : in Sacramento vero, ad eamdem obtinendam sufficere. Siquidem attritionis nomine, cui tantam vim tribuunt, falso istos intelligere motum illum voluntatis, quo ex timore pœnæ sempiternæ, vel illecebra quapiam alia, quæ sinceræ charitatis, ac veræ dilectionis Dei propter se propria non est, peccatum aversantur, deque

[1] August. de Spir. et lit. cap. 28. — [2] Ib. c. 29.

[3] Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. to. 4. p. 269. A. 1.

eo perpetrato dolorem capiunt. Nam longe secus decrevisse concilium affirmant, ac diserte significasse, solam contritionem, quæ ex amore Dei puro, ac vero, et ipsiusmet gratia, sine respectu ad rem quamcumque creatam, impulso nascitur, tum ad baptismum capessendum, tum ad sacramenti Pœnitentiæ fructum emerendum prorsus esse necessariam.

II. Hæc vero quam absurda, et a Tridentinorum Patrum aliena mente sit opinio, nihil est argumentis probare necesse. Sola capitis illius quarti sessionis decimæ quartæ lectio vacuis ab livore ac pervicacia, et utcumque judicio ac ratione utentibus persuadere potest, alia omnia pronuntiasse synodum illam; et, ut inveteratus est in Ecclesia catholica fidelium sensus, contritionis genus, quod universe pium omnem, et Christianum dolorem ob commissa delicta continet, illic bifariam dividi : ut sit alia contritio nondum charitate perfecta, *quæ ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur*, *quæ attritio* vulgo *dicitur* : alia sit charitate perfecta, quæ commune generis nomen proprium sibi facit, et contritio nominatur. Quarum prior citra Sacramentum idonea non sit ad peccatorum percipiendam relaxationem, ac veniam; in sacramento vero Pœnitentiæ satis esse possit : posterior autem, etiam extra Sacramentum, hominem Deo reconciliet, sed cum obeundi Sacramenti voto, ac proposito. Hæc summa est Tridentini decreti; quod nuperi isti theologi prava, et violenta interpretatione detorquent. Ac tota illorum ratio puerili, et sophistica calumnia fucum facit imperitis, aut parum attentis lectoribus. Quem ut oculis omnium subjiciam, totum ipsum Tridentinæ synodi caput exscribam. Non enim aliter aut illorum intelligi fallacia potest, aut quæ adversus hanc a nobis sunt dicenda percipi.

TRIDENT. CONCILII SESSIONIS XIV. CAPUT IV.

De Contritione.

III. « Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentiæ actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius : et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, et novæ vitæ propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. Et certe qui illos sanctorum clamores consideraverit : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, et alios hujus generis; facile intelliget, eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur : ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorum perducere nequeat; tamen eum ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre : quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed et falso docent, contritionem esse extortam, et coactam, non liberam, et voluntariam. »

IV. In illo Tridentini concilii capite perspi-

cue communis illa, quam exposui supra, sententia continetur de duplici dolore, altero imperfecto, qui attritio dicitur, altero perfecto, quem contritionem vocant, cum idem sit et hujus speciei, et totius generis vocabulum. At nova Theologia synodali decreto, ejusque verbis intolerabili audacia vim faciens, inde istud colligit [1], « Nunquam justificationis gratiam sive extra Sacramentum, sive in sacramento tam Pœnitentiæ, quam baptismi, adultis dari, nisi contritio antecedat. » Quod ex Concilii verbis probare sic pergit. Primum enim materiam sacramenti Pœnitentiæ contritionem esse statuit. Hanc autem definit sic, ut sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* : cujus etiam « motum quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium » affirmat. Porro « hanc eamdem contritionem non solum vitæ novæ propositum, et inchoationem, sed et veteris odium continere » docet. Quod probat ex illis Scripturis, quæ postulant, *ut faciamus nobis cor novum et spiritum novum.* Quibus et aliis adjunctis ibidem verbis, veram ab Concilio descriptam esse contritionem defendit. « Nam illa est, *inquit,* quæ cor novum, et spiritum novum facit. Illa odium ante actæ vitæ, vehementemque peccati detestationem continet. »

His animadversis, affirmare Concilium ait, talem a se descriptam contritionem, hoc est veram « aliquando charitate perfectam esse ante Sacramentum, hoc ipso indicans sæpe non esse charitate perfectam ante Sacramentum. Quod non alia ex causa dicit, nisi quia quædam est contritio veri nominis, et rationis, et essentiæ, quæ tamen nonnisi cum Sacramento ad justificationem acquirendam sufficit. » Quam attritionem subinde nominat. « Significat ergo Tridentinum, istam attritionem esse veri nominis, et rationis contritionem, sed, uti nominat, imperfectam. Nam quidquid ad contritionem in definitione requisiverat, isti imperfectæ contritioni, sive attritioni convenit. Duo quippe ad contritionem necessaria postulaverat, animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, et propositum non peccandi de cetero. Utrumque vero disertis verbis isti attritioni tribuit. Nam primo in eodem loco postulat, ut voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ ; et canone quinto, qui ex illo decreto sumptus est, detestationem peccatorum ei tribuit, cum proposito melioris vitæ. Quæ sunt ipsissima, quæ ad contritionem requisiverat, et quibus duabus conditionibus ab hujus imperfectæ contritionis, sive attritionis essentia rejicitur omnis illa attritio, quæ ex solo timore pœnæ, sive temporalis, sive æternæ proficiscitur. Hactenus novi dogmatistæ.

V. Atqui plenissime constat, distorqueri ab illis Concilii verba, et aliorsum prava, et ludicra interpretatione compelli. Nam contritio initio capitis illius quarti, tanquam genus constituitur ; cujus species est duplex, perfecta scilicet, et imperfecta ; quarum illa proprie contritio ; hæc attritio paulo post vocatur. Quæcumque ergo de contritione dicit Synodus, usque ad illa verba ; *Docet præterea*, etc. ad contritionis genus pertinent, et utrique speciei conveniunt. Nam et attritio *animi dolor est, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* : nec aliter a contritione perfecta differt, quam objecto, quod *motivum* nominant, ut diserte Concilium in sequentibus declarat, dum ait, « Attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipi, tum voluntatem peccandi excludere, » cum *ex impulsu Spiritus sancti* oritur ; cujusmodi est illa, de qua hic agimus, et quæ sola pars est sacramenti Pœnitentiæ. Hæc enim « vitæ novæ propositum inchoat, et a peccato cessationem ; ac vitæ veteris odium continet : » non quidem perfectum, sed inchoatum, et paulatim perficiendum. Itaque cum ad baptismum necessariam eamdem illam esse præparationem ex Synodi verbis intellexerit Armacanus, animadvertere debuit, quid Tridentini Patres, cum de baptismo agunt, ad eum requiri doceant [2]. Nimirum fidem in primis, tum timorem divinæ justitiæ, exinde spem et fiduciam, necnon *affectum* illum animi, quo « eumdem, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt. » Incipiunt, inquit, diligere ; non perfecte, neque ex charitate proprie dicta diligunt. Post, « moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem ; hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. » Denique, « proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. » Hæc omnia congruunt attritioni, sive imperfectæ contritioni. Et quocumque se vertant Armacani, efficere non possunt, quin, ut dixi, synodus Tridentina duas illas contritionis species sola, ut vocant, movente causa, sive *motivo* discreverit.

[1] To. 3. lib. 5. cap. 34.

[2] Sess. 6. cap. 6.

VI. Hanc porro Tridentinorum Patrum fuisse mentem ac sententiam, argumento esse debet communis post illam synodum theologorum consensio : præsertim Scholasticorum ; qui tum duplicem contritionem, et utramque, cujusmodi hoc capite descripsimus, passim asserunt : tum auctorem, ac fundum illius doctrinæ Tridentini concilii decretum esse prædicant. Duos non amplius memorabo, qui ei synodo interfuerunt, et quis illorum Patrum sensus esset proprius nosse potuerunt.

Alter est Dominicus Soto, qui in commentariis ad quartum Sententiarum, luculenter omnia illa confirmat, quæ adversus Armacanos, pro communi Christianorum omnium προλήψει, id est anticipata, et divinitus inspirata sententia, disputavimus, et Tridentini decreti confictam ab illis interpretationem , minimeque cohærentem redarguit. Ejus verba necessario hoc loco describenda sunt.

« Nomime attritionis, *inquit* [1], solum illam detestationem intelligimus, quæ per se non sufficit ad delendum peccatum, sufficit tamen cum Sacramento. Nomine vero simpliciter contritionis, illam, quæ per se sufficit sine Sacramento : quæ quidem est simpliciter conversio in Deum. Ex his primum sequitur, quod contritio, et attritio convenire debent non solum in hoc, quod utraque sit detestatio peccati super omne detestabile ; verum et in absoluto proposito nunquam peccandi pro aliqua re mundi. Probatur, quoniam alias ille actus neque cum Sacramento sufficeret, quare non est nomine attritionis dignus. Igitur illam velleitatem impœnitentium non est cur attritionem appellemus : nam etsi de præterito peccato sufficiat volitio illa conditionalis, nollem peccasse : tamen absoluta requiritur voluntas exeundi a peccatis, atque adeo nunquam in futurum peccandi. »

Mox utriusque differentias colligit : quarum prima « sumitur, *ait*, ex parte objecti ; quod contritio est dolor de offensa Dei, seu, quod idem est, propter Deum : attritio vero dolor peccati ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium. Secunda sumitur ex parte causæ ; quod attritio oritur ex timore servili pœnarum : contritio vero ex timore filiali ; ut Dist. 14. qu. 2. art. 5. monstravimus. »

VIII. Andreas Vega in libro 13. de Justificatione, ex Tridentini concilii, cui et ipse interfuit, sensu, de contritione, ejusque duplici forma, perfecta scilicet, et imperfecta, copiosam orationem explicat [2]. Ac primum rationem affert, cur Synodus, cum de Pœnitentia, ejusque partibus ageret , *contritionem* universe *detestationem peccatorum* appellaverit, etsi « communius est in Schola contritionis vocabulum. Nam statim Patres cor, quod detestatur peccatum, cor contritum vocavere. » Sic igitur causam illius exponit. « Ea vero ratione, communiori hoc detestationis nomine usi videntur , *ne attritionem, quæ imperfectus est dolor de peccatis, a partibus Pœnitentiæ, viderentur excludere.* »

Idem capite toto 33. satis indicat , attritionem in sacramento Pœnitentiæ idoneam esse materiam, ac dispositionem ad recuperandam gratiam et justitiam ; quod tunc superveniens sacerdotis absolutio peccatorem justificat, « et ex attrito facit contritum extrinsece, propter superveniens Sacramentum. » Sed auctoris integrum locum præstat hic describere : « Tunc duntaxat (ait capite 34. libri 13. [3]) concedendum est, primam gratiam conferri in hoc sacramento, cum quis dolet de peccatis timore pœnæ imminentis, vel propter mala alia ex eis secuta, vel propter turpitudinem ipsorum, vel denique alia quavis ratione , et non quatenus sunt offensa Dei. »

« Porro ad hæc consequens est, attritum fieri posse contritum per hoc sacramentum. Nam attritum communiter in Schola vocamus dolentem imperfecte de peccatis suis ; contritum vero quemcumque vel perfecte dolentem de ipsis, et quantum sufficit ad recuperandam gratiam ; vel habentem dolorem de peccatis conjunctum alicui, cum quo sufficit ad gratiam. Et quia concedendum videtur, omnem contritum habere contritionem, quamvis quæstio sit de nomine ; concedere possumus, attritionem fieri contritionem extrinsece propter superveniens sacramentum : quia ille actus, qui ante ipsius susceptionem erat attritio, invariatus manens, dicetur fieri contritio ; quoniam ad reparandum lapsum tantum valet cum Sacramento, quantum actus, qui ex se, et sua perfectione ad id satis esset per Dei misericordiam, et intrinsece est contritio. »

VIII. Vides quod fuerit synodi Tridentinæ de attritione judicium, quamque ab Armacana novitate diversum ; et cum illa, quam adversus hanc defendimus, communi opinione consentiens. Nam dolorem illum, qui de peccatis

[1] Dom. Sotus in 4. Dist. 17. qu. 2. art. 5.

[2] Vega lib. 13. c. 17. init. — [3] P. 588. col. 1.

ex imminentis pœnæ metu capitur, et *non quatenus sunt offensa Dei*, attritionem ab illa nominari synodo Vega testatur : eamdemque sacramenti Pœnitentiæ idoneam esse materiam ; hoc est sufficientem esse præparationem animi ad percipiendam, Sacramenti et sacerdotalis absolutionis beneficio, peccati veniam, et justificationem : quam per se, et extra Sacramentum obtinere non potest. Itaque tunc *primam* ait *gratiam*, hoc est justificationem, *conferri in hoc sacramento*, cum in solam cadit attritionem, et dolorem imperfectum : non ut in altera specie, hoc est perfecta contritione accidit, quæ etiam ante Sacramentum primam gratiam repræsentat ; sive peccati veniam, infusionemque justitiæ. Ex quo vulgare dictum illud interpretatur, Sacramentum ex attrito reddere contritum : quoniam illius ope pœnitens, cum attritione sua, fructum eumdem reconciliationis aufert, et justitiæ, quem extra Sacramentum perfecto dolore, sive contritione proprie dicta retulisset.

Hæc igitur Tridentinorum Patrum sententia, Vega teste, fuit adamussim cum nostra congruens, et ab Armacano commento tantum distans, ὅσον οὐρανὸς ἔστ' ἀπὸ γαίης.

His accedit auctor commentarii de historia concilii Tridentini [1], catholicæ alioqui partis apertus hostis : qui in libro quarto, cum de Synodi decreto agit, deque contritione, et attritione, eodem prorsus modo, quo superiores illi duo, et nos adeo, mentem illius interpretatur.

IX. Præter hos adjungi possunt ejusdem seculi scriptores non pauci : qui contra Lutheri recens exortam hæresim eadem armati doctrina dimicarunt. Ut inter alios Ruardus Tapperus Lovaniensis olim doctor, et Academiæ cancellarius : qui in expositione, ac defensione articuli quarti Lovaniensis, attritionem perinde sufficientem docet esse præparationem ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ capiendam [2] : « quamvis oriatur ex timore pœnarum spiritualium, vel æternarum, quæ lumine fidei cognoscuntur. Hanc enim doctores Scholastici, *ait*, proprie attritionem vocant. » Quam deinde [3] citra Sacramentum negat idoneam esse ad peccati veniam obtinendam : verum accedente sacramentali absolutione, gratiam et sanctitatem infundi : eoque modo intelligendum esse, quod vulgo dicitur, Sacramentum ex attrito facere contritum.

Quam translatitiam scholarum doctrinam eodem modo explicat, et propugnat adversus Lutherum Joannes Fischerus Roffensis episcopus [4], pietate vir, et doctrina longe celeberrimus. Quod et antea scriptis prodiderat Joannes Gersonius [5], et ante hunc S. Thomas [6], Scotus [7], et his antiquior Alexander Alensis [8] ; tum ex juris canonici consultis, qui Tridentinorum Patrum æqualis fuit, Martinus Navarrus in Manuali capite primo, §. 42. et 43. Atque hæc, ut jam dixi, vulgo et in theologorum scholis, et in Ecclesiarum pulpitis, et et in usurpatione sacramenti Pœnitentiæ, apud Catholicos inveteravit opinio.

[1] P. 421. — [2] Tap. to. 1. p. 110. col. 2. init. — [3] Ib. p. 111. col. 1. — [4] In Assert. sep. Sacram. col. 42. et in Confut. art. 5. Luth. col. 385. et seq. necnon art. 6. col. 400. et seq.

[5] Gers. par. 2. p. 35. D. — [6] S. Tho. in 4. dist. 18. qu. 1. art. 3. in corp. — [7] Scot. in 4. dist. 4. qu. 4. — [8] Alex. tom. 1. quæst. 14. Mem. 1. art. 3. p. 468.

FINIS TRACTATUS DE LEGE ET GRATIA.

DIONYSII PETAVII

ELENCHUS

THERIACÆ VINCENTII LENIS.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

ELENCHUS THERIACÆ VINCENTII LENIS.

PRÆFATIO.

Quæ sub Vincentii Lenis supposititio nomine *Theriaca* nuper in lucem prodiit, ad eam ariolo, et conjectore nihil opus fuit, uti nobis de vero ac germano illius auctore constaret. Nam etsi latere utcumque velle præ se tulit, non tamen ita dissimulare potuit, quin facile deprehenderetur fabulosi illius apud Ariostum herois Rodomondi pene cognominis Doctor. Usque adeo geminus ille fetus est aliis ab eodem editis, quæ tum argumento ipso, tum tractandi genere, ac stylo, carnificinam hominum redolent. Nec cruentam modo lanienam et *anatomen*; sed, quod deterius est multo, abhorrentem ab Romana, et catholica fidei integritate doctrinam. Cujus aliud agenti haud obscurum indicium excidit hoc ipso, quod se Arausicanum inscripsit. Ut non tam occultandæ patriæ causa sibi hoc præcipue nomen assumpsisse videri possit, quam ejus, cui est addictus, testificandæ religionis, ac sectæ; quæ in Arausicana urbe principatum hodie tenens, eadem cum Armacano Batavo de libero arbitrio, et Christi gratia decreta profitetur. Quorum quidem patrocinium Vincentiana illa *Theriaca* suscepit; sed eventu adeo non secundo, uti nullus eam, vel partium earumdem, sine stomacho, et contemptu legerit in Galliis, nullus dignum responsione judicarit. Nam cum infeliciter et iratis omnibus gratiis est concepta; tum novi nihil admodum ad causam contulit, quod momenti sit ullius; quodque ex antistite dogmatis illius non pene verbatim depromptum fuerit; et in eo confutando jam a nobis profligatum et eversum.

Sed quoniam talium hæc est hominum indoles, ut eadem leviter commutata, et interpolata, tanquam Sisyphi φῶρια, sæpius ingerant, et inculcent, atque ab igna-

ris, vel incuriosis lectoribus, hoc est majori eorum parte, quibus consulere oportet, desperatæ ac perditæ causæ confessio, silentium haberi solet ; cessimus amicorum consilio, et hortationi hactenus, ut et breviter, et ad ea solum capita glorioso illi responderemus, quæ ad nos præcipue pertinent ; quæ autem in Ricardum doctorem, quem in eadem lucubratione est aggressus, privatim conveniunt, ea prætermitterem, et illi integra reservarem, quo melior esse causæ suæ patronus nemo potest.

Igitur quæ in Vincentii *Theriaca*, quatenus ad me spectat, animadverti, ea quantum potero in paucissima contraham, sine ullo apparatu sermonis, et ornatu ; ne hoc mihi iracundus homo succenseat, quod de priori opere nostro stomachatus est, nimium me in scribendo elegantem latine fuisse.

Sed percommode sane accidit, ut in istam latinitatis, et elegantiæ mentionem sermo noster incurreret. Hinc enim ut Vincentii criminatio, sic hujus castigatio nostra procedet.

CAPUT PRIMUM.

Inscita de latinitate Vincentii expostulatio.

I. In ipso libri aditu grave Petavio crimen objicitur, latini sermonis elegantia. Merito id quidem. Nan nullum operi tam illepido magis congruebat exordium, quam querela de nitore orationis et munditia. Quid facias? Sic a pueris insuevere litterati homines in Gallia. Tu vero, Vincenti, ridiculus es, qui quam tibi personam imposueras Arausicani, id est apud nos nati, et educati hominis, tam male gessisti. Nam ex stilo te tuo, ὥσπερ ἐκ βεστρύχων, statim peregrinum prodidisti. Adeo est non inconcinnus modo, sed odiosus etiam, ac *perunctus nautea*. Sed quam accusandi rationem præ se ferat, tamen interest scire. « Ita a M. Tullii ore pendet Petavius, *inquit*, ut mutus esse malit, quam quidquam quod ille non præivit eloqui. » Etsi hoc non magnum peccatum foret : tamen est falsum. Tu vero vel neutrum unquam, vel alterutrum non legisti. Dic mihi, vidisti apud Tullium *Trinitatis* nomen, aut *Incarnationis*, aut *essentiæ* : *personalis proprietatis* : *attributorum Dei* ? *Relativam* item *proprietatem* dixit aliquando Cicero, vel *subsistentem in tribus personis Deum*, vel *Patrem, Filium et Spiritum sanctum* ? Atqui nec mutus esse voluit in tribus tomis Dogmatum suorum Petavius; et hæc innumeraque dixit alia, quæ tu, scio, nunquam in Ciceronis libris invenies. Quorsum igitur attinebat tam inverecunda hyperbole, nisi ut orationis sordes qualicumque hoc schemate commendares?

II. Sermo est Petavii non male Latinis; sed non affectatus, nec curiose perpolitus; nec ad Prisciani regulas, aut Ciceronis normam, uti nugaris, admodum exactus. Id si esset, pauciora quam hactenus fecit, in lucem edidisset. Non enim tam facile defungi solent, qui hanc sibi servitutem, imo tam cruciabilem ærumnam, ut hoc minime Ciceronianum habeas, indixerunt, quos necesse est habitare in hoc studio, et intentis in eam curam animis, identidem insistere; uti voces singulas excutiant, et examinent; ne quid imprudentibus obrepat, vel minus latinum, vel, quod vitari vix potest, minime Tullianum.

Atenim adeo anxius est, et morosus, ut religioni ducat, *essentiale* dicere : proque hac voce, græcam magis adhibeat, οὐσιῶδες : tum *existentiam* defugiat, malit *exstantiam* : pro *mediis*, *præsidia*; pro *indeliberato*, *minime deliberatum* usurpat : *ingratiis* item pro *invito*. Profecto, mi homo : nimium curiosus es, et abundas otio. Nam si esset quod ageres, ad minuta ista, et exilia non descenderes. Quid quod in illis notandis non minus Theologiæ te rudem, quam grammaticæ demonstras? Οὐσιῶδες apud Græcos latius patet, quam apud Latinos *essentiale*. Observavit hoc Petavius in septimo libro de Trinitate [1]. Nam illi οὐσιῶδες id appellant, quod non ex essentia, non tamen ex accidente convenit. Sic personalis proprietas in Deo non est *essentialis*; est tamen οὐσιώδης, quod *substantivum* appellare possis. Sic Isidorus Pelusiota [2] quod Apostolus scribit, in Christo *habitare omnem plenitudinem divinitatis* σωματικῶς, id est *corporaliter*, idem esse putat, atque οὐσιωδῶς, quod non tam commode vertas *essentialiter*, quam *substantive*, ut intelligatur divinitas in Christo non secundum accidens, ac transeuntem ἐνέργειαν, ut in prophetis, resedisse, sed secundum substantiam, id est ὑπόστασιν.

III. De exstantia quod tu vellicas, inscite facis. Negas *exstantiam* aliud esse, quam quod eminet, ut in vitibus capita; idque ex Columella transtulisse Petavium ad rei significandam existentiam asseris : hoc est ὑπαρχὴν, cum ὑπεροχὴν potius designet.

Si tu aliunde, quam ex Calepino, proprietatem istius vocabuli didicisses, non te adeo deridendum præberes. Nunc quoniam hactenus in Calepino reperisti, putasti satis causæ te habere ad obtrectandum Petavio.

Atqui auctorem ille nominarat Vigilium [3], disertum et eruditum theologum; qui *exstantiam* pro eo sumpsit, quod *existentiam* vulgo nuncupant. Sic enim in primo adversus Eutychen [4] : « Quia secundum istos, qui unam tantummodo contendunt esse naturam; aut

[1] Cap. 6. 7. — [2] Lib. 4. ep. 166.

[3] Tom. 2. Dogm. Theol. lib. 4. c. 1. — [4] Vigil. lib. 1. to. 4. Bibl. PP. col. 495. B.

Verbi mutata est in carnem, ut fieret una; aut carnis in Verbo consumpta est, ut exstantiam sui per sui abolitionem amittens, omnino esse non possit. » Quin etiam Hilarius Nicænum symbolum latine vertens in libro de Synodis, quod græce ita conceptum est, τοὺς δὲ λέγοντας, etc. ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, sic reddidit: *Eos autem qui dicunt, quod de non exstantibus factus est;* τὰ ὄντα, quod est *existentia*, latine maluit *exstantia* dicere : ut et Epiphanius scholasticus in Tripartita historia [1], pro quo Ruffinus [2] *ex non substantibus* in historia sua posuit. Eat nunc Vincentius, et ingenuum, si quem habet, ruborem a fronte contineat. Sane *existentiæ* nomen latinum non est, et, ut sit, non magis rei ὑπαρξιν, quam *exstantiam*, significare debet. Est enim *existere*, perinde ut *exstare*, apud latinos auctores, idem atque *emergere*, et *eminere*, vel *exoriri* : sed cum motu aliquo ; quod *exstandi* vox non assignificat, ut eruditi grammatici notarunt. Latine tamen *exstantiam* pro ὑπάρξει melius dixeris, quam *existentiam*. Hanc enim non *abstractum*, ut vocant, sed *concretum* esse nomen antiquiores existimarunt theologi, idemque ac *personam* esse, vel *subsistentiam*; ut in quarto de Trinitate observatum est a nobis [3]. Quare melius, ut jam dixi, præeuntem secutus Vigilium, *exstantiam* appellavi, etsi promiscue sæpius *existentiam* usurpavi, pro eo quod ὕπαρξιν Græci vocant, quod tu homo græce valde doctus ὑπαρξιν nominasti : nec vocabularium tuum ante consuluisti, ex quo scire posses, ὑπαρχὴν *initium*, et *ortum* rei significare, non *existentiam*.

IV. Mon minus absurde de vocabulo *ingratiis* negotium facit, et eam accusationem elegantiarum pater expromit his verbis, quæ hic operæ pretium sit legere. « Sed hoc perbellum est, *ait* [4], quod cum Ciceronem adverbio, ingratiis, obscuro detritoque, et a pistrino Plauti farinulento, semel usum comperisset, mox identidem lectori suo ingereret, et hac luculenta face, liberi arbitrii noctem illuminare non cessaverit. » Quænam hæc sunt, obsecro, portenta verborum? aut quid mirabilius hoc nomine, qui ex *obscuro*, *detrito ac farinulento nescio quo laternam facit ad illuminandam noctem liberi arbitrii?* Apage te cum *farinulenta* tua *face*, illuminator liberi arbitrii. *Ingratiis* pro eo, quod est *invite*, dixit non semel Plautus. Dixit et M. Tullius *ingratis*, quod idem est atque *ingratiis*. Terentius item in Eunucho,

Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.

Non te adeo desipere arbitror, ut tantis latinitatis auctoribus qualecumque tuum judicium audeas opponere.

CAPUT SECUNDUM.

1. Controversiæ status. — 2. Vincentii prævaricatio, et dogmatis prodilio : dum repudiatam a magistro suo peripateticam philosophiam ad liberii arbitrii doctrinam adhibet.

I. Ab hac grammatica velitatione Vincentii, ad præcipuam transeamus operis, et certaminis materiam, de qua duobus libris disputavit. Quorum antequam singillatim errata persequor, generalis hæc animadvertenda est, et per universum corpus pertinens labes ludicræ cavillationis, ac sophisticæ. Nam et questionis in respondendo statum invertit : et quæ a Petavio, quod etiam pro se Ricardus opponet, proposita erant argumenta contra novi dogmatis auctorem, dissimulando præteriit : tum vero in suscepta causa, et magistri defensione prævaricatus est.

De libero hominis arbitrio, ejusque natura, et adversaria necessitate, tota fuit Petavii, et Ricardi cum Armacano contentio. Hanc ipsam titulo libri sui, et inscriptione professus erat Vincentius. At idem, ubi ad rem ventum est, de propria liberi arbitrii notione, quam ex antiquis philosophis, ac theologis informaveram,

[1] Lib. 2. c. 9. — [2] Lib. 1. hist. cap 6. [3] Cap. 4. — [4] Vincent. lib. 1. p. 3.

perpauca dixit, nec illa χαίρια : in *libertatis* vero, et *voluntatis*, ac *voluntarii*, et ceteris ejusdemmodi vocibus, quæ ambigue, et ὁμωνύμως usurpantur, bonam partem orationis insumpsit. Dicam de hac fraude, ac tergiversatione postea. Nam de prævaricatione prius agi necesse est : quod ex ea multum præsidii, ac lucis insequens nostra disputatio capiat.

II. Novæ artifex sectæ, contra quam scripseram, ut formulam liberi arbitrii constitueret, summovendos edixit ab hac consultatione Peripateticos, et Pelagianos ; quod amborum sententia ab catholica fide ex æquo discreparet. Edicti verba sunt ejusmodi [1] : « Nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio susceptum esse debet, quam Aristotelica illa philosophia, cujus solius armis instructi Julianus, et Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt. » Et, « Desinat hic obstrepere Aristotelica philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio, atque Juliano plenis buccis eam crepante damnata est. »

Armacanum argueram iniqui, et contra rationem promulgati illius decreti ; quippe, seposita ope ac necessitate gratiæ, quam divinare non potuit Aristoteles, Pelagius vero nefarie sustulit ; non male de libero arbitrio ambos existimasse, si sola illius natura spectetur. Nam quod ad Aristotelem attinet, haud aliter conceptam ab eo docui liberi arbitrii definitionem, quam ab Christianis postea theologis, Nemesio, Maximo martyre, Anastasio, Joanne Damasceno, ac præ ceteris S. Thoma : quos omnes ostendi de illius natura disserentes, eam sumptis ex Aristotele partim verbis, partim sententiis explicasse.

III. At Vincentius [2] contra magistri sui, et antistitis edictum statim initio professus est, de libero arbitrio idem se penitus cum Aristotele, ac peripatetica philosophia sentire, falsoque sibi exprobrasse Petavium, ac Ricardum, quod illis auscultare nolit. Sic in libri primi præfatione [3] gloriatur, se adversus ambos illos, « philosophiam vere peripateticam replantasse, factoque ipso ostendisse, quam vanum sit istud, quod a Petavio, et Ricardo sibi opponitur : Aristotelem audire nolunt. In re enim tota naturæ, et ipsa liberi arbitrii, ac humanæ libertatis notione attente audimus, et aliquanto quam ipsi profundius Dei luce et duce penetravimus.

Et in præfatione secundi libri, eadem jactantia prædicat, « se ex veteris peripateticæ, et sanctorum Patrum philosophiæ structura, quam libro primo, inquit, Dei ope restituimus, totam Petavii, et Ricardi de libero arbitrio doctrinam, » subruisse. Qui se igitur peripateticam philosophiam *replantasse ;* et *in liberi arbitrii, ac humanæ libertatis notione* consectanda profundius quovis alio *Dei luce, ac duce penetrasse* dicit : qui eamdem illam restituisse se *veterem, ac peripateticam philosophiam* affirmat, eam utique suspectam non habet, nec tanquam catholicæ adversam fidei, cum Pelagianio errore damnatam judicat : sed Iprensem potius doctorem, et magistrum suum in suspicionem vocat hæresis ; imo aperte condemnat, quod peripateticam, hoc est, ut Vicentius ipsemet interpretatur, *sanctorum Patrum philosophiam,* stilo suo ac decreto notavit. Cujus ergo gravitatis, et prudentiæ est, idem in ea causa patrocinari, ob quam jure ipsum damnandum arbitretur ? Nonne quod illius errori contradicit, hoc Petavio monitori, ac pudori suo, conscientiæque debet : quod auctorem erroris, ob hunc ipsum laudat, ac tuetur, cavillantis est minime ludicra in re, neque serio resipiscentis ? Desinat itaque *replantator* iste restitutam a se jactare veterem, ac veram philosophiam ; nec se *Dei luce, ac duce profundius penetrasse* dicat, (sic enim hominem istum latine loqui delectat, quod nemo prorsus intelligit.) Non est profecto, non est [4] *desursum descendens sapientia illa* tam insulsa, et tumultuosa : *sed terrena et animalis. Ubi enim zelus, et contentio : ibi inconstantia, et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.*

Talis non est Vincentiana : sed pugnax et litigiosa, nec minus ipsa secum, quam cum sana fide, et catholica veritate pugnans ; quod deinceps probare pergam.

[1] To. 3. lib. 3. Præf. p. 256.

[2] Præfat. lib. 1. p. 1. et 4. — [3] Vinc. in Præf. pag. 4. — [4] Jac. 3. 15.

CAPUT TERTIUM.

Liberi arbitrii ratio constituta ex peripateticæ philosophiæ decretis a S. Thoma præsertim explicatis in Summa theologica. Præcipue notanda capita quinque de libertate hominis ex eodem.

I. Ergo, uti proxime supra loquentem Vincentium audivimus, proba est, et Christianæ regulæ consentanea liberi arbitrii definitio, quam vetus Peripateticorum disciplina constituit. Hac una confessione, quam ex ore falsiloquo vis veritatis expressit, confecta res est, et omnis hæc sublata controversia. Nihil enim causari jam potest Vincentius, quin et verum sit, quod de libero arbitrio scripsi, et falsum quod Armacanus, et tota ista, cujus idem suffragator est Lenis, secta defendit.

Hoc ut penitus constet, inquirendum, opinor, est, quæ sit peripateticæ illius philosophiæ de libero arbitrio humanæ voluntatis opinio. Cum autem peripatetica doctrina non alia sit, quam quæ ab Aristotele tradita, et Aristotelicis libris comprehensa, vulgataque legitur; non longius abeundum nobis est. Sed cujusmodi in illis libris invenitur, pro vera, et peripatetica erit habenda liberi arbitrii ratio. Sed ne quis de Aristoteleæ orationis obscuritate, et ambiguitate præscribens, latebram calumniandi sibi aliquam statuat: nihil est consultius, quam ut interpretes adhibeantur Aristoteleæ mentis, et philosophiæ, veteres et eruditi theologi, quorum auctoritatem illi ipsi, quos contra contendimus, sanctissimam habere se profitentur. Tales sunt, quos in libris de Libero arbitrio nominatim percensui; quorumque sententias accurate descripsi, græci, ac latini Patres. Sed ne longum faciam, duos hoc loco, tresve seligam, Nemesium, et qui hujus pleraque verba transcripsit, Joannem Damascenum, ac S. Thomam Aquinatem. Imo in hujus referenda sententia, priores complectar duos : quandoquidem quidquid ille de liberi arbitrii natura, et essentia docuit, nihil nisi doctrina est istorum latine translata de græco.

II. Et quoniam πολυγράφος, et μυριόβιβλος ille doctor pluribus in libris de arbitrio libero commentatus est; in quibus si non pugnantia, certe diversa, et ἐναντιοφανῆ aliqua dixisse visus est : adhibenda primum nobis opera est, ut de mente, ac judicio ipsius nobis liquido constet. Id autem non aliunde certius colligitur, quam ex opere illo, quod ut omnium, quæ ab eo sunt elucubrata, postremum est, ita præstantissimum habetur; quæ est Theologiæ summa. Hinc ergo petenda nobis est germana S. Thomæ de arbitrio libero hominis opinio, potius quam ex aliis, quæ non tam maturus ætate, nec adeo usu, doctrinaque perpolitus in lucem edidit. In prima itaque parte Summæ istius [1] liberum arbitrium in primis a voluntate distinguit : non quod duplex potentia sit [2]. Est enim una et eadem; sed ratione, ac funtione diversa. Nam [3] voluntas proprie circa finem operata est : liberum vero arbitrium circa *media*. Quippe [4] « proprium liberi arbitrii est electio, ait idem sanctus Thomas, ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato. *Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet.* » Atqui electio proprie *est eorum, quæ sunt ad finem*, ut idem docet articulo quarto quæstionis illius octogesimæ tertiæ, ubi perinde duas ejusdem voluntatis ctiones esse scribit, ac sunt in eadem intelligendi potentia duæ. Etenim intellectus dufunplicem habet actionem : unam, quæ intelligentia proprie dicitur, et est simplex principiorum sine ratiocinatione perceptio : alteram, quæ ratiocinatio vocatur, et ex principiis conclusionem colligit. Sic eadem appetendi rationalis potestas unam habet actionem, quæ voluntas dicitur, *sive simplex rei appetitus*, hoc est finis : aliam, *quæ electio nominatur*, et est propria liberi arbitrii, quæ idcirco *vis elective* nuncupatur, ea spectans quæ ad finem comparata, *media* dicuntur.

III. Ad hæc proposita sibi quæstione hac [5], *utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat;* respondet, ultimum finem necessario a voluntate appeti, quatenus voluntas dicitur, et quæ, ut paulo ante dixi, finem respicit; sicut necessario intellectus principiis assentitur : atque hoc *voluntarium* appellari, *quod* vide-

[1] In 1. Par. qu. 82. et 83. — [2] Quæst. 83. art. 4. — [3] Ibid. [4] Ibid. art. 3. — [5] In 1. Par. qu. 82. art. 1.

licet *est secundum inclinationem voluntatis*, cui *violentum* opponitur [1]. Ut autem, præter principia, sunt *quædam propositiones contingentes*, quibus ratiocinando conclusis non necessario assentitur intellectus : sic voluntati *quædam particularia bona* proponuntur, *quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem : et hujusmodi voluntas non de necessitate inhæret :* qualia sunt *media* ad finem utilia, circa quæ *liberum* versatur *arbitrium*. At ultimum finem necessario, et quidem *naturali necessitate* voluntas appetit : quatenus nimirum *clare cognoscitur*. Sic enim in articulo secundo, « Voluntas, *ait*, videntis Deum per essentiam, de necessitate inhæret Deo. » Hoc loco *necessitas* intelligitur non violenta, quæ voluntati, qua voluntas est, et ultimum finem spectat, opponitur : sed naturalis, quæ cum eadem voluntate, sive appetitu finis ultimi conjuncta, *libero arbitrio*, sive *vi electivæ* contraria est. Hæc S. Thomas. Cujus et ista sunt notanda quinque.

IV. Primum [2], « Ea, ad quæ naturaliter inclinamur, non subesse libero arbitrio. »

Secundum, quoniam homo ex libertate sua *dominus* actuum *suorum* dicitur ; non hoc illi convenire quatenus *voluntas* est, et finem ultimum respicit : verum quatenus in deligendis *mediis* occupatur. Sic enim alibi S. Thomas [3], « Ex hoc contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest. »

Tertium [4], duplex esse voluntarium, perfectum, et imperfectum. Perfecte voluntarium est, quod ex perfecta finis cognitione sequitur; « prout scilicet apprehenso fine aliquis potest deliberans de fine, et de his, quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri. » Imperfecte voluntarium est, « quod cognitionem finis secundum imperfectionem sequitur : prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum, » ut in brutis evenit. Ita perfecte voluntarium idem est ac liberum arbitrium, et circa *media* versatur : quippe ex consultatione, sive deliberatione oritur.

Quartum est [5], « Laudem, ac vituperium consequi actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis, » ac proinde illis tantummodo convenire, quæ ex libero fiunt arbitrio.

Quintum, et postremum est [6], quod voluntatis proprium dicitur, ut sese moveat, non ei convenire, qua voluntas est, et finem appetit, sed qua *vis* est *electiva*, sive liberum arbitrium. Sic enim disputat sanctus Thomas : « Quemadmodum intellectus per hoc, quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionum, et hoc modo movet seipsum : similiter voluntas per hoc, quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. » Igitur voluntas ea sola ratione movere se dicitur, quod in *mediorum* electione versatur ; non autem dum fertur in finem, qua finis est : quare proprium est voluntatis movere se, quatenus liberum est arbitrium, non ut voluntas est.

V. Idem docet in secundæ partis prima parte, quæstione duodecima, et decima tertia; ubi voluntatis, qua est voluntas, actionem, quæ intentio dicitur, ferri ait in finem, eam vero, quæ voluntati convenit, qua liberum est arbitrium, et est electio, circa ea, quæ sunt ad finem, hoc est media, versari. Hanc porro [7], « cum sit præacceptio unius respectu alterius, necesse est respectu plurium esse, quæ eligi possunt ; et ideo in his, quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet. » Post hæc [8], electioni, id est actioni propriæ liberi arbitrii, contrariam esse dicit necessitatem non cogentem, sed ad unum determinantem; ejusmodi scilicet, qua voluntas eadem perfectum bonum, id est beatitudinem expetit. Nam « ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut miser. Electio autem cum non sit de fine, sed de iis, quæ sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum : et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit. » Hæc sunt quæ de libero arbitrio in Summa theologica, hoc est opere illius postremo, ac præstantissimo disputantur a S. Thoma. Præter quæ alia sunt non minus ad rem nostram pertinentia : sed longum est omnia complecti : ac tum ea, quæ hic omissa sunt, tum illa ipsa, quæ carptim delibavimus, plenius illic explicata legi poterunt.

[1] Ib. — [2] Quæst. 83. art. 2. — [3] In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2. [4] Ib. art. 2. in corp. — [5] Ibid. ad 3.

[6] S. Tho. in 1. 2. qu. 9. art. 3. — [7] In 1. 2. qu. 13. art. 2. — [8] Art. 6. quæstionis 13.

CAPUT QUARTUM.

1. Eadem ratio liberæ voluntatis ex Aristotele probatur, tum Nemesio, Joanne Damasceno. — 2. Pelagianos recte de illa sentientes probavit Augustinus. — 4. Suffragatur et communi doctrinæ Michael Baius.

I. Quæ de liberi arbitrii natura superiori collecta capite attulimus ex S. Thoma, ea sunt ex Joanne Damasceno, et hoc antiquiore Nemesio, quem sub Gregorii Nysseni nomine citare consueverant, majori ex parte deprompta : quorum omnium fundus, auctorque est Aristoteles. Cujus, ut et Damasceni, nomen adscripsit ad omnia fere S. Thomas, quæ de libero arbitrio tradidit. Ex hoc itaque peripateticæ philosophiæ fonte hausta sunt illa, quæ de voluntate hominis libera Christiana sapientia decrevit, quæque nos capite illo antecedente, et in libris de Arbitrio libero contra novi dogmatis licentiam exposuimus. Sic enim Aristoteles [1] βούλησιν, id est *voluntatem*, quam proprie sic appellari S. Thomas docuit, ab libero arbitrio distinctam, circa finem versari dixit : προαίρεσιν vero [2], sive electionem, quam liberum arbitrium vocat S. Thomas, circa ea, quæ sunt ad finem, de quibus videlicet deliberari et consultari potest. Hujusmodi autem neque definita, determinataque esse debent, neque uniusmodi, et necessaria : sed contingentia, et in nobis, id est in nostra potestate sita; quorum videlicet arbitri, ac domini sumus, ut ea, vel eorum contraria capessere, ac circa hæc agere, vel non agere pro voluntate possimus.

Eadem leges apud Nemesium, capite 23. ac sequenti, et Maximum martyrem, necnon apud Joannem Damascenum, libro secundo, capite 22. quorum omnium sententias, et verba ipsa descripsimus in libro primo de Arbitrio libero, capite quinto.

II. In hac ipsa liberi arbitrii notione, ac natura definienda, cum Aristotele, catholicisque philosophis, ac theologis, imo cum humani totius generis insitis et nativis sensibus consensere Pelagiani ; nec aliter, atque ipsi de illo statuebant, sentire se non semel professus est Augustinus. Qui quidem adversus sectæ illius principes Pelagium, et Julianum disputans ; cum inter ipsos constitutus hic esset quæstionis status, utrum homo liberi arbitrii sui viribus, sine adjutorio gratiæ Christi, bene aut male agere prout libitum est possit; asserentibus hæreticis, solam sibi vim liberi arbitrii sufficere; eamque necessariam esse Dei gratiam, qui ut naturæ hominis, ita liberæ ejusdem voluntatis est conditor ; de libero arbitrio, cujusmodi ab illis agnoscebatur, his, inquam, de liberi arbitrii natura, et definitione, plane est assensus Augustinus : nec de ea re negotium iis fecit ullum. Sed de adjutorio gratiæ tantummodo contendit ; affirmans eos in ambiguitate vocabuli unius calumniari, ac secum objicere, cum gratiam aliter interpretarentur, ac catholici.

Julianus ecce Pelagianorum acerrimus in libro primo Operis imperfecti [3], contra Augustinum vehementius insurgens, ac de liberi vi et potestate arbitrii totis viribus certamen ingressus, definiri primum postulat, quid sit arbitrii libertas, et ante omnia Ciceronianum illud usurpat : « Omnem, quæ ratione suscipitur, de aliqua re disputationem debere a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur. » Tum illam ita definit ; « Libertas arbitrii, qua a Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, et abstinendi a peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis, et vitii ; quod posset ex concessa sibi possibilitate, vel servare mandata, vel transgredi ; vel magisterio naturali conservare jus humanæ societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, et justitiæ summa est. » Huic vicissim occurrens Augustinus, de liberi arbitrii ratione, et possibilitate utriusque partis, nihil omnino contradicit. Hoc vero reprehendit unum, quod *de suo justitiam concipere* idem illud arbitrium putet ; hoc est, quod sine necessaria ope gratiæ Christi, perinde bonum amplecti posse istud, ac malum arbitretur.

III. Item in secundo libro de Nuptiis et concupiscentia ad Valerium, capite tertio, cum Julianus quereretur, « quod si quis aut liberum

[1] Lib. 4. Eth. ad Nicom. cap. 6. et 7.

[2] Ib. c. 5. et 1. mag. morc. c. 18. — [3] Cap. 70. pag. 118.

in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus, aut Pelagianus vocaretur; » Augustinus sic eum refellit : « Non est ita ut loqueris, quicumque ita dixisti, non est ita : multum falleris, vel fallere meditaris : non liberum negamus arbitrium etc. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, et Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus. Non hinc estis Celestiani, et Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, et non erui parvulos a potestate tenebrarum, et sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani, et Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen ? » Ergo liberi arbitrii dogma cum Pelagianis Augustino et catholicæ parti commune fuit. Non enim de solo nomine inter illos conveniebat. Alioqui stulta, et puerilis esset ista certatio. Deinde potest id ex alia contentionis parte, quæ de gratia erat, certissime colligi ; siquidem de gratiæ nomine ambo inter se concordes erant, cum utrique gratiam ad bene agendum necessariam esse faterentur. Nec tamen quisquam dixerit, aut Augustinus unquam admisit, commune esse Catholicis cum Pelagiana hæresi dogma gratiæ. Atqui de vocabulo ipso gratiæ, uti dixi, inter se consentientes erant. Verum quod sub eadem voce, dispar erat, et dissimilis rei significatæ proprietas et ratio, ideo multum a se mutuo distare illos, passim testatur Augustinus. Quin etiam Pelagium ac Julianum *gratiæ* nomen identidem obtrudentes, seque illam profiteri magna voce clamantes, prius explicare jubet, quid eâ voce significari putent, et quam ei notionem subjiciant. Quod cum in libero arbitrio nusquam fecerit, imo vero non solum vocabulum usurpantes, sed vocabuli definitionem, potestatemque declarantes hæreticos illos approbarit, et ejusdem secum participes sententiæ, atque hac ex parte Catholicos esse pronuntiarit, quid aliud nisi cæci, ac stulte pervicaces sumus, nisi hoc agnoscimus, Augustinum liberi arbitrii naturam, essentiam, ac notionem prorsus unam eamdemque cum Pelagianis hæreticis, ac tota Ecclesia catholica statuisse ? Sed hoc validissimum, et invictum penitus argumentum plenius instruximus in primo de Arbitrio libero, capite secundo et tertio. Contra quod nihil mutire est ausus magistri sui desertor ac prævaricator Vincentius Arausicanus, id est Arausicanæ, ac Batavo-Calvinianæ sectæ patronus.

IV. Postremo huic ipsi liberæ voluntatis formulæ ab Aristotele, ac S. Thoma, post Joannem Damascenum, ceterosque græcos ac latinos Patres traditæ, suffragatur Michael Baius in libro de Libero arbitrio : in quo multa docet nuperæ isti sectæ, cui occasionem alioqui præbuisse ille dicitur, vehementer adversa. Ut cum in capite quarto « voluntatem liberam esse *ait* necessitate : » quæ ideo sic appellatur, « quia qui vult quippiam, habet in sua potestate, ut quod vult etiam possit nolle; aut contra quod non vult, velle. Quomodo libera voluntate vult Deus, quæcumque foris operatur : ut novas hominum animas condere, pios de tentatione eripere, impios æternis cruciatibus reservare. Et sicut apud Matthæum legimus [1], potuit Filius Patrem rogare, ut exhiberet sibi plusquam duodecim legiones angelorum : quod tamen non rogavit. Sed Pater non libera voluntate diligit Filium, ut qui illum non possit non diligere. Angeli quoque libera voluntate pro his, aut illis hominibus apud Deum intercedunt : sed felici quadam necessitate constricti Deum, atque justitiam immobiliter diligunt, etc. » Paulo post, « Sed in eo, quod homines sibi bene esse volunt, *inquit*, et miseriam fugiunt, non ducuntur libera voluntate, quia hos rationales motus necessarie retinent, aut in actu, aut saltem in habitu, et virtute. »

Sunt et alia non pauca, quæ ibidem de libero arbitrio, seu voluntate libera, disserit Baius, tam Calvinianæ, quam Iprensi novitati contraria, et his consentanea, quæ ex catholicæ fidei regula superius exposui. Verum illa quæ adnotavi satis esse debent : ex quibus liberum arbitrium hujusmodi esse constat, ut ei necessitas ad unum determinans opposita sit, tametsi voluntaria, id est spontanea sit. Tum illud insuper obtinetur, amorem illum, quo vel Deus amat se, vel ab angelis, ac sanctis diligitur, quamvis ex intima, et ardente voluntate proficiscatur, ideo non esse liberum, quod felici quadam necessitate ab illis exprimatur, nec ab eo integrum sit desistere.

[1] Matt. 26.

CAPUT QUINTUM.

1. Fucus Vincentii theriacopolæ in libertatis vocabulo. — 2. Hujus vocis ambigua notio, ac veræ libertatis proprietas exposita. — 3. Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam usurpandum, cujus notæ aliquot ex S. Thoma præscriptæ. — 4. Meritum non aliunde oriri, quam ex usu liberi arbitrii. — 5. Itemque laudem, et vituperium.

I. Qui de libero arbitrio pauca illa summatim hactenus comprehensa legerit, theriacopolæ artes ac fraudes statim animadveret; nec ejus mendaci præconio circumventus, pro theriaca, venenum sibi induci patietur. Certe, quod capite secundo præmonui, perpetuum illius orationi fucum, ac vocis calumniam subesse, id jam lectori non imperito perspicuum esse confido. Nam cum de libero hominis arbitrio tota Petavium ac Ricardum inter, et novi auctorem dogmatis esset commota quæstio, exortus est iste, deploratæ causæ non magis patronus, quam prævaricator, ac proditor, qui circulatorum more, quos *theriacæ institores* vulgo nominant, præstigiis suis conaretur illudere. Itaque contra illa, quæ de *libero arbitrio* propria, et contractiori notione sumpto, ambo illi disputaverant, nihil iste garrire admodum ausus, in libertatis ancipiti vocabulo latebram quæsivit; convictæ ac profligatæ Armacanorum hæresis, aut ejusdem alia generis arripuit ἐπαμφοτερίζοντα, et ancipiti usu plerumque fallentia, de quibus mox.

II. Nunc illud observari volumus; *libertatis* nomen interdum latius usurpari, ut idem sit, ac *voluntarium* sive *spontaneum*. Ita S. Thomas [1] cum illud quærit, utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat, huic, quod in primo argumento proposuerat, nihil ut appeti necessario monstraret, *si aliquid est necessarium*, auctore Augustino [2], *non esse voluntarium*, ita respondet, Augustinum loqui de *necessitate coactionis*, non naturali. « Necessitas enim naturalis, *inquit*, non aufert libertatem voluntatis. » Hic perspicue sanctus doctor *libertatem* sumpsit non propria, et angusta significatione, qua liberum arbitrium designat, hoc est voluntatem, quæ circa ea versatur, quæ sunt ad finem. Hanc enim cum naturali necessitate pugnare, sequente articulo docet. Tum eodem illo articulo primo in *corpore*, ut vocant, explanat quo sensu acceptæ *libertati* non repugnat naturalis necessitas; ac talem exprimit voluntatis actionem, *quæ inhæret ultimo fini*; quod *ex necessitate* facere illam ait: « sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principiis. Finis enim se habet in operativis, sicut principium in speculativis, ut dicitur in secundo Physicorum [3]. » Ut igitur non necessario omnibus assentitur intellectus, sed primis duntaxat principiis, cetera autem, quæ ex iis sequuntur, ratiocinando colligit: sic voluntas in solum finem ultimum naturali necessitate fertur; in ea vero, quæ ad finem spectant, non necessario, sed libero arbitrio movetur. Ita S. Thomas: ex quibus efficitur *libertatis* nomen, quod necessitati non repugnare dicit, non esse liberum arbitrium, sed voluntatem, qua natura est, vel secundum generis notionem. Sic enim homini, non præcise quo *rationalis* est, *sensus expers* opponitur: sed qua est animal.

Alias vero idem liberi vocem pressius usurpat, ut sit solius *arbitrii liberi*, et cum naturali necessitate pugnet. Ita enim in priori secundæ parte, quæstione 13. articulo sexto [4]; ubi illud inquirit, utrum homo ex necessitate eligat, an libere; respondetque libere eligere, non ex necessitate. Necessitatem autem naturalem intelligit, cujusmodi est ea, qua voluntas finem ultimum, sive perfectum bonum appetit. Ergo libertas huic ex adverso respondens, idem est cum libero arbitrio, et circa ea versatur, quæ *possibilia*, et *contingentia* vocat, quæque velle, aut non velle potest, hoc est appetere, vel fugere.

III. Quamobrem cum sit ambigua *libertatis* ut et *voluntatis*; *liberi* item, et *voluntarii* significatio; his omissis vocabulis, *liberi* potius *arbitrii* usurpanda vox est, præeunte S. Thoma: aut si *libertatis* nomen adeo delectat, ea certe *liberæ voluntatis* intelligatur actio, quam bonum, malumve meritum, laus item, aut vituperatio consequitur: tum ejusmodi, ut illam voluntas hominis exercens, movere se libere dicatur: postremo cujus domina sit, et quam in potestate habeat. Has liberæ voluntatis actionisque conditiones, si ex peripateticæ

[1] In 1. par. qu. 82. art. 1. — [2] Lib. 5. de civ. c. 10.

[3] 2. Phys. tex. 89. — [4] In 1. 2. qu. 13. art. 6. in corp.

philosophiæ præscripto, et interpretatione S. Thomæ, *replantator* illius ac *restitutor* Arausicanus admittit, nihil de voce pugnabimus.

Sed tanta videlicet hominis istius in scribendo ἀπροσεξία fuit, ut cum assentiri se utrique, peripateticæ scholæ, ac S. Thomæ Aquinati professus esset, ubi ad rem ventum est, vel nescire se quis illorum sensus sit, vel ei dedita opera refragari, ac scientem volentemque mentiri palam ostenderit. Hoc non falso a me esse dictum facile is animadvertet, qui cum superiore liberæ voluntatis formula ex S. Thoma potissimum confecta, contendat illa, quæ de eodem argumento Vincentius toto in libro suo disputavit. Quinam igitur fons est boni malique meriti? Audiamus quid de eo sanctus ille doctor præscribat[1]? « Creatura, *inquit*, rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium : *Unde sua actio habet rationem meriti.* » Meriti ergo ratio ex liberi arbitrii actione petitur. Hoc autem a voluntate simpliciter sumpta, et ex necessitate finem appetente distinguitur, eodem auctore S. Thoma. Idem in articulo quarto quæstionis illius centesimæ decimæ quartæ, *merendi rationem* duplici ex fonte proficisci ait, primo ex divina ordinatione, secundo ex libero arbitrio, « inquantum scilicet homo habet præ ceteris creaturis ut per se agat voluntarie agens. » Voluntarium porro istud non qualecumque, sed perfectum esse, demonstrat in quæstione sexta partis ejusdem ; ut supra capite tertio diximus ; cujusmodi scilicet circa ea versatur, quæ ad finem utilia sunt, ut ea vel adsciscat, vel respuat. Atque hoc ex articulo sexto quæstionis illius intelligitur, ubi eadem duo meriti principia declarans, de secundo loquitur sic : « Alio modo habet rationem meriti, secundum quod procedit ex libero arbitrio, inquantum voluntarie aliquid facimus. » Ergo *voluntarium* illud ad liberum arbitrium pertinet, estque perfectum.

IV. Non minus id ex alio loco constat [2], ubi quæritur, *an credere sit meritorium* : ex quo de merito, et ejus causa disserens, « Actus nostri, *inquit*, sunt meritorii, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto a Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui subjicitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum, potest meritorius esse. » Et in responsione ad secundum argumentum, «Assensum *ait* scientiæ non subjici libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis : et ideo assensus scientiæ non est meritorius. Sed consideratio actualis rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare : et ideo consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis : sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, et ideo quantum ad utrumque, actus fidei potest esse meritorius. »

Eximius hic locus est, et ad multas res opportunus, ex quibus novæ sectæ licentia coercetur. In primis enim meriti ratio illa constituitur, qualem volumus ; ut ex liberi arbitrii actione propria, id est electione pendeat, quam nulla necessitas debet exprimere, sed utriusque esse salva potestas. Siquidem libero arbitrio necessitas omnis uno aliquo circumscribens, ac determinans opponitur ; non violenta duntaxat, sed etiam voluntati blandiens, et ejus propensioni consentanea, ut ex S. Thoma superius ostendimus. Deinde cum fides initium sit justitiæ, ac prima gratia, uti S. Augustinus passim indicat, evidens est voluntatis actionem illam, qua gratiæ initium arripimus, eique consentimus, ad liberum arbitrium pertinere, ac non modo ab cogente, sed etiam determinante necessitate longius abhorrere.

V. De laude item, ac vituperatione, cujus stirps, et radix est libera voluntas, non est obscura S. Thomæ sententia. Nam cum eam sibi quæstionem præscripsisset [3], *utrum voluntarium sit in animalibus brutis :* ad illam decidendam, duplex voluntarium discernit ; unum imperfectum, alterum perfectum, ut supra capite tertio memoravimus : horum prius inesse bestiis affirmat, quod nihil aliud est, quam τὸ ἑκούσιον, id est *spontaneum*. Posterius vero, quod est liberum arbitrium, et in his, quæ ad finem conducunt, eligendis positum est, soli homini tributum. Ex quo tertium, quod objecerat sibi, dissolvit argumentum : nempe non videri brutis inesse voluntarium, quoniam, ut auctor est Joannes Damascenus, *voluntarios actus sequitur laus, vel vituperium*, at brutorum actus neutrum merentur. Huic ergo sic respondet ; laudem ac vituperium sequi voluntarium, quod perfectam habet rationem voluntarii, hoc est liberi arbitrii. Quare sola hæc actio, quæ ab libero arbitrio profecta est, laudem, aut vituperationem meretur. Vide quæ de hac re, ac loco Damasceni, contra Iprensem calumniam uti-

[1] In 1. 2. qu. 114. art. 1. — [2] In 2. 2. qu. 1. art. 9.

[3] In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 3.

liter animadvertimus libro tertio de Opificio [1].

Rursus liberi arbitrii, quod ea scilicet respicit, quæ ad finem referuntur, proprium hoc esse, ut per illud movere se libere voluntas dicatur, asserit S. Thomas [2].

Tum eatenus dominum esse sui actus hominem, et habere actiones suas in potestate, quod ex libero operatur arbitrio, ejusdem est sententia [3], capite tertio a nobis exposita. Quæ sane omnia persuadent, veram, ac proprie dictam, et, ut vocant, *formalem* libertatis humanæ rationem in ea voluntatis actione collocari ab S. Thoma, quæ est attributa libero arbitrio, et circa media, eaque contingentia versatur; hoc est nulla necessitate definita; sed ejusmodi, ut in iis operari pro arbitrio possit : quod vulgo *indifferentiæ* vocabulo, et quidem recte, philosophi pariter, ac theologi declarare solent contra inanes novæ factionis fremitus, et insultus : quibus innutritus Vincentius, hoc attulit ex sectæ indole, ut catholicam allatraret fidem : illud ex seipso, et ingenio suo præstitit, ut ei, quam susceperat, causæ maximam plagam, ac perniciem inferret : quod explicare, ac probare deinceps aggrediar.

CAPUT SEXTUM.

1. Vincentiana de libertate contra superiorem S. Thomæ doctrinam disputatio. — 2. Ejusdem falsa interpretatio S. Thomæ. — 3. Refellitur ex eodem S. Thoma. — 4. De libero arbitrio tota est quæstio, non de voluntate. In illo vera, et formalis est libertas, non in quavis motione voluntatis : quod uberius declaratur. — 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtute contineatur libera electio.

I. De libero arbitrio ita scripsit Vincentius in Theriaca, ut si decreta illa peripateticæ doctrinæ, ac S. Thomæ, quæ in superiora capita contuli, evertenda sumpsisset, non aliter, quam ut duobus libris suis instituit, quod vellet exequi potuerit. Etenim illud unum toto in opere contendit, ut liberi arbitrii rationem, et essentiam cum voluntate simplici, naturalique confundat, et illud discrimen obscuret, atque e medio tollat, quod in Summa theologica tam enixe princeps ille Christianæ philosophiæ, Theologiæque constituit; qui voluntatem aliam esse docuit, quæ naturalis est, et rationalis appetitus : aliam, quæ est liberum arbitrium, et in eorum, quæ sunt ad finem, electione consistit. Ad hanc labefactandam libertatis vere, proprieque dictæ notionem multum æstuat Vincentius. Nam [4] inter *voluntatem*, et liberum arbitrium, quod ad libertatem pertinet, nihil interesse putat, sed omnem voluntatis humanæ motionem ab arbitrio libero procedere. Itaque quod voluntas « imperare sibi, et esse domina sui actus » dicitur [5], hoc illius proprium esse disserit eo ipso, quod voluntas est, et natura, non autem qua est arbitrium liberum.

Rursus [6] solam cogentem necessitatem libero arbitrio repugnare censet; non autem naturalem, et voluntatis inclinationi consentaneam, qualis est necessitas illa, qua beati Deum, quem aperte contuentur, diligunt, vel qua Deus amat semetipsum; quam utramque liberam esse voluntatis actionem asserit [7].

II. Hæc cum Vincentius tum absurda, tum a peripateticæ philosophiæ placitis abhorrentia, et S. Thomæ auctoritate damnata defendat; tamen *replantatorem* se esse jactat peripateticæ sapientiæ, et auctorem habere commenti illius S. Thomam : quo nullum fingi potest inverecundius, intolerabiliusque mendacium. Licet hoc comparatis inter se utriusque sententiis cognoscere; tum iis scilicet, quas in capite antecedenti e S. Thoma deprompsimus; tum Vincentii doctoris, quas hoc ipso paulo ante perstrinximus. Nihil sic pugnans cum altero esse sentiet, ut amborum effata sunt, ac decreta.

Sed animadvertenda, ridendaque est callidi

[1] Cap. 12. § 11. et seq. — [2] In 1. 2. qu. 9 art. 6. — [3] In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2.

[4] Lib. 1. cap. 3. vide p. 15. — [5] Ibid. cap. 6. et seq. — [6] Ibid. cap. 11. — [7] Lib. 1. cap. 12. p. 57.

hominis astutia. Non enim tam plumbeus erat, ut non intelligeret, ea, quæ ex Armacanæ factionis præscripto de libertate proferebat, illis adversa esse, quæ in Summa theologica tradita sunt a S. Thoma. Itaque [1] confugit eo, ut dupliciter ab isto sumi liberum arbitrium diceret : uno modo, secundum essentiam; altero speciatim, et restrictius, atque hoc posteriore *vim* esse *duntaxat electivam*, et ea quæ sunt ad finem respicere : deque eo loqui S. Thomam illis locis, quæ ex eo collegimus. Priori vero, voluntatis actionem omnem continere; etiam illam quæ in finem est intenta, quæque necessitatem habet adjunctam. Tam enim hanc quam illam liberam esse, si *essentialis*, ut vocat, libertatis ratio ducatur.

III. Hæc qui palam eloqui, ac scriptis mandare sustinet, frontem habeat aut nullam necesse est, aut omnino ferream. Quid enim, obsecro, istud est? Sanctus Thomas ibi, ubi de libero arbitrio, ejusque natura, proprietate, et ab aliis differentia agit ex professo, opere in illo omnium, quæ de Theologia commentatus est, eruditissimo ac novissimo, duas esse dicit actiones voluntatis; unam quæ est circa finem; alteram circa *media*, quæ sunt ad finem : atque hanc solam voluntatis, ut liberum est arbitrium, propriam esse : priorem non esse. Addit libertatis veræ proprieque dictæ notas omnes, et eas negat in primam convenire, cadere vero in posteriorem universas. Et tam suæ famæ, ac publici de se judicii securus existet nescio quis *theriacæ institor*, ut de libero arbitrio aliter existimare sanctum doctorem asserat, quam suamet ipse voce, tot locis, tot enucleatis, accurateque conceptis, ac repetitis verbis, et sententiis idem ille sit professus. Ostendat aliquem illius locum, quo in loco, *liberum arbitrium ; liberum*, inquam, *arbitrium*; (nam de eo, ut initio dixi, inter partes orta primum, deinde scriptis, et disputationibus exagitata quæstio est, quando de hoc litigari cœptum est, quomodo cum liberi arbitrii consensu, et actione conciliari aspirantis gratiæ possit motio :) doceat itaque Vincentius, ubinam, illo præsertim in opere, in quo tam multa, tam expressa de argumento isto disseruit, liberum arbitrium scripserit duplici illo modo accipi : aut circa finem versari liberum arbitrium : itemque necessitate determinante, ac naturali constrictum, nihilominus esse, appellarique liberum arbitrium.

IV. « Liberum, *inquit* [2], arbitrium speciatim sumptum ita definit, non universim omnem voluntatem liberam. » Est ergo voluntas aliqua libera, quæ non est liberum arbitrium. Sit ita. Nos de libero arbitrio contendimus, in quod si illa cadere solum, quæ antecedente capite percensuimus e sancto Thoma, concedit Vincentius; causam obtinemus. Habemus enim boni ac mali meriti, laudis et vituperii fontem in uno illo constitutum; tum cetera de movente se libera voluntate, et actiones suas in potestate, ac dominio habente, soli tribuenda sunt arbitrio libero, quale ibi descripsit S. Thomas : quæ sunt veræ, propriæ, unicæque dotes, et notæ libertatis illius, quæ in nostram deducta controversiam est. Hoc quidem concesso; *libertatis*, aut etiam *liberæ voluntatis* nomine perinde, ut volet, utatur Vincentius. Non repugnabimus. Illo enim contenti sumus uno, veram, et *formalem*, ut in scholis dicimus, libertatis rationem in ea voluntatis motione consistere, cui *liberi arbitrii* tum vocabulum, tum characteres illos, ac proprietates S. Thomas attribuit. Sic enim hominis animus, λογιστικὸς, id est *ratiocinativus*, itemque liber, et utrumque totus dicitur : quamvis neque voluntate ratiocinetur, nec mente, intellectuve sit liber : sed in illa sola, libertas; in hoc item solo, ratiocinandi vis et facultas insit proprie, ac *formaliter*. Tum si ambo illa pressius, enucleatiusque tractemus; non *se totis*, ut aiunt, hoc sunt quod esse dicuntur, ratiocinativus intellectus, et voluntas libera. Siquidem intellectus duplici facultate præditus est; una, quæ principia cognoscit, iisque perspicue cognitis assentitur necessario; atque hic *intellectus*, id est νοῦς, ab Aristotele, et S. Thoma proprie vocatur : altera vero ratiocinatur, dum ex principiis cognitis ignotum aliud ratione concludit. Itaque *ratiocinativus* proprie, ac *formaliter* intellectus est postremo isto genere facultatis, sive qua, ut loqui solent, *discursivus* est : et tamen universe, et in solidum λογισμὸς et λογιστικὸς νοῦς, id est *rationalis* appellatur intelligendi vis. Hoc autem ideo fit, quod in usu rationis præcipuum bonum, ac dignationem obtinet actio illa mentis, et intelligentiæ, qua unum ex altero ratiocinando deducitur, qui συλλογισμὸς vocatur, et *tertia mentis operatio* : hujus enim gratia reliquæ sunt, et ad eam referuntur, tanquam ad fructum, et perfectum operis effectum : *prima* videlicet *operatio*, quæ est simplex *terminorum*, ut vocant, notitia; et secunda, quæ componendo, vel dividendo af-

[1] Vincent. lib. 1. c. 21.

[2] Vinc. lib. 1. cap. 21.

firmat aliquid, aut negat, nihil ex eo tertium colligens. Propterea mens, et intellectus humanus absolute *rationalis*, et λογιστικὸς nominatur; etiam dum in illa velut elementa tertiæ, ac præcipuæ operationis incumbit. Nomen enim a primaria, et cujus reliquæ gratia fiunt, operatione sortitur, quemadmodum arbor fructifera dicitur, tametsi non solum fructus, sed folia quoque, floresque pariat.

Eodem prorsus modo, rationalis appetitus, seu voluntas, vi duplici, et actione censetur; ut ex S. Thoma supra memoravi; quarum una simplex est voluntas, et naturalis finis appetitio, quæ in finem utimum claro contuitu cognitum, divina ope sublevata, non libere, sed necessitate fertur; altera, quæ in iis versatur, et hæc eligit, quæ ad finem comparata, media dicuntur. In hac liberum arbitrium, et *formalis*, proprieque sic nominata libertas continetur. Sed ea *libertatis* appellatio, vel *liberæ voluntatis*, totam nonnunquam appetitus rationalis facultatem complectitur; adeoque illas etiam actiones, quæ ab electione differunt; quod ad hanc comparantur, velut principalem analogiæ terminum, quod vocant *analogatum præcipuum*, ut est finis appetitio, quam *intentionem* vocant.

V. In quo etiam atque etiam illud observari volumus, quod ad Vincentii, et ejusdem *farinæ* hominum eludendas præstigias conferet, illam ipsam, quam vocant, finis *intentionem*, ὁρμὴν Græci vocant, et ὄρεξιν, quandiu hic degimus, cum electione sæpius implicatam esse. Non enim hoc in statu vitæ mortalis, finem ultimum directa, et perspicua cognitione percipimus, qui mentis intuitus, *intuitiva cognitio* nuncupatur. Itaque de fine ultimo persequendo deliberari solet, et is post deliberationem eligi, antequam idem ipse pro fine propositus, sequenti consultationi præeat, qua de eligenda illius obtinendi ratione, ac *mediis* inquiritur. Quod ergo generatim dicimus, finem non eligi, sed ea duntaxat, quæ ad finem utilia sunt, id sic est explicandum, ut electioni illi non subjaceat, quæ eo proposito, ac constituto sequitur. Nihil enim prohibet, consilium haberi de finis illius assequendi modis, de quo, an tanti esset, quæsitum ac deliberatum antea fuerit.

Quemadmodum principia, quæ in *subalternantibus*, ut vocant, ratione concluduntur, in subjectis, et subalternis scientiis minime probantur, sed pro demonstratis, et confessis assumuntur, et in his duntaxat principiorum vim, et officium exercent, non in superioribus. Ut autem ἐπιστημονικῶς, hoc est *scientifice*, ut vulgus loquitur, sciri dicantur ea, quæ ex citimis illis principiis concluduntur in inferioribus, ac subalternis disciplinis, necesse est, ut eorum certa veritas ex subalternantis notitia comprehensa sit, et perspecta; ac δυνάμει, hoc est implicite, ac virtute, in assensu quo principium admittitur ab superiore demonstratum ac traditum, demonstratio ipsa contineatur. Sic in libertatis usu, qui ab deliberato jam, et electo fine proficiscitur, in eumdem intenta finem voluntatis appetitio, virtute comprehensam habet antecedentem electionem: ob idque libera dicitur etiam proprie, ac formaliter, donec ad initium aliquod perveniatur subitæ, minimeque deliberatæ motionis, a qua liberarum progressio deinceps orta ducatur.

Hæc adversus Armacana commenta multum notasse profuerit. Hinc enim Vincentiani operis, et doctrinæ labes, ac ruina consequitur: cujus in sequentibus specimen aliquod exhibebitur. Nam ad omnia singillatim errata castiganda, mihi nec otii modo, neque stomachi est satis.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Liberi arbitrii essentia perperam ab Vincentio definita. — 2. Quæ refutatur. Imperium in quo situm sit. — 3. Quomodo voluntas movere se dicitur. — 4. Voluntatem sibi non imperare proprie.

In priori *Theriacæ* parte toto in hoc unum studio Vincentius incumbit, ut ab communi, et sane catholica liberi arbitrii notione lectorum abducat animos, et ad alienam, ac falsam transferat. Hæc autem est ejusmodi, et iis ab eo concepta verbis[1] : « In modo agendi, *inquit*, ἡγεμονικῷ, quo voluntas seipsam movet, et actum suum sibi imperat, consistit essentialis ejus libertas. Unde istam libertatem omni actui suo voluntas infundit, quem ex seipsa, et directione rationis elicit. » Ac ne quem ambiguitate fallat; cum dicit, liberum esse actum omnem voluntatis, *quem directione rationis elicit ;* non hoc significat, quod Peripatetici, et cum græcis, latinisque Patribus, S. Thomas asseverat, illum solum *proprie*, et, ut loquuntur, *formaliter* esse liberum, qui ex deliberatione, et consilio rationis existit; qualis est ἡ προαίρεσις, id est *electio ;* quæ idcirco abhorret a necessitate qualibet; eo quod consilium circa contingentia, et utrinque ad eligendum proposita versatur. Verum omnem prorsus actionem voluntatis, etiam necessitate circumscriptam, ac determinatam, liberam appellat ; ut ex toto opere licet cognoscere. Ut cum ita scribit[2], « non posse dari propriæ, et rationalis voluntatis actum, qui liber non sit. » Et paulo ante, « Ubi voluntas, ibi libertas ; et quidquid ab ea, ut voluntate, et appetitu rationali procedit, ab ea ut libero arbitrio procedit, adeoque liberum est. » Qua sententia nulla magis adversaria potest esse sancti Thomæ decretis illis, quæ supra commemorata sunt; ubi liberum arbitrium ab voluntate, qua voluntas est, et appetitus rationalis, discerni jubet. Ad hæc [3] Vincentius necessitatem naturali consentaneam inclinationi cum vera libertate putat consistere : et amorem utrumque, tum Dei, quo se ipse diligit, tum beatorum, quo Deum amant, esse liberum arbitratur. Item alia pleraque ad idem disputat argumentum, quæ libertatis, ac liberi arbitrii naturam, et essentiam longe diversam ab ea constituunt, quam ex Aristotelica, Christianaque philosophia superius adstruximus : quæ res postmodum liquido constabit.

II. Quod nunc agitur, demonstrare hoc instituimus, primo illo in aditu disputationis, large, ac pueriliter aberrasse Vincentium, penitusque nescisse quid scriberet.

Primum quale istud est, quod *libertatis*, et, ut putat, *liberi arbitrii essentiam in modo agendi* ἡγεμονικῷ sitam affirmat ; *quo seipsam movet voluntas, et actum sibi imperat ?* Imperandi actus, si S. Thomæ creditur[4], rationis est, sive νοῦ, et intellectus, in quo τὸ ἡγεμονικὸν a philosophis ponitur. Satis igitur putidum est, liberi arbitrii essentiam in eo collocare, quod extra voluntatem est, et in altera facultate residet?

Præterea, *imperare*, ut idem S. Thomas ait[5], est *ordinare ad aliquid agendum*, hoc est ad finem, ut in sequente articulo docet : ubi non inesse brutis imperium ex eo probat, *quoniam ad finem ordinare nequeunt.* Quæ autem *ad finem ordinantur*, ea sunt, quæ *media* vocantur : in quibus quæ versatur actio voluntatis, *electio* dicitur. Hæc autem non omnis est, et qualiscumque voluntatis actio, sed certa duntaxat, et definita : quæ circa contingentia utrinque inter se comparata consistit, ac proinde minime determinata, et ad unum contracta, cujusmodi necessaria sunt.

III. Eodem spectat, quod movere se voluntas dicitur. Id enim eatenus voluntati convenit, auctore S. Thoma[6], qua *media* respicit. Ac sunt nonnulla illo in loco, ubi istud asserit, quæ Vincentii dogma convellunt; ubi [7] cum quæsisset, *utrum voluntas ab aliquo exteriori principio moveatur*, ita respondet ; moveri primum ab *objecto*, tum etiam, quod ad exercendum actum attinet, necessario moveri ab externo aliquo principio. « Omne enim quod quandoque est agens in actu, et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet : necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad vo-

[1] Lib. 1. c. 3. p. 13. — [2] Ibid. p. 15. ver. 8. — [3] Ibid. c. 11. et seq.

[4] In 1. 2. qu. 17. art. 1. et 4. — [5] Ib. art. 2. — [6] In 1. 2 qu. 9. art. 3. et 4. — [7] Ib. art. 4.

lendum. Et quidem, sicut dictum est[1], ipsa movet seipsam *in quantum per hoc, quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit; et per talem cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medicum : et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inciperet velle sanari ab aliquo movente : et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita, hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quod in motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis. »

Hinc apparet, voluntatem non semper movere se, nec omnem illius actionem ex illa sui motione procedere : sed in finem plerumque ferri, instinctam aliena quadam impulsione : tum autem movere se, cum, post finis appetitionem, et consultationem de ejus assequendi modo ; ex non volente, per sese fit volens ea, quæ ad finem utilia judicata sunt.

Quin alibi[2] de *imperio* agens, affirmat, non omnem actum voluntatis ex illo proficisci, sed eum solum, *qui rationi subditur.* « Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, et ideo non oportet quod in infinitum procedatur. » Falso itaque Vincentii *Theriaca* actum omnem voluntatis liberum esse vult, et eumdem ab movente, ac sibi imperante voluntate procedere.

IV. Præterea si *essentialis voluntatis libertas* in eo posita est, quod illius imperatur actio : nec ulla est voluntatis actio, nisi libera : quia voluntas idem est cum libertate, ut Vincentius existimat : erit ipsa sibi imperans, et serviens eadem prorsus actione. Nam imperandi actus ille, quia fit ab voluntate, carere non potest eo, in quo voluntatis, et libertatis posita est essentia. Est autem in eo sita, ut imperetur. Imperari ergo debet, aut alio ac diverso actu, aut seipso. Si prius dicatur, res in infinitum exibit, donec in aliquo consistat, qui ex nullo imperio prodeat, et is tamen ex voluntate fiat. Quare voluntatis aliquis actus ex imperio non existet, et idem erit imperium et imperatum : quod ad apertam contradictionem et inscitiam implicatur.

Nam[3] quod modum illum agendi liberæ voluntatis, quo sibi ipsi voluntas imperat ut velit, *divinum* appellat, non videt quam imperite, imo impie loquatur. Est enim ex eo consequens, divinæ voluntatis actum, et quidem interiorem, et *elicitum*, ex jussu, imperioque procedere ; quod et iisdem scatet absurdis, quæ paulo ante notavimus : et cum id omne, quod intimum est Deo, et in eo manens, Deus sit, ex imperio ac præcepto Deus existet.

CAPUT OCTAVUM.

1. Absurda consectaria Vincentianæ doctrinæ. — 2. Ex ea sequi omnem voluntatis actionem esse liberam, etiam in amentibus et parvulis.

I. Verum, ut quam late diffusa sit illa Vincentianæ doctrinæ pernicies quivis intelligat, quantamque fidei catholicæ calamitatem et stragem inferat, quid ex ea sequatur operæ pretium sit expendere : et quæ supra sunt ex ejus verbis approbata colligere.

In id potissimum operis totius doctrina conspirat, ut voluntatem eamdem esse penitus cum libertate suadeat, adeo ut[4] « voluntarium pro libero, voluntas pro libertate, nullo inter ista discrimine, usurpetur. » Quippe[5] « Omnis, *inquit*, voluntas, id est voluntatis actus, in S. Augustini philosophia, libera est eo ipso, quo est voluntas ; » quod ipsum et de libero arbitrio intelligendnm asserit in fine capitis[6] : ubi ait « voluntatem, et liberam voluntatem, et arbitrii libertatem, et liberum arbitrium

[1] Ib. art. 3. — [2] Ib. qu. 17. art. 5. ad 3. — [3] Cap. 1. p. 9. ver. 16.

[4] Lib. 1. c. 3. p. 13. — [5] Ib. p. 15. — [6] Ib. p. 16. et 17.

pro uno et eodem usurpari, inter seque converti. » Quod ex Augustini, aliorumque Patrum sententiis probare studet [1] : qui absolute « ubi voluntas est, ibi libertatem esse » pronuntiant.

Hujus porro libertatis, sive arbitrii liberi ac voluntatis essentiam in eo consistere docet [2], quod voluntas suum actum sibi imperet, non eum solum, qui ab aliis facultatibus, jussu, et imperio illius exercetur, quique *imperatus* vulgo in scholis dicitur; sed etiam *elicitum*, et in voluntate ipsa manentem; siquidem [3] « actum suum sibi imperare voluntatem, et illum efficiendo, ei dominari » dicit; et in eo libertatis essentiam esse positam ; nec non id, quod voluntatis proprium est, et in quo brutis ab animantibus discrepat, ut *sese ipsa moveat.* Movet ergo se, et interiores, ac manentes in se actus eo ipso sibi imperat, quo libera est, et arbitrium liberum ; in eoque vera, et *essentialis*, ac *formalis* est posita libertas.

Quin etiam capite sexto [4], scribit, « imaginem divinæ libertatis esse in voluntate hominis, quia sicut Deus in amando et volendo est sui juris, et in affectus suos altissimo modo sine imperfectione jus, et imperium exercet : ita etiam voluntas humana jus simile, etsi longe inferius, et a jure divino dependens, in actiones suas *elicitas* habet. » Ob eamdem causam, capite nono [5], liberæ voluntatis *actum elicitum*, etiam *imperatum* esse dicit, ideoque *reflexum*, quatenus « actum suum sibi voluntas imperat. »

Capite vero decimo, *essentialem voluntatis libertatem*, adeoque liberi arbitrii in eo collocari ait, quod cogi non possit, quam elegantiarum pater *incogibilitatem* nominat, quæ [6] *necessitati* illi, vel *coactioni* est opposita, quæ *perimit arbitrii voluntatem* : et quam brutis animantibus inesse, capite 13. latius ostendit. Hæc summa est Vincentianæ philosophiæ, quæ cujusmodi portenta pariat, paucis explicabimus.

II. Hinc enim consequens est in primis, omnem prorsus voluntatis actionem liberam esse, et arbitrii liberi propriam ; cujusquemodi tandem ea sit ; hoc est sive necessitate sit expressa, sive ex deliberatione et electione libera prodeat, sive ex intellectus arbitrio, sive ad unum aliquid considerandum, et judicandum vis illum rei objectæ compulerit : ac denique quidquid phrenetici, amentes, et parvuli voluntate gesserint, id erit arbitrio libero tribuendum. Nam si omnis actio voluntatis eo ipso, quo voluntatis est, libera est, et liberi arbitrii propria ; si, quod Armacanus sectæ patriarcha scivit [7], « implicat contradictionem ut voluntas non sit libera, sicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciemus quod volumus ; hoc est ut voluntas non sit voluntas : » cum phrenetici, ac mente capti, et qui nondum expeditum rationis usum habere dicuntur, voluntate rationali appetant multa, quæ non appeterent, nisi ratione appetenda judicarent : profecto quidquid agunt, id libere, et ex arbitrio agunt libero. Quod enim natura insitum, et *essentiale* rei est, sine eo res esse non potest, et, ea posita, necessario ponitur. Atqui omnis actio eo ipso libera est *essentialiter*, quo fit a *voluntate*, et est ejus vitalis, et naturalis actio. Quare, cum quod phrenetici volunt, id voluntate velint, et vitalis ea sit actio voluntatis, nec sine rationis et intellectus judicio procedat, ut Vincentius ipse confitetur [8], *essentialiter* libera sit oportet, et ab arbitrio libero profecta : siquidem omnis voluntas, sive *volitio*, eo ipso libera est, et arbitrii liberi propria, quo est *volitio.*

III. Tenetur itaque suapte confessione constrictus, et irretitus tum Armacanus, tum Armacani assectator Vincentius. Qui enim omnem voluntatis motionem eo ipso, quo est voluntas, liberam esse dicit, qui voluntatem, libertatem, et liberum arbitrium, rei ejusdem esse propria vocabula putat ; hic, si qualicumque ratione, ac judicio utitur, quidquid voluntate volumus, libere nos, ac libero arbitrio velle fateri debet. Alioqui si voluntate appetunt aliquid homines, quamlibet male affecti, tamen homines, profecto non omnis voluntas eo ipso, quo voluntas est, erit libera. Existent enim aliquæ voluntates, hoc est actiones voluntatis, minime liberæ, quibus nihilominus libertatis essentia convenit. Ut enim vitalis omnis actio, quæ ab videndi sensu proficiscitur, visio est, et essentiam hujus habet : quoniam genus nullum aliud actionis visus exercet, præterquam visionis : ita quoniam, ex Armacanorum sententia, volendi facultas, quanta est, nihil est nisi libertas, et arbitrium liberum ; quæcumque illius erit actio, libera sit necesse est, et cujusmodi liberi esse debet arbitrii. Vide in quas angustias sua illos male cogitata ratio compulerit. Nonne isti sunt, qui voluntatis duplicem illam functionem a S. Thoma, Peri-

[1] Cap. 3. 4. et seq. — [2] Ibid. — [3] Ibid. p. 13. — [4] Pag. 24. — [5] Pag. 32. — [6] Pag. 37. — [7] To. 3. lib. 6. c. 5. — [8] Lib. 1. c. 14.

pateticisque omnibus admissam, ut alia sit naturalis, et necessaria, alia libera, et liberi arbitrii propria, funditus respuerunt? Nonne, cum iidem illi voluntatem alias pro natura sumi, et eo quod spontaneum dicitur, alias pro libera facultate docuerint, isti nihil præter libertatem, et liberum arbitrium voluntati reliquerunt?

CAPUT NONUM.

1. De necessitate opinio S. Thomæ. — 2. Huinc contrariam tuetur Vincentius, qui omnem necessitatem arbitrio libero adversam vocat coactionem : adeoque duplicem constituit, sed perplexe, et obscure. — 3. Diluitur Vincentianæ sententiæ cavillatio. — 5. Male ab eo necessitas cogens explicatur. — 6. Et refellitur ex iisdem, quos citat, auctoribus.

I. Quoniam autem præcipua Vincentii, ac totius sectæ cavillatio, in definienda necessitate, quæ est opposita libertati, posita est, interest scire, quæ sit illorum de necessitate ista sententia ; qua nihil est profecto apud eos intricatius et incertius : adeo multis involucris rem minime alioqui difficilem obscurare, vel de industria student, vel propter inextricabiles laqueos, in quos incauti se induerunt, necessitate coguntur. Sed antequam illorum, et Vincentii præsertim, tortuosos anfractus, et labyrintheas ambages aperiam : communem, usuque receptam doctorum omnium, et hactenus traditam notionem necessitatis exponam ; ut sit lucis instar, cujus ope per opacas illas insidiosi erroris tenebras tuta, et certa vestigia ponamus. Hanc facem nobis præferat idem ille, quem Peripatetici, et Christiani de libertate decreti interpretem communi consensu partium adhibuimus, S. Thomas Aquinas. Hic cujusmodi res sit necessitas, tum universe, tum qua libertati est opposita, declarat illo in loco theologicæ Summæ, quem supra capite tertio disputationi nostræ præscripsimus. Ibi [1] *necesse* definit, *quod non potest non esse*, quod videlicet contingenti contrarium est. Hoc enim contingens dicitur, quod tam potest esse, quam non esse. Porro necessitatem dividit in *naturalem*, quæ est *secundum inclinationem naturæ :* et *violentam*, sive *coactionis*, quæ est *contra inclinationem naturæ*. Prioris exemplum capit ex voluntate, quæ *necessario inhæret ultimo* fini, nimirum [2] *per essentiam*, id est perspicue, cognito. Eademque necessitas in brutis inest animantibus, quæ [3] « ex naturali agunt judicio, sed non libero, quia ex naturæ instinctu moventur in finem. »

II. At Vincentius [4] in primis « coactionem, et necessitatem in hac liberi arbitrii materia idem prorsus significare » dicit. Deinde [5] hanc ipsam *necessitatem,* vel *coactionem* bifariam tribuit. Nam aliam dicit esse, *quæ premit naturalem arbitrii libertatem :* aliam, *quæ perimit.* « Prior autem ideo non aufert voluntatis libertatem, quia relinquit ei motum suum voluntarium, quo sub premente, non opprimente necessitate, ex judicio rationis, et utendo potestate illa dominatrice, se movet. Tantum ergo abest ut voluntatem opprimat, ut etiam voluntatem ad exercitium suæ libertatis inclinet, dum ad eliciendum actum voluntarium eam premit. Quod enim voluntarium, et liberum. »

At posteriorem, « libertatis peremptricem, sive coactivam, et dominantem, quæ libertatem actus, in quem impellit, extinguit, non sinere *ait* voluntatem potestate sua imperatrice uti, ut motu suo seipsam agat, et in necessitatem demittat, sed eam quasi ante se duriter impellere, et, perinde ac appetitum brutorum, præcipitare. » Tum [6] « repugnare modo illi, quo voluntas seipsam agit. »

In hac Vincentii incondita, et tenebricosa disputatione non est facile discernere quid sibi velit : sed eo tamen utcumque pertinent ambages illæ morosæ orationis ac streperæ, ut sit necessitas triplex ; una, quæ *violenta,* et *coactiva* proprie dicitur [7], « cujus principium

[1] In 1. Par. qu. 82. art. 1. — [2] Ib. art. 2. — [3] Ib. qu. 83. art. 1. et 1. 2. qu. 6. art. 2.

[4] Lib. 1. c. 11. p. 44. — [5] Ib. p. 45. — [6] Ib. c. 13. p. 60. — [7] Arist. 3. Ethic. 1.

extrinsecus est, nihil eo conferente quod patitur. » Secunda[1], quæ naturalis est quidem, sed ideo violenta dicitur, quia impetu quodam effreni naturam agit præcipitem, ita ut non se agat, et moveat : qualem esse ait in brutis necessitatem cogentem. Tertiam necessitatem naturalem itidem appellat, « quæ relinquit naturæ motum suum voluntarium. »

III. Qua in Vincentii descriptione permulta sunt falso, nec satis considerate dicta. Horum illud est primum, « quod coactionem et necessitatem in hac liberi arbitrii materia idem prorsus significare » asserit. Quod non est ita. Nam plurimum inter se differunt, ejusque differentiæ ratio nec parva, nec infrequens habetur : ut cum liberum alias cum necessario simplici, alias cum violento comparatur. Diceret potius, promiscue nonnunquam accipi, ut necessitas naturalis interdum *coactio* vocetur quadam nominis abusione. Siquidem etiam in his quæ libere, et ex libero arbitrio fiunt, cogi tamen dicuntur homines, non solum cum inviti ac repugnantes agunt, sed etiam cum ex vehementi impetu animi, vel in habitum roborata cupiditate trahuntur. Quod ipsum de brutis quoque dicitur, non proprie, sed καταχρηστικώς, cum revera non violentia cogantur ulla, sed in illa sponte ferantur, quæ sunt eorum naturæ consentanea. Præterea ridiculum est, quod ait, *necessitatem*, *seu coactionem priorem*, idcirco non perimere libertatem, quia non aufert voluntarium; tanquam idem sit *voluntarium*, quod *liberum*, eo videlicet genere libertatis, quod proprie dicitur, et de quo inter nos orta quæstio est, idemque est cum arbitrio libero. Est ea quidem istius sectæ nova, et absurda sententia, omne quod voluntarium est, esse liberum. Sed huic adversatur peripatetica philosophia : cujus ex placitis S. Thomas voluntarium illud esse dicit[2], quod est a propria, et naturali inclinatione ad finem notitia aliqua perceptum ; cujusmodi in brutis inest animantibus, et parvulis. Hoc autem est, quod ab Aristotele τὸ ἑκούσιον dicitur, et vulgo *spontaneum* appellant[3].

IV. Itaque non solum contra peripateticæ sapientiæ, sed etiam adversus communem humanitatis sensum nova secta contendit, necessitatem illam, quæ naturalem propensionem trahit ad finem, vim esse cogentem, ac violentiam; ejusque de brutis capit exemplum, quorum appetitus præcipitatur, ac *duriter impellitur*. Atqui voluntarium illud, cujus participes sunt pueri, ac bestiæ, ibi maxime spectatur, ubi jucundis rebus objectis, non invito, neque violenter, sed sponte, ac voluptate trahuntur. Sic enim Augustinus[4], « Ramum, *inquit*, viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur. Et quia quo currit trahitur, amando trahitur. »

Nam quod subjicit, idcirco perimi libertatem hujusmodi necessitate ; quia « non sinit hæc voluntatem potestate sua dominatrice uti, ut motu suo seipsam agat : » manifeste demonstrat, eatenus libertati contrariam esse necessitatem naturalis inclinationis, quia libero repugnat arbitrio, sive potestati utriusque, quæ in iis quæ sunt ad finem, hoc est *media*, versatur. Hanc enim esse, qua et imperatrice vi uti voluntatem, et seipsam agere, ac movere dicitur, supra docentem S. Thomam audivimus[5]. Quo et cetera ejusdem pertinent : velut, « ea, ad quæ naturaliter inclinamur, non subesse libero arbitrio. » Hinc enim evidens est, naturalem illam necessitatem non perimere voluntarium, sed liberum. Ideo tam bruta, quam amentes, et parvulos voluntarie ferri quidem in ea quæ appetunt, non tamen libere. Cur autem libere non agant, non illa ratio ab eodem S. Thoma redditur, in qua Vincentius tantopere sibi placet, plaudente nullo; quod impetu quodam ac duriter impellantur; sed omnino, quod ad unum affixi et determinati, indifferentia illa careant, sine qua libertas arbitrii constare non potest : ut paulo post rursus ostendam.

V. Pessime vero, et ἀφιλοσόφως Vincentius necessitatem cogentem, et libertatis inimicam, ab ea distinguit, quæ cum libertate stat, eo solo quod illa sit incitatior, ac vehementior, ac sedatior ; ut ex illius verbis intelligitur[6]. Nam sive vehemens sit, sive lenior ac tranquillior, dummodo antecedat voluntatis usum, et ad unum affigat, liberum tollit arbitrium. Siquidem pecudes ipsas videmus majore ad quædam rapi impetu, quam ad alia : ut ad pabulum capessendum mitioribus incitari stimulis, quam ad venerem ; quemadmodum de illis, maxime autem de equabus, eleganter Poeta cecinit in tertio Georgicon. Et tamen utrobique necessitas antecedens, ac proritans appetitum agit illas libertatis expertes : neque duriter impellit, sed blandissimis voluptatis illecebris de-

[1] Vincen. lib. 1. c. 13. — [2] S. Tho. in 1. 2. qu. 6. art. 2. — [3] Ib. et Arist. 3. Nicom. c. 4.

[4] Tract. 26. in Joan. — [5] Vide cap. 3. et 7. — [6] Vide pag. 46.

mulcet, hoc est *brutaliter*, uti loquitur leporis ac munditiæ Romanæ flosculus Vincentius Lenis.

VI. Quocirca melius auctores illi, quorum iste testimonio utitur [1], SS. Bernardus, et Thomas, necnon Scotus, necessitatis vim explicant, et cum libertate contendunt. Quippe ex eorum dictis alia cogens et violenta necessitas existit voluntatis inclinationi contraria : alia minime violenta, sed naturali propensioni consentanea. Quæ rursus bifariam tribuitur, ut sit altera antecedens, et determinans voluntatis appetitum, et ad unum aliquid affigens, et alligans, sine potestate alterius; qualis in brutis, aut amentibus, parvulisque reperitur : altera voluntatem sequens, et comitans; quæ libera necessitas appellatur, quod eam sibi suapte sponte voluntas afferat, quando in eo, quod libere delegit, fixa manet, nec mutationem admittit ullam.

Ex hac triplici necessitate, prima interiori, et, ut vocant, elicito voluntatis actui non potest obsistere : nec ejusmodi in rerum natura versari potest; quandoquidem ipsa violenti ratio cum voluntatis actione pugnat, ut pluribus in primo libro de Arbitrio libero disputatum est a nobis. Incurrit autem in exteriores, et a voluntate imperatas actiones : nec intimam illius libertatis functionem opprimit; sed de voluntario detrahit, ac benemeriti dignitatem aut minuit, aut penitus infringit. At secundi generis necessitas, quæ ex naturali inclinatione oritur, neque vi cogit, neque tamen libertatem, hoc est liberi arbitrii usum, et electionem relinquit. Non enim violenta dici debet, quæ naturalem appetitionem ad hoc rapit, et in eo defixam, et immersam tenet, ad quod suapte sponte proclivis est. Verum ideo voluntati libertatem eripit, quod nec imperandæ actionis illius, nec ad eam exercendam movendi sui potestatem illi facit; sed impetu quodam naturali, minimeque libero, ad id, quod juvat, et blanditur, impellit.

Tertia denique, quoniam ex libera electione voluntatis oritur, libera est et ipsa : ideoque *voluntaria*, ut dixi, et *libera necessitas* a S. Bernardo dicitur. Non enim solum libere suscipitur; sed etiam libere in ea permanetur, libertate illa quæ absolutæ necessitati, non quæ servituti est opposita. Quare frustra est Vincentius, qui, cum de antecedente necessitate inimica libertatis agatur, ejus testes advocat, qui de consequenti loquuntur; ut liberæ voluntatis actioni non esse contrariam vim necessitatis ostendat.

CAPUT DECIMUM.

1. Insignis Vincentii error in quodam S. Thomæ loco usurpando. — 2. Qui quidem exponitur. — 3. Et ostenditur nihil ad causam Vincentii pertinere. — 4. Cujusmodi necessitatis genera ibidem declarentur.

1. Age nunc insignem Vincentii labem abstergamus; qui [2] locum profert e S. Thoma Aquinate [3], « qui multum, *inquit*, negotii Petavio, et Richardo, et ejusdem philosophiæ mystis facessit. » Ut et Petavio, ceterisque negotii aliquid faciat, et Vincentii causam adjuvet; necesse est, illorum ut decretis contrarius sit iste locus, et hujus doctrinæ consentaneus. Meminerimus quæ sit summa Vincentianæ opinionis superiori extricata capite. Nimirum necessitatem statuit duplicem; alteram *coactionis*, non tamen proprie ita dictæ, sed naturalis, et absolutæ, quæ cum naturali inclinationi lenocinetur, eam tamen violentam ideo nominat, quod voluntatem non sinat imperatrice vi uti, ac sese movere; sed eam præcipitet, et impellat, quemadmodum brutorum appetitus in id, quod amat, vehementi rapiditate trahitur. Alteram non violentam vocat, quæ *voluntatem ad eliciendum actum voluntarium* premit; tametsi ad unum appetendum necessario sit adstricta : quemadmodum beati Deum necessario, nec minus tamen libere diligunt.

Quamobrem ut hanc opinionem suam anti-

[1] Vincent. cap. 11. — [2] Vinc. lib. 1. c. 12.

[3] Lib. 3. cont. gent. c. 138.

quorum testimoniis approbet Vincentius, ejusmodi ea sint oportet, ut necessitatem utramque talem exprimant, qualis ab illo constituta est: quæ nimirum voluntatem uni tantummodo rei addictam, et alligatam teneat, alterius eligendi potestate detracta. Sic enim violentam necessitatem omnem funditus perimere libertatem existimat, ut in brutis usuvenit : ex quo sequitur, optionem alterius eripi, nec nisi unum aliquod obtrudi. Sic etiam necessitatem alteram unius appetitione determinatam habere voluntatem putat Vincentius; ob idque Petavium reprehendit, quod libertatem neget, sine pari ad utrumlibet potestate consistere. Quod si necessitas ejusmodi nominetur ab auctoribus, quæ plane voluntaria sit; hoc est, quam sua sibi voluntate quispiam præscripserit, ita ut, si velit, contra illam venire possit; ut cum naufragii metu merces suas in mare projicit : aut cum jurejurando, vel voto jejunium sibi, vel castimoniam indixerit: perspicuum est nihil ista necessitatis genera duo ad Vincentiana pertinere, nec de illis controversiam ullam inter ambas partes exstitisse.

II. Atqui ille ipse S. Thomæ locus, in quo tantum præsidii sibi esse jactat gloriosus iste *custos dominusque viperarum*, prorsus ad eam spectat necessitatem, quæ mere voluntaria est, et utriuslibet eligendi liberam potestatem relinquit.

Licet hoc ex ipsa S. Thomæ disputatione, ac disputandi causa cognoscere. Ibi enim contra nonnullos disserit, qui votorum obligationem, et impositam ab ea necessitatem certorum officiorum improbabant, cum hoc objicerent : « Unumquodque bonum, quanto liberius agitur, tanto virtuosius esse videri : quanto autem ex majori necessitate quis ad aliquid observandum adstringitur, tanto minus libere id agere videri. Videtur igitur derogari laudabilitati virtuosorum actuum per hoc, quod ex necessitate obedientiæ, vel voti fiunt. » Quibus sic occurrit S. Thomas, duplicem ut necessitatem discernat; unam *coactionis*, « Et hæc, *inquit*, laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur. Coactum enim est, quod est voluntati contrarium. » Alteram, quæ *ex interiori inclinatione* procedit; « Et hæc laudem virtuosi actus non minuit, sed auget : facit enim voluntatem magis intente tendere in actum virtutis. Patet enim, quod habitus virtutis, quanto fuerit perfectior, tanto vehementius voluntatem facit tendere in bonum virtutis, et minus ab eo deficere. » His tertiam adjungit necessitatem, *ex fine :* « Sicut cum dicitur alicui necesse esse habere navem, ut transeat mare. Patet autem quod nec hujusmodi necessitas libertatem voluntatis diminuit, nec actuum bonitatem. »

His animadversis, docet S. Thomas necessitatem illam, quæ ex obediendi voto sequitur, neque *coactionis* esse, quæ est prima; neque *ex interiori inclinatione*, quæ secunda est : sed ex *ordine ad finem*, quam tertio loco posuit; quæ quidem neque libertatem, neque laudem detrahit.

III. Ex his manifesta est Vincentii levitas, et incogitantia, qui sola nominum specie deceptus, continere animum suum non potuit, quin efferretur gaudio, et Ἰὴ παιὰν caneret, *ovans et vitulans victoria* : nec intellexit, quod refrigerato nunc puerili hoc impetu cognosceet, nihil ista genera necessitatis tria, quæ ex S. Thoma retulit, ad illa sua spectare duo : imo quæ ibidem scripta leguntur, cum Petavii placitis adamussim congruere; abhorrere autem ab iis venenis, ex quibus iste δηλητήριον suum φάρμακον temperavit.

Primum quid habet commune cogens Vincentii necessitas cum ea, quam S. Thomas illic explicat? Vincentiana non est contra voluntatis inclinationem; nec violenta proprie dicta : tum libertatem, sive usum arbitrii liberi perimit. At illa S. Thomæ vera proprieque dicta coactio est, eaque voluntario est opposita; quod idem asserit : nec liberi arbitrii functionem eripit. Non enim qui voto castitatis obstrictus, acerrimis contra voluntatem libidinis stimulis urgetur, non libero, et in utramvis partem flexibili resistit arbitrio : quod ad laudem et meritum valet quidem; sed multo minus, quam si longo usu, et exercitatione temperantiæ, perfectum ejus in se obfirmasset habitum; quo et minori difficultate, et propensione majori virtutis illius officia præstaret. Nam si inflammatæ cupiditatis fractus illecebra, nonnisi metu, et invitus in officio continetur, libere hic quidem abstinet; sed quoniam coactus omnino id facit, et quod reipsa non audet, voluntate jam admisit facinus; laudis ac meriti nihil eo facto consequitur.

IV. Igitur necessitas illa cogens, cujus ibi S. Thomas meminit, cum usu arbitrii liberi, et libertate nullo modo pugnat; siquidem voluntati, quod ad interiores actus pertinet, vis afferri nulla potest. « Duplex enim est actus voluntatis, ait idem [1], unus quidem, qui est ejus immediate, velut ab ipsa elicitus, scilicet

[1] S. Tho. 1. 2. qu. 6. art. 4.

velle : alius, qui est actus voluntatis, a voluntate imperatus, et mediante alia potentia exercitus ; ut ambulare, et loqui, qui a voluntate imperantur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus a voluntate imperatos, voluntas violentiam pati potest, inquantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium voluntatis exequentur : sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest ei violentia inferri. » Ergo libere voluntas interim agit, dum actioni ab illa imperatæ vis adhibetur.

Ceterum iste ipse S. Thomæ locus Vincentii traducit errorem, qui voluntatis *elicitos* actus, *imperatos* esse dicit; et liberæ voluntatis essentiam in eo collocat, quod suos sibi actus imperet. Quod joculare commentum humana ratio, nedum philosophia peripatetica condemnat ; cujus utriusque S. Thomam damus interpretem.

Jam secundum genus necessitatis apud eumdem S. Thomam, *quod ex interiori inclinatione procedit,* non minus ab eo distat, quod Vincentius secundo itidem loco numerat. Etenim hujusmodi *inclinationis necessitas* a S. Thoma statuitur, quæ non simplex est, nec uno aliquo determinata, sine optandi alterius potestate, qualis est Vincentiana, quam *prementem*, non *opprimentem* vocat : sed voluntaria est necessitas, hoc est quam ut libere sibi quispiam imposuit, ita libere potest excutere ; ut in homine illo evenit, cujus gratia necessitas illa bifariam est ab S. Thoma distributa, qui voti religione caste sibi vivendi legem, ac necessitatem imposuit. Quamvis non ad hoc secundum necessitatis genus votivam illam necessitatem refert S. Thomas ; sed ad tertium, quod *ex ordine ad finem* petitur. Nihilominus illud *habitus* exemplum, voluntatis inclinationem sine dispendio libertatis adjuvantis, quod idem assumpsit, argumento est non esse necessitatem istam Vincentianæ similem, nec uno circumscriptam ad appetendum proposito ; sed cum eligendi e pluribus unius libera potestate, et indifferentia conjunctam.

V. Nam quod beatorum mentionem ibidem facit S. Thomas, quibus « necessitas infertur ad bene agendum, » ut peccare ideo non possint : « nec tamen propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati : » nihil hoc Vincentianum commentum sublevat. Non enim propterea libere in id feruntur, quod absoluta necessitate appetunt, cujusmodi est divina bonitas, quam sic amant, ut non solum odisse nequeant, sed ne ab amando quidem desistere. Non de amore, inquam, beatifico ibi S. Thomas loquitur ; quem non esse liberum, sed necessarium, supra ex eodem ostendimus [1]. Verum præter amorem illum supremi finis, ac summi boni, aliæ sunt interjectorum bonorum appetitiones, tanquam *mediorum*, in quæ beatæ mentes libere, hoc est libero arbitrio feruntur. Ac quemadmodum habitus virtutis, quo exemplo S. Thomas utitur, voluntatis inclinationem ad propriam honestatis speciem vehementiorem facit, suoque modo determinat ; non tamen ad hanc potius, quam ad aliam individuam actionem : adeo ut, etsi voluntatem absoluta necessitate determinaret, solam, uti scholæ nominant, *specificationem actus* illius libertati subtraheret ; ut contrarium virtuti illi peccatum nullum posset admittere : non tamen obstaret, quin circa varias et singulas ejus virtutis actiones integrum jus, ac liberam, et indifferentem potestatem retineret.

Quocirca castiganda Vincentii ratio est, qui [2] in illo tractando S. Thomæ loco, falsa eum ac præpostera interpretatione corrupit, his vocibus insertis (*ut in amore beatifico*) tanquam ita ille scripserit : « Adeo ut si ad finem perfectionis profecerit, necessitatem quamdam bene agendi, liberam tamen (ut in amore beatifico) inferri possit. » Potestne vel unam indicare litteram, qua S. Doctor necessitatem illam in beatis cum libertate conjunctam circa *beatificum amorem* versari docuerit ? Non est ita. Nam contrarium plenis alibi quæstionibus articulisque tradidit.

Sed cum *libertatem* hic appellari toties audit eruditus lector, meminisse debet, hoc nomen ab antiquioribus Scholasticis ancipiti significatione sumi : quod jam capite quinto superius animadvertimus. Nam sæpe pro *voluntario*, sive *spontaneo* sumitur, et ut violento contrarium est : alias liberum, non *voluntarium* tantummodo significat ; quod ipsum necessarium esse nihil prohibet ; sed etiam, quod ita fit, ut oppositum ei fieri potuerit ; adeoque *contingens* dicitur, et ei, quod necessarium, et uniusmodi, ac determinatum est, ex adverso respondet. Hoc modo libertas liberi arbitrii propria est, et *vis electiva* propterea vocatur a S. Thoma, de quo satis hactenus dixi.

Recte autem theologi quidam [3] observarunt,

[1] Cap. 3. — [2] Lib. 1. cap. 12. p. 54.

[3] Ut Pennot. lib. 1. c. 17.

ante recentiorem hunc errorem, quem S. Thomas hæreticorum esse docuit [1], qui veram libertatem cum absoluta necessitate constare, ac soli *coactioni* repugnare censent, plerosque necessitatem a coactione minus accurate separasse. Post autem « novos exortos hæreticos, » ut Pennotus loquitur, qui « voluntatem subjiciunt necessitati naturalis inclinationis, et determinationis ad unum : » tum demum subtilius necessitatis utriusque notatum esse discrimen.

Ac vel ex uno S. Thoma varietatis illius specimen licet capere. Hic enim in prioribus operibus, quæ de rebus theologicis edidit, minus in hac tenenda differentia necessitatis et violentiæ fuit enucleatus et constans. In theologica vero Summa ; quod divini ingenii longe præstantissimum opus, et auctore suo dignissimum merito judicatur ; ut in liberi arbitrii explicanda ratione, sic in necessitate naturali ab violentia discernenda, haud paulo fuit exactior. Ac propterea supra capite tertio, cum in eo essemus, ut sincera ac germana S. Thomæ de libertate sententia, in eaque peripatetica, inquirenda videretur, Summam ad hoc theologicam potius, quam ejusdem lucubrationes ceteras adhibendas duximus. Quanquam permulta sunt in istis quoque [2], de veræ propriequedictæ libertatis notione, et huic opposita necessitate eximie, accurateque tradita, et iis quæ scripsit in Summa postea consentanea : quæ in libro tertio de Libero arbitrio collecta sunt ab Antonio Richardo : ubi et illa ejusdem S. Thomæ loca pertractavit, et exposuit, quæ ad erroris sui patrocinium Armacanus attulit, ex eoque Vincentius descripsit. Hic vero festive, quod illa eadem S. Thomæ testimonia, quasi nova essent, et a se primum objecta, dissimulata, quam apud Richardum legerat, explicatione protulit. Quod idem et in illis Patrum sententiis præstitit, quas a nobis propositas, et ad verum sensum accommodatas esse noverat. Atqui intererat ejus, qui contemptum ac ludibrium cavere vellet, actum non agere : nec odiose congestis, et repetitis iisdem auctorum locis, nullo operæ pretio, patientiæ lectorum illudere.

CAPUT UNDECIMUM.

1. Quid inter brutorum appetitum, et hominis libertatem intersit. — 2. Quod ex S. Thoma declaratur. — 3. Tum illustratur ex Hierocle Pithagoreo. — 4. Quid distet ab eodem appetitu brutorum, hominis voluntas non libere agens, sed necessario.

I. Exposita necessitatis ratione, ac multiplici specie ; tum peripateticæ philosophiæ placitis cum Armacanorum opinione comparatis ; redeundum est ad inchoatam supra capite octavo disputationem, de consectariis Vincentianæ doctrinæ ; quam ideo paululum interrupimus, ut explicata necessitate, qualem secta ista describit, facilius in eorum arcana penetraremus. Queritur Vincentius [3] « de ignorantia Petavii, et Richardi, qui inter appetitum brutorum, et motum humanæ voluntatis, quando quippiam necessario vult, nullum ponunt discrimen. Ista ignorantiæ crassæ nebula, in qua duo illi homines, *inquit*, perpetuo ambulant, errareque pleraque fere omnia eos facit, quæcumque erraverunt, et deliraverunt. » Vide hominis urbanitatem, ac lenitatem ; qui et de Petavii asperitate graviter expostulat, et *Lenem* se ideo nominat, ut ab illius iracundia quam alienissimum fore se profiteretur.

Atqui quod ignorantiæ Petavium hic arguis, magister Lenis, vide an non in illos cadat potius, qui studio partium occupati spissas obducunt nebulas rei alioqui per se claræ, et ad intelligendum facili. Quis est paululum sapiens, qui hoc non capiat, non interrogatus respondeat, *coactum* id, violentumque dici, a quo naturalis abhorret appetitio : necessarium vero, quod aliter fieri nequit, et contingens non est, ideoque non est in nostra potestate : liberum denique, quod tam a nobis fieri, et

[1] Qu. 6. de malo — [2] Ut in qu. 22. de Verit. ar. 5. et 6. et qu. 6. de malo et qu. 16. ar. 5.

[3] Vinc. lib. 2. c. 1. sect. 1. p. 175.

ascisci potest, quam quod tunc est oppositum ? Has a natura traditas, et doctis pariter, atque indoctis insitas notiones, tanquam publicam monetam, vos corrumpere nuper instituistis, tuque præ omnibus confidentissime Vincenti.

II. Quæris igitur quid intersit inter bruti appetitum, et hominis voluntatem necessitate constrictam, ac determinatam. Quære prius quid ab illius appetitu distat hujus libera voluntas : hinc enim facile alterum cognoscet. Docebit illud te S. Thomas in prima parte theologicæ Summæ. Ibi enim quæstione 83. [1] in qua disputat *utrum homo sit liberi arbitrii :* primum esse respondet, idque probat hoc argumento, quod « alioqui frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia. » Unde vero habeat, ut liberi sit arbitrii, explicat sic. Eorum quæ agunt, alia sine judicio agere dicit, ut quæ carent cognitione ; velut lapis deorsum cadens : alia cum judicio ; quæ et ipsa in duplici sunt differentia ; quædam enim non libero agunt judicio, sed naturali, ut ovis lupum videns, naturaliter judicat eum esse vitandum, « quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc judicat ; » quædam ita cum judicio agunt, ut id *ex collatione rationis* existat, ut homo, « qui agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Libero autem agit judicio, quia potens est in diversa ferri, eo quod judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis. » Quam collationem declarat ita : « Ratio enim circa contingentia habet viam ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis, et rhetoricis persuasionibus ; particularia autem operabilia sunt quædam contingentia. Et ideo circa ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. Et pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est. »

III. Ex hoc fonte peripateticæ, Christianæque sapientiæ, certa ratio veræ, propriequedictæ libertatis, et hujus a brutorum appetitione discrimen petitur. Nam utraque ex cognitione ac judicio pendet : sed bruti judicium ex naturali inclinatione, id est instinctu proficiscitur ; et idcirco est uniusmodi, id est uni affixum, ac determinatum ; neque plura inter se comparat, ut ex ea contentione quippiam anteponat alteri, quia necessario unum illi persequendum, aut vitandum objicitur. Homo vero rationem sequitur, quæ plura cognoscit, et inter se confert : non ea quidem determinata, et necessaria, sed *contingentia ;* quæ videlicet ascisci, vel adjudicari possunt. Quare eo ipso libera est voluntas, quod non est determinata, nec uni addicta ; uti nec judicium, sive arbitrium mentis, quod plura inter se minime necessaria, sed utilia dumtaxat, et contingentia comparat. Ita proprie dicta, *formalis*, ac vera libertas est, non voluntas ipsa, qua voluntas est, et naturalis inclinatio rationalis appetitus ; sed quatenus liberum est arbitrium, et ex pluribus, quod libitum est, potest citra determinationem, ac necessitatem eligere.

Hoc quia brutis animantibus natura negavit, et ad unum aliquod, ac definitum, eorum alligavit judicium ; ideo non libere, neque tamen violenter et coacta, sed necessario, ac præcipiti cupiditate rapiuntur.

Hoc est liberæ hominum voluntatis, et brutorum appetitus discrimen ab S. Thoma, et Christiana philosophia constitutum. Cui et humana consonat, a nobis ex gentilium philosophorum decretis accurate descripta [2].

IV. Quam quidem illustriorem modo reddemus, unius ex illorum numero adscripta sententia, quæ eamdem brutorum ab homine discrepantiam egregie demonstrat.

Is est Hierocles Pythagoreus, in libro de Nuptiis : ubi hanc bene vivendi regulam præscribit, ut naturæ convenienter homo vivat : « (1) Quippe vivit, *ait*, animantium quodlibet vita naturali suæ constitutioni consentanea ; ac profecto stirpes etiam ipsæ similiter vivunt, pro ejus, quæ illis tribuitur, vitæ ratione. Verum non ratiocinatione, vel computatione utuntur aliqua, nec examinatis rebus delectum aliquem adhibent. Sed stirpes quidem sola ad id aguntur natura : quippe inanima sunt. Animalia vero imaginationibus ad ea quæ com-

(1) HIER. apud Stob. serm. 65. Ζῇ γοῦν ἕκαστον τῶν ζώων ἐπόμένως τῇ ἑαυτοῦ φυσικῇ κατασκευῇ· καὶ νὴ δία τὸ φυτὸν ἅπαν ὡσαύτως κάτὰ τὸ ἐπὶ αὐτῶν λεγόμενον ζῆν· πλὴν οὐκ ἐκλογισμῷ, καὶ ἀριθμήσει τινὶ χρώμενα, καὶ ταῖς (ὑπὸ) τῶν βασανιζομένων ἐκλεγαῖς ἀλλὰ τὰ μὲν τῇ φύσει φυτὰ ψιλῇ. Ψυχῆς γάρ ἐστιν· ὠμέτοχα· τὰ δὲ ζῶα, φάντασίαις τε σπώσαις ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, καὶ ἐξελαυνούσαις προθυμίαις. Ἡμῖν δὲ ἡ φύσις ἔδωκε τὸν λόγον, τά τε ἄλλα πάντα, καὶ σὺν πᾶσι, μᾶλλον δὲ πρὸ πάντων αὐτὴν κατοψόμενον τὴν φύσιν, ὅπως ὡς πρός τινα σκοπὸν ἓυ φθέγγηται, καὶ ἁρμόρα τετάγμένος πρὸς αὐτὴν, ἐκλεγόμενός τε τὸ σύμφωνον αὐτῇ πᾶν, καθηκόντως βιοῦντας ἡμᾶς ἀπεργάζοιτο.

[1] Art. 1.

[2] Vide to. 1. lib. 5. c. 1.

moda sunt attrahentibus, et impellentibus cupiditatibus ducuntur. Nobis autem natura rationem indidit; quæ et alia omnia, et cum omnibus, vel potius præ omnibus naturam intueretur : uti tanquam in aliquem insignem, certumque scopum, sic in naturam intenta, et quidquid ei conveniens est eligens, ad decentem nos vivendi modum perducat. »

Vides quid inter bruta, et hominem intersit: et ut illa, quacumque phantasia, et commodarum rerum appetitio trahit, sine ulla deliberatione moveantur : hominum vero liberum sit judicium, tum libera, quæ ex judicio sequitur, judicatæ, approbatæque rei ad finem obtinendum utilis, electio.

V. Hac libertatis posita, fixaque formula ; non est difficile scitu, cujusmodi sit eidem adversaria necessitas. Nam cum radix ipsa libertatis intercepta est, quæ est judicandi vis; ut uno aliquo circumscribatur, ac determinetur; nec plura inter se contendere, et quod horum utilius, meliusque sit, discernere, ac pronuntiare queat; quod in amentibus, et infantibus, ac rationis usu carentibus accidit : tum non libere voluntas, sed necessario in id quod concupiverit trahitur, quia non *ex collatione* sanæ ac sobriæ *rationis* agit, ut S. Thomas loquitur, sed ex solo impetu, et instinctu movetur. Neque tamen inter sic affectum hominem, et pecudem, non aliquid interest. Nam etsi judicium utrique commune, necnon voluntarium ab S. Thoma tribuitur, non idcirco species eadem est utrobique judicii; sed genere solo ambo inter se conveniunt, quemadmodum naturæ ipsæ genere uno continentur animalis, ac sensu præditi, sed forma et essentia discrepant. Sic *judicium* in brutis, phantasiæ solius est, et ejus partis, quam *æstimativam* vulgo nominant : *voluntarium* autem, *sensitivi*, quem vocant, *appetitus*. In homine rationis illud est, sed non *arbitræ :* hoc *voluntatis*, non tamen libere agentis. Necessitatis porro vis et ratio proportione est eadem.

CAPUT DUODECIMUM.

1. Vincentii æstus in explicando discrimine necessitatis, qua bruta feruntur, et parvulorum, aut amentium. — 2. Frustra ex imperatrice vi voluntatis ab illo peti, quæ nulla circa necessaria sit. — 3. Pecundum, maximeque asinorum petitum ab Vincentio testimonium eluditur. — 5. Ludicrum ejusdem ἀπόρημα.

I. His contraria Vincentii est opinio. Qui si eadem, quæ capite antecedenti disceptata est, quæstione pulsetur, quanam re distet a pecudum appetitu, voluntas hominis necessitate agens, et ex sola naturæ propensione, non ex deliberatione; vel ad ea confugiet, quæ dixi, vel, si sibi constare pergat, frustra conflictabitur in obscuris, ac nihil liquidi, et diserti sonantibus vocibus, μάτην πτερυγίζων. Quid enim aliud referunt ea, quæ supra capite nono ex illo descripsimus? Necessitatem illam, qua bruta feruntur in ea quæ appetunt, ait esse violentiam : eamdem in homine, libertatis comitem, et adjutricem facit. Qui enim aliter posset, cum et voluntarium idem ac liberum esse statuat, et voluntatis actionem omnem, *essentialiter* liberam esse defendat?

Cedo igitur, quid causæ est; cur parvulus, aut amens, aut fatali necessitate, ut olim Stoici putabant, impulsus, non libere appetat quod voluntate concupiscit?

Neque enim voluntate, ac judicio qualicumque, hoc est vitali, et naturali facultatum illarum motione uti negas istiusmodi homines[1]; cum ex naturali inclinatione in ea feruntur, quæ sibi placita sunt, et commoda. Ecquis igitur violentiæ locus est in ea voluntatis actione, quæ maxime voluntaria est? aut cur libera non est si et voluntatis actio est ex judicio profecta, et omnis est libera motio voluntatis?

II. Nam quod potestate sua dominatrice tunc voluntatem non uti asseris, nec semetipsam movere, et cetera ejusdemmodi, quæ quid sint non intelligendo profers, vi sola veritatis, ceu fidiculis, compulsus; hoc illud est, quod

[1] Vincent. lib. 1. c. 14.

paulo ante dicebam, cogi te, quamlibet invitum, ac reclamantem, eadem nobiscum, et cum S. Thoma, ceterisque de libertate fateri; ejus essentiam non, ut falso dicebas, in solo voluntario sitam esse nec omnem voluntatis actum esse liberum : sed in solo libero arbitrio, et utriusvis amplectendi minime determinata potestate libertatem consistere. Siquidem [1] imperare sibi, seque movere, et alia id genus, quæ tu in essentiam, ac definitionem libertatis includis, liberi sunt arbitrii propria, hoc est voluntatis, non qua naturalis est inclinatio, et ad finem ipsum refertur, estque determinantis capax necessitatis, sed quatenus circa *media*, et contingentia versatur, et ad utrumvis indifferenter se habet, hoc est, ut S. Thomas loquitur, *potest ad diversa*.

Imperare certe nihil ille censet aliud esse [2], quam *ordinare ad aliquid agendum*, hoc est ad finem : tum *actum esse rationis*, qui electionem sequitur. Nam [3] « post determinationem consilii, quod est judicium rationis, *inquit*, voluntas eligit, et post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur. »

Quo ex loco Vincentii multiplex error convincitur, qui cum voluntatis actum omnem liberum esse sentiat [4], et libertatis essentiam in imperio constituat [5], fateri cogitur nullum alium voluntatis actum esse præter imperium; adeoque nec finis appetitionem, quæ consilium antecedit, nec electionem, quæ ut hoc posterior, sic imperio prior est, actiones esse voluntatis; tum, quod alibi jam dixi [6], liberæ voluntatis essentiam in ea re ponit, quæ rationis ac mentis est propria, non appetitus, ac voluntatis.

III. Atenim « in ista vi voluntatis imperiosa, et imperatrice sui essentialem ejus, qua ab appetitu brutorum distinguitur, libertatem consistere, » invicto probat argumento [7]; ac gravi in primis auctoritate [8], « canum, simiarum, elephantorum, asinorum; » et unius inter alios, « qui sapientia magistri sui auditor erat, ac magis liber, quam ceteri crassioris, et stupidioris Minervæ asini fratres ejus. »

His omnibus contra Petavium, et Richardum testimonium denuntiat. Sed ut jure, ac legitime contendat, postremum illum testem expungat censeo : ne οἰκόθεν μάρτυς apponi videatur. Ecquos vero fratres asini illius ex Vincentii verbis divinare possumus? Non enim asinis obstetricari, et operam adhibere Minerva solet, quam fratribus illis parum benigne consuluisse scribit. Sed his, ac similibus parum gratis interpellatoribus, ac sibi adeo Vincentius occurrat ipse; et quid brutorum appetitus ab libera voluntate hominis intersit, ex S. Thoma, et illa ipsa, quam toties inculcat, imperatrice vi, et imperio discat. Nempe « quod imperare, sit ordinare ad finem, » ait S. Doctor [9] : bruta vero *media*, quæ vocant, ad finem non referant; idcirco libera voluntate carent, quod fusius declarat idem his verbis [10]: « Dicendum, *inquit*, quod aliter invenitur impetus ad opus in brutis animalibus, et aliter in hominibus. Homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis : unde habet in eis impetus rationem imperii. In brutis autem, fit impetus ad opus per instinctum naturæ : quia scilicet appetitus eorum, statim apprehenso convenienti vel inconvenienti naturaliter movetur ad prosecutionem vel fugam. Unde ordinatur ab alio ad agendum, non autem ipsa seipsa ordinant ad actionem, et ideo in eis est impetus, non autem imperium. »

IV. Sic de pecudibus, et sapientiore illo fratribus suis asino non multum laborabit Vincentius. In amentibus, et similibus humana voluntate, intellectuque præditis, plurimum æstuabit, ut suis, ac sectæ suæ principiis consentaneum aliquid expromat, quod ex voluntate, hoc est libertate agentes illos non perinde libere agere persuadeat, ut cum oculis, et auribus utantur, id quod agunt, *essentiam* habet visionis et auditionis, eo quod ex essentiali videndi, et audiendi facultate proficiscitur.

De his igitur, brutorum tuorum, ut ais, non dissimilibus, sed, ut ex ante dictis evidens est, longe tibi molestioribus, quam sexcenti tui *sapientes asini*, quemadmodum te cum tuis decretis, et principiis extrices, sane videris. Quod idem in fatali, et tamen voluntaria necessitate præstare debebis. Nam necessitatis duplicis tua illa distinctio, ut una *coactiva* sit, altera voluntaria, quam, ut mali medici solent ad ulcera omnia solum, et unicum emplastrum, ex panario tuo identidem exprimis, futilis est, ac magnarum et necessariarum rerum inscitia referta : quod vel ille tuus Ammoniani discipulus te docebit.

V. Cujus quidem ut te ad captum accommodares, credo ἄπορον illud nitidis, et elegan-

[1] Vide sup. c. 3. et 7. — [2] S. Tho. 1. 2. qu. 17. art. 1. et 2. — [3] Id. ar. 3. ad 1. — [4] Lib. 1. c. 2. — [5] Ibid. c. 4. — [6] Sup. c. 7. § 2. — [7] Vinc. lib. 2. c. 1. p. 176. — [8] Vinc. ib. p. 177. — [9] S. Tho. 1. 2. qu. 17. ar. 1. et 2. — [10] Ib. ar. 2. ad 3.

tibus vocabulis expressum in fine ita te posuisse. « Nunc vero ponite casum, ais Vincenti [1], ut vis illa voluntatis imperiosa sui actus, suopte modo, et imperio suo seipsam moveat; sed tamen indifferentiæ accidentalis bilancem non utrinque expeditam habeat, quia intellectus hic et nunc solum de amando, non de suspensione amoris ei quidquam repræsentat, et ad amandum judicio practico eam determinat. An talis tamen amor, per vestram fidem, et conscientiam, brutalis, nec essentiali libertate liber erit? Cur enim liber non esset, quandoquidem voluntas suo solemni imperandi modo seipsam agat, non impetu brutali et effreni foris exiliat? »

Hic vero quid dicas profecto non intelligis; ac quid libertas, et liberæ actionis quæ sit exequendæ ratio funditus ignoras. Dixi tibi sæpius vim illam voluntatis imperatricem in iis dumtaxat exerceri, quæ ad finem referuntur, et *contingentia* sunt, hoc est ad unum determinante aliqua necessitate minime redacta.

Etenim de eo quod absolute necessarium, ac definitum est, nulla potest esse consultatio, uti nec electio, qua unum e pluribus optari debet: quod ex Aristotele, ac Peripateticis omnibus, etiam theologis, ut Nemesio, Joanne Damasceno, ac S. Thoma, aliisque pluribus uberrime demonstratum est a nobis. Quamobbrem non aliter voluntas libere agere potest, et præ uno alterum capessere, quam si hoc ipsum, cujusmodi est reipsa, non necessarium, sed utile duntaxat, adeoque contingens, rectrix et magistra ratio judicaverit. Hoc ipso vero, quod utile est, et contingens aliquid, non simplex est, et uniusmodi. Itaque si non *actu*, virtute certe, ac δυνάμει tam se, quam alia complectitur. Ita nunquam nisi de pluribus inter se comparatis, tum deliberatio fit, tum judicium rationis, tum seipsam determinantis voluntatis electio: ex quibus, eadem movente voluntate, rationis imperium, et ex imperio, voluntatis ad exequendum postrema motio consequitur.

Ceterum *indifferentia* illa voluntatis quemadmodum se habeat, et quos in ea ludos Vincentius, et id genus homines facere pridem instituerint, ostensum est pluribus a nobis alio in opere [2].

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. Cyrillus Hierosolymitanus perperam appellatus a Vincentio. — 2. Ovis exemplo libertatis ac meriti rationem explicat. Et ludicra Vincentii opinio de brutorum appetitu. — 3. Qui circa finem ultimum clare cognitum libere ferri voluntatem, falso putat, et laudem etiam inde promereri. — 4. Sed in laudis ambigua significatione cavillatur.

I. Quis non in te, Vincenti [3], lenitatis constantiam, et æquabilitatem desideret? Tu in canes, simias, et asinos in primis, tam indulgens, et liberalis exstitisti, ut illos cum hominibus propemodum exæquares: imo asinos in auditorum sapientiæ numerum adoptares; certe formandis eorum ingeniis Minervam præficeres: et idem tamen ovibus tam iniquus es, ut earum causa S. Cyrillo Hierosolymitano succenseas. Cur hoc autem de te iste meruit? Scripsit in Catechesi quarta, « liberi arbitrii esse animam, » nec a dæmone necessitatem ei inferri posse. Hunc enim nihil aliud efficere, quam ut malas cogitationes immittat: quas, si velit, animus admittat: si non velit, non admittat. Id si aliter fieret, non esse causam, cur Deus gehennam minaretur. Hic ἀυτεξούσιον esse ψυχὴν ait, id est *juris, et potestatis suæ*, hoc est *liberi arbitrii;* et quatenus sit, propriis ejus facultatis actionibus declarat, quod consentire possit, aut non consentire iisdem infusis a dæmone cogitationibus. Prorsus eodem modo, quo Apostolus eamdem voluntatis liberæ potestatem in utramque partem explicat, in servanda, vel non servanda castimonia, hoc est nuptiis eligendis, aut repudiandis, dum utrumque est integrum; et (1) *non habet homo necessitatem, sed potestatem habet suæ volun-*

(1) 1 Cor. 6. 37. Μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.

[1] Lib. 1. c. 1. sect. 1. pag. 178. — [2] Lib. 3. de lib. arb. cap. 11. — [3] Vinc. lib. 2. c. 1. sect. 2

tatis. Hæc est ἐξουσία, vel αὐτεξουσία, cui opposita est ἀνάγκη, id est ad unum alligans necessitas, de qua idem antea [1] : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem : solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Alligatio est voluntatis ad unum adstrictæ, determinatæque necessitas ; cui contraria est *solutio*, id est expedita et *indifferens* potestas : quæ *liberum arbitrium*, et αὐτεξούσιον dicitur. Ita Cyprianus de hac ipsa re disputans in libro de disciplina et habitu Virginum [2] : « Nec hoc jubet, *inquit*, Dominus, sed hortatur : nec jugum necessitatis imponit ; quando maneat voluntatis arbitrium liberum. »

II. Sed ad Cyrillum redeo. Is quod dixerat exemplo declarare volens, « (1) Ovis, *inquit*, mansuetum est animal, sed nunquam ob hanc mansuetudinem coronæ præmium est adepta : quandoquidem mansuetudo ista non illi inest ex electione, sed ex natura ipsa. » Quibus verbis indicat necessitatem, quæ ex naturali inclinatione provenit, libertati, qua præmium meremur, esse contrariam. Quod idem et theologi docent ad unum omnes, et horum princeps Aquinas ille sanctus Thomas, quem supra pronuntiantem audivimus [3], meritum omne « ex libero arbitrio procedere, in quantum voluntarie aliquid facimus : » nempe, ut ibidem declaratur, « perfecto genere voluntarii, quo in potestate hominis est facere, aut non facere, et utrumque subjacet libero arbitrio. » Propterea igitur ovem nihil mansuetudine illa sua mereri ait Cyrillus, quoniam non ex libero arbitrio, et hujus propria electione eam mansuetudinem præstat, sed ex naturali, et ut *non violenta*, sed *voluntaria* propensione, ita non libera et indifferente.

At Vincentius de ove stomachatur, et indignam rem esse clamat, eamdem dici rationem esse voluntatis humanæ necessitate aliquid appetentis, atque ovis, quod ad liberi arbitrii functionem, et laudem, ac meritum spectat [4]. « Beatos enim tranquillius, et liberius voluntatem suam in amorem summi boni præsentis effundere, quam pecudes in appetitum cibi et potus a natura projici, turbido et effreni impetu eas præcipitante, solent. »

III. Ludicra est et jocularis hæc μικρολογία. Dic, amabo te, Vincenti! Credisne voluntatem hominis in summum bonum, ac finem ultimum in sese, evidenterque cognitum, libere, hoc est libero arbitrio ferri? Credis ejusmodi amorem, et appetitum hunc esse, ex quo laus, et meritum sequatur? Credis profecto, credis; eoque miserrime falleris, et a primis humanæ ac divinæ sapientiæ principiis longius aberras. Ita persuasum esse tibi arguunt illa, quæ in eodem capite, et alibi passim occinis. Beatos enim [5] « ob amorem illum, quem per vim actuum suorum imperatricem tranquillissima effusione expirant, summis laudibus, honore, et veneratione dignissimos esse » dicis. « Et licet tam sapientes et prudentes sint, ut nullis rationibus adduci valeant, ut ab amando cessent, hoc tamen nihil de eorum laudibus decerpit ; sed auget cumulum. »

In his quantopere sis hallucinatus, potes ex his animadvertere, quæ hucusque disputavimus, præsertim capite tertio, et quinto. Voluntatem necessitate illa, quæ proprie dictæ libertati est opposita, rapi in Deum perspicue cognitum, sententia est beati Thomæ in prima parte, quæstione 72. articulo primo, et secundo. Idem negat [6] « ea libero arbitrio subesse, ad quæ naturaliter inclinamur. » Negat [7] esse quemquam « dominum actuum suorum, » nisi quatenus libero utitur arbitrio. Negat [8] mereri quemquam « nisi per actum cujus sit dominus, » hoc est qui sit liberi arbitrii. Liberum autem arbitrium non versari circa finem, et ea, quæ necessario appetuntur. Laudem denique ac vituperium ex usu solo liberæ voluntatis efflorescere, iisdem in locis S. Thomas luculentissime declarat[9]. Nullum ergo meritum habet actio illa, quæ non ex libero prodiit arbitrio : sed nec laude aut vituperatione per sese digna est, quod utrumvis liberæ electionis radice nitatur. Quocirca beati non ob hoc ipsum præcise laudantur, quod Deum diligunt, uti neque quod de illo recte sentiunt, ac judicant. Sed eatenus, quod felicem illum statum, et amorem, ac notitiam, quibus beati sunt, et in Deum necessario quodam impetu rapiuntur, liberi, cum viverent, usu arbitrii meruerunt.

IV. Sed fallit ambiguitas nominis, dum laus interdum pro gloria, et honore, ac dignitatis, et excellentiæ prædicatione sumitur. In quo Vincentii manifestus est fucus. Nam et in laudis, honorisque vocibus de industria ludificatus est : et quæ de hac re luculenter in tertio de Libero arbitrio docueram [10], longe ad eam rem utilissima, callide dissimulando præteriit.

(1) CYR. Πρᾶόν ἐστι τὸ πρόβατον· ἀλλ' οὐδέποτε διὰ τὸν πρᾳότητα ἐστεφανώθη· ἐπειδὴ τὸ πρᾶον οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ἐκ φύσεως αὐτῷ πρόσεστιν.

[1] Ver. 27. — [2] Sub fin. pag. 223. — [3] Cap. 5. p. 3. et 4. — [4] Vinc. pag. 279. — [5] Ib. p. 182. — [6] In 1. Par. qu. 83. art. 2. — [7] In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2. — [8] Quæst. 29. de Verit. ar. 6. Vide sup. c. 5. — [9] Vide sup. cap. 3. et 5. — [10] Cap. 4.

Verum legantur omnino quæ illic tradita sunt, ut ex iis inanis Theriacæ conatus eludatur.

Ecquis autem illius est adeo similis, nihil ut interesse dicat inter ovem pabulum appetentem, et hominem necessario Deum amantem; etsi neutri libertas in actione illa constet? Ecce tibi S. Thomas [1], Aristotelem secutus, *voluntarium* in brutis perinde ut in hominibus agnoscit: neque tamen propterea eamdem utriusque *voluntarii* rationem esse voluit. Sic necessitas licet in amborum naturalibus actionibus communis insit; non ideo nullum est agendi sub eadem necessitate discrimen.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Ex Vincentii opinione sequi Spiritum S. produci a Deo libere, et ex arbitrio libero. Ex quo horrendæ blasphemiæ sequuntur.

Verum tolerabilia ista consectaria sunt opinionis indoctæ. Quid illud quod sine horrore ne cogitari quidem potest, et indidem est consequens, Deum et amare se libere, et eadem libertate producere Spiritum sanctum, in eumque similiter atque in creatas res jus ac dominatum obtinere? Ut hoc decretum ex Armacani Batavi disciplina Vincentium hausisse, et in *Theriaca* sua ministrasse nemo dubitet, relegamus illa paululum, quæ de libertatis essentia ibidem exposuit.

Hanc igitur « in modo quodam agendi ἡγεμονικῷ » positam arbitratur [2], « quo voluntas seipsam movet, et actum suum sibi imperat. » Quam « potestatem sublimem, et imperiosam » vocant, qua « actum suum efficiendo, ei dominatur, et a se exire quodammodo imperat. » Atque hoc in Deo præ ceteris inesse demonstrat capite sexto: imo vero ex hujus participatione manare istud in creaturas liberas; in eoque consistere ait imaginem Dei, qua humanum præsertim genus censeri solet. « Ut enim compelli, et cogi ab alio ad agendum, ait Vincentius [3], servile, et Deo indignissimum est: ita ex propria potestate in actionem suam seipsum inclinare, dominii supra actus suos signum est, et supremum Ens maxime decet. » Tum eadem pagina, « Deus, *inquit*, in amando, et volendo est sui juris, et in affectus suos altissimo modo, sine imperfectione, jus et imperium exercet. »

Neque vero libere, hoc est *essentiali libertate*, solas res creatas amare Deum Vincentius affirmat [4], sed etiam seipsum; quia [5] etsi necessario, non tamen cogente necessitate seipsum amat; quippe libertati *coactionem* duntaxat opponi, non necessitatem simplicem existimat.

II. Jam vero *essentialem* illam *libertatem*, qua *jus*, et *potestatem*, et *dominium*, et *imperium*, vel *imperiosum potestatem* habet voluntas *in actum suum*, idem esse ac *liberum arbitrium*, fusissime probat Vincentius in libro primo, capite tertio: atque hæc esse synonyma demonstrat, *libertatem*, *voluntatem*, *liberam voluntatem*, *liberum arbitrium*. « Ubi voluntas est, ait Vincentius, ibi libertas: et quidquid ab ea, ut voluntate, et appetitu rationali, procedit, ab ea, ut *libero arbitrio*, procedit, adeoque liberum est. » Et in fine capitis, « Nec quisquam moveri debet, *ait*, quod S. Augustinus interdum sic etiam loquatur, libera voluntate, aut libero voluntatis arbitrio: quia certissimum est omnibus, qui lectione, et doctrina ejus ingenium subactum habent, particulam istam, *libera*, aut *libero*, non restringere voluntatem, aut arbitrium: sed, ut dialectici loquuntur, particulam explanantem tantum esse; et ista duo, *voluntas*, et *voluntas libera*, inter se converti. » Idem et in sequenti capite [6] docet Vincentius, et alibi passim.

Hoc autem et Vincentii magister Armacanus Batavus iisdem fere verbis affirmat. Ut cum ita scribit [7], « Apud Augustinum esse liberum arbitrium, et esse aliquam hominis, vel angeli voluntatem, seu volitionem, pro iisdem pror-

[1] In 1. 2. art. 2. — [2] Vinc. lib. 1. c. 3. p. 15. — [3] Pag. 24. — [4] Vinc. lib. 21. c. 1. p. 59.

[5] Ib. et c. 10. — [6] Pag. 17. — [7] To. 3. lib. 6. c. 5. p. 265. C. D. 2. et p. 266. c. 1.

sus usurpantur. Nimirum quia juxta doctrinam ejus apertissime traditam, voluntas, seu volitio, et libera voluntas idem sunt: sicut velle, et libere velle: et impossibile est, ut velle non sit liberum. » Et paulo post: « Hoc ipso, quo volunt homines, est etiam liberum arbitrium, quia nonnisi libere volunt. »

III. Porro formulæ quædam locutionis observandæ sunt, quas ambo illi præscribunt, quibus *liberæ voluntatis* vel *liberi arbitrii* usus exprimitur; sunt autem hæ [1]: « Habere in potestate, » nempe « quod, cum volumus, facimus. » Item [2], « quod, si vult, facit; si non vult, non facit. » Tum, « Si voluntate faciendi imperante fiat, actio illa est in nostra potestate. » Mox etiam, « Ut cognoscamus utrum aliquid in potestate nostra, seu nobis liberum sit, hoc intuendum esse » docet, « utrum fiat quando volumus. Si enim fiat quandocumque volumus, liberum est: si vero, cum volumus, non fiat: vel, si nolumus, fiat; certissimum est, non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate. »

Eadem et Vincentius usurpat, ut paulo ante memoravi: qui [3] « verba volendi, aut nolendi, liberum » declarare ait « arbitrium, quia omne velle est liberum. »

IV. His ita constitutis, nemo jam dubitet, quin ex istorum placito Deus et *libero* se amet *arbitrio*, et *Spiritum sanctum* eodem *libero arbitrio* producat. Etenim voluntate utique se amat, et amando producit Spiritum sanctum. Hæc autem voluntas non est violenta, vel coacta: ac proinde liberrima, et ex arbitrio libero, quod a voluntate non differt. Quamobrem cum essentialem libertatem in eo constituant, quod *in jure*, ac *potestate* habetur, *et dominatu*: et cum voluntas libere vult, eo ipso « actum suum a se exire compellat, eique dominetur; » nonne *jus* idem, *potestatem* eamdem, *dominatum* eumdem, *imperium* idem, *imperiosam vim* eamdem exercet tam in amorem, quo se diligit Deus, quam in amoris fructum, sive actus illius terminum, qui est Spiritus sanctus? Quod autem in jure, potestate, dominio, imperioque esse dicitur, servilis est conditionis, neque Deus est, sed creata res aliqua.

Accedant nunc eæ libertatis, voluntatisque liberæ formulæ, ac de sancto Spiritu illud usurpemus: « Si vult Deus, producit Spiritum sanctum: si non vult, non producit. » Et, « Spiritum sanctum in potestate, ac dominatu suo Deus habet: et, cum vult, producit: cum non vult, non producit. » Potestne vocibus istis, quas nova Theologia peperit, fingi quidquam horribilius? Nonne si revivisceret sanctissimus ille Polycarpus, ad has non profanas solum, sed sacrilegas novitates exhorresceret, ac sibi usitatum illud in talibus cum fletu, et lacrymis proferret: « (1) O bone Deus! in quæ me tempora reservasti, ut ista patiar? »

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Vincentium frustra Patrum testimonia cumulasse ad opinionis suæ faciendam fidem. Ex iis nihil ab illo effici. — 2. Voluntarium sæpe pro libero ab auctoribus usurpari, et voluntatem pro libero arbitrio. — 3. Vincentium libertatem ita describere, ut non cuicumque voluntatis actioni, sed ei, quæ est liberi arbitrii propria, tantummodo conveniat. — 4. Ejusdem desultoria levitas, qui alias liberum arbitrium cum simplici voluntate confundit, alias separat. Quæstionem hic esse de solo arbitrio libero. — 5. Quomodo pacificari controversia ista debeat.

I. Atenim veterum auctoritate Patrum bene munitam opinionem suam proposuit in *Theriaca* Vincentius. Nam utrumque librum crebris græcorum, ac latinorum Patrum dictis refersit. Et videri potest aliquantæ lectionis homo iste; ac sane gloriolam hanc aucupatus est. Sed ab incuriosis duntaxat, et oculorum solo sensu scriptorum libris pretium ponentibus laudem illam merebitur.

Nam docti, et acres, intentique lectores statim animadvertent, non illum suapte lectione comparasse locorum istorum copiam; sed ex

(1) Euseb. 5. Hist. c. 19. Ὦ καλὲ Θεὲ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι.

[1] Armac. ib. c. 4. p. 262. E. 2. — [2] P. 263. A. 1. et p. 266. C. 2. — [3] Lib. 2. c. 3. p. 15.

Armacani opere compilasse ; indidem scilicet, unde totum fere librum suum descripsit.

Atqui vel judicii paululum adhiberet in eorum usu locorum ; ut quæ quibus probandis essent apta dignosceret ; et ab alienis, minimeque ad causam spectantibus, propria, et utilia secerneret. Sed enim furtum et negligentiam istius arguit, quod cum pleraque dictorum illorum, ii, contra quos scribebat, explicassent, et in Armacani caput retorsissent ; horum iste responsa vel omnino dissimulavit, vel perfunctorie, ac leviter attigit. Quæ tergiversandi calliditas, ut tam vehementi sectæ illius patrono minime convenit, ita mihi percommoda ob idipsum accidit, quod susceptæ velitationis hujus operam, ac longitudinem minuit. Non enim, ut de illis Patrum locis lectori satisfaciam, aliud superest, nisi ut utriusque libros adire illum jubeam, in quibus omnia plene accurateque pertractata, et explanata reperiet. Sic est profecto, sic est ; nullum in Theriaca Vincentii argumentum inest ; nulla tolerabilis, et non inepto disputatore digna ratio ; ad quam dissolvendam, ac refellendam non ex amborum lucubrationibus idonea capi adjumenta possint. Juvat tamen, etsi minime sit necesse, Patrum illa testimonia peragrantem, quam nihil in iis usurpandis fuerit, universe, ac summatim ostendere.

II. Præcipuus locorum congestus aliquot capita libri prioris occupavit[1] : quibus demonstrare nititur, « voluntarium ab auctoribus pro libero ; voluntatem pro libertate, nullo inter ista discrimine usurpari. » Poterat hoc exscribendi labore supersedere. Quid enim attinebat, in hoc probandum incumbere, quod adversarii sponte fassi sunt ? Equidem in secundo de Libero arbitrio illud adnotavi[2], voluntatem ab Augustino, aliisque pro voluntate libera, id est arbitrio libero sæpius accipi. Quin etiam eadem, quæ Vincentius attulit[3], Augustini testimonia uberrime declaravi. Ad hæc superius *voluntarium* a S. Thoma bifariam usurpari docui[4], ac de voluntate alia multa disserui, ex quibus ab Vincentio hic objecta diluuntur.

Accedant huc tot illa diserta, et expressa Augustini loca, ceterorumque, quos citat Vincentius, in eodem collecta volumine : quibus liberum hominis arbitrium ita definiunt, ut sit ad utrumque libera, hoc est indifferens, et nulla devincta necessitate facultas.

Quid quod suapte professione, suisque verbis ad idem confitendum, ibi maxime, ubi testimoniis illis utitur, cogitur Vincentius ? Quid enim est, quod efficere, ac probare contendit ? Capitis initio tertii, « essentialem voluntatis libertatem, quam ex seipsa, et directione rationis elicit, in potestate imperiosa, qua suis actibus dominatur, et a se exire quodammodo imperat, » constitutam esse dicit ; et ad hoc probandum, auctorum deinceps sententias adscribit.

III. Atqui omnia illa, quibus voluntatem liberam explicat, et quodammodo delineat, non in omnem conveniunt actionem voluntatis, sed in eam solam, quæ liberi arbitrii propria dicitur, et ab electione pendet, ac circa *contingentia*, minimeque necessaria versatur. Hæc enim sola ab ratione ac judicio dirigitur. Quæ directio, cautio quædam est et gubernatio, lumen voluntati præferentis rationis, et intellectus, ne in appetendo, eligendoque labatur. Quod in necessariis, et ad unum alligatis appetitionibus supervacaneum est, ut in amore summi boni, ac finis ultimi perspicue cogniti ; ubi nullus errori locus, neque lapsionis est periculum. Quin etiam judicii illa directio nihil aliud est præter imperium, quod esse rationis a voluntate motæ, non voluntatis proprium actum, supra ex S. Thoma demonstravimus : tum eumdem actum electione posteriorem esse, ex eaque proficisci. Item illud ipsum, dominari actibus suis, et, ut uno verbo dicam, quidquid ad exprimendam *libertatis essentialis* notam, et naturam operose congessit Vincentius, ad solum pertinere liberum arbitrium, quæ sunt a nobis hucusque disputata persuadent. Ita fit, ut aliud agens, imprudensque Vincentius, adversariorum causam, iis ipsis, quos in medium adduxit, testibus approbarit ; læserit, atque everterit suam.

IV. Sed hujus in opinando mirificam constantiam prudens lector animadvertat. Nam voluntatem omnem esse liberam, et liberum arbitrium, alias asseverat, ut capite 13. supra demonstravimus[5] : et quæ ad illud probandum, Augustini, aliorumque testimonia ex Armacani libro corrogavit, ad hoc valere vult, ut quemlibet voluntatis actum, liberi esse declarent arbitrii, et[6] « quidquid a voluntate, et appetitu rationali procedit, ab ea ut libero arbitrio procedere, adeoque liberum esse. » Alias liberum arbitrium a voluntate separat :

[1] Ut 3. 4. 5. — [2] Cap. 10. § 3. et c. 11. § 12. — [3] Vide ejus. lib. c. 10. 11. et 12.

[4] Cap. 3. et 5. — [5] § 2.
[6] Vinc. lib. 1. c. 30. p. 15.

ut cum sic scribit[1]: « Hac quoque naturalis inclinationis voluntaria necessitate divina voluntas, sub ratione voluntatis, non liberi arbitrii, bonitatem suam, seque ipsam necessario, et tamen libere amat. » Igitur non omnis voluntatis actio *ab libero procedit arbitrio*, quod tute ante scripsisti: neque Deus libero se amat arbitrio, sed ea voluntate, quæ non est liberi arbitrii propria.

Dixine sæpius, totam istam controversiam, ac litem, quam tot spretis pontificiis edictis, et catholicæ fidei auctoritate calcata, nuper Armacanus excitavit, ad liberum duntaxat pertinere voluntatis arbitrium, non de qualibet esse voluntatis actione?

Etenim quænam origo alia quæstionis illius exstitit, nisi conciliandæ cum libertate gratiæ difficilis, et perplexa ratio? At hæc ipsa solam eam spectat voluntatis motionem, quæ liberum arbitrium proprie dicitur; non illam, quam vos necessariam, et tamen liberam esse animosa, et inutili jactatione contenditis. Sit sane libera novo illo vestro, et qualicumque genere libertatis: dum eo non sit, de quo inter nos agitur: in quo vera, et suo nomine digna, non sophistica, nec solo vocabulo censenda libertas est sita voluntatis humanæ.

V. Quamobrem potest jam omnis inter nos sublata esse discordia, si hoc fatemini; libertatem eam, quam liberum arbitrium dici proprie tutemet agnoscis, et quam ab S. Thoma traditam, capite 21. libri tui prioris affirmas; talem esse, cujusmodi summus idem theologus tot in locis, tam aperte, tam expresse, tam diligenter exposuit: quamque nos ex ejus auctoritate, ac verbis ipsis, hactenus informavimus. Nimirum ut hæc sola proprie, ac præcipue, et *formaliter* illa sit libertas, ob quam liberæ voluntatis homines, et arbitrii liberi esse dicuntur: ut sit boni malique meriti, laudis et vituperationis stirps et fons unicus: ut hæc una causa sit, ex qua voluntas humana semetipsam proprie agere, movere, dominium atque imperium, quodcumque tandem habet, exercere dicatur: ut ea denique sit necessitatis expers, non illius, quam solam libertati esse contrariam falsa opinione defenditis; sed ejus, quæ naturali propensioni consentanea unius appetitu determinatur, nec expeditam et indifferentem utriusque permittit optionem. Hæc cum omnia, iisque plura eodem spectantia S. Thomas tam manifeste propria esse testetur libertatis illius, quæ est *arbitrii liberi;* si tu, Vincenti, cum sodalibus tuis eadem fateri potes et amplecti, appellatione ipsa libertatis utere ut voles. Non equidem repugnabo. Ut si hominis effigiem dici hominem oportere contendas, dum eousque non insanias, ut hominis naturam, et essentiam illi tribuas; quis tibi loquendi hanc licentiam invideat?

Sane hoc, quod abs te amore pacis et concordantiæ impetrare studeo, non gravate concesseris, si ad illa, quæ raptim et tumultuarie ex Armacano convasasti, veterum loca paululum adverteris animum. Hæc enim naturam ejusmodi liberæ voluntatis, arbitriique liberi describunt, qualem ab S. Thoma luculenter explicatam catholicum cum ipso omne nomen agnoscit. Sed singillatim omnia persequi nolo; nec exscribendis hic Armacani capitibus integris, ut quidam faciunt, lectori stomachum et nauseam movere; mihi circumforanei magnonis illius famam consciscere, qui

Ut venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisivit sibi famam strophis.

[1] Lib. 1. c. 12. p. 57.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

1. Ridicula Vincentii jactantia. Voluntarium, et spontaneum sæpe pro libero sumitur. Damasceni locus ab eodem contra se productus. — 2. Quod liberi arbitrii propria ratio continetur.

I. Frigidum illud est ἀλαζόνευμα, Vincenti [1], cum Petavio insultas, tanquam ei liberi arbitrii definitio « vehementer displiceat » a Prospero allata, ut sit [2] *rei sibi placitæ spontaneus appetitus*. Quasi hoc ille nescierit, neque diserte monuerit, *spontaneum*, quod idem est ac *voluntarium*, Græcis ἑκούσιον, pro *libero* sæpius accipi : quamvis alias tam late pateat, ut de brutis etiam animantibus usurpetur. Hac vero laxissima, et generali notione non tu, opinor, voluntarium, sive *spontaneum* intelligi vis, cum eo liberam voluntatem definiri asseris. Quare *voluntarii* genus illud ascisces, quod perfectum vocat S. Thomas [3], et solis inesse ratione præditis affirmat. Atqui hoc idem S. Thomas non aliud esse docet, præter liberum arbitrium, ut supra significavi [4]. Quo quidem posito, quid est quod Petavius, aliique Catholici laborent, aut indigne ferant, libertatem cum *voluntario*, vel *spontaneo*, hoc est cum libero arbitrio, unam rem, et eamdem haberi? Ac profecto si apud te esses, cum ista meditabare, vel ipsa eorum Patrum, quos tu citas, verba tibi aurem vellere, et ad saniorem mentem revocare potuissent. Certe Joannes Damascenus quale sit ἑκούσιον, de quo loquitur, non obscure significat, cum ait, « (1) In nostra esse potestate, quæ liberum est nobis, vel facere, vel non facere. » Quænam igitur hoc modo ἑκούσια, id est *voluntaria* sunt, nisi quæ libero arbitrio proprie tribuuntur? Nempe illa, quæ, ut subinde pertexit, (2) laudem aut vituperationem habent adjunctam, et « (3) quæ ex æquo contingere possunt ; de quibus consultamus. Consilium porro de iis est, quæ in utramque partem ex æquo accidunt. Denique hoc ex æquo contingens dicitur, quod tam ipsum possumus, quam ejus contrarium, et cujus electionem facit intellectus noster. »

II. Quid tibi ergo, Vincenti, venit in mentem, dum ut voluntatem necessitate devinctam, nihilominus liberam esse monstrares, eo Damasceni usus es loco, quo nullus contra te afferi poterat expressior? Hic Joannes ille Damascenus, cui pro te testimonium denuntiasti, illud *in nostra esse potestate* dicit, quod non est *necessarium*, nec uno aliquo determinatum, sed contingens, quodque tam potest eligi, ac fieri, quam huic oppositum. Addit hoc ejusmodi esse, quod mens, hoc est ratio nostra delegerit, et videlicet alteri, quod et ipsum poterat, si vellet, optare, prætulerit. Non adeo confidens eris, ut neges hoc verborum circuitu liberum arbitrium describi, quod voluntati necessariæ, et quam essentialem libertatem esse fingis, opponitur. Quid te igitur hominis oportet esse, qui adversum te tela subministras, et Damascenum in partes invitum, ac reluctantem trahis? Adjice cetera, quæ de laudis ac vituperationis origine, et hujus generis aliis e S. Thoma supra notavimus. Quæ citra controversiam liberum arbitrium, non autem libertatem illam tuam necessitatis nexibus irretitam designant. Non minus Bernardi locus adversatur tibi [5], qui idem esse *spontaneum* ait, *ac liberum sui*. Quid enim *liber sui* aliud est, quam quod Joannes Damascenus dixit, *qui potest facere, vel non facere?* Sed de his, ac similibus locutionibus, quarum aliquas collegisti capite vicesimo primi tui libri, si capita duo postrema libri primi nostri de Libero arbitrio legisses, tacendum existimasses tibi potius, quam eorum littera ulla mentionem facere.

(1) Lib. 1. cap. 26. Ἐφ' ἡμῖν μὲν οὖν εἰσὶν, ὧν ἡμεῖς ἐσμὲν αὐτεξούσιοι ποιεῖν τε, καὶ μὴ ποιεῖν.

(2) Ibid. Καὶ ἁπλῶς, οἷς ἔπεται ψόγος, ἔπαινος.

(3) Ibid. Καὶ περὶ ὧν βουλευόμεθα· ἡ δὲ βουλὴ, τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων ἐστίν. Ἐπίσης δὲ ἐνδεχόμενόν ἐστιν, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ· ποιεῖται δὲ τούτου τὴν αἵρεσιν ὁ νοῦς ὁ ἡμέτερος.

[1] Vinc. lib. 2. c. 20. — [2] Lib. cont. Collat. c. 19. — [3] In 1. 2. qu. 6. art. 2. — [4] Vide cap. 3. et 5. — [5] Vinc. p. 84

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

1. Vincentii falsa definitio libertatis. — 2. Nata ex inscitia latinæ vocis *imperii*. — 3. Ejusdem de actu reflexo voluntatis fabula.

I. Inter varias *actus liberi* definitiones, unam commemorat Vincentius noster, in qua perpetuum eruditionis suæ monumentum statuit: et vero ulcus quoddam continet late diffusum, ac manans per totam illius de libertatis natura disputationem : non secus atque

> Exurit sacer ignis, et urit corpora serpens,
> Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.

Definitio porro ista sic ab illo informatur [1] ex Joanne Damasceno, ut sit voluntas, sive liberum arbitrium, *Potentia sui imperatrix :* quod græce est δύναμις ἀυτεξούσιος. Sic enim Vincentius capite nono prioris libri [2], postquam docuit : « Voluntatem esse imperatricem, et dominam sui actus, » mox, « Denique colligitur, *inquit*, quare Græci voluntatem non simplicem δύναμιν, potentiam, sed ἐξουσίαν, potestatem, seu auctoritatem, ac etiam ἀυτεξουσίαν vocant : quia nempe quamdam supra seipsam, et actus suos veluti jurisdictionem, et imperandi potestatem, exercet, etc. » Hanc igitur imperandi vim sic Vincentius interpretatur, ut voluntas imperet actus, non solum quos *imperatos* vocant, quosque facultates aliæ jussu voluntatis exercent : verum etiam quos elicitos appellant ; et ab voluntate ipsa manantes. « Unde quemadmodum, ait idem [3], imperium ejus super actum potentiæ progressivæ hominis directe cadit; ita quoque reflexe in actum ipsiusmet voluntatis redit. » Nimirum quod S. Thomas, aliique theologi *liberæ voluntatis* proprium operandi modum explicantes, usurpare solent, ut *movere se* illam asserant, id Vincentius *imperium* quoddam, hoc est *jussum*, ac *mandatum* esse credit [4], quo « actum liberum non solum per modum actus eliciti, sed etiam imperati, a voluntate emanare cogitamus ; adeoque singulari quodam modo, sibique prorsus peculiari, voluntas se objecto suo per talem actum applicat : imperando scilicet ipsam applicationem, et utendo reflexe seipsa, sicut directe utitur aliis externis instrumentis, quando per imperium suum ea applicat ad opus. »

II. Hanc falsam, tum vocabuli notionem, tum de libertate sententiam, Vincentio persuasit latinæ græcæque proprietatis inscitia. *Imperii*, et *imperandi* nomina, duo apud Latinos significant : alterum est *potestas*, et *jurisdictio*, sive *principatus ;* alterum est *præceptum, justum*, ac *mandatum ;* qui est prioris usus, et effectus. Græci ambo illa distinctis vocabulis exprimunt. Nam prius vocant κράτος, vel ἡγεμονίαν et ἐξουσίαν, aut ἀρχὴν. Glossarium vetus, *imperium*, ἡγεμονία, κράτος βασίλειον. Posterius est πρόσταγμα, vel κέλευσμα. Quod si quis promiscue, et ἐναλλὰξ vocibus illis abutatur, et *mandatum*, sive *jussionem* appellet κράτος, ἡγεμονίαν, aut ἀρχὴν : vel e contrario κράτος et ἀρχὴν pro mandato velit sumere ; risum nemo continebit. Atqui in hoc jocosum Vincentius incurrit.

Qui, cum liberum arbitrium didicisset, a Græcis ἀυτεξουσίαν, vel ἐξουσιαν, et ἀυτοκράτορα δύναμιν appellari, et in dictionariis suis legisset, illa eadem κράτους, et ἐξουσίας vocabula *imperium* significare : quam latinam vocem pro *jussione* accipi meminerat : homo valde acutus existimavit, eadem esse significationem Græcorum nominum κράτους, et ἐξουσίας, quibus *imperii* vocem respondere cognorat. Quare ἀυτοκράτορα et ἀυτεξούσιον interpretatus est, imperantem sibi, hoc est præcipientem jubentemque facultatem. Atqui ἀυτεξούσιος dicitur voluntas, non quia sibi præcipit, ac jussa dat : sed quia sui juris ac potestatis est, ut quodcumque libitum est eligere, amplectique possit, tum pro arbitrio, ac potestate facultates omnes sibi subjectas quamcumque voluerit in partem movere, in easque dominatum atque imperium exercere. Dicitur et αὐθαίρετος, non *quod se ipsam eligat*, ut ex Vincentiana grammatica consentaneum esset ; sed quod per se, ac suopte nutu, et arbitrio eligat : quæ est vera, et germana libertatis, sive arbitrii liberi notio.

III. Quamobrem commentitia est altera illa Vincentii, tam definitio liberæ voluntatis, quam *imperii* fabula, hoc est præcepti, ac jussi, quo sibi voluntas interiorem, et elicitum actum imperare dicitur. De quo nonnulla dixi capite

[1] Vinc. lib. 1. c. 19. p. 83. — [2] Pag. 36. — [3] Vinc. ib. — [4] Vinc. lib. 1. c. 9. p. 32.

septimo[1]. Illud modo considerandum, ac similiter explodendum est, quod omnem actum liberum voluntatis ita *reflexum* esse dicit[2], « ut idem sub ratione reflexi consideratus cogitetur dare quodammodo existentiam actui directo, quem imperat. » Quæ paucorum verborum sententia contortuplicata, et confragosa in seipsam incurrit. Siquidem id quod alteri dat *existentiam*, prius eo sit oportet. At *reflexus* actus posterior est *directo*, supra quem videlicet reflectitur. Non ergo *capit ab reflexo directus existentiam*, ne causa sit effecto suo posterior : quod enim existentiam rei dat, ejus utique causa censetur.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

1. Aristotelis locus perperam intellectus, et expositus a Vincentio. — 2. Necnon Damasceni. Cui laus proprie conveniat.

I. Non dissimili ex præcipitatione profectum illud est, quod capite 21. libri primi[3] Vincentius expromit, dum probare satagit, non solam voluntatis electionem proprie, ac *formaliter* esse liberam, sed etiam actiones ceteras, atque ipsam adeo finis appetitionem. Ad id enim Aristotelis verbis illis abutitur, quibus docet, « actionum ab initio ad finem nos esse dominos, » quod sic interpretatur, tanquam omnes, id est singulas actiones, jam inde ab *finis*, quam vocant, *intentione* liberas esse dixerit. Atqui βούλησιν, id est *voluntatem*, quam *intentionem* scholæ nominant, circa finem proprie versari, in eodem libro scripserat[4] : προαίρεσιν autem, id est *electionem*, in qua τὸ ἐφ' ἡμῖν, et *agendi*, vel *non agendi*, hujus item aut illius optandi potestas est sita, circa illa, quæ ad finem referuntur. Cui quidem more suo consentaneus est S. Thomas, a nobis supra citatus. An igitur tantillo intervallo, quæ dixerat, mutavit, ac rescidit Aristoteles? Non est ita : et nimium quantum aberrat Vincentius : cujus insignis in hac re lapsus αὐτόθεν, et ex ipso, quem attulit, Aristotelis loco deprehenditur. Verba sunt hujus : « (1) Non similiter, *inquit*, voluntarii sunt actus atque habitus. Siquidem actuum ab initio ad finem domini sumus, cum singula novimus : in habitibus autem, solius initii sumus domini. » Hic vero non de actionibus voluntatis omnibus loquitur Philosophus ; sed de iis duntaxat, quibus comparantur, ac paulatim corroborantur in nobis habitus : cujusmodi sunt αἱ προαιρέσεις, quæ et liberæ sunt, id est ἐφ' ἡμῖν, et ἑκούσιοι, id est *voluntariæ*, sive *spontaneæ* : ut capite antecedente scripsit idem Aristoteles. Hoc igitur interesse ait inter habitum, et actum virtutis aut vitii, quod actus tum inchoandi, tum desinendi penes nos est potestas : in habitu vero, solum in nobis situm est initium. Nam ubi semel occaluit, non facile, neque pro arbitrio nostræ voluntatis extinguitur. Sic Eustratius, et Andronicus nobilissimi enarratores illius Aristotelici operis. Unde palam est, quam ab veritate, et Aristotelis mente avius ierit Vincentius.

II. Nec minus in Joanne Damasceno fugit illum ratio. Quod enim αὐτεξουσία, id est libera potestate appetere, velle, deliberare, ac postremo eligere homines ait, id de appetitione finis, qualis in hac vita exerceri solet, omuino intelligi debet, de quo vide quæ supra capite sexto diximus[5].

Hinc vana Vincentii cavillatio præciditur, qui ita disputat[6] : « Nisi voluntas finis, non tantum electio mediorum libera esset, amare turpem voluptatem, tanquam finem, nullum peccatum esset, quia talis actus liber non esset ; nec in amore Dei, ut finis ultimi, ullum meritum foret. » Quid hac argutatione frigidius ? Non est necessaria, mi homo ! cujuscumque finis appetitio, ut jam docui ; sed ultimi, ejusque

(1) ARIST. 3. Eth. cap. 8. Οὐχ ὁμοίως δὲ αἱ πράξεις ἑκούσιοί εἰσι, καὶ αἱ ἕξεις. Τῶν μὲν γὰρ πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους κύριοί ἐσμεν, εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστον, τῶν ἕξεων δὲ τῆς ἀρχῆς.

[1] § 4. — [2] Vinc. lib. 1. c. 9. p. 32. — [3] Vinc. p. 92. — [4] Arist. 3. Eth. c. 4. — [5] § 5. — [6] Pag. 93.

perspicue cogniti ; ut a beatis percipitur. Ceteri autem, itidem ut et supremus ille nondum perfecte cognitus, libere et ex electione captantur. At Dei amor, et appetitus in felici illo beatorum statu neque liber est, neque laudationem, id est ἔπαινον, uti neque mercedem meretur. Sed merces ipsemet est anteactæ cum laude vitæ. Frustra autem præstigias, ac fumos obducis spectatorum oculis ex ambigua *laudis* acceptione, de qua supra monui.

Nemone igitur hanc opinionem extorquere poterit, quam tu cum tuis consecraneis imbibisti : ut laudem mereri ob hoc ipsum putes quempiam, quod necessario, neque ex libera electione facit, hoc est ἐκ τῆς προαιρέσεως, qua sola laudationem, vituperationemque metitur peripateticæ princeps sectæ philosophus, et Theologiæ coryphæus Aquinas ille S. Thomas?

Quis sanus laudandum propterea Deum censeat quod se amet; quod se non esse nolit: quod Spiritum sanctum producat: quod hunc et Filium diligat? Hæc ad μακαρισμὸν, id est ad prædicationem, et *glorificationem*, ut Scriptura loquitur, non ad laudem, id est virtutis, ac recte facti commendationem pertinent : ut in primo de Libero arbitrio animadvertimus.

CAPUT NONUMDECIMUM.

1. Quæstio ab Vincentio commota, utrum voluntas, quo se instanti movet, duplex judicium propositum habeat. — 2. Respondetur re unicum, virtute esse duplex ; quoniam *eligibile* est quod offertur voluntati : adeoque utile, et contingens, non necessarium. — 3. De indifferentia voluntatis : in qua frustra conflictatur Vincentius.

I. Quæris a te, Vincenti [1], « an voluntatem eo instanti, quo se movet, duplici judicio intellectus accinctam, et in utrumque appositum latus æque proxime expeditam esse oporteat. » Hoc modo concepta quæstio, peræque absurdam responsionem merebatur. Nec talis, auctore te, defuit. Nam scribis, « in partem affirmativam Pseudoperipateticos nuper cecidisse, et in ea se imaginatione pertinacissime defendere. » Verum negantem anteponere te, vel ut nitorem tui sermonis usurpem, *replantare* asseris. Et hoc scilicet tibi vis, non videri necesse ut, cum voluntas, deliberatione habita, quippiam eligit, duo præ se judicio rationis habeat, pro eorum numero, quæ inter se composita erant, et quorum unum antepositum est alteri. Tu longam deinceps, ac morosi fastidii plenam orationem explicas. Contra quam breve hoc tibi, sed robustum, et efficax, ex peripateticæ scholæ principiis opponam.

II. Omnem voluntatis electionem, vel re ipsa, vel δυνάμει consultatio præcedit. In ea duo saltem proponi et inter se comparari debent, quorum neutrum potest esse necessarium. Non enim de *necessariis*, et uniusmodi deliberamus, sed de *contingentibus*, et iis, quæ in nostra potestate posita sunt, ut ea sit integrum nobis vel amplecti, vel respuere : quod Aristotelem [2] secuti Nemesius, et SS. Maximus, Damascenus, Thomas Aquinas, ac philosophi, et theologi omnes constanter asseverant. Itaque judicium illud rationis, quo voluntatis appetitio, et electio regitur, non aliter id, quod eligendum est, proponit, ac repræsentat, quam cujusmodi est, hoc est minime necessarium, et unicum ; sed utile duntaxat, et contingens ; præter quod aliud, quod cum eo comparatum est, optare potest, et illi præponere. Et, ut paucis absolvam, electuræ voluntati, quod ad eligendum aptius judicat, non alia ratione præscribit arbitra ratio, quam ut est αἱρετὸν, hoc est *eligibile*. Quod autem eligibile est, non est uno definitum, ac necessarium, sed utilius duntaxat altero. Habet igitur adjunctam alterius notionem, cum quo contenditur ; ac saltem δυνάμει, et σχετικῶς, hoc est virtute, et habitudine quadam, illud continet ; ut re ipsa simplex ille judicandi actus, potestate sit multiplex.

III. Ex eodem peripateticæ, Christianæque sapientiæ fonte, τὸ ἀδιάφορον illud oritur, quam

[1] Lib. 1. c. 23. p. 99.

[2] Lib. 3. Eth. c. 5. Vide Petav. lib. 3. de Opif. c. 5. et supra c. 3. et 5.

indifferentiam latinæ scholæ nuncupant : de qua frustra vitilitigare solent καινοῦ καὶ παρασήμου κόμματος theologi, et incassum vexare, quod vel non capiunt, vel se capere dissimulant. Ea nihil aliud est, quam utriusvis ex consultatione cogniti, et asciti libera deligendi potestas. Sic enim eligit, ut posset non eligere, quoniam principium actionis in eligente situm est voluntate. « (1) Ubi autem principium in hujus potestate positum est, potest agere, vel non agere, » ait Aristoteles. Non igitur necessaria in alterutram partem propensione fertur : ac prionde, velint nolint Armacani, semet ipsa voluntas movet, ac determinat : hoc autem ideo facit, quia talis est, « ut possit unum recipere, alio recusato, » ut ait S. Thomas [1] : vel « quod in diversa possit, » ut alibi loquitur [2] : vel postremo [3] « quod indeterminata sit quantum ad ea, quæ sunt ad finem. » Atqui hæc omnia genera locutionis nihil aliud præterquam τὸ ἀδιάφορον et *indifferens* exprimunt. Hoc enim indifferens est, *quod non est determinatum*, et in *diversa* suo se nutu, et arbitrio potest flectere.

CAPUT VIGESIMUM.

1. De locis Scripturæ, quibus liberi arbitrii descriptio continetur. — 2. Vincentii strophæ in eo loco, qui est Genes. quarto. — 3. Necnon in altero, Ecclesiastici decimo quinto. — 4. Cujus falsa interpretatio refellitur, qua testimonium illud, et alia similia refert ad statum innocentiæ. — 5. Quod ex ipsa orationis serie redarguitur. — 6. Tum ex veterum consensu.

I. Status ille voluntatis liberæ, sese moventis, et quod placitum est eligentis, quem *indifferentem* vocari diximus, in plerisque Scripturæ locis graphice describitur : ut jampridem contra liberi arbitrii oppugnatores hæreticos, et eorum assectatores Armacanos notarunt Catholici ; et nos adeo post illos in primo libro de Arbitrio libero [4]. Horum locorum nonnullos vellicat ac detorquet Vincentius [5] : et quem in finem producti illi sint, callide dissimulans, aliorsum trahit. Certe nihil ex istis conficere aliud volui, nisi quod ibi, ubi illis usus sum, nominatim proposui ; « liberam ad utrumvis potestatem esse liberi arbitrii, cujusmodi in Adamo adhuc innocente fuit : » quod de natura, et essentia ipsa liberi arbitrii dictum esse, quæ ibidem adtexui, non obscure significant. Atque hoc ipsum est, quod in Tridentina synodo decretum est [6], « Liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum, extinctumque non esse. » Ceterum non eadem facilitate niti ad bona et honesta voluntatem hominis post lapsum, etiam opitulante Christi gratia, quam innocens experiebatur Adamus, scivit Petavius ; nec Vincentio monitore opus habuit.

II. Itaque locus ille Geneseos [7], quem arrodis, ubi Caino Dominus dicit : *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*, hoc unum declarat ; « In potestate esse nostra concupiscentiam, non tantum in sanctis ; sed etiam in perditis hominibus, et Dei gratia derelictis, » justificante nimirum gratia, sive sanctitate, qualis erat Cainus. « Quod ut non sine divinæ auxilio gratiæ poterat, sic indidem adjuta naturali sua facultate poterat. » Ita Petavius, quæ quia negare palam non audes vere, et catholice esse dicta, ad usitatas artes converteris. Sic enim veterum illorum mentem interpretaris, tanquam illud, quod cum gratiæ adjutorio potuisse Cainum asserit, *semper eum potuisse*, hoc est horis, ac momentis omnibus « Dei auxilium ad domandam concupiscentiam sufficiens, et præsens semper habuisse » dixerim. Atqui plurimum interest inter hæc duo ; potuisse Cainum concupiscentiam frenare, eique resistere, divina opitulante gratia : et jugem, ac continuam momentis omnibus præsto sibi gratiam affuisse. Horum prius cum sanis, et ab Armacana fæce vacuis Catholicis docui, præeunte Tridentina synodo : de posteriore ta-

(1) ARIST. 3. Eth. c. 1. Ὧν δὲ ἐν αὐτῷ ἡ ἀρχὴ, ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ πράττειν, καὶ μή.

[1] In 1. Par. qu. 83. ar. 3. — [2] Quæst. 16. de malo art. 5. — [3] Id. qu. 22. de Verit. Art. 6. — [4] Lib. 1. de lib. arbit. c. 2. — [5] Vinc. lib. 2. c. 6. pag. 266. — [6] Sess. 6. can. 5. — [7] Gen. 4. 6.

cui, quod nec ad rem pertineret, et alterius eam quæstionem scirem esse loci, atque temporis. Tu vero præter modum effusus, in re minime necessaria, multum verborum, ac nugarum amplius expendisti.

III. Sic in altero eludendo Scripturæ testimonio, quod jugulum petit Calvinianæ hæresis, ludificari instituisti. Scribit auctor Ecclesiastici [1], *Deum ab initio constituisse hominem, et reliquisse illum in manu consilii sui. Adjecit*, inquit, *præcepta et mandata etc. Apposuit tibi aquam, et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam.* Nemo hactenus Catholicorum exstitit, qui de libero hominis arbitrio contra Lutheranos et Calvinistas disputans, non illum Ecclesiastici locum usurpaverit ; eoque probare se confisus sit, non periisse post Adami peccatum, liberum hominis arbitrium, sed in eo quamlibet imbecillum, attenuatumque manere ; tum, quoniam sine gratiæ adjutorio Dei servare præcepta non potest, præsto illi esse divinam opem, cui *consentire, vel dissentire, si velit*, pro arbitrio possit, ut Tridentini Patres totidem verbis explicant. At Vincentius [2] tam gravi, ac diserto testimonio contradicere non ausus, in eadem delitescere versutia conatus est. Rem enim transtulit ad status utriusque dissimilitudinem, innocentiæ, ac peccati ; tum ad perpetuitatem assistentis horis omnibus, ac momentis gratiæ : quæ est aliena, nec ad rem faciens quæstio. Siquidem unum illud in præsentiarum agitur, an, quocumque tandem tempore voluntatem excitat divinæ allapsus gratiæ, in potestate sit illius, auscultare aut resistere ; hoc est eligere id, ad quod hortatrix eam invitat gratia, aut respuere : quod est indifferentem esse ; et, positis omnibus ad consensum eliciendum necessariis, eligere, aut non eligere ; agere denique, aut non agere posse. Hæc est liberæ voluntatis arbitriique liberi vera, solida, catholica ratio et essentia, ab Aristotele, Peripateticisque omnibus, et a theologis, præeunte S. Thoma, tradita : tum ex iisdem humanæ naturæ, ac rationis hausta fontibus, atque ex Dei verbo ; nec non ex Conciliorum, et græcorum latinorumque Patrum crebris et disertis sententiis expressa : uti late demonstravimus in tribus de Arbitrio libero voluminibus. Huic nostri temporis soli osbtrepunt hæretici, reconditioris, ut olim Gnostici, et ignotæ antea doctrinæ famam, et gloriam aucupantes ; cum sint omnium vanissimi mortales, et insulsissimi : quibus vena nulla salit antiquæ, et exquisitæ sapientiæ, sed totum error, ac dulcedo novitatis occupavit. Ab quorum decretis, et damnatis erroribus, par est procul abesse te, Romanæ, et catholicæ communionis hominem.

IV. Quid te autem, obsecro, Vincenti, tantopere Ecclesiastici locus ille conturbat ? Quis autem ab non fatuo, suique compote alius inde sensus exculpi potest, nisi iste ; hominibus quandiu in hac vita degunt, integrum esse, utrum voluerint optare, ac persequi bonum, aut malum, vitam, aut mortem : ut ad quod libitum erit manum porrigant, hoc est eligant pro nutu voluntatis, et arbitrio.

Hoc adeo comprehendi, significarique verbis illis, Lutherani et Calvinistæ in oppugnando libero arbitrio persuasum habent ; ut propterea putent ad præsentis status homines locum illum minime pertinere ; sed ad innocentem adhuc Adamum, quo tempore libero præditus erat arbitrio, quod sibi, peccando, suisque posteris amisit. Horum tu, Vincenti, vestigiis insistens, post longam agitationem, in ea demum interpretatione conquiescis, nec quam minime cohæreat vides. Sane de homine primo loquitur ibi Sapiens, ejusque arbitrio libero : sed non de solo illo, solove, in quo conditus est, incolumi et innocenti statu. Nam de naturali facultate liberæ voluntatis agit, cui pro arbitrio versare se utramvis in partem licet : quæ quidem homini primo, quasi stirpi et parenti omnium, divinitus insita, ab eo et per eum propagata transivit in posteros ; nec ullo scelere vel calamitate opprimi, oblitterarique potuit : tametsi sic ejus attenuata, et infracta vis est, ut ad bonum capessendum copiosioribus gratiæ præsidiis, ac fulturis egeat.

V. Hujusmodi porro loci istius esse sensum, ut generatim de *essentiali*, et manente quolibet in vitæ statu libertate hominis intelligi debeat, primum, et quidem invictum habet argumentum causa ipsa sermonis, ac series. Studet ibi Sapiens a peccato committendo deterrere homines ; et, si quid mali fecerint, admonet, ut ne causam illius et invidiam in alium transferant, sed sibi imputent ipsi ; utpote quos ad peccandum nulla res alia præter ipsorum voluntatem compulerit. Non enim culpam in Deum rejicere possunt ; nec is auctor, et suasor potest esse peccati : quippe qui impios nec amat, nec iis opus habet : et hominibus potestatem dedit quamcumque in partem flectendæ voluntatis ; et vero cavendi

[1] Eccles. 15. 14.

[2] Ib. Sect. 2. p. 268.

delicti, amplectendæque virtutis. Cum igitur loci illius hæc sententia sit, quid absurdius, quam ad vitandum peccatum incitare homines eo velle, quod primus illorum parens liberam ejus potestatem antequam peccaret habuit, si eam peccando tam sibi, quam posteris amisit? Nam si recte ratiocinatio ista procedit, poterat eadem ad hoc uti, ut homines ad omnes corporis, animique molestias, famem, sitim, ægritudinem, ac mortem ipsam denique propulsandam hortaretur : tum ad pristina illa, quibus innocens vallatus erat Adamus, capienda, fruendaque commoda : quod id olim in potestate primus ille parens habuerit. Quod si dementis est argumentari sic, vide an non contumeliosi in Deum sint, qui illius verbo parem, et eamdem ratiocinationem, ac sententiam subjiciunt, dum, illis interpretantibus, Ecclesiastici auctor ad illum liberæ voluntatis usum excitat Adami posteros, quem solus ante peccatum Adamus exercere potuit; illi ipsi, quos alloquitur, parentis sui culpa posse desierunt.

VI. Ac vel cetera ejusdem loci, quæ pertexit Sapiens, vos erroris admonere poterant. Nam subinde sic scribit : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi : quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Quibus verbis, et sequentibus hic omissis, causam affert, cur pro eo ac vivendo, et utendo arbitrio suo mortales egerint, merita mercede compensandi sint, bona videlicet aut mala; nimirum quod sub sapienti, ac forti, et nihil ignorante judice Deo, nullum impune malum, nullum sine præmio bonum præterire possit. Quæ ratio pervicaciæ ipsi frenos injicit, ut ad illum pertinere statum Sapientis ista præcepta, et monita fateatur, qui cum homine primo communis sit posteris ejus omnibus, quos solos ad honestam vitam illis instrui, incitarique nemo dubitat.

Huc accedit, quod postrema illa verba Sapiens ex Mose descripsit : qui, cum legem Israelitis edidisset, ad eam observandam iisdem, quibus Ecclesiastici locus ille, rationibus, et hortamentis utitur : *Juxta te*, inquit [1], *est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* Quibus observandæ legis potestatem penes illos, et in ipsorum potestate libera esse demonstrat, Dei adjuta gratia : quæ in istis intelligenda semper est, etsi nulla sæpe fiat ejus expressa mentio. Pergit deinde Moses; *Considera*, inquit, *quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum*, etc. Apparet hæc postrema Mosis pene ab Ecclesiastici auctore descripta esse verbatim; adeoque non ad solum innocentis Adami statum referri debere : de quo nihil Moses ibi cogitabat : sed ad universum pertinere genus hominum, quos ad laudabilem usum ingenitæ sibi facultatis suo uterque tempore studebat impellere.

VII. Postremo ut vel impudentiæ ipsius ora præcludam, testes advocabo græcos, latinosque Patres; qui utroque illo Mosis, et Jesu Siracidæ testimonio probare conati sunt, liberum in Adami posteris esse voluntatis arbitrium : quod profecto ridicule facerent, si ad solum innocentiæ statum, ut Vincentius, Armacanique ceteri cum hæreticis interpretantur, amborum effata spectarent.

Horum testium primus sit Augustinus, quo ex uno pendere se, tam falso, quam insolenter jactitant. Ille igitur in libro de Gratia et libero arbitrio, capite secundo, probare volens, non fuisse in Adamo antequam peccaret, sed esse hodieque liberum in hominibus arbitrium, cum alia complura Scripturæ testimonia profert, tum illud, de quo agimus, Ecclesiastici, adversus eos, inquit, « qui de ipso Deo se excusare volunt. » Ac postquam verba ipsa descripsit, « Ecce apertissime videmus, *inquit*, expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. » Est autem istud animadvertendum, Augustinum ex professo librum illum scripsisse, ut erroris genus duplex refelleret : quod nonnulli « sic gratiam Dei defendebant, ut negarent liberum hominis arbitrium : aut quando gratia defendebatur, negari existimabant liberum arbitrium. » Idcirco statim initio libri multis Scripturæ testimoniis ostendit esse in homine liberum arbitrium : deinde ejusdem auctoritate Scripturæ, gratiam ad bene agendum suppeditari divinitus, eamque necessariam esse demonstrat. Quamobrem ut, cum de gratia loquitur, et ejus necessitatem approbat, non aliam intelligit, quam quæ præsenti convenit humanæ naturæ statui : sic liberum in homine probans inesse voluntatis arbitrium, non ad alium, quam præsentem ejusdem naturæ statum respexit : alioqui stulta tanti viri, et inepta esset altercatio.

VII. Justinus martyr in Apologetico secundo [2], postquam multa de voluntatis humanæ libertate disseruit, quam προαίρεσιν ἐλευτε-

[1] Deut. 30. 14.

[2] Just. p. 63.

ραν, id est *liberam electionem*, vel « facultatem homini concessam ad turpia vitanda, et honesta deligenda » definit ; hanc ipsam indifferentem potestatem iisdem, quibus usus est Petavius, aliique Catholici, Scripturæ verbis adstruit ; maxime illo loco Deuteronomii, ex quo sumptum Ecclesiastici celebrem alterum paulo ante diximus : *Ecce in conspectu tuo bonum, et malum. Elige bonum.* Sic Origenes in epistolam ad Romanos [1], ambo illa testimonia in unam commista sententiam, ad ostendendam liberam in utrumque propensionem voluntatis affert : « Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, et ignem, et aquam. » Serapion quoque Thmuitanus in libro contra Manichæos [2], quem *egregium* vocat Hieronymus, eumdem locum citat : *Ecce posui coram te vitam, et mortem : elige quod vis.* Tum Chrysostomus in homilia 94. tomi sexti [3]. Tertullianus etiam libro secundo contra Marcionem, capite quinto, liberi vim arbitrii in utrumque minime determinatam probat ex eo, quod veteris auctor Testamenti legem Israelitis edidit, ac deinde « proponere se » dixerit « ante hominem bonum, et malum, vitam et mortem. »

Ennodius præterea Ticinensis [4], eumdem illum, in quo hodie versatur Armacanorum natio, errorem exagitans, qui liberum arbitrium in una tantum parte, quæ deterior est, valere statuit, Scripturæ illud opponit : *Ecce aquam, et ignem, ad quod vis, porrige manum* : ex eoque demonstrat, etiam in eo statu, qui peccatum Adami consecutus est, eamdem reperiri liberi arbitrii potestatem.

Sed in infinitum abibit hæc nostra disputatio, si percensere singulos velim, qui ut liberi arbitrii, cujusmodi in Adami posteris existit, vim et proprietatem describerent, illo Ecclesiastici loco, et similibus usi sunt, quos catholici scriptores annis adhinc centum et triginta contra Lutherum et Calvinum, ceterosque liberi eversores arbitrii adhibere cœperunt [5] : ut Joannes Cochleus [6], Joannes Eckius, ac ferme omnes ceteri.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

1. Colligitur ex superiori disputatione, essentialem libertatem positam esse in indifferentia, sive potestate utriusque. — 2. Quod ex variis illius descriptionibus, et vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium exprimunt, ostenditur. — 3. Tum ex Scriptura.

I. Liberæ hominum voluntatis, sive liberi arbitrii notio, ut hactenus demonstratum est, in eo consistit, ut ex pluribus sibi ad eligendum objectis, ac propositis, unum suopte nutu, et arbitrio capessere homo possit, rejectis aliis : quam *electionem* nominant, Græci προαίρεσιν. Hanc libertatis definitionem negat Vincentius [7] *essentialem* esse ; sed *accidentalem* vocat, eam videlicet, quæ bifariam dividitur in libertatem *contradictionis*, et *contrarietatis* : et hac sophistica distinctione eludi abs sese putat omnia Scripturæ, ac Patrum testimonia, quæ libertatem hominis in eo constituunt, ut facere aut non facere, hoc est eligere vel non eligere possit, pro eo ac libitum fuerit.

Atqui ridiculum est, tot illos Patres, quos in libro quarto tomi primi, et in tribus de libero arbitrio libris enumeravi, quorumque sententias de naturalis illius facultatis proprietate, usu, et officio, tam disertas, expressasque retuli, adeo sui oblitos, et quid agerent, quave de re disputarent, ignaros aut immemores exstitisse, ut, eo constanter omisso, in quo libertatis humanæ essentia posita est, solam ejus accidentem, minimeque necessariam affectionem persequi maluerint. Sed utcumque sese res habet ; certe cum de libera voluntate inter nos agimus ; in illa, inquam, Catholicæ partis cum Lutheranis, Calvinistis, et Armacanis contentione ac rixa de hominis libertate, nullam aliam intelligimus, quam

[1] Tom. 2. p. 302. K. — [2] Tom. 2. Auct. Bibl. 859. — [3] Pag. 867. — [4] Lib. 2. ep. 19.

[5] Lib. 1. de lib. arb. Test. 1. — [6] In Enchir. c. 31. — [7] Lib. 1. c. 22. et seq.

illam ipsam, quæ *liberum arbitrium* proprie dicitur ; quæ, auctore S. Thoma, et antiquis omnibus suffragantibus ; ipsoque adeo confitente Vincentio, ejusmodi est, qualem tot illa, quæ dixi, Patrum testimonia declarant.

II. Hæc est naturalis illa vis voluntatis ac potestas, quam *electivam* S. Thomas appellat, ut Vincentius agnoscit[1]. Hanc Græci omnes προαίρεσιν vocant. Quam Clemens Alexandrinus πράξεων ἀρχὴν vocat[2], hoc est, *principium actionum*, quæ πράξεις proprie vocantur; quemadmodum et Nemesius[3], qui πράξιν esse dicit « (1) rationalem operationem. » Ita principium earum actionum, quæ *humanæ* nuncupantur, hoc est liberæ, est προαίρεσις, sive voluntas, quatenus *vis electiva* dicitur. Hanc ita definiunt, et ea circumscriptione verborum designant, ac delineant sancti Patres, quæ *electionem* in utrovis de duobus asciscendo, vel respuendo liberam, et indifferentem significant : cujusmodi vocabula hæc indicant crebro ab illis usurpata, αὐτεξούσιος, αὐτοκράτωρ, αὐτόνομος, αὐτοκίνητος, αὐθαίρετος, et alia pleraque : quæ a nobis in unum collecta, explicataque leges capite 13. libri primi de Libero arbitrio. Illam præterea dicunt « (2) suis in utramque partem librari momentis. » Vel « (3) pari in virtutem, aut vitium libratione pendere, » ut Basilius loquitur : sive, ut idem alio loco scribit, « (4) naturam hominis sui juris ac liberam esse, quod in utramvis partem propendere possit ad eligendum bonum, vel malum. » Tum Cyrillus Alexandrinus ait[4], « propriis momentis, et suopte nutu in utrumvis tendere liberam, et necessitatis expertem ; ut juste laudem ex recte factis, et ex contrariis pœnas recipiat. » Item προαίρεσιν, id est, *vim electivam* et *libertatem* « (5) in utrumque partiri potestatem » dicunt suam, ut Basilius Seleuciensis. Complures vero in eo consistere naturalem istam potestatem asserunt, ut[5] « bonum facere vel non facere possit: » vel[6] « alterutrum eligere. »

III. Quid quod Deus ipsemet liberum hominis arbitrium compellans, et ejus propriam vim, naturamque designans eo ipso, quod utrumque proponere se illi dicit, bonum, et malum, vitam et mortem : statim peculiarem illius, qua ejusmodi est, hoc est libera, functionem exprimit, ita subjiciens[7], *Elige ergo vitam*. Est ergo voluntatis electio, fructus et efficientia illius propria, quatenus libera est potestas. At electio circa ea versatur, quæ contingentia sunt, et non necessaria, necnon definita : eaque ex consultatione sequitur ; quæ necessitati naturalis propensionis opponitur : ut ex S. Thoma, græcisque Patribus supra notavimus. Quapropter libertatis vera, et unica ratio, conditioque indifferente illa potestate ad utrumvis amplectendum, et eligendum metienda videtur : qualem humanæ, et divinæ sapientiæ consulti tam crebris, et manifestis sententiis expressam tradiderunt ; non quam ex paucis, iisque dimidiatis, et multis eorum dictis, aut furtim insidioseque sublectis, vel prava, et violenta interpretatione detortis, utcumque corrodare potuerunt Calvinus, et Lutherus ; qui communem cum fide ac candore sensum exuerunt.

Deinde « liberum arbitrium naturaliter attributum a Creatore animæ rationali, media vis est, (hoc est indifferens,) quæ vel intendi ad finem, vel inclinari ad infidelitatem potest, » ait Augustinus capite 32. libri de Spiritu et littera.

(1) NEM. cap. 29. Πρᾶξίς ἐστιν ἐνέργεια λογική.

(2) ATHAN. orat. 4. p. 300. Τὴν ἐπ' ἄμφω ῥοπὴν ἔχει.

(3) BASIL. lib. de Spir. c. 16. Ἰσορρόπως ἐχούσας πρὸς ἀρετὴν, καὶ κακίαν.

(4) BASIL. 3. cont. Eun. pag. 18. Φύσει τε χρωμένη αὐτεξουσίῳ, καὶ μεταῤῥέπειν ἐφ' ἑκάτερα δυναμένη πρὸς ἐκλογὴν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ κακοῦ.

(5) BASIL. Seleuc. orat. de Ad. Προαίρεσις ἐπ' ἄμφω τὴν ἐξουσίαν μερίζουσα.

[1] Lib. 1. c. 21. — [2] In 2. Strom. pag. 265. — [3] Cap. 40. — [4] Cyr. lib. a. in Joan. p. 155. Vide lib. 5. c. 3. Tom. 1. Dogma. Theol. Peta. § 5.

[5] Æneas Gaz. p. 387. Vide Peta. lib. de lib. arb. c. 13. — [6] Marcus Erem. lib. de Justif. § 56. — [7] Deut. 30. 19.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

1. Expenditur Augustini locus ex libro de Correptione et gratia ab Armacanis objici solitus, in quo de auxilio sine quo non, et quo agimus, disserit. — 2. De sola perseverantiæ gratia ibi Augustinum loqui. — 3. Qualis ea fuerit Adamo concessa. — 4. Cujusmodi sit ea, quæ per Christum conceditur.

I. Adversus illa, quæ de liberi arbitrii natura, ex communi, et catholica sententia hucusque disputavi, multiplex est querela Lenis [1]. Sed hæc palmaris; quod si ejusmodi liberæ voluntatis actio esse debet, ut, omnibus ad eligendum necessariis adminiculis positis, elici, aut non elici possit, gratia Christi in sola *possibilitate* constituta sit: ac tantum posse velle tribuat, non autem *actu*, et reipsa velle. Ex quo « famosum illud S. Augustini libro de Correptione et gratia, cap. 10. 11. 12. et toties alibi firmatum inter gratiam stantis, et lapsi hominis discrimen confundit. » Hoc enim inter utramque gratiam interesse ex Augustino putant Armacani, quod Adamo data divinitus gratia hoc tantummodo concedebat, ut posset velle recte agere, ac Dei servare præceptum; non autem, ut reipsa vellet, et quod jussus erat faceret. Christi autem gratia non solum tribuit ut possit homo, sed etiam ut velit, ac reipsa faciat. Ideo priorem gratiam appellari dicunt ab Augustino, « auxilium sine quo non fit; » vel « gratiam possibilitatis; » posteriorem vero, « adjutorium quo fit, ut non tantum possimus velle, sed etiam ut reipsa velimus. »

Hic ille est locus, in quo valde se jactat Armacanorum natio, quemque omnibus in colloquiis, et in publicis privatisque sermonibus, in circulis, in conviviis, in concionibus, apud doctos, et indoctos, ubicumque se occasio dederit, usurpare solent. Itaque mirandum fuisset, si hanc cantilenam Theriacæ scriptor prætermitteret.

II. Ego vero adversus illa, quæ de gratia ejusque cum arbitrio libero consensu, nimium libere Libertus Frodomondus ingessit, non multis agam; neque factum illius imitabor, qui talia mandare libris est ausus contra Apostolicæ Sedis interdictum, quo nominatim notatus, et ambustus, pretium nuper abstulit intempestivæ, et immodicæ libertatis. Hac ergo prætermissa controversia, et ad arbitrium dilata Romani Pontificis, ut de Augustini loco isto, et utroque gratiæ genere, quoad licet, disputem; hoc in primis assevero, nihil in illo loco vidisse, nec auctorem dogmatis, et *patronum* Armacanum, nec hujus *libertum* Vincentium.

Augustinum docere illic asserunt quid universe gratia Christi parta meritis ab ea distet, quæ Adamo antequam peccaret, indulta est. Hoc ego contendo esse falsissimum. Non enim de quacumque Christi gratia ibi agit Augustinus: sed de sola perseverantia, sive perseverante gratia: quod ex tota illa disputatione facile constat. Nam capite decimo, quo illam utriusque gratiæ comparationem auspicatur, ita quæstionis statum exposuit: « Hinc exoritur alia quæstio, non sane contemnenda; sed in adjutorio Domini, in cujus manu sunt et nos, et sermones nostri, aggredienda, atque solvenda. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certe sine ullo vitio factus est rectus. » Itaque quæstionem proponit hujusmodi decimo in illo capite, utrum Adamus *gratiam perseverantem*, sive *perseverantiæ donum* acceperit. Cui respondet sic in eodem capite; nec eam primitus Adamum, neque angelos accepisse; sed eam illorum libero arbitrio Deum voluisse permittere; « ut in eorum vita prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. » Quare hominem initio condidit « in statu recto, ac sine vitio: » in quo « si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, acciperet merito hujusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem. » Igitur perseverantiæ donum non a Deo susceperunt angeli, sed per liberum suum arbitrium, quam acceperant a Deo gratiam, perseverantem fecerunt, quicumque ex illis in officio permanserunt. Adamus vero neque donum illud acceperit, neque perseverare in accepta gratia voluit.

III. Et capite 11. « Istam, *inquit*, gratiam

[1] Vinc. lib. 1. c. 24. p. 112.

non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, (quod perseverantiæ donum est,) sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, etc. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. » Ac subinde luculentius perseverandi gratiam, qualis Adamo, et angelis est data, sic exponit : « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem : in ea quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet : ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet ; quia non deerat adjutorium, per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset : sicut fecerunt angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi. »

Tum in fine capitis perspicue indicat gratiam perseverandi primo concessam homini, fuisse gratiam, cujus ope poterat non peccare, si tamen hoc vellet. Cum enim dixisset : « Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare : novissima erit multo major, non posse peccare ; » mox de utraque scribit sic : « Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere : novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere. » Quod et capite duodecimo diligentius inculcat, et causam etiam explicat, cur perseverantia in illo statu innocentiæ, libero hominis arbitrio permissa sit. « Ut ergo non acciperet, *inquit*, hoc donum Dei, id est in bono perseverantiam, primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, et bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium. » Quoniam igitur « fortis et sana voluntas erat primi hominis, » ut eodem capite postea dicit, ideo ejus arbitrio permissa est perseverandi potestas.

IV. At vero post Adami lapsum, perseverantia, quæ merces ante futura erat, facta est donum gratiæ. « Nunc autem per peccatum perdito bono, ait capite 11, merito in his qui liberantur (hoc est prædestinatis) factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. » Et in libro de Dono perseverantiæ, capite 7. « Non est hæc omnino, *inquit*, in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt ; fuerat in homine, antequam caderet, etc. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum ; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. » Quare potentior hominibus per Christum data gratia est, qua fieret, ut non solum perseverare possent, si libero arbitrio vellent ; sed ut perseverare vellent : « Proinde etsi non interim lætiore nunc, ait Augustinus [1], verumtamen potentiore gratia indigent isti. » Itaque [2] « tanto amplius datur adjutorium per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum, ac tale sit ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus ; verum etiam velle quod possumus. » Nam primus homo « acceperat posse perseverare, si vellet : sed non habuit velle quod posset ; nam si habuisset, perseverasset. »

Et in capite duodecimo, manifestius utriusque gratiæ discrimen exponit his verbis : « Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere ; datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur ; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur : non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. » Mox illius adjutorii, quod Christi donatur meritis, vim et efficaciam declarat, multo priore illo, quod Adamo tributum est, valentiorem : quia [3] « postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas, etc. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur ; et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, etc. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet : in-

[1] Aug. de Correp. c. 11.

[2] Ibid. — [3] Aug. ibid.

firmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissime nollent. »

V. Ex iis omnibus Augustini sententiis, quas hoc loco necessario descripsimus, illud aperte constat, quod demonstrandum suscepimus; non illic agere sanctissimum Doctorem de qualicumque Christi gratia, quæ vel reprobis, vel etiam prædestinatis tribuitur : sed de ea duntaxat, quæ prædestinatorum propria est, et primaria, nempe perseverantia, sive *adjutorio perseverantiæ*. De quo dubitare, vel rixari poterunt ii soli, qui aut Augustinum nunquam, nisi forte in Armacanorum scriptis, legerint : aut minus ab ea facultate parati sint, qua quæ legunt, intelligant, ac discernant. Etenim in illis tribus capitibus, quæ Vicentius designat, 10. 11. et 12. cum de adjutorio illo loquitur, ubique *permanendi*, ac *perseverandi*, et similia vocabula conjungit, quibus in suscepta gratia fortem et invictam ad usque finem constantiam significat. Ut cum in undecimo capite sic scribit : « Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, et perseveranter tenendo non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. » Et insigniter capitis initio duodecimi, *adjutoria* distinguens duo, unum *sine quo aliquid non fit*, quale datum Adamo est ad perseverandum : alterum *non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur*, cujusmodi est, quod per Christum obtinetur; prioris exemplum ex alimentis repetit. Nam « sine alimentis non possumus vivere, *inquit*, nec tamen, cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. » Posterioris autem exemplum ducit « ex beatitudine, quæ cum data fuerit homini, continuo fit beatus : » quod genus causæ *formale* dicitur, cum applicatione rei denominantis subjectum tale denominatur. Hujusmodi esse *donum perseverantiæ* per Christum concessum adstruit, quo *perseverantia ipsa donatur*. Verba ipsa proxime ante descripsimus[1] : ex quibus certissime constat, *adjutorium illud quo*, non aliud esse gratiæ genus, quam perseverantis, et electorum propriæ, quod et cetera capitis istius ostendunt : tum quod, absoluta illa disputatione de adjutoriis, in decimotertio capite posuit, quod sic exorsus est : « Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei; » ac deinceps de prædestinatis reliqua pertexit.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

1. Pergitur in illustrando loco illo S. Augustini. — 2. Non pertinere ad quamcumque Christi gratiam. — 3. Qui differat Christi gratia ab ea, quæ data est Adamo : ac primum exponitur cujusmodi hæc fuerit : tum qualis Christi meritis parta.

I. Neminem equidem paululum intelligentem arbitror fore, quin, si attente illa considerare velit, quæ sunt antecedenti scripta capite, consequens ex iis mecum esse sentiat; ad solum perseverandi adjutorium Augustini verba illa spectare. Ut cum duo illic inter se comparentur auxilia gratiæ; alterum, quod est parenti primo datum, jure appelletur id, sine quo perseverare nullo modo posset : (2 « Si enim hoc adjutorium vel angelo, vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. » Adjutorium quippe « defuisset, sine quo manere non possent. ») Alterum autem tale esse statuatur, non modo sine quo perseverari nequeat; verum etiam quo fit, ut omnino perseveretur. Perseverantiæ quippe donum, quia solis ad vitam æternam prædestinatis convenit, ejusmodi esse constat, ut quibuscumque datur, ii non modo possint perseverare, si velint : sed etiam quod possunt, *actu*, et reipsa velint : non ulla voluntati adhibita necessitate, sed certa, et *infallibili*, ut Scholastici loquuntur, efficacitate ac potentia gratiæ, qua « indeclinabiliter, et superabiliter aguntur, »

[1] § 4. quæ sunt, *Primo itaque homini*, etc.

[2] Aug. de Correp. c. 12.

ut scribit Augustinus [1]. Quod ab eo fit, qui, quod idem asserit [2], « sine dubio habet humanorum cordium quo placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » Cujus gratiæ [3], « quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, (nempe qui a Patre docentur, et audiunt, ut ad Filium veniant *secreta* quadam *gratia*, et prædestinati sunt, ut ubidem docet,) a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur ».

II. At Vincentius magistri sui vestigia persequens, Augustini verba illa, quatenus *adjutorium quo fit* exprimunt, ad omnia spectare volunt præsidia gratiæ Christi, etiam nullo, ut in reprobis, continuata perseverantiæ dono : vel ab eo nonnullis disjuncta et interrupta peccatis, ut in electis, ac prædestinatis nonnunquam accidit. Quæ illorum ratio ab Augustini sensu, ac sententia mirum quantum recedit, non minus quam ab fide, ac regula catholica. Hinc illud absurdum, et hæreticum commentum, qui est novæ sectæ velut character; nullam in rerum natura esse gratiam, quam *sufficientem* vocant, quæ ab *efficaci* distincta, culpa hominis irrita sit, et effectu careat: sed omni penitus gratiæ Christi fructum suum constare, nec eam ab ullo pulsantem respui. Quæ omnia, et his connexa, et consentanea paradoxa, quibus ecclesiastica pax et concordia paucis abhinc annis labefactari cœpit, ex uno illo perperam et contra mentem auctoris accepto Augustini loco propagata sunt. Quod quidem ostenti instar habendum, ac prodigii mihi videri solet. Quis enim non obstupescat, aut non manifesta divinæ iræ significatione contigisse putet, quod hoc tempore videmus, homines in ceteris minime contemnendos, adeo futili argumento, quod ex falsa unius loci interpretatione traxerunt, in tantam esse pravitatem erroris redactos ?

Equidem non te arbitror, Vincenti, tam pervicaci, et obdurato fore animo, quin postea quam de Augustini sententia illa quæ a nobis hic scripta sunt paululum tranquilla, et sedata mente perpenderis; aut, temere susceptam opinionem retexas : aut, si hoc impetrare abs te non potes, minus deinceps caleas in istis jactandis, et inculcandis næniis, quarum ruinas, unica illa, qua hucusque sustinetur, fultura subducta, videris.

III. Nam quod periisse dicis discrimen omne [4], « quod inter gratiam stantis, et lapsi hominis intercedit, si Deus homini lapso gratiam sufficientem reddere debet, qualem primus homo habuit, » vehementer erras : neque quid sit gratia, tum universe, tum Adami propria, satis intellexisse videris.

Adamus in pristino illo statu innocentis vitæ duplici a Deo vallatus est genere gratiæ; altero exteriori ; altero interiori, et animum afficiente. Horum primum, quatenus peculiariter illi tributum est, bonorum omnium, atque commodorum larga erat, affluensque copia : tum præcipua quædam Dei tutela, et providentia, illud omne removentis, prohibentisque, quod animi pacem, ac quietem, et salubritatem corporis, ac perennem amœnitatis jucundissimæ fructum interpellare posset. De hoc genere gratiæ loquitur Augustinus, cum sic scribit [5] : « Quid ergo ? Adam non habuit Dei gratiam ? Imo vero habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona et ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. » Ad hanc gratiam pertinet animi dominatus in corpus, ejusque sensus et appetitus longe perfectissimus, ex quo summa *felicitas* oriebatur [6], et *non peccandi facilitas*. Cum [7] « nulla rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace frueretur. »

Secundum gratiæ genus partim stabile ac permanens fuit, partim fluxum ac transiens. In priore ponenda est *bona voluntas*. « In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, » ait idem Augustinus [8]. Hæc illa est *originalis justitia*, ex omnium virtutum, fidei cumprimis, spei, et charitatis, tum ceterarum, quæ in mente, aut voluntate resident concursu, concentuque collecta. Ad posteriorem, *actualis*, ut vocant, illapsus gratiæ, inspirationesque pertinent, « et omnis illuminatarum mentium pius motus, » ut loquitur auctor epistolæ ad Demetriadem, quæ inter Ambrosianas extat [9], « et quidquid visorum suasionibus agit etiamnum Deus ut velimus, non solum extrinsecus, sed etiam intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem ; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est, » ait Augustinus [10]. Hic autem interior afflatus gratiæ, vel sola mentis illuminatione constabat: vel etiam voluntatis permotione, quam sua-

[1] Ibid. — [2] Ib. c. 4. — [3] Aug. de Præd. c. 8. — [4] Vinc. lib. 1 c. 24. pag. 112. — [5] Lib. de Correp. c. 11. — [6] Ib. c. 12. — [7] Ib. c. 11. — [8] Ib. — [9] Ep. 33. col. 270. — [10] Aug. de Spir. c. 34.

vitatis cujusdam ad recte agendum occuparet illecebra. Nam utrumvis dici probabiliter potest.

IV. Nunc autem, post primi parentis culpam, partim eadem, partim diversa suppetunt adjumenta gratiæ. Ac primum illud externæ providentiæ, quod beati, et incorrupti status proprium fuit; eo interrupto, velut fractis tubulis e fonte saliens aqua, suppressum penitus exaruit. Itaque malis omnibus, et incommodis, quorum vis hactenus compressa fuerat, circumsideri mortale genus, infestarique cœpit; ut per ærumnas, erroresque multiplices infelix, et animi corporisque cruciatibus referta vita traheretur. His sublevandis, et ad salutarem exercitationem dirigendis, impensior, et, ut humano more loquar, vigilantior adhiberi cura debuit. Ea partim externa gubernatione, partim interioris auxilio gratiæ, ut in Adamo, continetur. Sed utramque copiosiorem, ac vegetiorem, imbecillitas hominis major, et superandorum malorum, per quæ ille volvebatur, difficultas postulabat. Interiori certe, cujus in intellectum, ac voluntatem officia partita sunt, nova operæ facta est accessio; cujusmodi pristino in statu nulla fuit. Nam ad concupiscentiæ insitam ægritudinem curandam, ac violentos ejus retundendos impetus, præsentius remedium, et robustiorem, quam ante, vim adhibere illam oportuit. Hinc *medicinale Salvatoris auxilium* ab Augustino vocatur [1]: et [2] *liberatrix gratia*, et [3] *medici gratia*, et [4] *opitulatio Salvatoris;* tum *victrix*, et *victoriosa;* et aliis vocabulis appellatur, quæ conflictum, et molestam, ac laboriosam operam significant. Verum de hac medicinali gratia, et ejus efficientia; tum quemadmodum ab ea discrepet, quæ est innocenti adhuc Adamo concessa; non est istius loci, institutique disserere: nec ea repetere placet, quæ super hoc argumento latius explicavimus [5], adversus Armacanam scholam; quæ Vincentius ne littera quidem attigit, cum in minutis quibusdam exagitandis nimius, et odiosus fuerit.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Errata Vincentii deinceps collecta per saturam. — 1. Possibilitatis gratiam negat esse gratiam Christi, idque ipsum refellitur. — 2. Ejusdem mendax calumnia de Molina, Lessio. Et de Petavio.

I. Dudum laboris istius, et inquisitionis in tuam, Vincenti, theriacam, piget: ac diu est, quod de exodio cogito. Infinita sunt omnis generis errata opere in isto tuo, quod præ manibus habeo, quæ si singillatim excutere velim, ac de unoquoque, pro eo ac meretur, et tua ratio postulat, dicere, ultra modum hæc lucubratio procedet. Itaque, quod superest, nonnulla per saturam in hoc caput, et sequentia hujus libri conjiciam abs te peccata, in illa, qua de postremo tecum agere institui, enucleanda gratia.

Scribis [6] *gratiam possibilitatis*, quæ ex Christi meritis datur, ad divina præcepta servanda, Pelagianam esse gratiam. Hoc nimirum est, quod vos falso certe Catholicis exprobare soletis; adjutorium illud, quod homini bonum ut velle, vel agere possit, necessarium prædicant, non esse Christi gratiam: sed hoc solum, quo re ipsa, et actu volunt, aut faciunt. Pelagius *possibilitatem* ad bene agendum necessariam, solam naturalem facultatem esse dicebat, hoc est liberum arbitrium; et eam esse gratiam interpretabatur, quam Scripturæ prædicant: ut in libro de Natura et gratia Augustinus affirmat [7], Qui et fatetur se, cum « Dei gratiam, sive adjutorium, per quod esse homo absque peccato potest, » apud Pelagium legisset, « lætitia repente perfusum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam homo justificari potest. » Sed postea deprehendisse, gratiæ, ac possibilitatis nomine solum intelligi ab eo liberum arbitrium cum legis notitia. Non dubitaret igitur Augustinus veram Christi

[1] Aug. lib. de nat. et grat. c. 34. — [2] Id. ep. 105. — [3] Id. de nat. et grat. c. 39. — [4] Ib. c. 42.

[5] To. 1. lib. 10. c. 26. et seq. nec non to. 3 lib. de hær. Pel. — [6] Vinc. lib. 1. c. 24. p. 112. et 113. — [7] Cap. 10. et 11. et 40.

gratiam in *possibilitate* illa consistere, si eam in *charitate*, hoc est in illuminatione mentis, et voluntatis permotione collocaret Pelagius : uti passim tum in illo libro, tum in eo qui est de Christi gratia, aliisque demonstrat : quam appellat [1] « inspirationem flagrantissimæ, et luminosissimæ charitatis. »

Hanc vero nos, aliique, quibus conviciaris, κεκραγὼς καὶ δίκαια, κἄδικα, illam, inquam, gratiæ possibilitatem, quam Augustinus in Pelagio desiderabat, ut plane catholicus esset, Molina, Lessius, ceteri, quos Armacani immerito vellicant, agnoscunt, ac prædicant. Quid te vero scientem attinet, falso illos crimine traducere, cum ex illorum omnium scriptis facile refellatur ?

II. Nam quod Molinam asseris [2], « aliam in homine lapso, quam S. Augustinum, libertatem finxisse, quæ gratiam, ut domina pedissequam, ducat ; » tam verum est, quam quod alibi occinis, illum eumdem, male abiisse ex eo judicio, quod de illius opinione Romæ est habitum. Quam ineptam, commentitiamque fabulam validissime confutavit doctissimus theologus R. P. Petrus a S. Josepho ex Foliantinorum familia, in eo libro, quem de hoc argumento nuper edidit, ac *de Theologia hujus temporis* inscripsit. Ejusdem genii [3], et aliquanto etiam minus considerata est P. Leonardi Lessii criminatio, quod in quadam precatione ita scripserit [4], « Posuisti, Domine, omnia in arbitrio nostro, perinde ac si solis naturæ viribus regnum obtinendum esset. Justificati enim per gratiam tuam, non minus facile in justitia accepta perseverare, et legem divinam implere possumus, quam hominibus politicis per naturam facile est justitiam politicam externamque in se tueri, et legem civilem implere. » Exclamat ad hæc Vincentius, ac personæ, quam sibi imposuerat, et *lenitatis* oblitus : « Sempiterne Deus, *inquit*, qualis est ista precatio ! » Tu vero quid habes quod in ea reprehendas ? « Quomodo igitur, *inquis*, homo justus tam instanter orat sibi dari quod Deus jubet, si sic in arbitrii sui manu illud teneat ? » At, ὃ πέπον, num divinæ gratiæ præsidium excludit Lessius, et in *solius arbitrii sui manu* positam esse legis observantiam, aut in accepta justitia perseverantiam dixit ? Nonne *per gratiam* ait facilitatem istam, et perseverandi potestatem suppetere ? Quinetiam proxime ante illa quæ descripsisti verba, ea posuit Lessius, quæ subdole abs te suppressa sunt. « Jussisti nos, ait Lessius, esse securos ex parte tua præparato nobis auxilio, quo certissime justitiam retinebimus, et salvi erimus, nisi per nos steterit, nisi auxilium oblatum neglexerimus, et tuæ nos gratiæ subtraxerimus ; » tum illa pertexit ; *Posuisti, Domine, omnia*, etc. Amabo te, Vincenti, ecquid iniquissimæ accusationis, et quiritationis illius pudet ? An tu negare potes, in nostra esse potestate uti *præparato nobis* ad perseverandum *auxilio*, et quo minus id fiat, vitio nostro, non adjuvantis gratiæ contingere ? Nam quod indigne fers dixisse Lessium, eadem aspirante gratia, « non minus facile esse homini justo, legem Dei æternam, quam homini politico legem civilem externam implere ; » quam hæc absurda sit querela, non vides ? Ecce tibi gloriatur propheta David [5] se legem Dei *super aurum, et topazion* diligere ; eam *melle ac favo* dulciorem sibi videri : in ea non ambulare, sed currere se dilatato per charitatem, et gratiam corde. Quæ potest observandæ legis major esse facilitas, quam in eo homine, qui in illa se non passibus incedere, sed cursu properare testatur ? Plus aliquid etiam pollicetur Isaias [6]. *Qui sperant*, inquit, *in Domino mutabunt fortitudinem : assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt : ambulabunt, et non deficient.*

III. Par est indoles expostulationis illius de nobis, quod scripserimus [7], « eos, qui efficientiam gratiæ proxime in solam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant, procul a Pelagiani, vel Semipelagiani contagione erroris abesse. » Adderes, quæ ibidem adscripsimus, « dum ita necessariam illam esse statuant, ut sine ea præveniente, homo credere, sperare, diligere, aut pœnitere non possit sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur : ut Tridentini Patres loquuntur [8] ; » quæ tu more tuo detruncasti.

Hac quidem sententia non video quid dici verius possit. Nihil enim velle possumus, nisi prius mente cognitum perceptumque sit : quæ perceptio illuminatione aliqua fit : qui primus medicinalis est gratiæ fructus, quo intelligentiæ cæcitas radiantis veritatis luce discutitur.

[1] Lib. de grat. Chr. c. 35. — [2] Vinc. lib. 1. c. 16. p. 71. — [3] Vinc. in Præf. ad Lect.

[4] Less. in Præc. sect. 7. de Præd. — [5] Ps. 118. — [6] Isa. c. 40. 31. — [7] Lib. de hær. Pel. c. 10. § 15. — [8] Sess. 6. can. 3.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

1. Vincentii error, et falsa interpretatio loci cujusdam Augustini de Correptione et gratia, et aliorum in quibus de *auxilio sine quo non* et *quo* agitur; tum de *possibilitate*. — 2. Possibilitatem recta agendi, gratiam esse, negat Vincentius : idque refellitur. — 3. Idem gratiam primi hominis naturalitatis aliquid habuisse dicit. — 4. Quod in Michaele Baio damnatur.

I. Dixi [1] te in Augustini loco illo, qui est in libro de Correptione et gratia, mirandum in modum hallucinari. Tu [2] *auxilium sine quo non*, de quo illic agitur, cum *possibilitate*, vel *possibilitatis gratia*, de qua in libro de Natura et gratia disserit idem Augustinus, sine ullo discrimine permisces. Sed erras, Vincenti. Auxilium illud *sine quo non*, quod in libro de Correptione et gratia, capite undecimo ponitur, est adjutorium Adamo datum, quatenus ad perseverantiam refertur, et cum ea comparatur. Hoc autem potissimum Augustinus in statu illo innocentiæ, ejusque propriis adjumentis collocat; in quibus creatum esse primum hominem docet; et quibus cum perseverare, si vellet, poterat; non autem sine illis poterat. His autem opponit multo certiora, et effectu nunquam frustranda subsidia gratiæ, quæ ad perseverandum, electis per Christum subministrantur ; quæ tam efficacia sunt, ut non solum *perseverandi possibilitas* per ea, sed etiam *perseverantia* ipsa donetur. Igitur *auxilium sine quo non*, quatenus ab *auxilio quo* distinguitur, est gratia perseverandi, sed non *infallibilis*, ut vocant. Auxilium vero *quo* est eadem gratia, quatenus *infallibilis* est. Eadem porro est utrobique gratia, si naturam ipsam spectemus, et quam scholæ nuncupant *physicam entitatem*. Hæc autem vocabula, *sine quo non*, et *quo*, præcise qua ad *perseverantiam* ordinantur, auxiliis gratiæ tribuit Augustinus.

At idem contra Pelagium disputans in libro de Natura et gratia, *possibilitatem* appellat, et considerat, qua est Christi gratia : quemadmodum et in libro, quem inscripsit de gratia Christi, aperte significat. Nam in illis libris veram bene agendi possibilitatem, cum falsa, et Pelagiana contendit : quam in sola naturali facultate hæresis ista statuebat, si de absolute necessaria loquimur. Augustinus vero in fide et charitate, sive in *illuminatione intellectus*, et pia motione voluntatis; quæ est Christiana *possibilitas* : cui si libere assentimur, cum *dissentire possimus*, ut ait Tridentina synodus, *possibilitati* effectus adjungitur; sin autem oblatum illud auxilium respuimus, *in vacuum illam Dei gratiam recipimus*, ut Apostolus loquitur [3].

II. Cujus vero frontis est, negare possibilitatem recte agendi esse gratiam Christi [4]? Nonne Christus ipsemet contrarium docuit, cum Apostolus dixit [5], *Sine me nihil potestis facere?* Apostolus item ad Corinthios ita scribens [6], *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est*, quid aliud quam bene inchoandi *possibilitatem* significat?

Augustinus quoque [7], « Non erat, *inquit*, in potestate tua, ut non nascereris ex Adam : est in potestate tua, ut credas in Christum. » An non *potestas credendi in Christum*, ab hoc ipso est, sine quo nihil possumus? Aut cum alibi dicit [8], « in potestate hominis per Dei adjutorium positum esse, ut non consentiat Satanæ : » estne ut citra Christi gratiam *possibilitas* illa consistat? Rursus in libro secundo de actis cum Felice Manichæo, capite quinto, « Qui legem, *inquit*, servare non vult, in potestate ejus est, si velit. » Itane *possibilitas* illa *servandæ legis*, a natura est, aut aliunde, quam ab adjutorio gratiæ Christi? Sed reliqua porro flagitia videamus.

Ait Vincentius [9], « gratiam primi hominis aliquid naturalitatis admixtum habuisse, ut secundum divinæ sapientiæ, et bonitatis regulas, naturæ humanæ recenter conditæ, et adhuc innocenti quodammodo deberetur. » En portentum Armacanæ Theologiæ. Gratia Adamo concessa « non fuit mera gratia, sed naturalitatis aliquid habuit, quia naturæ humanæ quodammodo debebatur. » Cur tandem, aut quo nomine debebatur? « Cum enim imago Dei, *inquit*, intellectu, et voluntate prædita, naturales creatoris sui leges, quas observare debet, impressas a natura habeat, et tamen sine gratuito Dei adjutorio eas observare nequeat,

[1] Vide sup. c. 23. — [2] Lib. 1. c. 24. p. 112. et 113. — [3] 2. Cor. 6. 1. — [4] Vinc. 16. p. 113. — [5] Joan. 15. 5. — [6] 2. Cor. 3. 5. — [7] In Ps. 70. p. 307. B. — [8] Hom. 22. lib. 50. hom. — [9] P. 433.

debuit hoc sapientiæ suæ Deus, (ne naturam deformem, et quodammodo mancam relinqueret,) ut necessario divinæ gratiæ adjutorio imaginem suam roboraret.» Quid hac ratiocinatione futilius? Ergone quidquid divinæ sapientiæ convenit, aut bonitati, aut quoquomodo rationi consentaneum est, id si faciat Deus, ac creaturis præstet, gratia non erit, eo quod naturæ sit illarum quodammodo debitum? Si hoc argumenti genus tolerabile est, ac vel tirone, non dicam Theologiæ, sed institutionis Christianæ dignum; liceat impune gratiæ esse negare, quod Dei unigenitus Filius pro peccatoribus est crucifixus. Hoc enim divinæ sapientiæ suæ, ac bonitati debebat. Quam multa sunt a græcis, latinisque dicta Patribus, cur hominem diaboli fraude deceptum, ab eo liberari æquum, ac justum fuerit, a quo fuerat ante procreatus! Quod et sapientiæ, ac bonitatis et æquitatis cujusdam, justitiæque fuisse prædicant: «ut incommutabilis Deus, quod ait S. Leo[1], cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non peccaret.» Innumera sunt tum ab eodem Leone, tum ab aliis ad idem argumentum graviter copioseque disputata, dum hoc explicant, cur interfuerit divinæ sapientiæ, ac potestatis, quæ est Dei Filius, ac Λόγος omnium conditor, pristinum in statum revocare genus hominum suapte culpa, et insidiis Satanæ dejectum ac perditum; præsertim cum ad imaginem Dei conditus, ab imagine ipsa, quam esse Dei Filium interpretantur, instaurari debuerit. Addunt et de modo liberandi, ac redimendi non pauca; ut justitiæ divinæ fuisse probent, non vi hominem, et potentia, sed ratione, et æquitate, sine dominantis injuria vindicare. Hæc et alia id genus infinita, ex Vincentianis principiis, non sunt gratiæ beneficia; quoniam sibi, id est sapientiæ bonitati justitiæque suæ Deus ista debebat, ut deformatam imaginem suam, et creatoris sui legibus obligatam, ad has ipsas exequendas *necessario divinæ gratiæ adjutorio roboraret.*

IV. Hanc opinionis porro pravitatem hausit Vincentius ex cœno damnatarum propositionum Michaelis Baii in eadem academia Lovaniensi, in qua personatus hodie Gallus Arausicanus docet, professoris quondam regii. Nam inter propositiones a Pio V. Romano pontifice notatas, et Gregorii XIII. ac demum Urbani VIII. decretis eidem censuræ subjectas, octava ex libro primo Baii, de meritis operum, capite quarto decerpta, sic habet: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

Augustini vero locus ille[2], quem Vincentius affert, nihil ad rem attinet. Non enim ex eo, quod adjutorium divinum angelis, vel homini necessarium fuit, idcirco debitum illis fuit, vel gratia propterea esse desnit: cum stirps, et radix necessitatis illius, ex liberali et gratuita Dei beneficentia repetatur, qua illos ad eorum naturæ minime debitam conditionem attollere voluit, quæ tale requireret opitulatricis gratiæ subsidium. Quod autem non omnis ratio *debiti* cum *gratiæ* proprietate pugnet, luculenter disserit S. Thomas in prima parte Summæ theologicæ, quæstione 21[3].

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Falsa argumentatio Vincentii diluitur, quam contra Catholicos instruit, de gratia Adamo data, et Christi meritis parta.

I. Eadem Augustiniani loci παρερμηνεία densissimas offudit erroris tenebras Arausicano Vincentio[4], dum pro magno absurdo catholice sentientibus theologis objicit, horum ex sententia sequi, adjutorium olim Adamo datum, Christi esse beneficio restitutum. Adeo peregrinus est in trita, pervagataque re, in quam tot antiquorum dicta consentiunt: Chri-

[1] Serm. 2. de Nativ. — [2] Lib. de Chr. et grat. c. 11. — [3] Art. 1. ad 3. — [4] P. 114.

stum Dominum ea recuperasse, ac repræsentasse nobis, quæ in Adamo perdidimus : velut fidem, spem, charitatem, justitiam, et quæ generali vocabulo *gratiæ* continentur : quatenus eorum capax est secundus, ad quem irrevocabili decreto sumus addicti, collapsæ naturæ status. Quanquam, ut capite tertio ac vicesimo dixi, longe sit uberius, ac potentius gratiæ præsidium Christi nobis meritis acquisitum : præsertim quod ad perseverandum datur. Nam quibus conceditur, ii non modo perseverare possunt, ad idque gratiæ auxilio juvantur, sine quo non possent ; sed eo ipso fit, ut revera perseverent. At in statu innocentiæ, non tale est Adamo tributum, quo perseveraret, sed quo perseverare posset. Eidem in ceteris, quæ citra perseverantiam recte aliquando gessit, ejusmodi suppeditatum est auxilium, non modo sine quo non posset agere, sed etiam quo reipsa honeste, et laudabiliter ageret. Si enim hoc defuisset, in accepta bona voluntate neque vel brevissimo illo tempore, quo in potestate fuit creatoris sui, manere posset, neque reipsa mansisset.

II. Atenim, pergit Arausicanus Lenis [1]; « Si homini lapso, qui naturæ humanæ legibus adhuc astringitur, Deus gratiam sufficientem reddere debet, eo ipso, quo homo leges illas servare tenetur, et earum prævaricatio ei imputari potest ad culpam : ergo non magis homini lapso, quam primo homini, salvatore est opus, cum divina æquitas, pergens naturam lapsam ægramque creare, non minus debeat gratiam sufficientem illi superaddere, quam olim condens naturam stantem et sanam in primo parente. Quid ergo opus incarnatione, et cruce Christi, si gratia ad salutem sufficiens debuerit homini lapso, isto alio titulo dari? Unde nec gratia ista erit mera gratia. Sed quodammodo naturæ lapsæ debita ; perinde ac olim fuit debita innocenti. » Hæc Vincentius. Contra quæ illud opponimus, quod antecedenti jam dictum est capite : neque sufficientem gratiam innocenti datam Adamo, ad eam servandam naturæ legem, qua erat obligatus, *debitam fuisse,* vel *naturalitatis aliquid habuisse;* nec eam, quæ post lapsum primi parentis, homini sufficitur; quod falso putat Vincentius, sed utramque meram esse gratiam, mereque gratuitum beneficium : quod ex sola bonitate, ac misericordia profectum est. Posteriorem vero, de gratia et gratuita, liberalique donatione haud paulo plus habuisse, quam alteram Adamo præstitam : quod de ingrato, et inimico bene mereri, majoris est beneficentiæ, quam de amico, et eo, qui te nulla injuria violarit.

Atqui nemo sine idoneo gratiæ subsidio legi, qua tenetur, obsequi potest, ait Vincentius. Succurrendum igitur illi erit a Deo, qui hanc homini necessitatem observandæ legis imposuit : ut non liberalitatis, et gratiæ, sed officii ac debiti sit necessariæ opis illa tributio. Succurret sane Deus, neque susceptas a se partes deseret gratuitæ, ut jam dixi, benignitatis : sed ita profecto, ut si vellet, sine ulla cujusquam injuria negare posset.

III. Peccaret ergo, instant rursus Armacani, et quidem in eo, quod in potestate sua non haberet, idque *illi imputaretur ad culpam.* Hoc telo potissimum in nos *ferox et masculus* ille Vincentius [2], ut ejus verbis utar, impetum facit. Verum puerilis hæc petitio levi declinatione sic a nobis eluditur. Finge hominem idoneo destitutum auxilio gratiæ : legis hic quidem exequi mandata non poterit : et in eo peccati aliquid admittet, quod etsi naturale præceptum implere, saltem, utcumque potest, gentilium philosophorum more conetur, careat hic illius voluntatis impetus *rectitudine*, ut vocant, ea, quæ abesse non debet, ut ad Deum referatur. Itaque peccatum id quidem erit, hoc est defectus aliquis: qui tamen minime ad culpam imputabitur, nec ad reatum; quo pœna committitur.

Plurimum autem *peccatum* inter, et *culpam* interest; quod, quia nescire videris, Arausicane Vincenti, disces a principe theologorum, qui in prima parte secundæ, quæstione vicesima prima, articulo primo et secundo, necnon in opusculo secundo, quod est Theologiæ compendium, capite centesimo vicesimo, erudite ac diserte illud exposuit.

[1] P. 115.

[2] Vinc. l. 2. p. 106.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Non omne peccatum esse culpam, ac quid inter ambo hæc intersit : quod ex S. Thomæ, tum S. Augustini auctoritate comprobatur.

I. Quamvis ad finem lucubratio hæc nostra festinet, nondum tamen stilum avocare possum ab hoc loco, qui præcipuam Armacanæ sectæ, ac Vincentio erroris ansam obtulit. Itaque de peccati, et culpæ differentia summatim ea perscribam, quæ S. Thomas in iis, quos commemoravi, libris explicavit. Scribit ille [1] primum, latius malum patere, quam peccatum : sicut et bonum, quam rectum. « Quælibet enim privatio boni in quocumque constituit rationem mali. Sed peccatum proprie consistit in actu, qui agitur propter finem aliquem, cum non habet debitum ordinem ad finem illum : » qui ordo *rectitudo actus* dicitur. « Quando autem a rectitudine talis actus aliquis recedit, tunc incidit ratio peccati. In his vero, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana; regula autem suprema est lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem, secundum ordinem rationis, et legis æternæ, tunc actus est rectus : quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. » In articulo deinde secundo, sic scribit : « Sicut malum est in plus, (id est latius patet,) quam peccatum; ita peccatum est in plus, quam culpa. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis, vel laudabilis, quod imputatur agenti. Nihil enim est aliud laudari, vel culpari, quam imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus. » Ex quo concludit, « rationem laudis vel culpæ in solis actibus voluntariis constitui, in quibus idem est malum, peccatum, et culpa. » Ceterum *voluntarium* hic sanctus Thomas *perfectum voluntarium* appellat : quod idem est cum *libero arbitrio*: eoque solo in potestate, ac dominio actus suos habere voluntas dicitur, ut ex eodem supra demonstravimus [2]. Quare ut non omne malum est peccatum, sic nec omne peccatum est culpa : sed hoc solum, quod ex voluntate, id est libero arbitrio, et electione committitur. Potestque peccatum dici actio quælibet, quæ « ad ultimum finem non refertur, » ut idem S. Thomas ostendit [3], eoque ipso deficit : nec tamen imputatur in culpam, nisi ex deliberatione, et libera voluntatis electione procedat.

II. Rursus in compendio Theologiæ, capite 119. *malum* universe ait esse *privationem, et defectum;* idque spectari dupliciter : primo « secundum quod in natura sua consideratur; ut cæcitas est quoddam malum animalis : » deinde « secundum quod per actionem ordinatur ad finem : atque hoc modo malum actionis ad aliquem finem ordinatæ, ad quem non debito modo se habet, peccatum dicitur, tam in voluntariis quam in naturalibus. Peccat enim medicus in actione sua, dum non operatur convenienter ad sanitatem; et natura etiam peccat in sua operatione, dum ad debitam dispositionem, et formam rem generatam non producit; sicut cum accidunt monstra in natura. » Mox capite 120. de *defectibus*, quos *morales* nominant, agit : et in iis peccatum versari docet. « Si igitur in actionibus non voluntariis, *inquit*, ordinatis ad finem defectus accidit, peccatum tantum dicitur. Si autem in voluntariis, dicitur non solum peccatum, sed culpa, eo quod agens voluntarium, cum sit dominus suæ actionis, vituperio dignum est et pœna. »

Atque hoc præstantissimus ille theologus ex magistri sui S. Augustini doctrina tradidit. Hic enim peccatum a culpa differre non obscure indicat : ut in libro de Perfectione justitiæ, capite sexto, « ideo esse culpam hominis » dicit, « quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit. »

III. Sic in libro primo Retractationum, capite 15. « Qui nesciens peccavit, non incongruenter, *inquit*, nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, etc. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non

[1] In 1. 2. qu. 21. art. 1.

[2] Cap. 3. et 5. — [3] Ib. art. 4.

voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit : hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, utique volens peccat. » Ibi peccatum aliud a nolente factum, et nesciente constituit; aliud a sciente, et volente. Prius est peccatum, sed culpæ, ac reatus expers : posterius habet utrumque. Nam et *fit quod non debuit*, in quo peccati ratio consistit : et quia sciens volensque fecit, reus est supplicii : ideoque culpa dicitur, non alterum, quod est tantummodo peccatum.

Sciendum est autem duabus rebus constare peccatum proprie dictum; quorum alterum Augustinus actum nominat; alterum, reatum. *Actus* est, quem defectum vocant, sive aberrationem ab regula, quæ est recta ratio, quam Græci ἁμαρτίαν nuncupant. *Reatus* est obligatio, qua quis ob crimen admissum luendæ pœnæ est obnoxius. Utrumque cui convenit, *culpa* dicitur. Nam sola hæc ut vituperationem, ita pœnam meretur. Quod autem prius tantummodo continet, peccatum, non culpa nominatur. Itaque concupiscentiam per baptismum remitti in *reatu*, et manere in *actu*, affirmat Augustinus [1]. In nondum regeneratis et actu, et reatu manere. Ideo peccatum in his, non culpa, vocatur ab Apostolo [2]. Quippe hæret adhuc in illis originale peccatum; propter quod « non proprietate voluntatis, sed origine reos teneri » ait Augustinus [3]. Qui et hoc universe verum esse dicit, quod adversus Manichæos in libro de Duabus animabus scripserat; « Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis, et insaniæ est : » adeoque peccato etiam originali convenire; « quia ex ejus origine tenentur rei parvuli, qui non fecit quod facere potuit, divinum scilicet servare mandatum. » Quare peccatum originale, antequam regeneratione solvatur, vera culpa censetur, « quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero et ad faciendum, et ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat. »

IV. Cetera, quæ vel ab ignorantibus fiunt, vel quoquo modo voluntarie, id est libere, non agentibus, peccata sunt, non culpæ, quia nemo ob id pœnam commeruit, quod nesciens fecit. Itaque sive fidelis, sive infidelis, opus aliquod ab recta ratione deficiens admiserit, quod ejusmodi esse nesciret, peccatum fecit, quod culpa non est; nec imputatur ad pœnam : quemadmodum de Abimelecho rege Geraræ Scriptura refert [4], qui uxorem Abrahami Saram, *ignorans, et justus*, hoc est nulli ob id affinis culpæ, quod uxorem esse nesciret, abduxit : Deo insuper *justum* illum, et *innocentem* in ea re fuisse pronunciante. Quæ quidem *imprudentia, et ignorantia*, peccatum simul, et pœna fuit originalis peccati : sed culpæ, uti dixi, ac reatus expers fuit.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

1. Vincentii et Armacanæ sectæ falsa opinio; in eo etiam, quod necesse est, et vitari non potest, adultos homines esse culpabiles. — 2. De gratia sufficiente, quæ aliquot Augustini testimoniis adstruitur.

I. Huic Augustini, et S. Thomæ, imo catholicæ fidei decreto obnuntiat Armacani patroni libertus Frodomondus; cujus tanta est severitas, ut ob illa etiam peccata, quæ vitari non possunt, et ob mandatum qualecumque prætermissum, quod observatu erat impossibile, culpam et reatum sempiterni supplicii miseris hominibus infligat. Etenim sine gratia Christi nihil recte fieri, neque legi naturali, ac divinæ obtemperari posse, prorsus existimat. De hoc autem adjutorio gratiæ duo quædam asserit ex patroni sui doctrina : alterum [5], nullam, nisi effectum habeat, gratiam esse Christi : quod *auxilium quo fit*, appellat : auxilium autem *sine quo non fit*, quam *sufficientem gratiam* vulgo nuncupant, non esse

[1] Lib. 2. cont. Jul. c. 3. — [2] Rom. 7. — [3] Lib. 1. Retr. c. 15. [4] Gen. 21. — [5] Vinc. lib. 1. c. 24. pag. 112. et seq.

Christi, vel novi Testamenti gratiam. Alterum[1], non omnibus etiam Christianis, Christi gratiam suppetere ; quod et inde consequens esse res ipsa per sese docet. Cum enim non solum infideles, sed etiam Christiani, innumera, et atrocia quotidie peccata committant, necesse est ex Armacanis illis duobus effatis, Christi eos gratia caruisse, nec adjutos ad illa esse vincenda irritamenta cupiditatis : quam, si adjuti essent, procul dubio superassent : quoniam adjutorium illud nunquam fructus suus, et effectus destituit. Plectetur itaque morte perpetua, et æternis suppliciis addicetur, qui justus exequi, quod impossibile sibi erat, (de grandioribus loquor, ne quis parvulos importune hic admisceat,) ob idipsum minime est obsecutus. Non capit humanus animus crudelitatem ac barbariem tantam : quæ eo repudianda magis est, quod immerito sibi auctorem inscribit Augustinum : quem quidem ab hac contagione longe remotum fuisse, cum illa, quæ attigi supra, tum innumera, quæ prætermisi, ejusdem testimonia demonstrant.

II. Ex his autem pauca hoc loco libet adnotare, velut clausulam velitationis istius : in quibus momenti plurimum inest, ad *sufficientis*, ut vocant, *auxilii* adstruendam ex Augustino fidem; atque ut eam deesse nulli, cui mandatum a Deo sit editum, vel invitus Arausicanus Lenis agnoscat.

Augustinus in libro de Gratia et libero arbitrio, capite 16. ita scribit : « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. » Hic primum cogitandum est, Pelagianos de mandatis iis loqui, quæ omnibus in commune proposita sunt; ut est naturæ lex, a qua cum nemo sit exceptus, necesse est eam omnibus, sine ullo discrimine præcipi. Igitur « a nemine non posse fieri legem, » quod Pelagiani dicebant, confitetur Augustinus. Nunc operæ pretium est, scire quemadmodum, et quo præsidio freti hoc habeant, ut mandatum exequi possint : quod ipsum suppeditari omnibus oporteat : siquidem posse debent omnes, quibus a Deo lex est edita. Respondet Augustinus, potestatem faciendi quod Deus jubet, in eo sitam esse, non quod gratiam adhuc acceperint, qua proxime legem impleant; sed qua hanc ipsam impetrare queant. Hæc est orationis ad Deum fundendæ gratia, et potestas : quam alibi idem Augustinus brevi et sententioso dicto ita complexus est[2] : « Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. » Quam sententiam Tridentina synodus usurpavit in sessione 6. capite 11.

III. Quocirca nemini non est parata gratia illa, sive *fides*, ut eam vocat Augustinus, id est affectus orandi; si enim alicui sufficiens auxilium ad orandam, et impetrandam uberiorem illam, et mandatorum executricem gratiam deesset, juberet aliquid Deus, quod ille, cui jussum foret, facere homo non posset; atque ita mandata Dei illi essent impossibilia, qui eo careret adjutorio, per quod omnibus possibilia esse censet Augustinus : nempe orandi gratia, qua vis et robur obtinetur ad præstanda legis officia.

Hæc est prima omnium gratia, quæ gratis omnino, ac sine meritis tribuitur; per quam actuosa, et præcepti operis efficax altera provenit; ut ibidem docet Augustinus his verbis: « Certum est enim nos mandata servare si volumus : sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. » Ex quo voluntas duplex, duplici expressa gratia colligitur : una inchoata, et rudis adhuc, qua posse facere volumus; altera robustior, qua quod volumus possumus. Utramque capite sequenti manifestius indicat, sic scribens[3] : « Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, et invalidam : poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. » Tum paucis interjectis, « Et quis istam, *ait*, etsi parvam, dare cœperat, charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit ?

IV. Secundus Augustini locus ex libro de Correptione et gratia, capite septimo, est ejusmodi : « Justior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici : homo ! in eo quod audieras, et tenueras, in eo perseverares, si velles ; nullo modo autem dici potest : id quod non audieras, crederes si velles. » Igitur qui perseverantiam non habuerunt, culpa sua non habueruut; quam, si voluissent, haberent uti-

[1] Ib. p. 114. et seq. et lib. 2. c. 3. sect. 4.

[2] Lib. de nat. et grat. c. 43. — [3] Id. de grat. et lib. arb. c. 16

que. Poterant igitur habere : et hæc ipsa possibilitas, gratia est sufficiens, sive, ut Apostolus loquitur, *sufficientia*, quæ non ex nobis, *sed ex Deo est*.

Tertius locus ex sermone 259. de Tempore, eamdem paratam et sufficientem gratiam, quamvis vitio nostro irritam demonstrat : ubi de tentationibus disputat. « Nemo dicat, *inquit*, a fornicatione se custodire non posse. *Fidelis est enim Deus*, dicit Apostolus[1], *qui non permittit nos tentari supra id, quod portare possumus : sed faciet tum tentatione proventum.* Talis unicuique homini tentatio datur, sive in carnis desiderio, sive in ambitione seculi, vel etiam in quacumque tentationis molestia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio succumbere poterit. » Ergo qui succumbit tentationi, ideo cum opprobrio id facit, quia cum laude illam vincere poterat. Hæc autem possibilitas, ut supra ex Augustino demonstravi [2], nihil aliud nisi gratia est.

Idem rursus in libro secundo de Peccatorum meritis et remissione capite 17. « Cum voluntate, *inquit*, humana, gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non fit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt. » Non hæc *facillima*, nec *veracissima* esset responsio, si non possent. Possunt igitur si velint : atque ut voluntatem paratam habent, sine qua velle non possunt, ita et gratiam, quia sine hac adjuvante, ut et sine voluntate, non possunt.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Epilogus, in quo querelæ Vincentii Lenis occurritur de asperitate Petaviani stili.

Et me quisquiliarum istarum jamdudum piget; in quas everrendas non illam quidem jucundam, sed necessariam hactenus operam contuli : et hic finem molestiæ hujus aliquem decrevi facere. Quanquam difficile est in tot, tamque gravibus castigandis erroribus adhibere modum orationis suæ, et habere in potestate justissimæ indignationis impetus : cujus, quo longius progredimur, eo se majora irritamenta proferunt. Sed abrumpenda tamen hoc loco est in immensum alioquin itura disputatio nostra; ubi pauca de Vincentiana expostulatione dixero. Queritur homo lenis, ac modestus, novæ sectæ parentem, et auctorem cum grege suo, inclementer a nobis habitum, et iracundas in illos, acerbasque voces esse conjectas : quas insuper, augendæ invidiæ causa, nostris ex libris, ubi sparsim positæ erant ac dissipatæ, in unum collegit. Hoc vero illiberale, ac malignum artificium nemo æquus et prudens laudaverit. Quis enim nescit, genus hoc orationis pugnax, et contentiosum, quod in refellendo positum est, nisi nervos, et aculeos habet ad instandum, fractum, enectumque languescere ? At hujusmodi, hoc est ad bellandum comparata scripta illa nostra sunt : de quibus vocabula ista Vincentius non minus alio digna, quam eo, in quem erant collata, descripsit. Ea porro si, ut sunt, suis disposita locis, et conferta legantur, multis ex ipso contextu sermonis mitigationibus leniri sentias : minimum ut acrimoniæ urbanitatis et elegantiæ non nihil habeant. Eadem ab juncturis, et compagibus revulsa suis, et in unum congesta, situ mutato, mutant indolem, et aliud sapiunt. Ita, cibis sale, vel aceto perspersis jucunde pascimur : salem merum, vel merum acetum nemo ad victum adhibeat. Sic in sectili pavimento, vermiculatoque opere, tessellæ singulæ suis aptæ locis, et connexæ eleganti varietate delectant : sin eas recisas, et avulsas in acervum comportes, nihil præter deformia rudera, et versicolorem glaream reliqui facies. Tale istud est, quod ad infamandum Petavium Vincentius excogitavit; ut minus, quam cuperet, dicta leniter ac blande, variis ex locis per quæ erant distributa corraderet, et sub unum aspectum pone-

[1] 1. Cor. 10.

[2] Vide Peta. to. 1. lib. 10. c. 16. § 14. et seq.

ret. Quam ejus calliditatem, et malitiam minus equidem miror, nec ea multum moveor. Illud potius videndum quale sit, quod magis ægre fert, ac dolentius queritur, nimis me in Armacanorum insectando dogmate vehementem fuisse.

Verum non est quod criminis istius notam valde reformidem ; in quo vel auctores, vel socios habeo innumeros tum doctrina, tum sanctitate præstantes, et illustres viros, quorum exemplo nos, institutoque tueri possumus : hoc est antiquos illos omnes Patres, qui adversus grassantes suis temporibus novitates errorum certamen instituerunt. Qui cum in ceteris faciles essent, et tractabiles, in hac una re dissimiles sui, hoc est asperi, et implacabiles fuerunt. Hoc enim præclare noverant, quod de pestiferis id genus hominibus vere scripsit auctor gravissimus Gregorius Nazianzenus, « (1) Pravos homines lenitate ac mansuetudine non inflecti. » Quod in Apollinaristis tum primum prodeuntibus experientia comperisse se dicit, et errorem suum fatetur. « (2) Existimabam, *inquit*, fore ut lenitate mea mansuetos, et placidos eos redderem, ac paulatim emollirem : atque hoc mihi spe fingebam. Verum, ut apparet, minime illud animadverti, me deteriores illos fecisse, ac per intempestivam istam philosophiam Ecclesiæ detrimentum attulisse. » Jure itaque Rusticus diaconus affirmat [1], « Turpe esse revera, et indecens contra asserentem perversa nos pro veritate frigidiores inveniri. » Et Lactantius [2] Christianos scriptores redarguit, qui contraria fidei dogmata refellentes, « neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt. » Acerbitatem ecce, hoc est τὸ πικρὸν, καὶ στρυφνὸν, ut est in veteribus glossis, quod latine *asperum*, et *amarum*, atque *austerum* sonat, in refutandis fidei contrariis erroribus requirit Lactantius. Quam severitatis in refellendo personam cum adversus gentiles pro Christiana religione certantibus (de his enim ibi præcipue loquitur) assumendam statuat; multo magis ad oppugnandas hæreses adhiberi eam oportet. Etenim posterius hoc genus infidelitatis, etsi priore minus late patet, est eo tamen deterius, ac perniciosius : uti brevi hoc, sed memorabili dicto, et oraculi instar habito, testatur Epiphanius [3], Χείρων ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας, hoc est, *Perversa fides infidelitate ipsa deterior est.* Cujus rei hanc affert rationem : Ἡ μὲν γὰρ ἀπιστία πίστιν λαμβάνουσα διορθώσεται· ἡ δὲ κακοπιστία ἀκατόρθωτος, δυσχερῶς σωζομένη, εἰ μή τι ἂν ἄρα χάρισμα ἄνωθεν ἐπιφοιτήσῃ. Id est : *Etenim infidelitas suscepta fide corrigitur : pravæ fidei desperata emendatio est : quæ ad salutem difficile emergit, nisi singularis aliqua gratia divinitus aspiret.*

Imo vero, quod etiam atque etiam notandum arbitror, inter hæreses, perditissimæ, ac detestandæ maxime sunt eæ, quæ parvo admodum discrimine ab recta et catholica professione distant. Siquidem, ut prudenter animadvertit Ambrosius [4], « vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum prima propositione omne consilium peccatoris proditur. At vero hi, quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes, et soli Deo deditas fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam, et simplicem fidem Dominicæ, et exinde Apostolicæ traditionis inficiunt. »

Strenue igitur, et cum animi, tum orationis impetu toto propulsanda, vel obruenda potius est illa fidei et salutis inimica pestis : cujus vel in sola « suspicione quemquam esse patientem » vetat Hieronymus adversus Joannem scribens patriarcham Hierosolymitanum [5].

Hujusmodi commotæ, irritatæque pietatis ardor quantus in illis exstiterit, quos auctores habere Petavium paulo ante dixi, sanctissimis, gravissimisque Patribus, quæ ad nos pervenerunt illorum scripta fidem faciunt ; ut Ignatii, Irenæi, Clementis, Athanasii, Epiphanii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Nysseni, Cyrilli, et, ne singulos appellem, omnium fere, qui contra nefariarum hæresum portenta, ingenii, et eloquentiæ arma sumpserunt. Quorum libri probris et conviciis, ac mordacibus, et aculeatis vocibus, sententiisque scatent; dum errorum, ac sectarum artifices ipsos non minus, quam eorum falsa dogmata, non parce, ac molliter,

(1) Naz. ep. 77. Οὐ γὰρ δυσωπεῖ τοὺς πονηροὺς ἐπιείκεια.

(2) Ibid. Ἐνόμιζον τῇ μακροθυμίᾳ πράους αὐτοὺς ποιήσειν, καὶ μαλάξειν κατὰ μικρόν. Ὥσπερ οὖν καὶ ταῖς ἐλπίσιν ὑπέτεινον, ἔλαθον δὲ, ὡς ἔοικε, κἀκείνους χείρους ποιήσας, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν βλάψας τῇ ἀκαίρῳ φιλοσοφίᾳ.

[1] To. 4. Bibl. PP. 820. A. — [2] Lib. 5. fine c. 1. — [3] Epiph. in Ancor. p. 13.

[4] Lib. de Div. Fil. c. 1. quod in Orat. 49. Naz. legitur. p. 728. — [5] Lib. con. Joan. Hier. 659. B.

neque summa, ut ita dixerim, cute vellicant : sed acuta, et penetrabili acie stili cruentant, et lacerant.

Tales enim ad opprimendam vitii, ac mendacii labem, veritatis esse, sapientiæque sermones admonet Synesius [1], nempe ἀῤῥενωποὺς, καὶ σεμνοὺς, καὶ ἀστεμφῶς ἔχοντας, hoc est, *mares, et graves, ac rigidos.* Ἀλλ' εἴπῃ παρείκοι, καὶ λυσήσειν ἀνατείνονται, καὶ ἀπειλοῦσι δήξεσθαι τὴν καρδίαν, οὐκ ἐν χρῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέσην, εἰ ἄρα τις ἀνιαθεὶς ὠφελήσοιτο. Id est, *Sicubi facultas data fuerit, molestos fore se, et cor ipsum non se strictim duntaxat esse puncturos : sed ad imum usque penetraturos minantur : si ea molestia cuipiam prodesse queant.* Denique sunt, inquit, παιδαγωγοί τινες ἀτεχνῶς σωφρονισταὶ, καὶ βαρεῖς ἐντυχεῖν, hoc est, *severi quidam in castigando pædagogi, et in congressu morosi ac difficiles.*

Quod si quis istud ipsum, quod ex Petavii et Ricardi lucubrationibus fecit Vincentius, ex illorum, quos dixi, Patrum commentariis liberius, et asperius dicta decerpserit, ea sic congesta, supra usitatum indicis modum, in ingens, atque amplum volumen excrescent.

Irasceris Petavio, ac Ricardo, Rodomonde Vincenti, et quiritando publicam imploras fidem, quod in Armacanos, hoc est in hæresim vestram, et vos ejus principes, et antesignanos commotiores fuerint. Non ferunt auriculæ tuæ sub hoc elogio traduci novum, et hæreticorum dogma, appellarique, *opiniones portentificas, canoras nugas, interpretationes malitiosas, calumnias insidiosas, insulsas novitates, ineptas fabulas.* Displicet tibi, sectæ illius θιασώτας audire, *libertatis eversores, liberi arbitrii corruptores, novæ libertatis architectos, amore novitatis excæcatos :* et quod caput est, τελχῖνας, quod tu, homo græce valde doctus, *malo spiritu afflatos* interpretaris : de quo paulo post dicam.

Tu igitur ob illa, et ejusmodi alia, quæ in hæresim vestram, merito jactata legeras, exarsisti protinus iracundia, neque continere stomachum tuum, vel *lenitatis*, quam sponte tibi indideras, mimum, ac personam ad finem usque servare potuisti. Itaque ambas iratus buccas inflasti ; at cum alia nimis iracunde, tum hæc sane horrenda jecisti [2] : « Quis veritatis ignarus non homines, sed hominum monstra eos esse, ex canibalis, aut montibus Riphæis huc advecta non putet. »

Quid si hæresim vestram non illis, quæ in indiculum redegisti, tolerabilibus utique dictis, et usitatis notassent illi isti, quos *canibalos, et ex montibus Riphæis advecta monstra* nominasti ; sed iisdem usi in Armacanos, id est hæreticos essent, quæ antiquissimi, et sanctitate, ac doctrina celeberrimi Patres usurparunt ? Quid si *vaniloquos, mentis seductores, Christum mercantes, verbi evangelici caupones, sycophantas, fructus mortiferos, progeniem maledictam, inimicos crucis Christi, feras homicidas, sementem diaboli nequam, cippos, et sepulcra mortuorum, serpentes, dracunculos squammosos, aspides, basiliscos, scorpiones, lupos, et simias,* et cetera ejusdemmodi illos nominassent, quæ in epistolis scripsit Ignatius ? Quid si *viperas, stelliones, scorpios, cerastas, aspidogorgonas, lacertos, bicipites serpentes, venenatos crabrones, dipsadas, buprestas, scarabæos, septicipites hydras, cantharidas, efferatissimas belluas* vocarent ? quæ quidem et iis plura in novorum auctores dogmatum contorquet Epiphanius. Quid si Athanasium imitati, illorum *patrem* dicerent *diabolum ?* si eosdem *ad omnem impietatem projectos, hypocritas, nullo pacto Christianos ; imo Christomachos, dæmonum similes, apostatas, latrones*, innumeris denique aliis vocabulis appellassent, quibus idem in hæreticos desævit Athanasius ?

Possunt similia quamlibet multa Patrum dicta commemorari, quibus, tanquam spiculis, et præacutis jaculis, succrescentes hæreses, cum earum repertoribus confixerunt ; sed in paucis istis specimen dedisse sufficiet.

Hic tu mihi, Vincenti, forsitan occurres ; ab antiquis illis fidei catholicæ defensoribus, talia in hæreticos probra et convicia merito esse conjecta : in vos autem, vestramque sectam minime convenire, qui nec hæretici estis, et pura, sinceraque Augustini decreta repræsentatis : cujus [3] « profundissimæ doctrinæ lucidissimam facem » vester ille « accendit » antistes, in quam ex tenebricoso illo *profundissimæ doctrinæ* specu *oculos attollunt* identidem mystæ, et consecranei tui, ne vertigine in præceps ruant.

Ain' tu vero ? Non sunt hæretica, quæ ex Lutheri, Calvini, ceterarumque pestium venenis ψευδεπίγραφος ille Iprensis Augustinus expressit ? Non est hæreticum, liberum hominis arbitrium dicere cum solo pugnare violento ; cum eo vero, quod necessarium est, nec aliter fieri potest, consistere ? Quam qui-

[1] Orat. de reg. init. — [2] Vincent. Præf. lib. 2. p. 164. [3] Vinc. lib. 2. p. 159.

dem opinionem S. Thomas *hæreticam* olim esse judicavit. Non est hæreticum asseverare, legem a Deo per Mosem Judæis datam, ex professo fomentum, ac præmium terrenæ, ac vitiosæ cupiditati promisisse ? Non est hæreticum negare, gratiam ullam sufficientem a Deo subministrari, qua bene, si velint, agere homines, et peccata vitare possint ? Non est hæreticum affirmare, Deum ad ea facienda homines præceptis suis obligare, quæ præstare nequeunt ? Quod ex proxime antecedente dogmate necessario est consequens. Quid illa ? Parumne sunt hæretica, amorem concupiscentiæ, quo in Deum feruntur homines, esse vitiosum et peccato contaminatum ? Item, attritionem ex gehennæ timore conceptam, in vitio, ac delicto esse ponendam ? Tum hoc etiam inconstanter ab Armacano dictum, et isti contrarium ; eumdem gehennæ metum, etsi bonus sit, et ad peccatum delendum utilis, atque a Deo, et Spiritu sancto proficiscatur, tamen ex Christi gratia minime fieri ? Aut istud, ignorantiam, quam invincibilem vocant, a culpa non excusare ? Si hæc pauca de multis raptim et tumultuarie collecta de magistri tui libris ac tua, Vincenti, *Theriaca*, dogmata hæretica non sunt, quid hæreticum appelles, non video. Certe sana et catholica nemini sano, et catholico videri possunt, cum tot Romanorum Pontificum decretis notata, et inter *hæreticas*, *erroneas*, *suspectas*, *temerarias*, *scandalosas sententias* relata, damnataque fuerint. Exstat hac de re Pii V. constitutio, quam Gregorius XIII. et Urbanus VIII. pontifices ratam postea novis decretis esse jusserunt. Quorum ad eludendam, labefactandamque vim quas non artes, ac præstigias hactenus adhibuistis ! Sed de calliditate, vel contumacia potius vestra, quæ hæreticam prorsus indolem sapit, deque subdolis interpretationibus, quibus contra supremam auctoritatem ad hanc usque diem repugnatis, nihil hic attinet dicere ; præsertim cum ea res, vestraque illa fraus sic aliorum opera scriptisque patefacta, illustrataque sit ; nihil ut ad ista novi, indictique possit accedere. Hæc ad purgandum stili nostri in vos acerbitatem peroranda duxi, *Vincenti*, quæ vel iniquissimis censoribus probaturum me esse confido. Quod si durus, ac moleste querulus nihilominus esse pergis : certe, quod reliquum est, in te, exemplumque tuum intueri jubebo ; et hoc cogitare, quam sit indignum, eam te moderationis, ac patientiæ legem aliis ferre, quam tibi ipse non præscribas.

Enimvero festivus, ac lepidus es homo, Vincenti. Tu in aditu ipso Theriacæ tuæ longam explicasti querimoniam de Petavio, et Ricardo, et in scribendo asperitate amborum et iracundia : quam etiam displicuisse narras « viris eruditis veritatis consciis, qui negabant se vix unam Ricardi paginam sine ira, et flamma, ac libri e manibus abjectione, posse legendo percurrere [1]. » Addis, « te plaustra denique conviciorum, quæ in illum sanctum, et eruditissimum episcopum, » (illum nempe, cujus librum, « cui titulus est *Augustinus*, multas ex propositionibus olim ab Romanis Pontificibus pro hæreticis, erroneis, suspectis, temerariis, scandalosis et in pias aures offensionem immittentibus damnatas continentem et renovantem, sub excommunicationis pœna legi, ac retineri » vetuit nuper Urbanus VIII. approbante, qui nunc eamdem sedem obtinet, Innocentio X.) quæ igitur in illum pariter, ac vos « Petavius, et Ricardus jecerant, ea tibi regerere nec otium, nec curam fuisse » profiteris. « Sciebam quippe, *ais*, infirmitatis signum, et fœminarum morem esse, ut superatæ ad convicia convertantur ; et a S. Hieronymo audieram : Maledicentibus remaledicere, nihil prodesse ad causam. » Cum hæc tam magnifice lectoribus tuis de te, ac scribendi genere institutoque tuo pollicitus esses, ubi ad rem venisti, omnium illorum, ac tui ipsius oblitus, in illud ipsum *infirmitatis signum, ac fœminarum morem* relapsus es, *ut maledicentibus remalediceres, ac plaustra conviciorum* in eosdem, a quibus erant jacta, *regereres*, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, ut Hesiodio præcepto morem gereres. Relege Theriacam tuam, et quanta ibi sint in Petavium, et Ricardum ἀλαζονεύματα, maledicta, convicia, dicteria, scommata in illos jacta recognosce. Quæ quidem tuo usus exemplo in subjecto indiculo collecta describam.

[1] Vinc. Præf. ad Lect. p. 3.

Vincentii Lenis, id est Liberti Frodomondi Lovaniensis doctoris, modestiæ specimen ex illius libro, qui Theriaca inscribitur.

Primum libri titulus ipse convicio non vacat. Nam *theriacam, adversus Petavii, et Ricardi libros* proscribere, quid aliud est, quam *venena* illorum libros esse dicere, et auctores ipsos pro venenariis, et maleficis traducere? Jam utraque præfatio primi scilicet, ac secundi libri tota est διασυρτική. In priore, Petavianam eloquentiam ludibrio habet homo latinitatis in scribendo spurcissimæ. In posteriore, Petavii ac Ricardi mores satirico felle profundit. Cetera per saturam congesta sunt ejusmodi.

« Philosophia Petavii, et Ricardi pseudoperipatetica. Petavii et Ricardi crepitacula, quibus S. Augustinum, et veritatem circumstrepunt. Ambo in vertiginem, et errorem inciderunt. Ixiones nubem pro veritate amplexantes. Vehementer Petavius fallit, et fallitur. Perpetua ejus hallucinatio. Ambo in adversarios suos spumea lingua depluunt, flammea ira detonant. Genius et consilium gladiatorum istorum. Sexcenta similis flamma splendida Petavii bilis exspuit. Quis te genius a mente tua, sic derepente alienavit? Quis veritatis ignarus, non homines, sed hominum monstra eos esse, ex canibalis, aut montibus Riphæis huc advecta non putet? Ferox et masculus es, mi Ricarde. »

« Ista ignorantiæ crassæ nebula, in qua duo illi homines perpetuo ambulant, errare pleraque omnia eos fecit, quæcumque erraverunt, et deliraverunt. Duræ tuæ menti fortiter hæc imprime, Ricarde. Similes Adrumetini reverendi Patris Molinæ. » Item de Ricardo, « Vis verbum unum, sed valde verum audire? Omnes lectioni S. Augustini paulisper assueti vident tirocinium tuum hic esse, nudiustertius cœpisse eum legere; et ut nemo animosulus, sicut tu es, facile imaginatur alium se potiorem esse, in brevi tua clepsydra longam et pertinacem illius Reverendissimi episcopi diligentiam voluisse metiri. » Observetur hoc Frodomondi perinde contumeliosum, ac sermonis incondita barbarie virosum maledictum. Pergit deinde : « Itaque, mi Ricarde, disce posthac speciosius, et credibilius mentiri; et, si me audis, ingeniosam Ovidii Nasonis Metamorphosim leges, et imitabere, ut te doceat magis consequenter fabulari, et rebus vanissimis colorem aliquem, et verisimilitudinem aspergere. Ricardus et Petavius furiose assultant. Et ut magis mireris, ac Ricardi cæcitatem videas. Pessima tua causa talibus indigebat testibus, ut fieret dignum patella operculum. Nec Ricardi stoliditas hic stetit. Nescio an risu crepare debeam cum Democrito. Quis enim veritatis oculis hanc rem intuitus, non defleat hominum alias eruditorum cæcitatem, et judiciorum depravationem, ubi ira, invidia, aut sequior affectus intellectum eorum obnubilat, et præcipitat? Quam falsum, et puerile est, quod fabularis! Legat te quisquis volet, et vacat, probationis tuæ illico frigus, et nugas videbit. Quæ omnia te indigna, puerilia, et stulta sunt. Hæc est illa tam clamosa hodie Petavii philosophia, ex philosophorum hujus seculi imaginatione figurata. Si me medicum consulant, dilutius posthac bibent; aut, ut Carneades, bilem exspuent candido helleboro. Tota Petavii, Ricardi, Suarez, Molinæ, Lessii, Raynaudi disputatio videtur mihi ferme esse de lana caprina, et quærere nodum in scirpo. Theologorum commune placitum sophistica adulteratione infamat Ricardus. Velle autem similibus ventis librorum suorum molem inflare, nonne est hominum, qui in talibus parergis et nugarum diverticulis tempus, et paginas perdunt? »

« Disce aliis telis, Ricarde, non putridis istis pomis nobiscum et cum S. Augustino μηλομαχεῖν. Veterem suum, et confutatissimum errorem errat Petavius. »

Hæc sunt modestissimi hominum Vincentii, et cum maxime lenitate utentis sua, in Petavium, et Ricardum dicta clementer, et humaniter. Quæ si quis ad illud referat, quod in utriusque libri præfatione sponte sua denuntiavit, se absque conviciis, et acerbitate ressponsurum illis ambobus esse; non poterit, quin et tantam rideat levitatem hominis, atque a suis cogitatis, decretisque discordiam : et os illius miretur, qui quam in adversariis suis reprehendit asperitatem, et impotentiam, hanc in eodem ipso, ubi reprehendit, libro non imitatus modo fuerit, sed etiam longo intervallo superarit.

Age enim quid est in Ricardi, et Petavii libris, quo se, suosque maxime violatos, et offensos conqueri possit, quod non in eos acerbius, iracundiusque retorserit? Est tamen, inquit, unum atrox inter cetera, et intolerabile maledictum, quod Armacani sectatores græco vocabulo τελχῖνας Petavius appellat : quod ille *malo spiritu afflatos* interpretatur. Offendit eadem illa vox et Armacani defenso-

rem nostratem in Apologetico secundo; in quo proterve, ac parum pudenter in D. Habertum invectus est, tunc cathedralis ecclesiæ Parisiensis theologum, nunc Vabrensem episcopum, virum pietate ac doctrina longe præstantissimum. In illo libro [1] de τελχῖνος vocabulo μαίνεται οὐκέτ' ἀνεκτῶς, ac *veneficum*, aut *dæmonem* interpretatur. Et ex græcæ linguæ scriniis reconditiorem vocem petitam a me esse dicit, ut duplex illud convicium sub uno nomine in Armacanum jacerem. Atqui non tam arcanum, aut exquisitum vocabulum istud est, nec tanto studio ex interiore hellenismi copia repetendum : sed ejusmodi, ut solos linguæ istius tirones absterreat. Ac ridiculum prorsus utrique hoc illi contigit, anonymo scriptori Apologetici, et Theriacæ Vincentio. Ambo ista voce perculsi, cum de vi ejus et proprietate lexica sua consuluissent, nihil præterquam quod inibi exstabat, expromere de illa voce potuerunt. Et nescio quo casu accidit, ut vocabulariorum auctores, etiam accurati et eruditi, velut Thesauri locupletissimi scriptor Stephanus, eas solas notiones persecuti sint, quas illi solas attigerunt. Verum præter hos, etiam φθονερούς, καὶ ψογερούς significari auctor est Eustathius, ad Iliadis librum nonum, pag. 772. hoc est *invidos, et obtrectatores.* Hoc sensu tum in oratione quarta Themistius, tum Synesius Epistola 154. nomen illud usurparunt : et eorum nos imitatione τελχῖνας haud inscite vocavimus homines illos, quorum sectam, ac disciplinam non aliunde sciunt omnes, quam ex odio et insectatione dissimilium sui, et invidia esse conflatam.

Satis arbitror pro catholico dogmate ad hujus oppugnatricem Vincentii theriacam esse responsum. Quod si cui brevius, quam vel pro argumenti copia, vel pro mole adversarii operis fecisse videor ; velim ambo ista legat, inter seque componat : tum sciet profecto, si res ex Vincentiani libri merito ponderetur, nihil ad hunc refutandum pluribus, ac ne nostris quidem illis fortasse paucis opus fuisse.

[1] Apolog. lib. 2. c. 15. p. 222.

FINIS ELENCHI THERIACÆ VINCENTII LENIS.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE ADJUTORII SINE QUO NON, ET ADJUTORII QUO, VERA GERMANAQUE NOTIONE AB IPRENSIBUS PRÆSTIGIIS VINDICATA BREVIS DISSERTATIO

IN QUA NOVÆ SECTÆ FUNDAMENTUM PENITUS EVERTITUR.

Ad illustrissimum quemdam præsulem.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur præsentis disputationis occasio, et quæstio ipsa constituitur.

Quæsisti nuper a me (præsul illustrissime) quid de novo illo, et latius propagato dogmate sentirem, quod ab auctore Jansenio, Janseniannum appellari meruit. Huic inquisitioni tuæ cum ita respondissem, falsum mihi, et ab catholicæ fidei norma alienum videri ; occuristi mihi statim, et unum excepisti, quod ab illis jactari vulgo solet : qualecumque tandem illud est, Augustinianum esse, nec esse verisimile, doctorem tantum hæreticum fuisse. Illud unum vero ad illius purgandam invidiam satis esse debere, quod pro certo traditum sit ab Augustino ; nec enim non catholicum judicari oportere, quod absque dubio constet auctore ab illo proditum fuisse. Hic vero cum, seposita illius auctoritate, quæri de illo, rogante te, placuisset, negaremque ab Augustino, tale aliquid mandatum esse litteris, et ut periculum rei istius inter nos fieret, etiam atque etiam postularem, et quem præcipuum haberent fundum illius decreti, proferre te juberem; non impigre occurristi sic : cum essent plurima, quæ ad fulciendam hanc opinionem identidem ex Augustino testimonia depromerent, unum præ ceteris usurpare quasi decretorium. Sciscitante vero me statim ecquod illud esset, nec interposita mora, illum dixisti esse locum, qui in libro de Correptione et gratia, capite 11. et 12. legitur; ubi Augustinum Jansenius duo gratiæ genera, sive auxilii ad bene agendum genera duo constituere asserit: unum, quod vocat *auxilium sine quo non*; alterum, *auxilio quo :* ac prius ejusmodi esse, ut absque eo nihil agere possimus, quamvis cum eo non semper agamus. Quemadmodum cibus ejusmodi est ut sine illo vivere nequeamus, quamvis cum eo et eo adhibito, non semper vivamus. Alterum, quod *auxilium quo* nominat, tale est, ut neque sine ipso agere possimus, et cum ipso semper ac necessario agamus. Verba Augustini hæc sunt ex capite 12. libri de Correptione et gratia. « Aliud est, *inquit*, adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid

fit; nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen dum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim, non solum sine quo non fit, sed etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, et quo fit est, et sine quo non fit : quia et si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, et si data nunquam fuerit, nunquam erit : alimenta vero non consequenter faciunt, ut homo vivat : sed tamen sine illis non potest vivere. »

Quibus positis subjicit id Augustinus, cujus gratia comparationem illam in medium adduxerat : ac primo homini datum esse dicit *adjutorium perseverantiæ*, quale ciborum illud erat ad vitam conservandam, nempe, « non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. » Huic auxilii generi alterum opponit sic : « Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non solum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur ; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum, nonnisi perseverantes sint. »

Hic ille locus est Augustini, quod unicum Janseniani commenti firmamentum ac præsidium est [1]. Nam eo duplex gratiæ genus constituit, quorum prius est quod naturæ sanæ proprium fuit, quale in solo Adamo exstitit, antequam peccaret : posterius, quod naturæ lapsæ congruit, ac medicinale dicitur. Inter quæ duo discrimen illud statuit ; « quod prius adjutorium (verba sunt Jansenii) ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii, perinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberæ voluntatis usu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia. Nunc vero post ruinam tale est, ut faciat annuere et influere et velle voluntatem. » Quod discrimen ita declarat : « Nam aliud, *inquit*, ejusmodi est, sine quo voluntas velle non possit, sic tamen, ut velle et nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio : aliud quo fit determinate ut voluntas velit ; est enim illius naturæ, ut hoc ipso, quo voluntati datur, confestim velit. » Primi generis in exemplum affert, « lucem respectu oculorum, speciem respectu intellectus ; sic enim adjuvant, ut sine illis quidem non possit opus fieri, non tamen illis præsentibus efficiatur, ut fiat, sed hoc a liberæ voluntatis nutu pendet, quæ hujusmodi adjutorium et in usum assumere, et negligere potest. Secundi generis adjutorium non est tale, sed hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invicte facit, ut hoc vel istud arbitrium arbitretur et velit. Talis est influxus omnis causæ formalis. Hoc ipso quippe, quo adest justitia, fit justus animus, et sine illa justus esse nunquam potest. »

Hæc summa est Jansenianæ ratiocinationis, quam ego falsam et ineptam, et homine indignam erudito esse contendo : quod deinceps ita planum faciam, ut si quid in illis ingenui pudoris est, eo frontem illorum ac vultum oppleri necesse sit. Hoc igitur agamus.

CAPUT SECUNDUM.

In quo falsa Jansenii argumentatio convincitur.

Unde igitur convinci ac redargui tantus error commodius, apertiusque potest, quam si Augustini verba et sententias cum Jansenii verbis sententiisque conferamus ? Age vero, duo colligit Jansenius, ad idem opus præstandum, adjutoria, sive auxilia gratiæ. Hæc qui audit, quid aliud cogitare potest, quam causas duas efficientes ejusdem operis et effectus ? At in Augustini verbis non duæ causæ efficientes conferuntur inter se, sed altera duntaxat

[1] Jansen. pag. 40. B. to. 3.

efficiens, altera formalis : quod subinde declarabitur. Deinde Augustinus non de uno genere gratiæ loquitur, sed de uno duntaxat dono perseverantiæ : siquidem in duobus illis capitibus de sola perseverantia disputat, eamque distinguit duplicem ; alteram quæ Adamo tributa est, quando serpentis et conjugis suæ pulsatus illecebris, a Deo adjutus est, ut contra illas perseverare (si vellet) posset. Alteram, qua prædestinati post Adami culpam peculiari Dei favore et gratia, perseverantes fiunt.

Inter hæc vero perseverantiæ genera duo, notanda etiam atque etiam hæc differentia ; quod prior meram habuit Dei opitulantis efficientiam, qua efficienter Adamo qualemcumque motum ingenerabat gratiæ, ut externis tentamentis resisteret. Posterius autem genus, electorum proprium, nullam ex sese realem et positivam (ut vocant) Dei adjuvantis effectionem requirit, sed potest sine ulla tum Dei, tum hominis actione constare. Quæ res, quia permagni momenti est, intentum lectorem desiderat. Sciendum est itaque, perseverantiam, si generatim definiatur, hoc unum postulare, ut sit homo in statu gratiæ sanctificantis, et ut in eo statu mors illum occupet, quod in parvulis post baptismum statim e vita subtractis manifeste cernitur. De quibus liber Sapientiæ, in famoso illo, et ab Augustino libenter usurpato loco [1] : *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius ;* merito potest intelligi. Quis autem sine perseverantiæ dono salutem adeptos illos fuisse dicere audeat ? et iidem tamen actualis (ut vocant) gratiæ funditus expertes fuerunt. Ergo illorum perseverantia nihil habuit præter statum gratiæ et amicitiæ Dei, et mortem illi supervenientem. Quæ cum ita sint, duplex nobis discernendum est perseverantiæ donum ; unum quod *passivum* appellare possumus, in quo de suo nihil homo confert, ut in parvulis evenit, aut iis qui, cum justi sanctique sint, sine ullo certamine, nec opinato moriuntur : alterum genus est, quod actuosum et laboriosum merito vocetur, quale in martyribus fuit, qui in agone ipso invicte perstiterunt, quibusque continuo et sine cessatione actuale Dei auxilium, quæ proprie gratia est, adspiravit ad extremum usque spiritum. De hoc secundo genere potissimum agit Augustinus, in illo loco de Corruptione et gratia. Comparat enim perseverandi donum fortissimis illis athletis, ad perferendos, et superandos dirissimos illos cruciatus a Deo subministratum, cum illo, quod Adamo tributum est, in levissimo illo agone, in quo cum blandimento conjugis, ac mollibus illecebris certamen habuit : quorum exitus ita inter se comparat, Adami quidem, his verbis [2] : « Denique ille Adam, et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. » De martyribus vero sic : « Isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide, cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. » Quocirca confert donum illud perseverantiæ, quo martyres, ut reipsa perseverarent, adepti sunt, cum eo, quo accepto, Adamus perseverare potuit, quando ab uxore ad violandum Dei mandatum impulsus est, nec tamen reipsa perseveravit ; cum hoc (inquam) solo Adami conflictu, confert martyrum certamen, et horum perseverantiam ultimam, cum temporaria illa, cujus tum obtinendæ potestatem Adamus habuit. Non enim mentionem facit perseverantiæ (ut vocant) finalis Adami, quam post peccatum, per pœnitentiam ex meritis Christi consecutus est : nec illius, quam ex propriæ merito voluntatis, ut idem loquitur Augustinus, obtinuisset, si in accepta justitia originali permansisset.

[1] Sap. 4. 11.

[2] Cap. 12. de corrept.

CAPUT TERTIUM.

Multis aliis rationibus falsa novi dogmatistæ eliditur opinio, et vera Augustiniani loci sententia comprobatur.

Quæ hucusque de Augustini loco illo, et præpostera dogmatistæ novi interpretatione disputavimus, plus satis idonea sunt, ad novi commenti coarguendam falsitatem, cujus auctor ita cæcus fuit, ut manifestam et coruscantem oculis mentis lucem Augustini verborum prorsus non videret. Quam ut pressius hoc in capite constringamus, vel hoc unum considerari volo; quod Augustinus secundum gratiæ genus, quod naturæ lapsæ proprium est, nihil aliud esse vult præter causam formalem, hoc est formam ipsam, qua subjectum tale est ac nominatur. Affert enim in illius exemplum beatitudinem ipsam, non quæ beatitudinem efficit in homine, sed qua beatus est. Neque enim causa formalis, sive forma, a qua tale quidpiam nominatur, seipsam producit, sed applicat se, et nullo alio superaddito, tanquam effectu suo, subjectum tale constituit ac denominat. Quemadmodum justitia non producit in homine justitiam, tanquam formalem effectum suum a se diversum, sed est ipsamet forma, qua subjectum afficitur et formatur, appellaturque justum. At Jansenius secundum gratiæ genus, quod est naturæ lapsæ, sic explicat, ut effectum realiter a causa distinguat. Ait enim [1]: « Secundi generis adjutorium non est tale, sed hoc ipso quo datur, simul usus ejus, et influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum, quod suapte efficacia facit influere facultatem. » Ubi perspicuum est, adjutorium illud gratiæ, ab effectu suo re ipsa differre. Siquidem ait, hoc adjutorium facere influere facultatem : ex quo necessario consequens est, idem illud adjutorium, non esse influxum facultatis ejus opinione illum. Quis enim adeo desipiat, ut adjutorium illud, quod a Deo datur, et naturæ vires excedit, vitalis actio sit voluntatis, hoc est, influxus ipsius, quem idem donum efficit? An vero beatitudo formalis, qua sancti beati fiunt, facultatem illam animi, quæ beatitudinis subjectum est, facit influere, ut beatitudinem ipsam producat? Nonne eo ipso, quo beatitudo formalis et actualis (nec enim formalis ulla esse potest, quæ non sit actualis) in anima est beati, beatus est? Quomodo igitur adjutorium illud, si est gratia naturæ lapsæ, consensum efficere potest, si est causa formalis, qua consentimus? Aut quomodo suapte efficacia facit influere facultatem, et utique consentire; cum causa formalis consentientis voluntatis, sit ipsa consensio, quam Jansenius ait, post applicationem adjutorii illius a facultate produci. Quis hunc nodum Œdipus dissolvat? aut quis non pugnantem secum, et in seipsam incurrentem inscitiam, temeritatemque cognoscat?

Rursus sole coruscante meridiano clarius est, Augustinum in illo loco, non de quolibet adjutorio gratiæ, quo natura lapsa juvatur ad bene operandum, sed de illo solo verba facere, quo re ipsa et actu perseverat, hoc est de perseverantia ipsa, cui hoc essentiale est, ut mortem conjunctam habeat. Unde si recte cogitare volumus, perseverantia complexum aliquid est ex positivo et negativo, sive privativo. Ita enim, nec aliter perseverandi, sive perseverantis hominis justi causa formalis est, quam si utrumque concurrat, nimirum positivum unum, hoc est status gratiæ, et alterum privativum, quod in morte consistit; sic utrumque perseverantia est, et perseverantis hominis causa formalis, sicut beatitudo beati, et justitia justi.

Ex quo magis intelligitur novi dogmatis absurda ratio, quæ adjutorium illud, quod ab Augustino commemoratur, ad cujus notionem et essentiam vitæ privatio pertinet, et quod solis electis convenit, ad omnia gratiæ actualis et efficacis auxilia pertinere contendit. Quo concesso, jam nulla novi Testamenti gratia est, nisi quæ mortem habet adjunctam, quod incredebiliter est absurdum.

At expositio a nobis allata plana est, facilis est, omnis est obscuritatis et ambiguitatis expers. Hinc enim agnoscimus, quorsum Augustinus dixerit, tale esse donum istud, quo non tantum perseverare possunt homines, sed etiam non nisi perseverantes sint; quoniam cum donatur adjutorium istud, perseverantia ipsa donatur.

Unum superest hoc in loco considerandum,

[1] Jans. tom. 3. lib. 2. cap. 4. pag. 40. cap. 2.

utrumque illud gratiæ genus, adjutorium ab Augustino esse nominatum; cum tamen, si proprie ac præcise loqui velimus, adjutorii vox causæ duntaxat efficientis significationem habeat : quippe adjutorium est, quo ad agendum, vel aliquid consequendum adjuvamur; at causa formalis non est adjutorium ejusmodi, sed est forma ipsa, qua tales efficimur; sicut beatitudo non adjuvat nos, ut beati simus, sed est forma ipsa, qua beati sumus. Nihilominus ita loquutus est, et loqui voluit, ut eodem vocabulo generis unius, duas doni perseverantiæ species comprehenderet. Quid autem in vocabulo hæsitare attinet, si res ipsa et mens Augustini perspecta sit?

Ad hæc omnia, quæ de loci illius Augustini enarratione, deque sinistra novi dogmatistæ sententia hucusque disputavimus, postremum hoc adjungi debet, voces illas *adjutorium sine quo non*, et *adjutorium quo*, etiam alio in loco, eoque unico, eodem ab Augustino usurpatas fuisse, sed longe alio sensu ab eo, quem illis subjicit Jansenius : nempe in libro de gestis Pelagii capite primo; ubi adjutoria sine quibus, ejusmodi esse dicit, « sine quibus illud ad quod adjuvant, effici non potest, sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur, et multa ejusmodi : unde est etiam illud, quod nemo sine Dei gratia recte vivit. » Tum ita pergit, « Alia vero sunt adjutoria, quibus sic adjuvamur, ut etiamsi desint, possit alio modo fieri propter quod exquirimus : sicut tribula ad fruges terendas, pædagogus ad puerum ducendum, etc. » Hæc Augustinus, in quibus *auxilium quo* contrario sensu accipit ac novus dogmatista; longeque abest, ut tale illud esse velit, quod rem omnino conficit, et ita quidem, ut sine eo reipsa non fiat.

CAPUT QUARTUM.

Explicatur ac dissolvitur quod pro novi dogmatistæ sententia, et Augustiniani ab eodem allati loci interpretatione potest objici : tum operis totius conclusio.

Sed ne quid in illo Augustini loco latebræ relinquam novi dogmatistæ sententiæ, quod unicum causari fautores illius sectæ posse video, quantumvis leve sit, nolo prætermittere. Contra hoc igitur, quod injuria fecisse illum argui, ut quod Augustinus de sola perseverantia, et ei subjuncta morte scripsit, id illum ad omnem actualem, ut vocant, et excitantem gratiam transtulisse, qua animus pulsatur a Deo, ut velit, agatve bene, etiam citra mortem; adversus hoc igitur a nobis objectum, præscribere sic argumentarique possunt, Augustinum de eo perseverantiæ genere illic agere, quod actuosum et laboriosum supra nominavi, quale in martyribus fuisse docui. Hanc ergo gratiam, qua illorum mentes corroboratæ sunt, ad acerbissimos illos cruciatus pro Christi nomine tolerandos, et vincendos, talem in eis efficientiam habuisse, possunt illi dicere, ut invicta quadam necessitate, consensum ab illis exprimeret, sublata libertatis indifferentia ad consentiendum vel dissentiendum : atque hoc efficacitatis gratiæ medicinalis exemplum, sic in martyribus Augustinum attulisse, ut ad cetera etiam adjutoria gratiæ vellet extendere. Potest hoc, inquam, ab adversariis utcumque proferri. Verum hæc tergiversatio prorsus est futilis, neque cum Augustini verbis conciliari potest. In primis enim mera hæc est Jansenii divinatio, sic Augustinum pro arbitrio interpretantis, et ex interpretatione sua, tanquam ex liquida, et concepta illius auctoritate, inventum suum adstruentis. Atqui ad novi dogmatis, tanquam Augustiniani, constituendam fidem, disertas Augustini voces proferre opus erat; non eo uti argumentationis suæ *medio* (ut vocant) quod et ipsum maxime probationis egeret. Hoc enim est Tuscum litigium, ut idem loquitur Augustinus, cum lis lite resolvitur. Quocirca, quod Augustinum asserit perseverantiam ibi commemorasse, tanquam unam aliquam generis speciem, ut, quod de ea diceret, referri vellet ad reliquas species sub eodem gratiæ nomine, ac genere

comprehensas; hoc (inquam) gratis confictum, falsumque esse defendimus: negamus de omni actuali gratia loqui istic Augustinum; sed de una tantum agere perseverantia dicimus: quod ex toto contextu orationis perspicue colligitur. Nam et ad explicandum, cujusmodi gratiam intelligat, beatitudinis utitur exemplo: ut quemadmodum qui beatitudinem accipit, eo ipso fit beatus, non quod beatitudo aliquid in eo agat et efficiat, etiam necessario, et citra indifferentiam, quo fiat beatus; ita, qui donum illud accipit perseverantiæ, eo ipso perseverans fit, et nihil aliud nisi perseverans, non quia gratia illa perseverantiæ, perseverantiam in illo efficit, sed quia perseverantia est. Deinde qui tergiversatione illa uti velit, duo necesse est in dono perseverantiæ illic ab Augustino distingui asserat; unum, quod est perseverantia ipsa formalis; alterum, quod est actuale auxilium gratiæ ad perferendum martyrium. De priori nulla controversia est, quin necessario perseverantem faciat. Itaque totum in eo vertitur negotium, ut novi dogmatistæ non illud assumant, sed probent ac demonstrent, in illo loco Augustini, quem fundamenti loco novitati suæ substruunt, affirmari adjutorium illud actualis gratiæ, quo voluntas eorum adjuta et roborata est, ut tormentis resisterent, eidem voluntati necessitatem attulisse, indifferentiam ademisse, adeo ut in eorum potestate non esset gratiæ illi resistere: hoc, inquam, evincendum illis fuit ex Augustini verbis, ut inde quod volunt efficerent: quod quia nullo modo facere possunt, desinant pro Augustiniano jactare frivolum, et alienum a catholica regula commentum novæ opinionis et hæreticæ.

Hæc mihi (præsul illustrissime) de exorta inter nos quæstione proponenda videbantur: quæ ut est ingenii tui acumen et candor, facile me tibi probaturum esse confido; atque ita quidem, ut majorem in modum obstupescas, tantam repente vim e doctorum subselliis huic insulsæ fabulæ plausorum et fautorum exstitisse. Circumspiciat enim animo, et expendat apud se prudens ac sobrius quisque, quantos decem abhinc annis motus ac tumultus in Christiana republica novitas illa concitarit: ut in catholica parte recens sit constituta secta, et hominum corroborata studiis, ecclesiasticam unitatem et concordiam, fœdissimo dissidio consciderit: ut pro vetere ac recepta Catholicos inter doctrinæ professione, nova sit et contraria fides introducta; nec alia plane, quantumvis dissimulet ac latere studeat, quam quæ in Luthero et Calvino, ceterisque pestibus damnata, et sub anathematis pœna proscripta fuerat. Sed ut de damnatione, ac scelere recentis istius perfidiæ nihil modo dicamus, et in solam ejus novitatem intendamus animos: certe rationi consentaneum illud fuit, ut qui Catholicum nomen omne eo instituerat adducere, ut, mutata et ejurata veteri de gratia persuasione, novam acciperet, ex Augustini libris accersitam, (quandoquidem bene de gratia loquendi ac sentiendi unica hæc et certissima regula proponitur,) certam et liquidam, ac minime dubiam et ancipitem Augustini mentem in medium afferret; ut sine ulla controversia, qui Augustini verba legeret, statim illam agnosceret. Atqui hujusmodi est novum illud dogma, quod pro vetere profitendum induxit Ecclesiæ catholicæ novæ artifex sectæ Jansenius, ut in Augustini libris nullo modo sit expressum, sed sola divinatione et opinione illius affictum. Quod hactenus in uno Augustini loco perspicue declaravimus, quem tanti ille fecit, ac toties inculcavit, nullum ut aliud firmamentum novæ suæ sententiæ substruxisse videatur; hunc certe pene ducenties in opere suo repetiit, quod quidem ab Calvino didicit, qui illum in Antidoto contra concilium Tridentinum, ad eamdem, velut Tridentinis decretis adversariam, doctrinam affirmandam, opposuit; quod ejusdem postea sectatores impigre fecerunt. Quamobrem, ut eo revertar, quo dicere institueram, et huic dissertationi clausulam apponam; satis mirum et miseratione dignum est, catholicos homines, spreta vetere doctrina, novam istam tanquam Augustinianam repente esse complexos, ac sibi tam luculenter imponi passos esse; ut pro Augustiniano id arriperent, quod nusquam ab Augustino vel levissime usurpatum, sola illi externi hominis, nec valde docti, libido ac temeritas affinxit.

FINIS DISSERTATIONIS DE ADJUTORIO SINE QUO NON, ET ADJUTORIO QUO.

MONITUM EDITORIS.

Hucusque superiorum editionum ordinem sequuti sumus, nihilque ex illis immutavimus, nisi, si non paucæ, quibus opus instruximus tum ex Petavii ipsius tum ex nostro qualicumque promptuario, adcessiones appellare mutationes libet. Deinceps vero ne ipse quidem servandus est librorum ordo. Libros de Opificio sex dierum, ceterosque hoc volumine comprehensos (iis tamen demptis, quos F. Zaccaria primus in sua editione intulerat, Petavii, et Casini libris) sequebantur in Amstæledamensi, quam Veneti deinde typi expressere, Clerici editione libri de Ecclesiastica hierarchia, Ecclesiasticæ dissertationes, de potestate consecrandi Diatriba, deque Pœnitentia libri octo, sed ordine plane ridiculo. Nam ejusmodi commentationes de divini Verbi Incarnatione tractatum sequi omnino debent, quum neque Ecclesiastica hierarchia, neque Christianæ legis sacramenta, nondum incarnato Verbo, possunt intelligi. Igitur, illis in tomum ultimum rejectis, de Incarnatione Verbi libros aggredimur. Hæc monuisse sit satis.

DIONYSII PETAVII

TRACTATUS

DE INCARNATIONE VERBI.

VERBO

PRO HOMINUM SALUTE

CARNI FACTO

VERO, AC NATURALI

DEI FILIO

DEI, ET HOMINUM MEDIATORI

JESU CHRISTO

HUNC TRACTATUM

EJUS NUTU SUSCEPTUM

OPE PERFECTUM OFFERT, CONSECRATQUE

DIONYSIUS PETAVIUS
Societatis JESU.

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE INCARNATIONE VERBI.

PRÆFATIO.

Hic tibi datur a nobis (erudite, ac catholice lector) tractatus de divini Verbi Incarnatione, quem qui legerit, ac propositas, et enodatas inibi quæstiones expenderit, intelliget omnino neque prolixiores in iis explicandis, quam oporteret, fuisse nos ; et aliquanto longius progredi disputando potuisse. Nunc ut operæ ratio constet, exponam breviter singulorum librorum summam, qui sunt numero sedecim.

In primo libro præcipuæ traduntur, ac declarantur hæreses, quæ adversus illius mysterii fidem dissimilibus, et inter se contrariis erroribus utrinque certarunt : præsertim illæ, quæ duas in Christo personas, ac naturas totidem, aut naturam in eodem unicam, itidem ut personam inesse docuerunt.

In secundo, de causis agitur Incarnationis, deque fine potissimum, quem in tanti sacramenti molitione propositum habuit Deus.

In tertio, naturalem ambarum arctissima copulatio, quam *unitionem* vocant, exponitur : quæ est Incarnationis, uti nominari solet, causa formalis : ac quemadmodum duabus inter se congruentibus naturis una in illis persona constet : et hæc ipsa composita ne sit, an simplex.

Quartus liber generales duarum naturarum affectiones complectitur, quæ ex unitione, et quatenus inter se sunt conjunctæ, consequuntur. Tum memorabilis illa Cyrilli Alexandrini et perplexa sententia diligenter expenditur, quæ est ejusmodi : In unitione duæ naturæ sunt conjunctæ : Sed post unitionem nonnisi una natura incarnata Verbi extitit.

Item illud : an ut Deus homo factus dicitur, sic dici possit, homo est factus Deus ; atque an momento aliquo humana prius extiterit natura, quam cum Verbo junge-

retur : necnon utrum interventu animæ, vel mentis Verbum cum humana sit carne copulatum. Postremo de naturarum περιχωρήσει, ac proprietatum communicatione disseritur.

Quintus liber naturas duas separatim considerat, hoc est ea pertractat, quæ singulis, qua sunt unitæ inter se, conveniunt : velut de divina istud exquiritur, utrum naturæ natura copulata sit : ecquid unus de Trinitate passus dici debeat : ac de Trisagio hymno.

De humanæ vero, qua est unita, propriis affectionibus primum metaphysicis agitur. Velut utrum propriam habeat existentiam : itemque proprium subsistendi modum : tum ecquid humanæ naturæ accessio quaternitatem in Trinitate faciat : deinde physicæ quædam proprietates expenduntur ; ut an integra sit, nec ulla parte desecta, ut puta anima, vel mente : an ex tribus substantiis constare Christus dici debeat : an Deus gignatur in Christo : sitque Maria θεοτόκος, hoc est Dei Genitrix.

Sextus liber necessariam habet Cyrilli, et Ephesinæ synodi propugnationem contra recentioris hæretici cujusdam anonymi calumniam, qui utrumque Apollinaristarum erroris reum postulavit, ac Nestorium pro catholico, et sancto, injusteque damnato habendum censuit.

Quo confutato, de duodecim anathematismis Cyrilli, et horum oppugnatione, ac defensione sedulo agitur.

Secundum hæc, humanæ Christi naturæ proprietates, sive qualitates expositæ sunt : quarum genera sunt duo. Aliæ sunt οὐσιώδεις, id est *substantivæ*, quæ substantiam ipsam afficiunt : aliæ sunt accidentes, quas ἐπιγεννηματικὰς Græci nominant. Rursus substantivæ vel sunt perpetuæ, ac manentes, ut esse filium Dei, esse creaturam : aliæ sunt transeuntes, et in fluxione positæ, quales sunt ἐνέργειαι, id est operationes, et voluntates.

Ex iis septimus liber substantivas manentes explicat. Siquidem agitur in eo de Filii conditione ; sitne naturalis, an adoptivus homo Christus : an sit creatura : an sit servus : an templum, et domicilium divinitatis : an sit Deifera caro, et homo Dominicus : reliquas duas transeuntes, et fluentes octavus, et nonus.

Octavus quidem de Christi operatione disputat : ubi et Monothelitarum exponitur, ac refutatur hæresis ; tum θεανδρικὴ ἐνέργεια declaratur, deque ea regulæ quædam explicantur.

Nonus liberæ in Christo voluntatis arbitrium continet, ejusque natura, et ratio ab hæreticorum præstigiis asseritur.

Sequuntur ἐπιγεννηματικαὶ proprietates, hoc est accidentes qualitates, et dotes, quæ in

duplici sunt differentia. Quædam enim φυσικαὶ dicuntur, id est *naturales*, aliæ *morales*, quæ humano in usu, et æstimatione positæ sunt. Naturales porro, vel ad corpus, sive ad totum ipsum ex corpore animaque compositum spectant : vel ad animam solam.

Naturales in corpore, vel toto sitæ composito, in libro decimo traduntur. Hujusmodi est vivifica vis a Verbo in corpus animamque derivata : quæ tanta fuit, ut caro ipsa contactu suo non vitam modo corporibus, et sanitatem, verum etiam animis gratiam, et sanctitatem afferret. Tum illud exponitur, fueritne corruptibilis an incorruptibilis Christi caro. Postremo de immensitate, vel omnipræsentia, sive, ut barbarissantes loquuntur, *ubiquitate* corporis animæque Christi disputatur.

Undecimo in libro peculiares animæ qualitates comprehenduntur : ut scientia, et sapientia, in eaque progressus : gratia, et sanctitas ejusdem animæ : necnon ἀναμαρτησία, id est *impeccantia*.

Duodecimus liber morales proprietates continet, ac dignitates : velut est Mediatoris Dei, et hominum. Cujus functionis ratio accuratissime contra recentiores hæreses expenditur. Et quoniam mediatoris præcipuæ sunt partes, conciliare inter se dissidentes, de pace per Christum illata, procurataque agitur : tum de advocato, et paracleto : et utrum pro nobis oret Christus. Disputatur et de meritis Christi : et utrum angelorum salvator sit. De sacerdotio quoque ejusdem, et de sacrificio novæ legis ; ac de regia Christi potestate, ac judiciaria. Ad hæc de capitis dignitate : deque perpetuitate Incarnationis, et regni Christi, ubi et de triduo sepulturæ Dominicæ disseritur.

Decimus tertius liber, Christi mediatoris officium in homines complectitur. Ex quo illud consequenter enucleatur, utrum et Deus omnes esse salvos, quantum in se est, velit : et Christus pro omnibus patiendi voluntatem, et intentionem habuerit. De qua re Augustini præsertim sententia luculenter exponitur adversus novorum dogmatistarum opinionem, necnon Prosperi, et aliorum Augustini placitis affixorum. Disputatur et de eodem spectantibus aliis : velut de Arelatensi synodo in causa Lucidi : de Fausto Reiensi : de Lugdunensi synodo : necnon de gallicanæ Ecclesiæ procella ex Gothescalci damnatione coorta : deque oppositis inter se synodis, Carisiacensi, Valentina, et ceteris. Prædestinatianorum ibidem hæresis exponitur ; et quatenus in rerum natura extitit. Secundum hanc vero, Augustini de absoluta prædestinatione sententia ex mente discipulorum illius explicatur, et fit illustrior, ac de reprobatione quoque illius declaratur opinio. Postremo de Christi ad inferos descensu, et mediatoris præstito illic officio accurate disputatur.

In decimo quarto libro de mediatoribus secundariis actum est : cujusmodi imprimis

est beata Maria Dei genitrix : tum sancti cœlites. De Mariæ itaque mediatione, et intercessione disputandi principium ab ejus sanctitate capitur : quam ab omni culpa secretam fuisse probatur, primum *actuali*, deinde *originali*. Ad hæc virginalis ejusdem integritas perpetua defenditur ab hæreticorum, et veterum, et recentium obtrectatione. Tum de cultu ejus et honore latius agitur. Postea de sanctorum aliorum veneratione : ac reliquiarum eorumdem veneratione. Quod institutum Ecclesiæ catholicæ ab hæreticorum calumnia, et vexatione vindicatur ; præsertim Molinæi ministri.

Quintus decimus liber de Religione, deque ejus actione illa, quæ *adoratio* nuncupatur, sermonem continet. Ubi illud explanatur, an quatenus homo Christus adorandus sit, et quidem summo *adorationis* genere, quæ latriæ vocatur. Cujus rei occasione de *idololatria* disseritur, deque Decalogi præcepto, quo idololatria prohibetur. Post hæc de Cruce, et imaginibus, earumque cultu celebris controversia pertractatur, ac præsertim de œcumenica septima Synodo, et Francofordiensi : a qua minime illam revera esse damnatam ostenditur.

Sextus decimus, ac postremus totius operis liber sectas duas inter se affines et cognatas refellit : quæ Incarnationis fidem oppugnant ; altera est Samosatenorum, vel Photinianorum recentium : qui sunt Anabaptistæ Sociniani : quorum adversus Christi Dei, et hominis veri, hoc est naturarum duarum in eadem persona professionem, cavillationes diluuntur : altera est Judaica, quæ certissimis rationibus confutatur, dum advenisse jam Messias isque esse Jesus Mariæ virginis filius demonstratur.

Ad hos sedecim libros, quibus tractatus absolvitur, accessit Appendix ad decimum tertium librum : in qua de prædestinatione, deque voluntate Dei, ac Christi erga omnes ad salutem adducendos, ex Augustini sententia, potissimum est actum.

Habes, erudite, ac candide lector, promissi, et suscepti operis Theologicorum dogmatum partem fere dimidiam, divina ope jam elaboratam, et ad exitum perductam. Quod superest, pertexere deinceps animus est, quantum ætas, viresque ferent, et amborum arbiter, ac dispensator Dominus Jesus : cujus in honorem et gloriam omnis hic a nobis destinatus, et impensus est labor.

Ad extremum, quod in tomis antecedentibus factum est, ut auctorum, qui in illis citantur, Indiculus ad calcem poneretur ; id in sequentibus visum est minime necessarium : quod scriptores iidem omnes fere, quorum variæ sunt editiones, ex quibus certam adnotari oportuit, utrobique laudantur : ac proinde cujusmodi hoc in tractatu editio sit adhibita, ex superiorum Catalogis repeti possit.

DE INCARNATIONE VERBI.

LIBER PRIMUS.

IN QUO HÆRESUM OMNIUM, QUÆ CATHOLICÆ DE INCARNATIONE FIDEI ADVERSATÆ SUNT, HISTORIA DESCRIBITUR.

CAPUT PRIMUM.

Synopsis hæresum omnium, quæ catholicam Incarnationis fidem oppugnarunt, quæ ad decem capita revocantur.

I. (1) Manifeste *magnum est pietatis sacramentum : Deus manifestatus est in carne, justificatus in spiritu, conspectus angelis, prædicatus gentibus, creditus in mundo, assumptus in gloria.* Juvat enim de Incarnationis mysterio loqui instituentem, ab illis auspicari verbis Apostoli, quæ ejus ut magnitudinem, ita magnitudini parem obscuritatem, difficultatemque commendant. « (2) Est enim, ut ad eadem illa verba Cyrillus ait Alexandrinus, revera sapientia, nec humana quidem ullo modo, sed divina potius, atque in reconditis quibusdam profunditatibus, et incomprehensis difficultatibus posita, illud Christi mysterium. Ideo beatus David in Psalmo cecinit [1] : *Et posuit tenebras labitulum suum : in circuitu ejus tabernaculum illius : tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Ubi tenebras, opinor, nihil aliud appellat, quam obscuram intelligentiæ perceptionem, quæ in oculos mentis instar caliginis incurrit. » Ex quo vir idem summus colligit, « non sublimibus inquisitionibus, aut ejusmodi curiosa indagatione, quæ ingenii humani captum superet, opus esse illi Christi mysterio : sed fide potius, quæ simplici, nec ullo fuco adulterata traditione constet. » Quæ postrema non siç intelligenda sunt, quasi omnis ab hoc, et similibus tractandis mysteriis arceatur disputandi subtilitas, nihil ut, præter nudam, ac simplicem fidei professionem, adhibere istic liceat; quod si fiat, omnis extemplo tollatur e medio divinarum rerum scientia, quam Theologiam dicimus : cujus hoc munus est, ex ejusdem fidei decretis, velut principiis, latentes, et arcanas rerum illarum notiones argumentando colligere. Verum hoc Cyrillo tantummodo placet, ut in illo scrutando, ac disputando mysterio, primas, potioresque partes sibi fides Christiana vindicet, ejusque ductu humana ratio, et industria gubernetur. « Quippe magnum bonum confert inquisitio veritatis, ut ait Fulgentius [2], quæ tamen tunc

(1) Tim. 3. 16. ut in græco legitur. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν Πνεύματι, ὤφθη Αγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

(2) Cyril. lib. 3. con. Nest. init. pag. 60. Σοφία γὰρ ἀληθῶς, καὶ οὐκ ἀνθρωπίνη ποθὲν, θεία δὲ μᾶλλον, καὶ ἐν ἀποῤῥήτοις τισὶ βάθεσί τε, καὶ ἀκαταληψίαις κειμένη, τὸ Χριστοῦ μυστήριον. Ψάλλει γοῦν ὁ μακάριος Δαβὶδ, καὶ ἔθετο σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ κύκλῳ αὐτοῦ, σκηνὴ αὐτοῦ, σκοτεινὸν ὕδωρ ἐν νεφέλαις ἀέρων. Σκότον, οἶμαι, λέγων οὐδὲν ἕτερον, πλὴν ὅτι που πάντως τὴν τῶν ἐννοιῶν δυσκάτοπτον εὕρεσιν τοῖς τῆς διανοίας ὀφθαλμοῖς ἀχλύος δίκην ἐμπίπτουσαν. Ταύτῃ τοι φαμὲν ζητημάτων ἰσχνῶν, καὶ περιεργίας τῆς ἐπέκεινα νοῦ δεδεῆσθαι μὲν οὐδαμῶς τὸ Χριστοῦ μυστήριον· πίστεως δὲ μᾶλλον ἁπλῆς, καὶ ἀκακοῦργον ἐχούσης τὴν παράδοσιν.

[1] Psal. 17.

[2] Lib. 1. ad Tract. c. 3.

desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur. » De quo late disseruimus in Prolegomenis operis totius [1].

Hanc unam fuisse labem, et sentinam errorum omnium, qui adversus sanctissimæ Trinitatis, et incarnati Verbi dogmata pullularunt, Athanasius affirmat, dum fidei simplicitate neglecta, « (1) humanis ratiocinationibus, et græcæ philosophiæ ope, ac præsidio summa, et incomprehensa percipere contendunt potius, quam fide consequi. »

II. Quæ quidem nefandorum errorum pestilentia maxime in istud, de quo agere hoc loco decrevimus, mysterium assumpti a Deo Verbo hominis incubuit. Quod idem Fulgentius testatur his verbis [2]: « Certum est, *inquit*, pene omnes hæreticæ pravitatis errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credunt; et ille lapis [3], qui ab ædificantibus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam pravæ credulitatis cæcitate possessis, lapis offensionis, et petra scandali efficitur. » Quo et illud sanctissimi senis Simeonis pertinere putat [4]: *Ecce positus est hic in ruinam, et resurrectionem multorum.* Etenim nusquam opinandi lascivia major : nec tam multiplex, ac tam copiosa hæresum ubertas alibi reperitur, quod hoc libro subinde monstrabimus. Nunc totam illam contrariarum fidei varietatem opinionum in certa concludemus divisionis capita, cujus nobis initium præbet Fulgentii locus ille : in quo alios esse dicit, qui mysterium Incarnationis *omnino non credunt*: alios, *qui non sicut est credunt*. Qui male interpretantur, hi duorum in alterum peccant; quæ duo in Incarnatione continentur, hoc est in θεολογίαν, vel οἰκονομίαν, ut ait Joannes Damascenus. Quæ sunt naturæ Christi totidem. Nam θεολογία proprie divinitatem : οἰκονομία, suscepti hominis naturam, proprietatemque significat; ut alias observavimus [5]. Qui ad divinitatem offenderunt, partim eamdem cum Patre Filii personam, partim minorem esse voluerunt : partim denique solam divinam esse naturam atque personam cum adumbrata hominis specie, non vera, solidaque substantia, quos δοκητὰς appellant : ut inter alios Theodoretus libro quinto de Hæresibus cap. 12. Jam quod ad humanam attinet, quidam meram illam esse dixerunt, hoc est non minus persona, quam substantia congruentem ceteris : ac sola σχέσει, et externo nexu ac vinculo cum Deo colligatam : ut Nestorius. Alii ex adverso divinæ sortis eam constituerunt : sive corpus illi e cœlesti materia delibatum expersque carnis affingerent; ut Valentinus, Marcio ac similes : sive ante unionem cum Verbo, duas fuisse naturas vellent : post unionem vero, non nisi unicam : permixtis invicem duabus, atque confusis, quod Eutychis delirium fuit. Nonnulli animæ loco, Verbum ipsum carni fuisse censent, ut Ariani. Alii dimidiatam animam in corpus compingunt, vice mentis fuisse Verbum asserentes, ut Apollinaris. Denique Origenes solum aliquando animam cum Verbo copulavit. Ita decem existunt hæresum capita, catholico de Incarnatione adversa dogmati, quorum aliqua rursus secta varias in partes, velut Lernæum nescio quod de fabula portentum, vulneribus suis instaurata creverunt.

III. Quam quidem errorum multiplicitatem et copiam priusquam per partes enarrare aggredior, testem divisionis illius dabo Leonem papam : qui collectas in totidem fere fastigia hæreses omnes exposuit cum illius mysterii integritate pugnantes [6]. « Omnium, *inquit*, fere falsa credentium opinionibus, quæ etiam in sancti Spiritus negationem proruunt, retractatis, neminem pene deviasse cognoscimus, nisi qui duarum in Christo naturarum veritatem sub unius personæ confessione non credidit. Alii etenim Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere deitatem. Alii veram quidem in ipso divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alii professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non habuisse naturam, et deitati ejus, quæ erant humanæ substantiæ deputantes, majorem sibi Deum, minoremque finxerunt; cum gradus in vera divinitate esse non possit. Quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alii cognoscentes Patris et Filii nullam esse

(1) ATHAN. in lib. ὅτι εἷς ὁ Χριστός, tom. 1. pag. 518. Καὶ μὴ παραδεχόμενοι, μηδὲ πιστεύοντες ὅλως σωματοῦσθαι Θεὸν, ἀλλὰ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις, καὶ φιλονεικίᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ ἑλληνικῇ γνῶναι, καὶ καταλαβεῖν μᾶλλον βουλόμενοι τὰ μεγάλα, καὶ ἀκατάληπτα.

[1] Cap. 4. Prol. Tom. 1. § 12. et 13. — [2] 1. ad Tras. c. 4. — [3] Psal. 117. — [4] Luc. 1. — [5] In Prol. tom. 1. c. 1. § 2. — [6] Leo ser. 8. de Nativ.

distantiam, quia non poterant unitatem deitatis intelligere, nisi in unitate personæ, eumdem asseruerunt esse Patrem quam Filium, et nasci, et nutriri, pati, et mori, sepeliri et resurgere, ad eumdem pertinere, qui per omnia et hominis personam impleret et Verbi. Quidam putaverunt Dominum Jesum Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse, sed ab elementis superioribus, ac subtilioribus sumptum. Quidam autem æstimaverunt in carne Christi humanam animam non habitasse, nec fuisse : sed partes animæ ipsam Verbi implesse deitatem. Quorum imprudentia in hoc transiit, ut animam quidem fuisse in Domino faterentur, sed eamdem dicerent mente caruisse, quia sufficeret homini sua deitas ad omnia rationis officia. Postremo iidem asserere præsumpserunt, partem quamdam Verbi in carnem fuisse conversam ; ut in unius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum, animæque natura, sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia. »

Subjicit his novas tum duas ex adverso pugnantes hæreses, Nestorii, et Eutychis, quorum ille « beatam Mariam virginem hominis tantummodo ausus est prædicare genitricem, ut in conceptu ejus et partu nulla Verbi et carnis facta unitio crederetur, quia Dei filius non ipse factus est hominis filius, sed creato homini sola se dignatione sociaverit. » At Eutyches unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dicit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia ; quæ utique fieri nisi aut in consumptione, aut separatione non potuit. » Harum plerasque percenset Fulgentius in libro primo de Remissione peccatorum cap. 16. Augustinus vero in libro primo quæstionum Evangelicarum quæst. 45. « errorem hæreticorum de Christo tribus generibus terminari » dicit : « Aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroque falluntur. » Zeno denique Veronensis sermone primo de Nativitate, « Licet, *inquit*, sectæ sint plures, quæ injuriam Christi fabulari nitantur, tamen tres sunt quodammodo principales, e quibus duæ ejus, quem cupiant depravatum, simulant se esse cultrices. Una denique asserit Jesum Christum ab utero virginis Mariæ sumpsisse principium, Deumque exinde ob justitiam factum esse, non natum. Alia modestius, sed mordacius nocens dicit quidem Dei filium Deum ; sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum : fuisseque tempus, quando non fuit. Tertia Judæa est vere cæca ; quæ cum in lege, ut dicere solet, sua, legat ubique duas Patris, et Filii designari personas, tamen nunc usque contendit Deum filium non habere. » Sed hæ partitiones minus accuratæ sunt, nec universas hæreses continent. Nos ex omnibus sequentem divisionem instituemus.

IV. Existunt itaque decem omnino hæresum capita, incarnati Verbi inimica dogmati : quæ subinde singillatim exponam.

Primi generis sunt illi, qui nullam penitus hominis cum Verbo conjunctionem esse factam arbitrati sunt : ut Photiniani, et Samosateni.

Secundi sunt ii, qui specie tenus et imagine naturam hominis a Deo susceptam esse voluerint ; quos Δοκητὰς dixi esse nominatos, ut Valentini, Manichæi, et similes.

Tertio loco censentur, qui unicam in Deo personam impie professi, eamdem in carnem incluserunt ; aut quoquo modo Trinitatem ipsam, Patrem certe, hominem esse factum putarunt.

Quartus eorum est error, qui Verbo Filioque soli eas partes mandarunt iuduendi hominis, sed illius divinitatem natura itidem ut persona, diversam a Patris divinitate finxerunt : ut Ariani, quorum et propriæ sunt labes aliæ, de quibus agemus postea.

Quinto loco ponendi sunt, qui corpus e cœlesti materia delibatum tribuunt Christo, et communi negant carne constare : ut Appelles, et si qui alii.

Sexto, qui duas ante junctionem, sive, ut communi vocabulo utar, *unitionem*, naturas fuisse docuerunt, post junctionem vero, nonnisi unam : sive alteram e duabus, absorpta extinctaque altera, sive conflatam e duabus tertiam. Cujus sectæ coryphæus fuit Eutyches.

Septima classis eorum extitit, qui unicam perinde naturam in Christo, sed inferiorem profitentur, et hominis propriam : Verbum autem non ei proprie, et substantive conjunctum prædicant ; sed σχετικῶς, et extrinsecus adhærens : ut Nestorius.

Octavi sunt, qui humanæ naturæ parte integra mutilant Christum : ut Ariani, qui Verbum animæ instar illi esse dixerunt.

Nonum locum obtinent, qui ejusdem animæ partem solummodo detrahunt : ut Apollinaristæ, qui νοῦν, et ψυχὴν, id est *mentem*, et *animam* a se mutuo separantes, solam posteriorem Christo vindicant, mentis autem vice Verbum eidem fuisse censent.

Decimo ac postremo loco commemorandi

sunt, qui solam conjunctam aliquando cum Verbo esse animam statuunt : quod Origenis commentum fuit.

Hæc fere sunt præcipua contra hoc dogma fidei errorum fastigia : quorum pleraque varias in partes distracta, novas in hæresum formas abierunt, de quibus accurate paulo post. Nam singula percurremus genera, et in iis præsertim diligentius elaborabimus, quæ nobiliores scelere ac perfidia (nec enim inclarescere aliter possunt) hæreses pepererunt, ut in sexto, et septimo, quorum ex priore, Eutychiana : ex altero, Nestoriana pestis erupit.

CAPUT SECUNDUM.

De hæreticis, qui divini Verbi incarnationem funditus abnegarunt. Tredecim præcipui recensentur, ac primum Carpocratiani, Cerinthus, Nazaræi, Ebionitæ, Helcesæi, Artemon, Theodotus Coriarius, Theodotus Trapezita, Beryllus : quorum omnium dogmata declarantur.

I. Impiorum ducit agmen, et in fronte merito collocatur Judaica perfidia, quæ Christum merum esse credidit hominem ; nullo vero modo Deum. Nec de illo tantum Christo loquor, qui revera fuit ejusmodi, quemque illi non modo nudum hominem, sed hominum etiam infimum, ac deterrimum arbitrati, ignominiosa nece sustulerunt : verum illum insuper quemcumque tandem e sacris litteris, ac prophetarum vaticiniis suspicari potuerunt, et adhuc expectant, nihil nisi hominem fore, perpetuo judicarunt.

Testatur hoc Athanasius, qui apostolos excusans, quod initio prædicandi Evangelii, de Christi tantummodo humana natura locuti videntur, « (1) causam illos *ait* hujus probabilem habuisse. Cum enim Judæi, qui per id tempus degebant errantes ipsi, et gentiles in errorem abducentes arbitrarentur, Christum merum hominem, ex Davidis tantummodo stirpe descendere : quemadmodum ceteros ab eodem Davide progenitos filios : at vero nec esse Deum ipsum, neque Verbum carnem esse factum crederent ; ideo admirabili quadam prudentia beati apostoli, quæ hominis propria erant in Salvatore Judæis initio prædicabant. »

(1) S. ATHAN. de sen. Dio. pag. 432. Καὶ τὴν αἰτίαν ἔχουσιν εὔλογον. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ τότε Ἰουδαῖοι πλανηθέντες τε, καὶ πλανήσαντες Ἕλληνας ἐνόμιζον τὸν Χριστὸν ψιλὸν ἄνθρωπον μόνον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ ἔρχεσθαι καθ' ὁμοιότητα τῶν ἐκ τοῦ Δαβὶδ ἄλλων γενομένων τέκνων· οὔτε δὲ Θεὸν αὐτὸν, οὔτε ὅτι Λόγος σὰρξ ἐγένετο ἐπίστευον· τούτου ἕνεκα μετὰ πολλῆς τῆς συνέσεως οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὰ ἀνθρώπινα τοῦ Σωτῆρος ἐξηγοῦντο πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις.

II. Exinde secuti illi sunt, qui sub Christiano utcumque vocabulo, et professione, Judaicam de Christo sententiam amplexi, in varias hæreses abierunt. Nam, ut recte observatum est a Basilio, (2) cum diabolus animadverteret, Judaicam perfidiam, quæ verum Dei filium negat, et gentilium sectam, quæ plurium deorum cultum adstruit, ex æquo Christianis invisam esse, ac vel nomine ipso detestandam ; astute id excogitavit, ut ambobus Christianum nomen imponeret ; quo amborum impietatem ex adverso se respicientium in medio positis istis impingeret.

Quod quidem in Verbi divinitatem intuens Basilius ita scripsit. Sed non minus vere ad incarnationem ejusdem referri potest : in cujus pessimam interpretationem utraque ex æquo Judæorum ac gentilium conspiravit amentia. Nam qui nihil præter hominem in Christo reperiri putarunt, ut Ebionitæ, ac Samosateni, inter Judæos merito numerantur : et iidem nihilominus pro gentilibus habendi sunt, quatenus huic ipsi, cui nihil præter humanam naturam imputant, divinitatis et nomen, et cultum tribuunt : ut eodem in loco Basilius adnotavit, et Athanasius initio orationis illius, qua *Christum esse unum* approbat.

(2) BASIL. hom. 27. contra Sab. initio. Ἐπειδὴ γὰρ εἶδεν ὁ σοφὸς τοῦ κακοποιῆσαι διάβολος τὴν πρὸς Ἕλληνας καὶ Ἰουδαίους τῶν χριστιανῶν ἀλλοτρίωσιν, καὶ ὅτι αὐθις ἐκ τῶν ὀνομάτων ἔχομεν πρὸς αὐτοὺς πολεμίους, τὸ ἡμέτερον ἐπιθεὶς ἑκατέροις ὄνομα, οὕτως ἐπεισάγειν ἐπιχειρεῖ πάλιν τὴν Ἰουδαϊκὴν ἄρνησιν, καὶ τὴν Ἑλληνικὴν πολυθεΐαν.

III. Igitur « Christianorum quidam, ut Leo papa scribit [1], ex documentis nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quæ eum verum hominis filium demonstrabant, nihil ipsum amplius, quam hominis filium crediderunt, non putantes illi adscribendam esse dignitatem, (for. divinitatem,) quem et primordia infantiæ, et incrementa corporea, et passionum usque ad crucem mortemque conditio non dissimilem ceteris mortalibus approbassent. »

Antiquissima fuit hæresis ista, et ab ipso Christianæ religionis exortu grassandi fecit initium : quando impiorum hominum vox, et professio illa percrebuit, Christum Josephi et Mariæ verum ac naturalem esse filium, et utriusque satu genitum, nec habere quidquam communi ceterorum natura præstantius. Hujus meminit hæresis haud semel Ignatius in epistolis ; ut in secunda ad Trallenses, et in 6. ad Philadelphenses.

Tredecim circiter apud antiquos celebrantur famosi illius erroris artifices. E quibus undecim Theodoretus nominat in secundo contra hæreses libro ; quem in librum genus hoc sectarum contulit, quod humana natura Christi personam definit. Sunt autem sectæ istæ, Ebionitarum, Nazaræorum, Cerinthianorum, Artemonis, Theodoti, Melchisedecianorum, Helcesæorum, Pauli Samosateni, Sabellii, Marcelli, Photini. His Carpocratem addit Irenæus, et Epiphanius ; Beryllum, Gennadius [2]. Nos de singulis sectarum auctoribus nonnulla proloquemur : præsertim de iis, quorum et insignior ad notitiam est nominis fama, et vis ad Ecclesiæ, ac catholicæ fidei perniciem major erupit.

IV. Primum ex his ordine Carpocratem recenset Irenæus [3], et hunc secutus Epiphanius, qui Καρποκρᾶν nominat, necnon Philastrius, quem Irenæus Καρποκράτην, ut et Clemens Alexandrinus [4], Eusebius [5], et Theodoretus [6]. Genere hunc Alexandrinum fuisse Clemens memoriæ prodidit, ex eoque Theodoretus, qui et Hadriano Imperatore hæresim illum suam vulgasse refert : quæ Καρποκρατιανῶν a Clemente dicta, ab Epiphanio, Καρποκρασίων. Fuit idem præcipuus Gnosticorum auctor, perinde ac Simon ille Samerites, *magus, et fornicarius*, ut præter Irenæum, Epiphanium, et Theodoretum, Tertullianus affirmat [7] ; atque inter cetera, Jesum ex Josephi et Mariæ conjugio ceterorum more progenitum asseruit. In quem post baptismum Christus illapsus est, ac « talem animam accepisse » dicebat [8], « quæ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret, » ait Augustinus. Carpocrati Cerinthum Irenæus, et Epiphanius proxime subjiciunt, ut et Philastrius. Quem nihil a Carpocrate dissensisse produnt isti, nisi quod judaicos ritus Christianis admiscuit.

In hunc, perinde ut Carpocrates, aiebat descendisse Christum, hoc est Spiritum sanctum, ad Jordanem in columbæ specie ; ac postquam passus est Jesus, Christum revolasse sursum, Jesum autem resurrexisse. Ita Irenæus [9], et Epiphanius [10]. At Augustinus [11], et Philastrius referunt Cerinthum asseverasse *non surrexisse* Jesum, *sed resurrecturum esse ;* quibus auctor libri, qui Prædestinatus dicitur, accedit. Ceterum Jesum tantummodo hominem fuisse docuit ex Josepho et Maria genitum : quod de eo, ut et de Carpocrate Tertullianus asserit in libro de Præscriptionibus capite 48.

Hunc esse præterea, qui sub apostolis quæstionem illam movit de circumcisione, ac ceteris Judæorum adhibendis cæremoniis, ad quam disceptandam primum Hierosolymis concilium ab apostolis habitum esse [12] scribunt Epiphanius, et Philastrius. Quod si vere proditum est, vetustissimus fuerit oportet, ac prior Carpocrate, quem sub Hadriano collocat Theodoretus : qui in Ægypto Cerinthum diu versatum esse refert, ibique philosophiæ operam dedisse, atque in Asiam transisse postea. De hujus cum Joanne apostolo congressu memorabile quiddam narrat Irenæus [13], ex eoque Cæsariensis Eusebius [14] : Joannem, cum lotum ad balneas venisset, animadverso, qui tum eodem accesserat, Cerintho, statim se inde proripuisse : Ne balneum, inquientem, subito cadens, cum Cerintho nos opprimat.

V. Nazaræi, vel, ut græce concepti sunt, *Nazorœi*, per idem tempus exorti feruntur, ut refert Epiphanius [15]. Qui judaicos ritus Christianis sacris admiscebant : et Christum, perinde ut Cerinthus et Ebion, ab Josepho genitum esse prædicabant : quod Theodoretus asserit (1).

Augustinus [16] *Deum* illos ait *confiteri esse Christum :* atque ita libri auctor, cui titulus

(1) Theod. lib. 2. con. Cel. cap. 2. Τὸν Χριστον τιμῶντες ὡς ἄνθρωπον δίκαιον.

[1] Serm. 10. de Nativ. cap. 2. — [2] De dogmat. Eccl. c. 3. — [3] Lib. 1. c. 24. — [4] Lib. 3. Strom. p. 312. — [5] Lib. 4. c. 7. — [6] Lib. 1. c. 5. — [7] De an. c. 35. — [8] Aug. de Hær. c. 7. Tertul. de præf. c. 68. — [9] Lib. 2. c. 3. — [10] Hær. 28. — [11] Lib. de Hær. c. 8. — [12] Act. 15. — [13] Lib. 3. c. 3. — [14] Lib. 4. Hist. c. 14. — [15] Epiph. Hær. 29. — [16] Lib. de Hær. 9.

est *Prædestinatus*, quod Epiphanius itidem affirmat (1). Qui nihilominus dubitat, utrum Cerinthi impietatem secuti, simplicem illum hominem constituant. De his plura leges apud Epiphanium, quæ ad rem nostram nihil attinent.

Ebionitæ proxime ab illis commemorandi sunt, ab Ebione propagati, Cerinthi discipulo, ut ait Philastrius. Qui superiorum omnium hæresum venena collegit : ut scribit Epiphanius. Cumque secta Samaritanus esset, Judæus haberi maluit. Iste legem Mosaicam, ac ritus judaicos et circumcisionem cum Christiana professione conjunxit. Evangeliis ceteris abjectis, solum illud asciscunt Ebionitæ, quod est secundum Matthæum ; « apostolum vero Paulum recusant, apostatam eum legis dicentes, » ut refert Irenæus [1], et Epiphanius [2], necnon Eusebius. Ebionem de Josephi ac Mariæ consortio putasse Christum esse genitum, produnt Epiphanius idem, Philastrius, Augustinus [3], Theodoretus [4], post Eusebium [5], et Origenem [6]. Atque hic quidem duo Ebionitarum genera reeenset. Nam (2) alios asserit Christum ex Virgine natum fateri : alios communi cum ceteris satu procreatum dicere.

VI. Addit Eusebius (3), priores istos sic de Virgine, ac Spiritu sancto natum asseverasse Christum, ut ante nativitatem hanc eumdem extitisse negaverint, Deum, ac Dei Verbum, et sapientiam.

Quinetiam alia sectæ eidem Epiphanius portenta tribuit [7], quæ non auctoris ejus Ebionis, sed Ebionitarum esse propria suspicatur : maxime quod ipsi Jesum esse merum arbitrabantur hominem, utroque parente genitum, in quem virtus e cœlo quædam delapsa sit : quam virtutem, Christum etiam, ac Spiritum sanctum interpretati sunt.

Item [8] Ebionem ait in Asia, necnon Romæ, dogma suum prædicasse, cum in Syria, et Nabatæa, ac Moabitide auspicatus esset. Tum quod Irenæus, et Eusebius a nobis paulo antea laudati de Joannis evangelistæ et Cerinthi fortuito congressu referunt, hoc de Ebione narrat idem Epiphanius [9] : ac post excidium Hierosolymitanum errorem propagare cœpisse [10]. Certe Joanne vivo, Ebionitarum emersisse dogma testis est Hieronymus [11], ubi et duplicis illius Ebionitarum generis commune dogma brevi sententia complexus est. « Novissimus, inquit de Joanne scribens, omnium scripsit Evangelium, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse. » Itemque Tertullianus libro de carne Christi [12], « Poterit hæc opinio, *inquit*, Hebioni convenire, qui nudum hominem, et tantum ex semine David natum, non item et Dei filium, constituit Jesum, plane prophetis aliquo gloriosiorem, etc. » Hujus sectæ coryphæus aliquando fuit Symmachus, qui græce Biblia vertit.

VII. Helcesæos adjungam Ebionitis : de quibus variis in locis fuse disserit Epiphanius. Qui [13] conditorem istius sectæ nominat Elxai quemdam impostorem, et pseudoprophetam, et qui ad Ossenorum factionem unam ex Judaicis aggregatus est, Imperatore Trajano. Hunc Ἠλξαΐ nominatum refert idem Epiphanius, quasi (4) *virtutem absconditam*. Nempe hebraice, חיל נסאי. Unde cum aspiratione scribere oportet.

Ex hujus stirpe, duas extitisse fœminas, idem prodidit [14], imperante Constantio : quarum una Marthus dicebatur, altera Marthana : atque hanc adhuc superstitem, cum librum suum Panarium commentaretur, fuisse : illam paulo ante decessisse narrat. Utrique divinos plane ab illius sectæ hominibus honores habitos esse : adeo ut quacumque progrederentur, ingens eas turba comitaretur, quæ vestigiorum pulverem, earumque sputa colligeret ad morborum curationem.

Hanc ipsam sectam Sampsæorum nominatam esse scribit, et peculiarem appellationis hujus recenset hæresim quinquagesimam tertiam. Cujus origo vocis a שמש, id est *sole* dedu-

(1) Epiph. hær. 29. pag. 123. Περὶ Χριστοῦ δὲ, οὐκ οἶδα εἰπεῖν, εἰ καὶ αὐτῇ τῇ τῶν προειρημένων περὶ Κήρινθον, καὶ Κηρίνθου μοχθηρίᾳ ἀχθέντες, ψιλὸν ἄνθρωπον νομίζουσιν.

(2) Origen. lib. 5. con. Hær. p. 279. Οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ διττοὶ Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγεννῆσθαι, ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους.

(3) Euseb. lib. 3. cap. 27. Οὐ μὴν ἓθ' ὁμοίως καὶ οὗτοι προϋπάρχειν αὐτὸν Θεὸν Λόγον ὄντα, καὶ σοφίαν ὁμολογοῦντες.

(4) Epiph. hæres. 19. § 2. pag. 41. Φανταζονται δὲ δηθεν καλεῖν τοῦτον δύναμιν ἀποκεκαλυμμένην, διὰ τὸ Ἠλ, καλεῖσθαι δύναμιν, Ξαΐ δὲ κεκαλυμμένον.

[1] Lib. 1. c. 26. — [2] Hær. 30. — [3] Lib. de Hæres. — [4] Lib. 2. de Hær. Hær. 1. — [5] Lib. 3. Hist. c. 27. — [6] Lib. 2. contr. Cel. et 3. — [7] Epiph. Hær. 30. § 3. et 34. — [8] Epiph. Hær. 16. § 18. — [9] Ib. § 24. — [10] Ib. § 2.

[11] Lib. de Scrip. Eccles. c. 19. — [12] Cap. 14. Vid. et li. de Præfer. cap. 33. — [13] Euseb. 6. cap. 17. Theod. Epiph. Hær. 19. p. 40. — [14] Epiph. Hær. 19. pag. 41. et Hær. 53. pag. 461. Vide et Anacephal. ex qua et Damas.

citur : quod solem adorare ab propheta suo didicerant.

Medii erant isti Judæos inter et Christianos : neque proprie alterutris accensendi. Librum quemdam Helxai conscripsit, quem tamquam propheticum, mire sectatores illius venerati sunt ; quem et lapsum e cœlo finxerunt, ut ait Theodoretus, et Origenes apud Eusebium. Quo in libro Christum magnum esse regem prædicabat ; sed eum nomine tenus professus, creaturam esse dicebat : qui ab initio procreatus identidem appareret, et in varia se indueret corpora. Nimirum virtutem quamdam esse cœlestem aiebat, quæ Christus vocatur ; cujus soror est Spiritus sanctus. Utrumque se in Jesum Josephi et Mariæ filium insinuasse. Quam fabulam ab istis Ebionæos didicisse scribit idem Epiphanius in Ebionitarum hæresi. Legendus et Theodoretus [1] ; qui pene eadem de Helcesæis retulit, et hanc hæresim ab Alcibiade quodam Apamæensi propugnatam, ab Origene confutatam esse dicit. At Eusebius Origenis tempore primum emersisse Helcesaitarum hæresim scribit [2], et ab eodem Origene statim repressam, et extinctam.

VIII. Extitit deinde sectæ illius instaurator Artemon, sive Artemas quidam ; qui Jesum Christum merum esse hominem asseruit, ex Virgine procreatum, ac prophetis excellentiorem : idque apostolos docuisse quidem ; sed horum successores eumdem Christum pro Deo venditasse. Ita Theodoretus [3]. Meminit et Eusebius lib. 5. cap. ultimo : necnon Alexander episcopus Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, quæ est apud Theodoretum, et Epiphanius Hæresi 65. et ante hos omnes Antiocheni concilii synodus contra Paulum Samosatenum : de qua mox.

Severo Imperatore, circa annum Christi 190, Theodotus quidam coriarius Ebionitarum renovavit insaniam. Hic patria Byzantinus [4], arte coriarius, sed impense doctus, cum in persecutione fidem ejurasset, pudore affectus, Romam se contulit : ubi cum latere minime potuisset, nec ignominiam, exprobrationemque ferret perfidiæ suæ, quo eam elevaret, prædicare instituit Christum non esse Deum, sed nudum hominem, ceterorum more genitum. Quem propterea Victor papa excommunicationis sententia perculit.

Tertullianus in libro de Præscriptione hæreticorum adstruit, Theodotum hunc « Christum quidem hominem tantummodo dixisse, Deum autem illum negasse : » ceterum « ex Spiritu sancto natum ex Virgine : sed hominem solitarium, atque nudum » eumdem putasse Christum. Quam Ebionitarum posteriorum opinionem fuisse diximus ; ut ita natum esse de Virgine crederent, uti nihil supra mortales ceteros eximium haberet, *præter solam justitiæ auctoritatem*, ut Tertullianus loquitur : Augustinus, Hæresi 33, Theodotionem hunc nominat.

IX. Theodoti coriarii discipulus et cognominis fuit Theodotus alter argentarius, vel trapezita [5], « qui et ipse introduxit alteram sectam, (verba sunt Tertulliani [6],) et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum : sed hunc inferiorem esse, quam Melchisedech. » Ab hoc Melchisedecianorum hæresis originem cepit : de qua fuse agit Epiphanius, necnon Theodoretus [7], et alii [8].

His accensendus est Beryllus, Bostræ in Arabia episcopus, « qui cum aliquanto tempore gloriose rexisset Ecclesiam, ait Hieronymus [9], ad extremum lapsus in hæresim, quæ Christum ante Incarnationem negat, ab Origene correctus est. »

Meminit illius Eusebius [10], et paulo plenius hæresim ejusdem explicat. «(1) Salvatorem ac Dominum » refert eum asseverasse « neutiquam substitisse in propria substantiæ circumscriptione, antequam ad homines descenderet : sed neque propriam habere divinitatem. Sed solam in eo versari paternam. » Quæ Eusebii verba ambiguam, nec satis expeditam sententiam continent : maxime dum hanc illi impingit hæresim, quod propriam, et a paterna diversam deitatem non habuerit. Quod sane verum est : nec probro duceret Eusebius, nisi Arianus esset, ejusdemque cum Origene, qui Ario prælusit, dogmatis particeps, ut suo loco docuimus [11]. Quod si θεότητα pro *hypostasi*

(1) EUSEB. lib. 6. cap. 33. Τὸν σωτῆρα, καὶ Κύριον ἡμῶν λέγειν τολμῶν μὴ προϋφιστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφὴν, πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, μηδὲ τὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, ἀλλ' ἀμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν.

[1] Lib. 2. con. Hær. cap. 7. — [2] Euseb. lib. 6. c. 38. — [3] Lib. 2. de Hær. c. 4. — [4] Tert. de Præsc. c. 53. Epiph. Hær. 54. Euseb. lib. 5. cap. ult. Th. lib. 2. c. 5. Phil. c. 3. Catal. Hæret. Post Chrys. Præd. Hær. 33.

[5] Epiph. Hær. 55. — [6] Tert. de Hær. c. 55. — [7] Lib. 2. con. Hær. c. 6. — [8] August. Hær. 34. Præd. Hær. 34. Damas. — [9] Lib. de Scrip. Eccles. c. 70. — [10] Lib. 6. Hist. c. 21. — [11] Lib. 1. de Trin.

usurpavit Eusebius, imperite fecit. Ex eo tamen colligemus, Beryllum ad Sabellii allusisse dogma : et ita propriam Christo substantiam, hoc est subsistentiam, ante Incarnationem negasse, ut sola humana differre illum a Patre crediderit. Sed aliud tum Hieronymi verba demonstrant : tum Gennadius [1], qui inter Artemonem et Marcellum medium collocat Beryllum *.

CAPUT TERTIUM.

De Paulo Samosateno, ejusque hæresi, ob quam duæ synodi Antiochiæ celebratæ sunt, quarum in posteriore de sede sua dejectus est ; sed cum cedere noliet, Aurelianus imperator a Catholicis interpellatus, vi illum detrudi jussit. Hujus hæresis exposita. De Sabellio item, et cujusmodi circa Incarnationem illius error extiterit. De Patripassianis.

I. Eamdem illam, scelere armatam et perfidia contra Christum, Judæorum et Ebionitarum hæresim instauravit, ac nobilitavit Paulus ille, Samosatenus a patria, ab episcopali sede nominatus Antiochenus : neutiquam tamen cum altero confundendus vocabuli ejusdem hæretico, cujus meminit Eusebius [2] cum insigni commendatione pueruli adhuc Origenis : qui apud viduam primariam fœminam educatus, quæ Paulum illum Antiochenum domi apud se habebat, et in filium adoptaverat, uti eo præceptore noluit, cum multi ad illum audiendum confluerent, propter eximiam hæretici istius in omni doctrinarum genere scientiam.

At ille, de quo agimus modo, Ebionitarum dogmatis instaurator, Samosatis oriundus fuit. Qui ab summa egestate, ad Antiochenæ sedis fastigium provectus, Demetriano successit, Imperatore Gallieno. Ac subinde nefariam ab inferis excitavit hæresim, quam Artemas, sive, ut Augustinus vocat [3], Artemonius antea propugnaverat ; « Christum non semper fuisse; sed ejus initium ex quo de Maria natus est extitisse : nec eum aliquid amplius, quam hominem fuisse. »

II. Theodoretus in hæresi Pauli ipsius memorabile quiddam refert [4], hujusmodi ab impuro illo dogma susceptum in gratiam Zenobiæ conjugis Odenati Palmyrenorum reguli, qui ob repressos, et ab Romano limite propulsatos cum ingenti clade Persas, in societatem imperii ab Gallieno adscitus erat.

Quo mortuo, Zenobia virilis animi fœmina, nomine filiorum imperium penes se retinuit, quod Trebellius Pollio narrat in ejus vita [5]. At Theodoretus auctor est, Persas, parta de Romanis victoria, Syriam, et Phœnicem illius dominationi concessisse. Quod autem Judæorum religioni esset dedita, ideo Paulum Antiochenum præsulem, ut ei gratificaretur, Judaicam impietatem in Christianum invexisse dogma. Athanasius Zenobiam istam Judæam appellat [6], Pauloque patrocinatam esse scribit. Et Chrysostomus homilia 8. in Joannem ait, illum, ut mulieri cuidam gratificaretur, salutem suam prodidisse. Postquam hujus rei fama longe lateque dissipata est, ad opprimendam hanc hæresim concursus fit catholicorum præsulum ad urbem Antiochiam [7]. Quorum primarii recensentur, Firmilianus episcopus Cæsareæ in Cappadocia, Gregorius Neocæsareæ in Ponto, una cum Athenodoro fratre, itidem episcopo, Helenus Tarsensis, Nicomas Iconii, Hymenæus Hierosolymorum, Theotecnus Cæsareæ in Palæstina, Maximus Bostræ in Arabia, præter alios complures tam episcopos, quam presbyteros et diaconos. Celebrata est prima hæc Antiochena synodus contra Paulum Samosatenum Gallieno Imperatore, circa ejus annum duodecimum, Christi 265. Ad quam synodum vocatus Dionysius Alexandrinus ætatem et valetudinem excusavit, ac vice sua epistolam misit, qua quid de proposita re sentiret, exposuit. Idem etiam antea Paulum ipsum alia epistola redargue-

* De Ebionitis, Nazaræis et Docetis vide adnotationem ad calcem libri primi. (E.)

[1] Lib. de Dogm. cap. 3. — [2] Euseb. lib. 6. Hist. c. 3. — [3] Aug. de Hær. c. 44. — [4] Theod. lib. 2. c. 8. — [5] Cap. 29. et in Odenato c. 14. — [6] Atha. in Epi. ad solit. p. 663. — [7] Eus. l. 7. c. 27. et seq. Theod. lib. 2. con. Hær. c. 8.

rat; cui vicissim hæreticus iste rescripsit, ac decem pro nefaria opinione sua capita proposuit, adversus Christi divinitatem. Quibus Dionysius longiore altera respondit epistola, vel libello potius, qui extat [1]. Paulo post vero, sub eumdem scilicet annum, ac duodecimo Gallieni mortuus est idem Dionysius.

III. Interim episcopi Antiochiæ convenientes, accurate in Paulum, ejusque fidem inquirunt. At is vafre ac subdole catholicum præ se dogma ferens, eorum sedulitatem frustratus est. Ita, re infecta, gratulabundi insuper de comperta fidei in illo catholicæ integritate, Antiochia discesserunt.

Sed cum postea hæresis patrocinium majore fiducia resumpsisset impius Paulus, iterum Antiochiam episcopi venerunt Aureliano imperante, anno Christi 270. numero septuaginta, ut auctor est Athanasius in libro de Synodis [2]. Verum in concilio Ephesino [3], in libello quodam supplici, quem Basilius diaconus, aliique monachi contra Nestorium obtulerunt, centum et octoginta numerantur, qui in Antiochena collecti synodo contra Paulum Samosatenum, ipsum deposuerunt.

Ab his citatus ille, nequidquam ad solitas confugit artes. Nam Malchionis ex sophistica ad presbyterii gradum evecti viri cumprimis eruditi, acerrimique disputatoris industria convictus, ac sede motus est, ut refert Eusebius libro septimo Historiæ, Domno in ejus locum ordinato episcopo. Sed cum dignitate sua Paulus cedere nollet, et synodali decreto proterve resisteret, interpellatus a Christianis antistitibus imperator Aurelianus, edicto pelli hominem jussit, et ei tradi Ecclesiam, qui cum Italiæ, ac Romæ communione jungerentur episcopi. Ita vi, ac publica auctoritate, de episcopatu Paulus ejectus est. Extat epistola synodica Antiochensis illius concilii [4], qua nebulonis istius vitam ac mores perditissimos, et in omne libidinis, ac nequitiæ genus effusos, una cum intolerabili fastu hominis, ac superbia, graphice describunt. Malchionis porro, et convicti ab eo Pauli meminit Petrus diaconus in libello de Incarnatione ad Fulgentium, capite tertio.

IV. Christum, ut jam dicere cœpi, Paulus asserebat hominem esse merum, qui a Maria tam regnandi, quam vivendi sumpsisset initium : quem tamen Deum nominabat. Ita scribit Athanasius in libro de Salutari adventu : « (1) Paulus, *inquit*, Samosatenus Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazareti in lucem editum, et inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax e cœlo, et Sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante secula fuisse putat, sed Nazareti primum extare cœpisse : ut unus, inquit, supremus sit Deus Pater. » Quanquam non simul atque est editus, Deum illum fuisse credidit; *sed ex profectu virtutis Deum esse factum,* ut alibi idem refert Athanasius ex quadam Arianorum professione [5]. Quin idem libro 5. contra Arianos [6] refert Pauli Samosateni discipulos quosdam Λόγον a Filio distinxisse, asserentes hunc esse Christum, λόγον vero alium quemdam.

Epiphanius in Hæresi illius, quam ordine ponit sexagesimam quintam [7], asserit Deum ab ipso persona singularem constitui, in quo Λόγος, id est *Verbum,* perinde insit, ut in corde hominis inest proprium verbum, ut eadem plene cum Sabellio de Trinitate sentiret. Verbum porro adstruebat idem in Jesum hominem merum insinuasse se, ac tantummodo in eodem operatum esse, sed non in eo esse passum ; quod Noetus, et Patripassiani dicebant. Nimirum, quod Verbum negabat per se subsistere Paulus, et hypostasim habere propriam, sed transeuntem efficientiam esse. Postremo non est omittendum, Pauli istius dogma professos, quos Paulianos, vel Paulianistas vocant, (2) Nicæni decreto concilii denuo baptizandos fuisse, cum ad catholicam redirent Ecclesiam. « Unde credendum est (ait Augustinus illud referens [8]) eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt. »

V. Paululum Samosateni hæresim Sabel-

(1) ATH. de Salut. ad. pag. 495. Ὡς Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς Θεὸν ἐκ παρθένου ὁμολογεῖ, Θεὸν ἐκ Ναζαρὲτ τεχθέντα, καὶ ἐντεῦθεν τῆς ὑπάρξεως τὴν ἀρχὴν ἐσχηκότα, καὶ ἀρχὴν βασιλείας παρειληφότα. Λόγον δὲ ἐνεργὸν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ σοφίαν ἐν αὐτῷ ὁμολογεῖ, τῷ μὲν προορισμῷ πρὸ αἰώνων ὄντα, τῇ δὲ ὑπάρξει ἐκ Ναζαρὲτ ἀναδειχθέντα. Ἵνα εἷς εἴη, φησὶν, ὁ ἐπὶ πάντα Θεὸς ὁ Πατήρ.

(2) Nic. can. 19. Περὶ τῶν Παυλιανιστῶν, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος.

[1] Tom. 11. Bibl. PP. — [2] Atha. de Syn. pag. 707. — [3] In p. 1. Eph. Syn. p. 219. — [4] Euseb. lib. 7. c. 30. — [5] Atha. de Syn. pag. 691. et Orat. 4. con. Ar. p. 288.

[6] Athan. pag. 321. Tom. 1. — [7] Epiph. Hær. 65. N. 1. — [8] Lib. de Hær. c. 44.

liana præcessit : imo eodem fere tempore ambæ coortæ sunt ; et, si complures veterum audimus, una et eadem fuit hæresis, velut biceps monstrum ; non tam quod duos velut auctores habuit istos, quos nominavi, sed quod duo Christianæ fidei oppugnavit dogmata, quibus ea tamquam fundamentis innititur : Trinitatem, et Incarnationem. Nam uterque hæreticorum istorum singularem in Deo personam asseruit. Quod de Sabellio nemo prorsus ignorat : de Paulo Samosateno proxime ante testantem hoc Epiphanium audivimus : et Liberatus in Breviario confirmat, capite secundo. Ac de Sabellii quidem errore, quatenus adversus trinitatem personarum insaniit, dixi suo loco pluribus [1] : ubi de Pauli cum eodem consensu ad evertendam personarum differentiam nonnulla scripsi.

Quod ad Incarnationis mysterium attinet, minus liquido constat amborum in eo labefactando concors opinio. Nam Sabellius adeo Christum non esse merum hominem credidit, ut in ejus adstruenda divinitate etiam modum excesserit, quippe totam ipsam Trinitatem, vel eam potius, quam in deitate solam profitebatur esse, personam illigavit homini, eique intime conjunxit : ita ut passum in Christo Deum esse non dubitaret, hoc est Patrem : cui primas in appellatione ac censu divinitatis assignans, reliquas duas, non personas, sed ἐνεργείας, id est functiones temporarias aiebat ejusdem esse personæ. Ita Verbum sive Filium negabat per se subsistere ; sed *prolatitium*, ac *transiens* verbi instar humani esse dicebat, ut in eodem, quem citavi, loco libri primi de Trinitate docui.

VI. Hinc Sabellianos vulgo nominatos esse Patripassianos Philastrius, ex eoque Augustinus observant ; necnon Praxeanos et Hermogenianos, ab iis auctoribus, qui passum similiter Patrem esse dixerunt.

Theodoretus quoque Sabellii hæresim sic explicat, « (1) ut eamdem personam, tamquam Patrem, in veteri Testamento legem tulisse » dicat ; « in novo autem, tamquam Filium, incarnatam esse. »

At vero aliter docet Epiphanius : qui in hæresi Noetianorum scribit, Noetum « (2) ausum esse dicere, Patrem esse passum. » Idem porro in synopsi, quæ est præfixa tomo primo libri secundi Panarii, « (3) Sabellianos *ait* cum Noetianis in omnibus propemodum consentire : nisi quod Patrem ipsum negant esse passum, ac prolatitium rursus refundi Verbum. » Sed in synopsi mendosa est oratio, quæ ex Anacephalæosi castigari potest ; cujus verba sic interpretatur Augustinus : « Sabelliani similia Noeto dogmatizantes præter hoc quod dicunt Patrem non esse passum. »

Observatum jam a nobis est alias, Augustinum, quando Epiphanium citat in libro hæreseon ad Quodvultdeum, non illius Panarium intelligere ; sed librum qui Anacephalæosis inscriptus, summam continet hæreseon omnium. Cum autem tomis singulis librorum Epiphanius perbrevem synopsim præfigat hæresum, quæ in unoquoque tomo continentur, Anacephalæosis majori ex parte nihil præter synopses in unum collectas complectitur, quanquam nonnulla identidem varietas inest utrobique, ut in ista, de qua loquimur, hæresi cernitur. Ferrandus diaconus in epistola ad Severum [2] Sabellianam hæresim, quatenus ad Incarnationem spectat, sic apte describit. « Olim quippe illos, *inquit*, veritas confutavit hæreticos, qui sic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipsum sibi Filium, ipsum fingerent Spiritum sanctum : Deum scilicet, qui manens in cœlestibus creaturæ totius Pater fuit, protensus in Virginem etiam nascendo inter homines Filius fieret ; rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio, super apostolos in linguis igneis veniens, Spiritus sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi non filium Dei patris, sed Patrem credere crucifixum. Unde eos etiam Patripassianos appellari vetustas ostendit. »

VII. Credibile est, Sabellium ipsum, et eos, qui meram ejus doctrinam sectati sunt, nullam reipsa naturæ hominis assumptæ conjunctionem cum Deo personave divina constituisse, quam Incarnationem catholica fides nominat ; sed nudam divinitatis efficientiam manasse in eum arbitratos esse, qui simplex homo, communique cum ceteris conditione

(1) THEOD. lib. 2. cap. 9. Καὶ ἐν μὲν τῇ παλαιᾷ ὡς Πατέρα νομοθετῆσαι, ἐν δὲ τῇ καινῇ, ὡς Υἱὸν ἐνανθρωπῆσαι.

(2) EPIPH. hær. 57. § 1. Ἐτόλμησε λέγειν τὸν Πατέρα πεπονθέναι.

(3) EPIPH. in Syn. pag. 398. Σαβελλιανοί, οἱ τὰ ὅμοια Νοητιανῶν δοξάζοντες, παρὰ τὸ τὸν Πατέρα πεπονθέναι, λέγοντες προφορικὸν πάλιν ἀναχεόμενον τὸν Λόγον.

[1] Tom. 2. de Trin. lib. 1. c. 6.

[2] Ferr. tom. 3. Bibl. col. 335

enseretur; veluti radiationem quamdam divinitatis, non solidam et substantivam unionem. Persuadet hoc Epiphanius, qui similitudine hac usum hæreticum illum esse demonstrat: Sic esse Deum, ac divinitatem, uti solem; cujus una est hypostasis, in qua tria discernuntur: illuminandi vis, necnon calefaciendi, et circinata rotunditas: eodem modo in una et singulari persona Dei, Patrem velut formam esse totius hypostasis; Filium vero vim esse quamdam illuminandi; Spiritum sanctum veluti ardorem, et fovendi ac calefaciendi insitam facultatem. De Christo ita pronuntiabat, (1) emissum esse Filium, tamquam radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quæ ad Evangelii procurationem, et humani generis redemptionem attinent. Qua expleta functione, rursus ad cœlum assumptum esse: quemadmodum radius emissus a sole, iterum recurrit ad solem. Hinc apparet nullam proprie τὴν ἐνανθρώπησιν, sive σάρκωσιν agnovisse Sabellium, sed solam ἐνέργειαν, et operationem divinitatis in homine Christo.

VIII. Quem errorem subinde fovit, atque expressius præ se tulit Paulus Samosatenus. Qui et princeps instaurandæ istius hæresis post Artemam, sive Artemonem, a Patribus vulgo dicitur; quamvis paulo ante Sabellius ejusdem patrocinium suscepisset. Verum quia præcipua, majorique momenti labes altera visa est opinionis, quam de Trinitate Sabellius idem vulgaverat; in eam potissimum Catholicorum studium exarsit, et hujus unius invidia penes Sabellianum nomen resedit, omissa interim alia, vel incuriosius tractata, quam arreptam deinde Paulus Samosatenus apertius, vehementiusque propugnavit, et in sese quasi propriam transtulit. Quemadmodum etsi Arius de Spiritu sancto non minus grave sentiret, quam de Filio, nihilominus sola ei contra Filii divinitatem attributa est hæresis; alterius infamia Macedonio reservata, ejusque sectatoribus, qui proprie Pneumatomachi vocati sunt, ut alibi diximus [1].

Postea vero contigisse arbitror, ut qui Sabellianum dogma secuti sunt, cum unicam in divinitate personam, et υἱοπατορίαν illam defenderent, solam hanc ex ejus disciplina retinuerint erroris partem, repudiata altera, quæ ab vera professione Incarnationis abhorrebat, et substantivam ἕνωσιν tollebat e medio. Quare singularem Dei personam revera cum carne copulatam fuisse, non Sabellius, sed ejus discipuli statuerunt, eamque personam proprie Patris esse dixerunt, quoniam divinitatis totius substantiam, et hypostasis formam Patrem esse Sabellius voluit; cujus ἐνέργειαι, ac velut radiationes essent Filius, et Spiritus sanctus. Ideo solum Patrem incarnatum, ac passum esse consentaneum erat illorum hæresi; unde et Patripassiani vocati sunt: de quibus postea.

IX. Leontius in libro de Sectis [2], actione tertia, de Pauli Samosateni hæresi agens, hunc ait tam in Trinitatis, quam in Incarnationis fide esse lapsum. In priori quidem, quod solum Patrem esse Deum putabat. In posteriore vero, quod merum hominem aiebat esse Christum, nec in eo Verbum extitisse; ita ut non eadem ac Nestorius sentiret. Siquidem Nestorius, etsi simplicem hominem dicebat esse Christum, idem tamen Dei verbum per se subsistens, et Filium asserebat illo in homine fuisse. Non enim in Trinitate peccabat. At Paulus Samosatenus non dicebat subsistens per sese Verbum in Christo fuisse, sed Verbum nihil aliud esse credebat, nisi jussum, ac mandatum, tanquam Deus per hominem illum quæ vellet imperaret, et faceret. A Sabellio vero dissensisse in hoc Leontius existimat, quod Sabellius eumdem affirmabat esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et trinominem rem esse Deum, ita ut Trinitatem e medio tolleret. At Paulus non eumdem faciebat Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sed Patrem volebat esse Deum, qui omnia condidit: Filium vero, nudum hominem: Spiritum porro, gratiam, quæ super apostolos advenit. Hæc eadem hæresis a Socinianis Anabaptistis instaurata est hoc tempore; ut in tertio libro de Trinitate pluribus exposuimus.

Quamobrem minus accurate scripsisse puto Theodorum Rhaithuensem presbyterum in libro de Incarnatione [3], cum Pauli hæresim sic explicat: Christum hominem fuisse simplicem, in quo, tanquam in quolibet ex prophetis, habitaret Dei Verbum; ex quo factum

(1) EPIPH. hær. 62. § 1. Πεμφθέντα δὲ τὸν Υἱὸν καιρῷ ποτε, ὥσπερ ἀκτῖνα, καὶ ἐργασάμενον τὰ πάντα ἐν τῷ κόσμῳ τὰ τῆς οἰκονομίας τῆς Εὐαγγελικῆς, καὶ σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων, ἀναληφθέντα δὲ αὖθις εἰς οὐρανὸν, ὡς ὑπὸ ἡλίου πεμφθεῖσαν ἀκτῖνα, καὶ πάλιν εἰς τὸν ἥλιον ἀναδραμοῦσαν.

[1] Tom. 1. lib. 1. de Trin. c. 14. § 17.

[2] Leon. tom. 11. Bibl. p. 504. — [3] Theod. Rhaith. ibid. 320.

est, ut naturæ duæ divisæ, nec inter se communione aliqua junctæ penitus in Christo fuerint ; cum alius esset Christus, alius habitans in Christo Deus Verbum. Sed nos Epiphanio, et Leontio melioribus auctoribus fidem habemus.

X. Non minus Pauli Samosateni, et Ebionis, quam Sabellii fautor, imitatorque fuit Marcellus Ancyranus. Qui dum Arianos vehementius insectatur, et unitatem divinæ substantiæ adversus eos acerrime propugnat, in contrarium est lapsus errorem, et eamdem unitatem ad hypostases ipsas, personasque transtulit. Testes sunt hujus rei veteres multi, iidemque gravissimi, ac sanctissimi, Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Sulpicius Severus, ut Eusebium Cæsariensem præteream, juratum illius hostem, et odiosum criminatorem ; qui quinque libris eumdem exagitavit, ac pleraque loca descripsit ex ejus libro adversus Asterium ex sophista factum Arianum. Quibus ex sententiis constare potest, ipsum ab Sabellio, et Paulo Samosateno neutra erroris parte discrepasse ; hoc est non minus Incarnationis mysterium, quam Trinitatis, ex illorum interpretatum esse sententia. Nam et amborum τὴν συναίρεσιν, ut Gregorius Nazianzenus loquitur, hoc est personarum confusionem invexit, et Jesum Christum, nudum ceteroquin hominem, sola divinitatis efficientia perfusum esse docuit. Utriusque fidem faciunt illa ipsa Marcelli verba, quæ ex libro ejus adversus Asterium descripsit, et confutavit Eusebius.

Ac quod attinet ad prius de Trinitate dogma, constat illum existimasse, (1) Verbum divinum ἀνυπόστατον esse, hoc est propria carere subsistentia, Deoque congenitum, et nostri sermonis esse simile, perindeque ut hunc, interius manere in ipso Deo, et aliquando quiescere, aliquando vero significando agere ; adeo ut efficientia sola progrediatur a Patre. Ita unam duntaxat in divinitate personam constituit ; Filium vero funditus sustulit. Quippe λόγον illum nonnisi prolatitium, ac transeuntem esse dixit, nec ante Filium extitisse, quam de Virgine nasceretur, quemadmodum etiam imaginem tunc demum fuisse docuit ; quod in primo libro de Trinitate fusius ostendimus[1].

XI. De Incarnatione quod erat consentaneum adstruxit impio illi dogmati Marcellus. Hoc autem dupliciter intelligi potest. Aut enim unicam illam divinitatis hypostasim carnem revera suscepisse arbitratus est, ut Sabelliani Patripassiani ; aut sola per se minime subsistens personæ illius operatio, quem λόγον esse sentiebat, in merum hominem subiit. Utrumque consequens esse ex Marcelli sententia disputat Eusebius, sed prius illud leviter, et quasi aliud agens exprobrat[2]. In posteriori magis insistit, idque sæpius ac vehementius intentat, quod etiam ex professo Marcellus præ se tulit. Nempe Verbum, quod ἀνυπόστατον, et expers propriæ subsistentiæ esse putabat, ac nonnisi προστακτικὸν, id est *imperantem* sermonem, « (2) in carnem subiisse, in eaque operatum esse : tuncque Christum extitisse, ac Jesum, et regem, et imaginem Dei. » Addebat, et post occasum mundi, ac judicium λόγον a carne discessurum, et ad Patrem rediturum esse ; ita ut sola Verbo destituta caro relinquatur. Quare sempiternum Christi regnum negabat.

Ex quibus constat prorsus ad mentem Sabellii suam hæresim accommodasse Marcellum, ut et Pauli Samosateni. Quemadmodum Theodoretus quoque confirmat, qui « (3) extensionem quamdam ab illo paternæ deitatis » excogitatam esse scribit : talemque λόγον esse, « qui in Christum illapsus est : quique peracta omni functione ad Deum reductus, et contractus est, a quo extensus fuerat. » Porro « Spiritum sanctum extensionis productionem esse » docuit ; ac denique « Trinitatem extendi, contrahique » putavit « pro administrationum

(1) Euseb. lib. 2. contra Marc. cap. 1. pag. 32. Αὐτὸν δὲ μόνον εἶναι Λόγον φάσκων, συμφυῆ τῷ Θεῷ, ἀϊδίως αὐτῷ συνόντα, καὶ ἡνωμένον, οἷος ἂν εἴη καὶ ὁ ἐν ἀνθρώπῳ λόγος. Τούτῳ γὰρ αὐτὸς χρῆται τῷ παραδείγματι, λόγον εἶναι φήσας ἔνδον ἐν αὐτῷ τῷ Θεῷ ποτὲ μὲν ἡσυχάζοντα, ποτὲ δὲ σημαντικῶς ἐνεργοῦντα, μόνῃ δὲ ἐνεργείᾳ προϊόντα τοῦ Πατρός.

(2) Euseb. ibid. pag. 32. Ὁ δὲ τοῦτο δοὺς ἐπὶ τοῦ Θεοῦ οὐκ οἶδ' ὅπως τὸν μὴ ὑφεστῶτα Λόγον τὴν σάρκα ἀνειληφέναι, καὶ ἐνεργῆσαι ἐν αὐτῇ φησι, καὶ τότε Χριστὸν γενέσθαι, καὶ Ἰησοῦν, καὶ βασιλέα, καὶ εἰκόνα τοῦ Θεοῦ.

(3) Theod. lib. 2. cap. 10. Ἔκτασιν δέ τινα τῆς τοῦ Πατρὸς θεότητος ἔφησεν εἰς τὸν Χριστὸν ἐληλυθέναι, καὶ ταύτην Θεὸν Λόγον ἐκάλεσε. Μετὰ δὲ τὴν σύμπασαν οἰκονομίαν πάλιν ἀναστασθῆναι, καὶ συσταλῆναι πρὸς τὸν Θεὸν, ἐξ οὗπερ ἐξετάσθη. Τὸ δὲ πανάγιον Πνεῦμα παρέκτασιν τῆς ἐκτάσεως λέγει, καὶ ταύτην τοῖς Ἀποστόλοις παρασχεθῆναι. Καὶ ἁπλαπλῶς ὑπέθετο Τριάδα ἐκτεινομένην, καὶ συστελλομένην κατὰ διαφόρους οἰκονομίας.

[1] Cap. 13.

[2] Euseb. l. 2. cont. Marc. c. 2. p. 36.

varietate. » Plura de Marcello in primo de Trinitate libro adnotavimus.

XII. Marcelli discipulus Photinus fuit Sirmii episcopus, qui Pauli Samosateni dogma itidem, ut Marcellus, instauravit ; necnon Sabellii, ut Theodoretus asserit. Hic lingua promptus, ac disertus, dicendi ac disputandi facultate plurimos in errorem traxit, ait Epiphanius [1], ac post varias tergiversationes, a Basilio Ancyrano convictus, et constrictus, episcopatu dejectus est in Sirmiensi Arianorum synodo. De qua, ut etiam de Photino, peculiarem dissertationem edidimus, præter illa quæ ad Epiphanii Hæresim septuagesimam tertiam de eodem argumento uberrime disseruimus, quæ hoc loco non est necessarium repetere.

Marius Victorinus in secundo libro adversus Arium [2], Marcelli hæresim a Photiniana distinguit, ac Photinum dixisse refert a Maria cœpisse Christum ; Marcellum vero, non ipsum Λόγον incarnatum esse. Verba ejus istiusmodi sunt : « Hoc vero postremo hæresis dicit ; cui similis et illa est, vel quæ a Maria dicit cœpisse Christum ; vel quæ non ipsum λόγον induisse carnem, sed assumpsisse hominem, ut eum ipse Λογος regeret ; atque hoc Marcellus : quod superius autem, Photinus. » Ex quibus verbis colligas, Photinum minime putasse, Λόγον illum, cujusmodi cum Sabellio, et Marcello constituebat, hoc est ἐνδιάθετον, et προφορικὸν, qualem ab eo positum narrat Epiphanius in ejus hæresi [3], nempe interiorem, et hypostasi neutiquam a Patre diversum, atque identidem prodeuntem ad certi temporis efficientiam ; hunc, inquam, Λόγον non fuisse cum homine Christo propria quadam ratione conjunctum ; sed nihil præter humanam naturam habuisse Christum Photinus asseruit, si verum de eo dicit Marius Victorinus. Atqui Epiphanius sic Photini mentem explicat, tanquam crediderit, « (1) Verbum a Patre procedens, in carnem esse mutatum. »

Quod quidem ita potest accipi, ut cum Photinus, ex Marcelli, et Pauli Samosateni dogmate, nihil esse Verbum aliud existimarit, quatenus a Patre distinguitur, præter externam, ac transeuntem effectionem, hæc ipsa mutata dicatur in carnem, non substantia, sed actio divinitatis.

Addit idem Epiphanius [4], Photinum omnia Scripturæ loca, quæ Christum, antequam nasceretur e B. Virgine, jam extitisse demonstrant, ad prædestinationem, et anticipationem quamdam loquendi redegisse. Quod Samosatenis, et Photinianis ætatis hujus, hoc est Socinianis, et Anabaptistis, familiare perfugium est, uti postea dicetur.

Ad summam Photini hæresis in eo consistit, quod « in Christo, ut ait Leo [5], verum, et substantiæ nostræ confessus est hominem ; sed eumdem Deum de Deo ante omnia secula genitum esse non credidit. » Quem etiam Unigenitum idcirco nominari dixit filium Dei [6], « quia solus sit natus ex Virgine. » Ideo Photinianos Homuncionistas appellatos esse scribit Augustinus [7], « quia non noverunt Christum nisi hominem. » Quo nomine Photinum constat ab Juliano apostata laudatum esse, ut qui « verisimiliora » diceret, « et saluti propinquiora, quod nequaquam in utero induceret, quem credidisset Deum, » ut Facundus refert [8], qui et illius ad Photinum epistolam describit.

Denique Pauli Samosateni, Photini, ac similium hæresis ab Ebionitarum opinione distabat eo solo, quod isti communi more genitum esse Christum dicerent ex utriusque conjunctione sexus ; illi autem de Virgine natum esse faterentur.

XIII. Memoratur in ecclesiastica historia celebris Photinianæ, quæ eadem et Pauli Samosateni fuit, hæresis propugnator, Euphratas Agrippinensis, seu Coloniensis episcopus, de quo hic pauca referam. Euphratas Christum Deum ac Dei filium negasse, ac nudum hominem asseverasse perhibetur in concilio Agrippinensi ; quod anno illo notatur, qui fuit post consulatum Amantii et Albini, et est æræ Christi 346. proxime antecedens eum, quo Sardicensis synodus est coacta ; quem constat fuisse annum 347. Ex quo mirum quiddam, et perplexum oritur. Etenim Euphratas iste ipse Coloniensis episcopus ab concilio Sardicensi una cum Vincentio Capuano, legatus in Orientem missus est ad Constantium imperatorem, qui Antiochiæ morabatur, ut testis est Athanasius [9], necnon Theodoretus ; qua in legatione Stephanus Antiochenus Arianorum episcopus insidias ei struxit per subornatum scortum, quæ tamen in auctoris caput verterunt, ut iidem scriptores narrant. Hoc igitur admirandum est, ac propemodum inextricabile, legatum ab Catholicis synodali decreto adversus Arianos

(1) Epiph. hæres. 71. § 3. Οὐχ ὡς αὐτὸς ὑπονοεῖ Λόγον ἐκ Πατρὸς προελθόντα, καὶ εἰς σάρκα μεταβεβλημένον.

[1] Hær. 71. — [2] Tom. 4. Bibl. col. 219. — [3] Hær. 71. § 3. — [4] § 2. — [5] Serm. 4. de Nativ. cap. 5. — [6] Id. ep. 93. c. 3. — [7] Frag. 26. tom. 10. pag. 628. — [8] Lib. 4. p. 163. — [9] In epist. ad solit. et Theod. lib. 2. c. 9.

hominem illum, et quidem episcopum, qui superiore anno depositus et damnatus fuisset. Extat synodus illa tomo primo Conciliorum [1], cujus fides a nemine revocata est in dubium. Sed neque merito in falsi suspicionem vocari potest. Ceterum Pauli Samosateni potius hæresi, quam Arianæ, ut nonnullis perperam visum est, adscribendus idcirco videtur, quod Arius Christum nudum esse non putavit hominem, sed ex Deo qualicumque, et humana carne compositum, uti capite quinto dicetur.

Fit et mentio Bonosi cujusdam episcopi [2], qui ad Photini hæresim Helvidianam addidit, a quo Bonosiani, vel Bonosiaci nominantur. De quo dicendi locus erit, cum de perpetua virginitate sanctissimæ Dei Matris agetur.

CAPUT QUARTUM.

De hæreticis illis, qui carnem non revera susceptam, sed specie tenus existimarunt, quos Græci Δοκητὰς, et Φανταστιαστὰς nominant. — 1. De Simone mago, — 2. ejusque hæresi ac discipulis, — 4. Saturnilo, Basilide. — 5. De Valentino. — 7. Secundo, Epiphane, Isidoro. — 8. Ptolemæo, Marco, Ophitis, Sethianis. — 9. Cerdone. — 10. Marcione, — 11. ejusque dogmatibus, ac de Lucano. — 12. De Manichæo, — 13. ac de ejus fabulis. — 14. Apelle, Priscilliano : Quorum omnium historiæ, ac prava dogmata perstringuntur.

I. Ab iis, qui nullam penitus Incarnationem admittunt, proximo loco recensendi sunt, qui ludicram, et fictam, ac specie tenus adumbratam illam eamdem fuisse defendunt. Cujusmodi pleræque priorum temporum hæreses in errore versatæ sunt, ut testatur Irenæus [3]. « Secundum nullam sententiam hæreticorum, *inquit*, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. »

Itaque temporibus ipsis apostolorum extare cœperant, qui veram Christi carnem negabant, contra quos Joannes invehitur in Canonica prima, eosque pseudoprophetas nominat [4], *Multi*, inquit, *pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei : Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum*, (vel, ut græce scriptum est, (1) *Qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse,*) *ex Deo non est, et hic est Antichristus.*

Martyr Ignatius sæpe [5] hoc hæreticorum genus incessit, ac pene omnibus in epistolis aut hujusmodi condemnat errorem, aut ei contrarium fidei dogma commendat. Ac nonnullos fuisse dicit [6], qui etsi merum hominem esse Christum putarent, eumdem tamen non vere, sed sola specie natum passumque defenderent.

II. Primus in illo grege numerandus est Simon ille magus [7], qui Gitthis oriundus, vico Samariæ, magicas artes exercuit ; quibus Samaritanos in stuporem, admirationemque sui conversos impulit, ut pro Deo ab ipsis coleretur. Nam Patrem se essse Deum apud illos mentiebatur. Hic a Philippo diacono baptizatus [8], et a Petro apostolo ob sacrilegam tentatam nundinationem increpitus, Christianam ejuravit fidem, ac Romam profectus, solitis præstigiis imperatorem, Romanumque populum delusit. Quem subinde Petrus assecutus, evolantem in sublime, coram frequenti multitudine, oratione dejecit, atque ita miser cruribus fractis, paulo post extinctus est. Hanc historiam plerique referunt antiqui. Justinus quidem in Apologetico secundo, profectum illum Romam esse meminit, ibique statua donatum ab imperatore Claudio, et divinis affectum honoribus. Ex quo deinde ceteri sumpserunt, Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus. Qui postremus, quod ab illis omissum est, de conflictione illa cum Simone Petri, deque nece magi, mentionem

(1) 1 JOAN. 4. 3. Καὶ πᾶν Πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ Θεοῦ οὐκ ἔστι.

[1] Pag. 570. — [2] Vide Bar. ann. 389. § 72. — [3] Lib. 13. cap. 11. — [4] 1. Joan. 4. 3. — [5] Ut Ep. 2. 4. 5. 11. — [6] Epist. 5. — [7] Just. Apol. 2. Iren. 1. cap. 20. Euseb 2. c. 13. Epiph. Hær. 21. Theod. lib. 1. Hæret. fab. c. 1. Cyr. Hieros. Cat. 6. — [8] Act. 8.

facit, necnon Severus Sulpicius [1], Arnobius [2], Augustinus [3], Ambrosius [4], Philastrius, et alii bene multi.

III. Simonis impuram hæresim, ac nefanda dogmata describunt Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, ac ceteri. Sed prætermissis aliis, quæ ad institutum nostrum minime spectant, caput illud erroris unicum persequemur, in quo adversus Incarnationis fidem commisit.

Scribit Irenæus, impostorem illum de se ita prædicasse, Deum se esse, qui specie tenus apparens tres in seipso personas expresserit [5]. « Hic igitur, ait Irenæus, a multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem, quasi Pater descenderit, et in reliquis vero gentibus, quasi Spiritus sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est eum, qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se quodcumque eum vocant homines. » Theodoretus ait impurum illum magum « (1) infinitam se nominasse virtutem, » ac reliqua itidem ut Irænæus adtexit. Augustinus quoque : « Dixerat, *inquit*, se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis : tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse : postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super apostolos venisse. Christum autem nec venisse, nec a Judæis quidquam pertulisse. » Eadem Cyrillus Hierosolymitanus prodidit : ac nominatim dixisse illum, « (2) se apud Judæos non in carne, sed specie sola, tanquam Jesum Christum apparuisse. » Quibus suffragatur Joannes Damascenus, asserens Simonem jactasse, « (3) nihil se revera passum ab Judæis, sed opinione ac specie sola. »

Cum apud Samaritanos mentitus dicatur, Deum se Patrem esse, hunc tamen Samaritani *magnam Dei virtutem esse* prædicabant, ut Lucas testatur [6] : cujusmodi tum forte se esse dicebat : illud autem alterum de tribus personis, postea, et, ut credibile est, Romæ præ se tulit. Fuit igitur iste ut hæreticorum omnium, ita nominatim τῶν Δοκητῶν antesignanus.

IV. Habuit Simon discipulos complures, quos verisimile est inter alia magistri sui decreta, illud etiam secutos esse, carnis non revera, sed sola specie susceptæ. Sed nos eorum duntaxat mentionem faciemus, qui nominatim hanc hæresim expressisse dicuntur ab auctoribus, qui hæresum historiam scripserunt.

Proxime igitur ab Simone nominandus est Saturnilus ejus discipulus, quem Saturninum Irenæus appellat [7], et Tertullianus, Philastrius, Augustinus et Damascenus; sed Justinus in Dialogo, Epiphanius, Theodoretus, aliique Saturnilum. Hic Antiochia oriundus, quæ ad Daphnem cognominari solet, ibidem Simonis propagavit hæresim [8]. Atque inter cetera docuit, Christum revera natum non fuisse, sed « putative tantum hominem, » ut ait Irenæus : vel, ut Tertullianus [9], « in phantasmate tantum venisse. » Idem etiam Epiphanius, ac Theodoretus perhibent.

Hujus condiscipulus, ac Simonis auditor, Basilides in Ægyptum profectus, ibi nefariæ opinionis venena sparsit, quam, ad Simonianas ineptias majoribus additis nugis, sibi ipse confecerat : Christum phantasma esse docuit, ac revera neutiquam passum, sed pro eo Simonem illum Cyrenæum [10]. Cui cum Judæi Christi crucem imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, et ejus vicissim propriam induit, atque ita prope astans, nec oculis aspectabilis, Judæorum evasit, irrisitque conatum.

Hinc profanus nebulo negabat pro Christo martyrium subeundum, eo quod non ille mortem perpessus est, sed Simon Cyrenæus [11]. De quo præter Irenæum, ac ceteros, legendus est Clemens Alexandrinus in quarto Stromateon; qui et in septimo [12], Basilidem eumdem refert gloriari solitum, se Glauciam habuisse præceptorem interpretem apostoli Petri; eumque dicit sub Hadriano imperatore vixisse.

V. Sub idem tempus Valentinus insignis hæresiarcha, impuræ sectæ initium, ac nomen dedit. Quem Romam Hygino Pontifice venisse, ac sub Pio celebrem fuisse, et ad Anicetum usque mansisse, testis est Iræneus [13], ex eoque Eusebius [14], quod tempus in Antonini Pii impe-

(1) THEODOR. lib. 1. de Hær. c. 1. Ἑαυτὸν δὲ τὴν ἄπειρον ὠνόμασε δύναμιν. Καὶ Ἰουδαίοις μὲν ὡς Υἱὸν φανῆναι, πρὸς δὲ Σαμαρείτας ὡς Πατέρα κατελήλυθέναι, ἐνδὲ τοῖς ἄλλοις ἔθνέσιν ὡς Πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτῆσαι.

(2) CYR. cat. 6. Παρὰ δὲ Ἰουδαίοις ὕστερον οὐκ ἐν σαρκὶ, ἀλλὰ δοκήσει ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν φανέντα.

(3) DAMASC. lib. de Hær. Ἰουδαίοις δὲ τὸν Υἱὸν παθόντα ἀληθείᾳ μὴ πεπονθέναι δὲ, ἀλλὰ δοκήσει μόνον.

[1] Hist. lib. 2. — [2] Arn. lib. 2. pag. 64. — [3] Lib. 2. de Hær. cap. 1. — [4] Lib. 4. Hex. c. 8. — [5] Iren. lib. 1. cap. 20. — [6] Act. 8. 10. — [7] Lib. 1. cap. 22. — [8] Iren. et Epiphan. — [9] De præf. cap. 46.

[10] Iren. lib. 1. cap. 23. Epiphan. Hær. 24. Damas. Aug. c. 4. Philast. Euseb. l. 4. cap. 6. — [11] Iren. et Clemens 4. Strom. p. 368. — [12] Clem. 7. Strom. p. 549. — [13] Lib. 3. cap. 4. — [14] Euseb. l. 4. c. 11.

rium incidit, ut et Theodoretus diserte asserit. Clemens item Alexandrinus [1] sub Hadriano cœpisse hæreticos illos prodidit, Basilidem, Valentinum, et alios ad Antonini tempora pervenisse. Valentinum porro Theodadis auditorem fuisse, qui Pauli apostoli discipulus fuit. Tertullianus vero [2] Valentinum cum Marcione ab Romana Ecclesia « semel et iterum ejectos » fuisse scribit ; « ac novissime in perpetuum dissidium relegatos. » Epiphanius ait incertam illius esse patriam, nonnullos tamen asserere, Ægyptum fuisse ex Phrebonitide præfectura, et Alexandriæ institutum græcis artibus, ex Hesiodi Theogonia, plurium deorum fabulam in Christianam professionem transtulisse. Nam deos triginta constituit, quos æonas nominavit. Quorum inextricabiles nugas latissime Irenæus explicavit operis initio ; ex eoque luculentissimum fragmentum descripsit, ac posteritati conservavit Epiphanius [3]. Tertullianus item totum illius sectæ mysterium vulgavit libro singulari, cujus in exordio testatur « Valentinianos frequentissimum plane esse collegium. » At Gregorius Nazianzenus tam hos, quam Simonianos, Basilidas, Cerdonas, et ceteros, Bytho suo, ac Sige, (erant illi ex æonum numero,) hoc est « (1) profundo et silentio absorptos, extinctosque » esse narrat.

VI. Ut reliqua fanatici hominis deliria prætermittam, et id unum attingam quod de Christo, et Incarnatione impie docuit ; auctores sunt Irenæus, et Epiphanius, illum existimasse unum ex æonibus Μονογενῆ, hoc est *Unigenam,* procreasse Christum, et Spiritum sanctum. Jesum autem ab æonibus simul omnibus velut ex collatitia stipe prolatum fuisse. Sic enim προβάλλεσθαι latini Patres interpretari solent, ut alibi dixi [4]. Et Tertullianus Valentinum ait dixisse, « Jesum ex ære collatitio in honorem, et gloriam Patris, et ex omnium defloratione constructum » ab æonibus omnibus, atque hunc Soterem, et Christum, præter alia nomina, vocatum esse. Epiphanius « (2) e cœlo detulisse corpus, ac per Mariam virginem, velut aquam per canalem, transisse, nec ex ejus utero quidquam sumpsisse » refert ex Valentino. Sic eumdem Tertullianus quoque scribit spirituale Christo dedisse corpus [5], « idque quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. » Athanasius [6] Valentinianos ait asseverasse, Patrem etiam ac Spiritum sanctum carnem gestasse, quod mirum videtur. (3) Idem Galilæos, sic enim vocabat, id est Christianos irridebat, quod duas in Christo naturas ponerent.

VII. Valentino annumerandi complures alii sunt, qui illius ut in ceteris, sic in pessime interpretanda divini Verbi incarnatione furorem, et amentiam imitati sunt, ut Secundus, cujus Irenæus meminit, et quem Epiphanius nominatim scribit « (4) de Christo eadem cum Valentino, a quo virus ac pestem expresserat, in suo dogmate posuisse. » Tum quos Theodoretus recenset [7], Cossianus, Theodotus, Heracleon, Ptolemæus, Marcus. Ubi pro *Cossiano,* legendum puto *Cassianum.* Hunc enim arbitror esse Julium Cassianum, cujus mentionem haud semel facit Clemens Alexandrinus, ut in secundo Stromateon; ubi ex Valentini schola prodiisse illum asserit, quem et nominat « (5) principem apparentis speciei, » quod fortasse ideo dictum est, ut fictæ, et adumbratæ Incarnationis propugnatorem illum fuisse monstraret.

His addendi sunt Epiphanes, et Isidorus, qui Valentinum secuti sunt, e quibus Epiphanes, Carpocratis hæretici filius, Valentinum tamen potius assectatus est; vixitque annos non amplius septemdecim, et apud Samen Cephalleniæ insulam divinis consecratus est honoribus, ut Clemens Alexandrinus [8], et Epiphanius [9] ex eo narrant.

Isidorus vero Basilidis hæretici filius, ac

(1) NAZIANZ. orat. 23. pag. 414. Ἔπειτα κατεπόθησαν τῷ ἑαυτῶν βυθῷ, καὶ τῇ σιγῇ παραδοθέντες, ὥσπερ οὖν ἄξιον.

(2) EPIPH. hær. 31. § 7. Φασὶ δὲ ἄνωθεν κατενηνοχέναι τὸ σῶμα, καὶ ὡς διὰ σωλῆνος ὕδωρ, διὰ Μαρίας τῆς παρθένου διεληλυθέναι, μηδὲν δὲ ἀπὸ τῆς παρθενικῆς μήτρας εἰληφέναι, ἀλλ' ἄνωθεν τὸ σῶμα ἔχειν. Ita etiam Philast. cap. 10. par. 2.

(3) EULOG. apud Phot. cod. 230. pag. 447. Οὐαλεντῖνος γὰρ κατὰ λέξιν οὕτω λέγει· τῶν Γαλιλαίων ἐπὶ Χριστοῦ δυὸ φύσεις λεγόντων πλατὺν καταχέομεν γέλωτα. Ἡμεῖς γὰρ τοῦ ὁρατοῦ, καὶ ἀοράτου μίαν εἶναι τὴν φύσιν φαμέν.

(4) EPIPH. hær. 32. § 1. Τὰ δὲ πάντα περὶ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἄλλων δογμάτων ὡσαύτως τῷ ἰδίου χορηγῷ τοῦ ἰοῦ καὶ δετῆρι τοῦ δηλητήριου Οὐαλεντίνῳ δογματίζει.

(5) CLEM. 3. Strom. pag. 339. Τοιούτοις ἐπιχειρεῖ καὶ ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων Ἰούλιος Κασσίανος.

[1] Clem. 7. Strom. p. 549. — [2] Lib. de Præscr. cap. 10. — [3] Epiph. Hær. 31. § 9. — [4] Tom. 2. lib. 5. de Trin. c. 8. § 9. et lib. 7. c. 10. § 5. — [5] Tert. de Præf. c. 49. et lib. con. Valent. cap. 15.

[6] Lib. de Incarn. Christi p. 486. et lib. de Sal. adven. p. 496. — [7] Lib. 1. de Hær. cap. 8. — [8] Lib. 3. Strom. p. 312. — [9] Hær. 32. § 3.

discipulus fuit, quod Clemens idem memoriæ prodidit [1]. Quem et ait scripsisse libros *exegeticos*, id est *Expositiones prophetæ Parchor*. Tum Paræneticum alium Epiphanius ab eo lucubratum refert [2], ex quo Epiphanes ille impurus adolescens, necnon Secundus, multa transtulerunt. Clemens hæc, ut opinor, Ἠθικὰ, id est *Moralia* vocat, initio libri tertii Stromateon; indeque nonnulla profert, ex quibus apparet, opus infandum fuisse, et omni contaminatum spurcitia.

VIII. Secundo, et ab eo dictis Secundianis Ptolemæum subjicit Epiphanius [3], quem Irenæus « (1) florem delibatum e Valentini schola» nominat, ejusque deliria paululum ab Valentini commentis deflexa narrat [4]: ac longam satis epistolam ejusdem ad Floram describit Epiphanius. Quam quidem fœminam principatum in illa secta tenuisse indicat Epiphanius idem in Anacephalæosi, ex eoque Damascenus.

Marcum deinde ponit, ejusque discipulos Marcosios. Fuit autem insignis ille præstigiator, et magicæ artis scientissimus, de quo Irenæus [5], et ex eo Epiphanius [6], Theodoretus [7], Tertullianus [8]. Qui hunc ait negasse, Christum « in substantia carnis venisse. » Et auctor libri, qui *Prædestinatus* inscribitur [9], « Christum, *inquit*, non vere passum, sed putative conabatur adstruere. »

Sequuntur Heracleonitæ apud Epiphanium ab Heracleone, quem Ptolemæo adjungit Iræneus [10].

Tum Ophitæ, quos scribit Tertullianus [11] asseverasse, « Christum non in substantia carnis fuisse. » Iidem serpentem, a quo decepta est Heva, venerabantur, et Christum indigetabant. Ac « (2) Jesum alium a Christo esse statuebant, et Jesum quidem ex Virgine natum esse, Christum autem e cœlo in ipsum descendisse. » Meminit Ophianorum istorum luculenter Origenes in sexto libro contra Celsum [12]; ubi illius sectæ conditorem nominat Euphratem quemdam, cujus etiam meminit Theodoretus, ac Peratarum auctorem facit. Addit neminem ad Ophitas aggregari, quin Jesum execratus antea fuerit. Augustinus vero [13] serpentinos istos, sic enim vocat, Manichæis accenset.

Ophitas eosdem cum Sethianis fuisse Theodoretus existimat [14]. Epiphanius [15] diversos numerat, ita tamen ut non magno invicem discrimine separentur.

IX. Exinde Cerdonem in eumdem catalogum veram, ac solidam carnem abnegantium hæreticorum auctores referunt. Quem e Syria Romam profectum tradit Epiphanius [16], Hygini papæ tempore, qui nonus a Petro apostolo sedit: quod ex Irenæo [17] refert Eusebius; tum hoc præterea; sæpius illum ad Ecclesiam reversum, acta pœnitentia restitutum, excommunicatumque fuisse. Primus iste duos deos dixisse fertur, unum bonum, alterum malum, ut scribit Augustinus [18]. « Hic introducit initia duo, ait Tertullianus [19], id est duos deos, unum bonum, et alterum sævum : bonum superiorem; sævum hunc, mundi creatorem. Hic prophetias, et legem repudiat, Deo creato renuntiat, superioris Dei filium Christum venisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum, nec ex Virgine natum, sed omnino nec natum. »

X. Hujus discipulus, imitatorque fuit Marcion « Ponticus genere, episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiæ communicatione abjectus (verba sunt Tertulliani [20]) ipsius patris sententia, ut scribit Epiphanius [21], nec ab eo conditionibus ullis impetrare communionem potuit. Quam ignominiam non sustinens, Romam abiit Hygino Pontifice, ac frustra ibi tentata reconciliatione, desperatum se ad Cerdonis hæresim applicasse, prodit Epiphanius idem. Sed ei ab Tertulliano [22] contradicitur, qui Marcionem, ut et Valentinum « Antonini fere principatu » refert « in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem: donec sub episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum dissidium relegati, venena doctrinam suarum dissemi-

(1) IREN. in præf. lib. 1. Ἀπάνθισμα οὖσαν τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς.

(2) THEODOR. lib. 1. contra Hær. cap. 14. p. 205. Τὸν δὲ Ἰησοῦν ἄλλον λέγουσι παρὰ τὸν Χριστόν· καὶ τὸν μὲν Ἰησοῦν, ἐκ τῆς παρθένου γεννηθῆναι, τὸν δὲ Χριστὸν οὐρανόθεν εἰς αὐτὸν κατελθεῖν.

[1] Strom. 6. pag. 462. — [2] Epiph. Hær. 32. § 4. et Hær. 53. init. — [3] Hær. 33. — [4] Iren. lib. 1. cap. 6. — [5] Lib. 1. cap. 8. — [6] Hær. 34. — [7] Lib. 1. contra Hær. c. 9. — [8] Lib. de præscr. cap. 50. — [9] Lib. 1. cap. 14. — [10] Lib. 1. cap. 6. — [11] Tert. de præsc. c. 47. — [12] Orig. con. Cels. p. 303.

[13] Lib. de vera rel. cap. 5. — [14] Lib. 1. con. Hær. cap. 14. — [15] Hær. 39. — [16] Hær. 41. — [17] Lib. 1. cap. 28. et l. 3. c. 4. et Euseb. lib. 4. cap. 11. — [18] Lib. 2. con. adver. leg. c. 10. — [19] Lib de præsc. cap. 51. — [20] De præscr. c. 51. — [21] Hær. 42. — [22] Lib. de præscr. cap. 30.

narunt. » « Postmodum Marcion, *inquit*, pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est. » Cœpit autem Eleutherus papa sub M. Aurelio Antonino. Itaque, si Tertulliano credimus, non prorsus a spe recuperandæ communionis exclusus est Marcion, sed plus semel restitutus, postremo etiam in pœnitentia ipsa decessit. Optatus Milevitanus ex episcopo factum apostatam scribit [1], quod haud scio an alius prodiderit. Justinus in Apologetico secundo illius mentionem facit.

XI. Marcionis dogmata ex Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Theodoreto, aliisque nota sunt. Tertullianus quidem quinque adversus illum libros edidit. Duos cum Cerdone ponebat deos, boni alterum auctorem, alterum mali. Ex his, ait primus liber contra Marcionem versibus scriptus Tertulliani nomine [2],

> Hunc negat esse bonum, justum tamen esse fatetur,
> Crudelem, durum, belli cui sæva voluptas,
> Judicio horrendum, precibus mansuescere nullis.
> Esse alium suadens, nulli qui cognitus unquam,
> Qui non est usquam, falsum sine nomine numen,
> Constituens nihil, et nulla præcepta locutus
> Hunc ait esse bonum, nullum qui judicat, etc.

Idem [3] veram negavit Christi carnem, et ideo « negavit etiam nativitatem, aut ut nativitatem negaret, negavit et carnem. » Passiones tamen specie sola obitas agnovit [4] : « quia, ut phantasma, vacabat a sensu earum. » Duos idem Christos constituit [5], alterum, « qui Tiberianis temporibus a Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium : alterum, qui a Deo creatore (eodemque malo) in restitutionem judaici status sit destinatus quandoque venturus. Inter hos magnam, et omnem differentiam scindit, quantam inter justum, et bonum, quantam inter legem, et Evangelium, quantam inter Judaismum, et Christianismum. » Denique resurrectionem negavit [6] ; nuptias damnavit ; ad baptismum solas virgines, aut cœlibes admisit.

Exstitit post hunc (Tertulliani verba sunt [7]) Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus, et hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docet, quæ Marcion, et Cerdon docuerant. » Meminit et Philastrius. Epiphanius, et Damascenus Lucianum illum vocant.

(1) BASIL. 1. in Hexaem. pag. 21. Ἦν σηπεδόνα τις τῶν ἐκκλησιῶν προσειπῶν οὐχ ἁμαρτήσει τοῦ προσήκοντος.

XII. Sequitur omnium pessimus, ac pestilentissimus hæreticorum Manes, sive Manichæus, « magister falsitatis diabolicæ, et conditor superstitionis obscœnæ, » ait S. Leo [8]. Quam « (1) merito cariem, vel putridum ulcus Ecclesiarum appellari posse » Basilius affirmat. Hujus historiam tam auctoris, quam sectæ complures accurate descripserunt, ut Cyrillus Hierosolymitanus [9], Epiphanius [10], Theodoretus [11], Socrates [12], Augustinus multis in libris, et innumerabiles alii. Horum, quæ illi referunt, summa hæc est. Scythianus quidam Saracenus genere, in Arabia nutritus, mercaturam exercuit, ex qua ingens compendium nactus, postea in Ægyptum se contulit, et Alexandriæ græcam linguam, græcasque disciplinas didicit ; præsertim philosophiam tum Aristotelis, tum Empedoclis, ac Pythagoræ ; unde principiorum, boni, ac mali, dogma transtulit. Idem in Thebaide Ægypti provincia, apud Hypselen oppidum, scortum elegans e lupanari matrimonio sibi copulavit. Tum libros conscripsit quatuor, unum Mysteriorum, secundum Capitulorum, tertium, quod Evangelium inscripsit ; quartum, Thesaurorum. Post hæc in Judæam profectus cum Terbintho discipulo, cum nihil adversus Christianam fidem suis conatibus proficeret, ad magicas confugit præstigias, quibus dum in summo ædium tecto daret operam, inde lapsus in præceps periit. Terbinthus, quem Epiphanius Terbithum nominat, cum opibus omnibus a Scythiano relictis in Persidem aufugit, ac mutato, ne agnosceretur, nomine Buddam se vocavit. Ibi apud anum quamdam viduam habitavit, ac post multas cum magis disputationes, Scythiani exemplo, in summum tectum ascendens, ac maleficiis operatus indidem divina vi deturbatus periit. Anus pecuniarum omnium ac librorum compos facta, mancipium Persicum emit nomine Cubricum. (Augustinus Urbicum vocat ; credo ab Latinis illius sectæ deflexo in usum Romanum vocabulo.) Is Manes appellari deinde voluit, quæ vox Persis ἀμιλίαν, id est *allocutionem* significat ; ut ait Cyrillus. « Manichæum, quasi manna fundentem, » hunc nominavere postea discipuli, qui vulgo Manichæus dici solet [13].

Hic præstigiis, ac magicis artibus confisus,

[1] Opt. lib. 4. — [2] Cap. 4. — [3] Tert. de car. Chr. c. 1. et 3. contra Mar. c. 9. et seq. Ath. de Incar. — [4] Tert. lib. 3. con. Marc. c. 5. — [5] Tert. 4. con. Marc. cap. 6. — [6] Tert. 1. con. Marc. cap. 24. et seq. — [7] Lib. de præsc. c. 51. — [8] Leo ser. 2. de Pœn. — [9] Cat. 6. — [10] Hær. 66. — [11] Lib. 1. de Hær. — [12] Lib. 1. cap. 22. — [13] Aug. lib. de Hær. 46.

Persarum regis filium, qui forte tum ægrotabat, sanandum suscepit. Sed eo mortuo, in carcerem conjectus, clam aufugit, ac discipulis varias in partes dimissis, ut hæresim suam longe lateque dissiparent, ipse in Mesopotamiæ fines contendit. Ibi vero ab Archelao episcopo viro docto ac strenuo, disputando convictus, et fugatus, in Persarum regis potestatem venit, eoque jubente, cutis illi vivo detracta est.

Initium hæresis illius ad annum Probi imperatoris secundum adscribitur ab Eusebio in Chronico. Leo papa homilia secunda de Pentecoste annum designat consulibus Probo Augusto, et Paulino Coss. fuit hic æræ Christianæ 277. Vide Epiphanium Hæresi 66. et quæ ad hunc olim adnotavimus de tempore Manichæi, cujus valde perplexa apud antiquos est ratio.

XIII. Manichæorum fabulas, et commenta turpissima longum est, ac supervacaneum hoc loco persequi, cum ea pluribus explicata sint ab iis, quos supra nominavi, scriptoribus : præsertim ab Augustino, qui unus aliquando fuit illorum. Quod ad præsens institutum attinet, « Christum affirmabant fuisse, inquit Augustinus [1], quem dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos eos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum, malumque dignoscerent. Eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse : ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur. »

« (1) Veniens Flius, ait Epiphanius in Manichæorum hæresi, sese transformavit in hominis speciem. Ita hominis similis hominibus apparebat, etsi homo non esset : atque homines natum illum revera putabant. » Athanasius Marcionem, et Manichæum scribit existimare Christum « (2) carnem humanæ similem attulisse de cœlo, et eamdem in cœlum recesisse, cum tota nihil nisi divinitas esset. » Quippe « humanam carnem non vitio culpæ, sed naturali credens proprietate pollutam, natura malignam sibi mendaciter fingit, » ait Fulgentius [2].[Hinc Eulogius apud Photium codice 230. (3) unam in Christo naturam constituisse, non duas, Manichæum asserit.

XIV. Ad hanc classem φαντασιαστῶν, sive δοκητῶν revocari possunt primo, qui Christo veram alioqui carnem tribuunt; sed eam non de muliere sumptam, verum [3] ab ipsomet Filio Dei ex elementis quatuor confectam. Quod Apelleiani docuerunt ab Apelle nominati Marcionis discipulo, de quo ita Tertullianus [4] : « Si et Apellis stemma retractandum est, tam non vetus et ipse, quam Marcion institutor, et præformator ejus : sed lapsus in fœminam, desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua jam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum et ipsam, cujus energemate circumventus, quæ ab ea didicit, Phaneroseis scripsit. » Et postea [5] « Christum neque in phantasmate » dicit « fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet, sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sidereum sibi carnem et aeream contexuise : hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse; et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse. » Lege et eumdem in libro de carne Christi [6], et Epiphanium, Theodoretum, Eusebium [7], et alios. Fulgentius quoque Patripassianis istud ipsum impingit, uti paulo post dicam.

Auctor Prædestinati de Apellitis (ita enim vocat) loquitur sic : « Dominum nostrum Jesum Christum adserunt carnem ex elementis suscepisse, quam aeri reddidit, dum ascenderet, et sine ea intravit in cœlum. Hos Origenes ita perfecte superavit, ut eorum causa periodeutes fieret, et per singulas quasque urbes per Orientem eundo prædicaret. » Tum subjicit de Origenis libris hæreticorum fraude depravatis, ex Apologetico Pamphili.

(1) EPIPH. hær. 66. Καὶ ἐλθὼν ὁ Υἱὸς μετεσχημάτισεν ἑαυτὸν εἰς ἀνθρώπου εἶδος, καὶ ἐφαίνετο τοῖς ἀνθρώποις ὡς ἄνθρωπος, μὴ ὢν ἄνθρωπος, καὶ οἱ ἄνθρωποι ὑπελάμβανον αὐτὸν γεγεννῆσθαι.

(2) ATHAN. de salut. adv. Chr. Ἀλλ' ὁμοίαν σάρκα ἐπιδεδεχθαι ἐξ ἑαυτοῦ καθ' ὁμοίωσιν ὡς εὐθέλησεν ἐξ οὐρανοῦ ὀφθεῖσαν, καὶ εἰς οὐρανοὺς χωρήσασαν, καὶ θεότητα ὅλην οὖσαν.

(3) MANICH. in ep. ad Scythianum apud Phot. pag. 447. Ὁ δὲ τοῦ ἀϊδίου φωτὸς Υἱὸς τὴν ἰδίαν οὐσίαν ἐν τῷ ὄρει ἐφανέρωσεν, οὐ δύο φύσεις ἔχων, ἀλλὰ μίαν ἐν ὁρατῷ τε, καὶ ἀοράτῳ.

[1] Lib. de Hær. c. 46. — [2] Lib. 1. ad Trasim. cap. 5. — [3] Epiph. Hær. 41. — [4] Lib. de Præscr. cap. 30. — [5] Ibid. c. 5. — [6] Cap. 6. et seq. — [7] Lib. 5. cap. 13.

XV. Ad hunc eumdem Apellis errorem revocari potest opinio quorumdam, qui Filium Dei, antequam e Maria carnem sumeret, aliter productam assumpsisse carnem asserunt, in eaque veteribus apparuisse. Ita Tertullianus in libro de carne Christi : ubi [1] adversus Apellem disputans « solidum Christi corpus, sed sine nativitate prædicantem, » fatetur Christum, et angelos, cum vera carne priscis visendos se præbuisse, quæ « non ex sideribus concepta, » sed ex nihilo facta sit. Nec absimiles nugæ sunt recentioris illius scriptoris, qui non solum Melchisedecum, aliosque complures, ante primi hominis exortum extitisse narrat, nullo humano satu, ac cœlestibus constantes corporibus, sed etiam Christum ipsum Dominum cum ejusdem modi corpore tum fuisse, longe antequam e B. Virgine nasceretur. Quod fanaticum delirium, et ob hæresim, atque inscitiam infame jugulavimus in primo libro de Opificio sex dierum [2], ac de eo pluribus postea.

Ad Phantasiastas istos hæreticos adscribi possunt Priscillianistæ, « qui Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint ; sequentes dogma Cerdonis, atque Marcionis, et cognatis suis Manichæis per omnia concordantes, » ait Leo papa Epistola 93. et Bracarense 1. can. 4. Quanquam eosdem Pauli Samosateni, et Photini dogma persecutos, « Filium Dei, antequam ex Virgine nasceretur, non fuisse » arbitratos esse, declarat idem Bracarense concilium canone tertio.

CAPUT QUINTUM.

1. De hæresi Patripassianorum. — 3. Quos Sabellianos vocant : quibus Priscillianistæ, et Apollinaristæ a nonnullis accensentur. — 4. De Arianorum hæresi circa Incarnationem : in qua animæ instar esse Filium Dei putarunt. — 7. Cur hæc pars hæresis illorum vulgo minus cognita, et sæpius omissa sit. — 8. Eamdem alterius, et præcipuæ, quæ contra divinitatem pugnabat, appendiculam fuisse, utpote quæ divinitatem Filii patibilem assereret, tanquam diversam, inferioremque vera, et paterna. — 9. Manuelis Calecæ de Arianis locus insignis.

I. Nunc adversus hæreses illas promovenda est oratio, quæ nec merum hominem asserunt fuisse Christum, nec solum Deum, illudentem oculis mortalium falsa humanæ formæ specie ; sed duas in unum fatentur convenisse naturas. E quibus primi illi ponendi sunt, qui in potiore natura lapsi sunt, ac divinitatem aliter in Christo constituerunt, quam catholica fert pietas, ac regula.

Hujusmodi Patripassiani fuerunt, quorum insanus error ab Mario Victorino recte est expositus in primo libro adversus Arium, ubi calumniæ Arianorum occurrit Catholicos accusantium, quod, cum Patri ὁμοούσιον dicerent esse Filium, inde consequens esset, Patrem non minus quam Filium passionem obivisse. « Sed sicuti dictum est, ait Victorinus [3], et in Filio Pater, et in Patre Filius. Num timor ex isto nascitur, esse nos ista dicentes quasi Patripassianos ? Multum differt serpentinum dogma a veritate. Illi enim Deum solum esse dicunt, quem nos Patrem dicimus, ipsum solum existentem, et effectorem omnium, et venisse non solum in mundum, sed et in carnem, et alia omnia, quæ nos Filium fecisse dicimus. » Ac paulo post : « Secundum carnem ergo Salvator passus est : secundum Spiritum autem quod erat, sine passione. Unde differt nostrum dogma a Patripassianis. Non enim Filium esse passio est, sicuti dictum ; nec facere aliquid, nec loqui. Divina enim potentia sine passione fiunt omnia, et ista magis sua, et substantialis, et divina motio est, non passio. Deinde de isto non fuerunt Patripassiani, sed de cruce : Quod Pater crucifixus est dicentes sacrilegi : impassibili passiones implicantes, et non intelligentes necessario aliquid impassibile esse, si est aliud quod patiatur. Nos tamen impassibilem et Filium dicimus ; juxta quod logos autem caro factus est, passibilem. »

II. Fulgentius Arianum quemdam nomine Fastidiosum idem Catholicis exprobrantem re-

[1] Tert. lib. de carne Christi cap. 6.

[2] Cap. 4. — [3] Tom. 4. Bibl. PP. col. 207. E.

fellit, et Patripassianorum venena manifestius aperit [1]. « Non tota Trinitas, *inquit*, carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum injurias sensit, neque tota Trinitas in sepulchro jacuit, neque tota Trinitas infernum penetravit, neque tota Trinitas tertio die a mortuis resurrexit : et si qua sunt alia, quæ convincantur in sacramento illo Incarnationis ad solius Filii pertinere personam. Hæc enim, quæ catholicæ veritati Fastidiosus plena falsitatis, et perversitatis objecit, non nisi Sabellianis, id est Patripassianis, possunt veraciter objici ; in quibus revera illi conclusi, atque convicti deficiunt, qui sanctæ Trinitatis sicut unam naturam, sic unam personam prædicare contendunt. Ubi eos sua perversitas consequenter ad hanc absurditatem præcipitat, ut nativitatem quidem divinam nullatenus credant ; naturam vero secundum carnem, nihilominus passionem, ac mortem, resurrectionem quoque ab inferis, et ascensionem in cœlum, et omnia illa, quæ in sacramento Incarnationis ad personam unius Filii pertinent, Patri consequenter adsignent. »

Hic Fulgentius indicat, Patripassianos nativitatem Dei secundum carnem ita confessos esse, ut veram carnem esse, vereque passam ac mortuam non negarent ; quæ fuit Apellitarum sententia superiori exposita capite.

III. Sane Patripassianos vulgo Sabellianos antiqui nominant. Augustinus tractatu 36. in Joannem : « Sabelliani, *inquit*, dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur et Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse. » Et Tractatu sequenti : « Gratias Domino, quia et ipse Arianus recessit ab errore Sabelliano, et non est Patripassianus : non dicit ipsum Patrem indutum carne venisse ad homines, ipsum esse passum, ipsum resurrexisse, et quodammodo ad se ascendisse. »

Ruffinus in symboli Apostolorum enarratione, docet, ad eum articulum, quo *Deum Patrem omnipotentem* profitemur, addi *invisibilem et impassibilem :* et, « Sciendum, *ait*, quod duo isti sermones in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos hæreseos causa Sabellii, illius profecto quæ a nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ et Patrem ipsum vel ex Virgine natum dixit, et visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores, et invisibilem Patrem, atque impassibilem dixisse. Constat enim Filium, non Patrem incarnatum, et ex carne natum, et ex nativitate carnis Filium visibilem et passibilem factum. Quantum autem spectat ad illam deitatis immortalem substantiam, quæ una ei, eademque cum Patre est ; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus visibilis aut passibilis creditur. » Patripassianos ecce Ruffinus refert Patrem perinde natum ac passum esse credidisse : quod Fulgentius negat. Tum memorabile est quod addit, nomina illa duo, *invisibilem, et impassibilem* , ad Symbolum adjuncta fuisse, ut Sabellianorum, vel Patripassianorum hæresis excluderetur : non eo sensu, quem Ariani præ se ferebant, qui solum Patrem natura minime adspectabilem esse dicebant ; Filium vero, utpote inferioris substantiæ, natura videri posse, de quo vide quæ [2] alibi disseruimus.

Leo papa in epistola nonagesima tertia ad Turibium, quam superiori capite citavimus [3], Priscillianistas ad eamdem Sabellii opinionem pertinere dicit, ejusque discipulorum, qui Patripassiani vocantur, quatenus « Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eamdem asserebant esse personam : tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus nominetur ; nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit : sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipienda personis. » Athanasius item Apollinaristas Patripassianorum affines errori fuisse significat, eo quod naturam ipsam Filii, quam consubstantialem esse Patri fatebantur, passam existimabant, de qua opinione agam postea.

Postremo quæ ad Sabellii, et Patripassianorum hæresim operæ pretium sit nosse, supra capite tertio commemoravimus [4].

IV. Quod in divina persona Patris ausi sunt Patripassiani, hoc in Verbo, ac Filio Ariani moliti sunt, ut in Christo divinitatem ipsam patibilem fuisse, ac passam omnino esse dicerent. Etenim corpus absque anima docebant assumptum a Filio Dei ; adeo ut animæ instar esset divina ipsa Verbi substantia. Testes sunt hujus impii dogmatis antiqui Patres : Athanasius in libro de adventu Christi adversus Apollinarium ; « (1) Arius, *inquit*, carnem so-

(1) ATHAN. pag. 495. Ἄρειος δὲ σάρκα μόνην πρὸς ἀποκρυφὴν τῆς θεότητος ὁμολογεῖ. Ἀντὶ δὲ τοῦ ἔσωθεν ἐν ἡμῖν ἀνθρώπου, τουτέστι τῆς ψυχῆς, τὸν Λόγον ἐν τῇ σαρκὶ λέγει γεγονέναι, τὴν τοῦ πάθους νόησιν, καὶ τὴν ἐξ ᾅδου ἀνάστασιν τῇ θεότητι προσάγειν τολμῶν : et pag. 502. et 503.

[1] Fulg. lib. cont. serm. Fastid. c. 11. — [2] Lib. 2. de Trin. c. 9. § 9. et lib. 8. c. 2. § 5. — [3] Cap. 1. — [4] § 7.

lam ad occultandam divinitatem fatetur ; ac pro nostro interiori homine , hoc est pro anima, Verbum in carne ait extitisse, passionis sensum, et resurrectionem ab inferis, divinitati ausus adscribere. » Et alio in loco : « (1) Frustra igitur, *inquit*, Ariani sibi somnia fingunt, asserentes Salvatorem solam assumpsisse carnem, ita ut passionis sensum impie transferant ad impatibilem deitatem. »

Idem de Arianis Epiphanius docet in eorum Hæresi [1] : necnon in summa, sive Anacephalæosi, ut Augustinus refert [2]. Tum Gregorius Nazianzenus [3], et alter Nyssenus [4], Cyrillus item Alexandrinus [5]. Theodoretus Arium et Eunomium scribit putasse, « (2) assumptum esse corpus : divinitatem vero animæ partes obiisse, adeo ut corpus nihil aliud nisi divinitatis involucrum fuerit. » Quod etiam Leontius in lib. de Sectis refert [6]. Vide Fulgentium in primo libro ad Trasim. capite 7. et Philastrium Hæresi 44. et Augustinum libro de Hæresibus, hæresi 73.

V. Memorabile est quod de hujusmodi Arianorum labe opinionis memoriæ prodidit Augustinus in libro de hæresibus ad Quodvultdeum : ubi, postquam vulgatam de Trinitate illorum exposuit hæresim, pergit ita [7] : « In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum. Sed hoc verum esse, et Epiphanius non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis, et collocutionibus certissime comperi. » Non igitur Athanasii, Epiphanii, et aliorum, quos citavi, antiquiorum se commentarios legerat Augustinus. Nam Ambrosius [8] contra illos, qui animam Christo detrahebant, disputat quidem in libro de Incarnatione, sed Arianorum non meminit.

Ac non raro animadvertimus, antiquos caput illud erroris Apollinari imputare, non Ario : cum tamen utriusque dispar vulgo feratur in eodem genere perfidiæ dogma. Nam Apollinaris non ἄψυχον penitus, id est *inanimum* Christi fuisse corpus, sed ἄνουν, id est *expers mentis* asserebat, ut postea dicetur. Verum partim quia non magno intervallo distare videbantur invicem, et uterque eodem argumento nitebatur, ut in Apollinaris hæresi fusius explicabimus : ideo quod Arii proprium erat, facile hoc, in Apollinarem transtulerunt; partim etiam quia sententiam mutavit Apollinaris, et cum initio animam integram negaret in Christi carne fuisse, postea solam ei mentem, sive principalem illius partem detraxit : de quo paulo post.

VI. Illud magis miror Augustini in sermone quodam [9], ubi Christum non minus verum Deum, quam verum hominem esse defendens, duas contra naturam utramque pugnantes opponit hæreses. « Gemina, *inquit*, in hoc loco hæresis contrariis nos nititur impugnare sententiis : inde Apollinaris, hinc Arius : qui sic in Christo hominem perfectum suscipit, ut Deum illum neget esse perfectum, dum ipsum Dei Verbum principio ipsi conatur includere, et eum non creatorem, sed creaturam fatetur. Apollinaris vero ita Dei Filium et e contrario perfectum credit esse Deum, ut ei verum hominem timeat copulare, dum metuit ne suscipientis dignitatem suscepti hominis obfuscet infirmitas. »

Atqui verum et integrum hominem Christum minus putavit Arius, quam Apollinaris. Hic enim partem duntaxat eripuit animæ , ille totam abstulit : neuter verum ac perfectum hominem , imo vero ne hominem quidem omnino constituit.

VII. Arius ergo (nam de eo nunc agitur) cum Filium Dei Deum esse quidem ipsum fateretur, sed alterius, quam sit Pater, substantiæ, eoque minorem, eumdem et adspectabilem, et patibilem esse dicebat : uti Patre tanto inferior haberetur. Ideo passum illum asserebat in carne ; et, ut hoc melius persuaderet, animæ instar fuisse corpori divinitatem illam Verbi velut secundariam aiebat.

« (3) Hunc scopum hæresis istius fuisse »

(1) Id. lib. de incarn. Chr. pag. 489. Μάτην οὖν Ἀρειανοὶ φανταζονται σάρκα μόνην ὑποτιθέμενοι ἀνειληφέναι τὸν σωτῆρα, τὴν δὲ τοῦ πάθους νόησιν ἐπὶ τὴν ἀπαθῆ θεότητα ἀναφέροντες ἀσεβῶς.

(2) Theod. lib. 5. cont. Hær. cap. 11. Ἄρειος δὲ, καὶ Εὐνόμιος σῶμα μὲν αὐτὸν ἔφασαν εἰληφέναι, θεότητα δὲ τῆς ψυχῆς ἐνηργηκέναι τὴν χρείαν. Et in dial. 2. pag. 52. Id. lib. 5. pag. 279. Οὐ γὰρ προκαλύμματι τῆς θεότητος χρώμενος ἀνέλαβε τὴν τοῦ σώματος φύσιν, κατὰ τὴν Ἀρείου, καὶ Εὐνομίου φρενοβλάβειαν.

(3) Greg. Nyss. 1. con. Eun. pag. 53. Ὁ δὲ σκοπὸς ἐστιν αὐτοῖς τῆς τοιαύτης περὶ τὸ δόγμα κακουργίας, τὸ δεῖξαι τὰς ταπεινοτέρας φωνὰς, ὡς ἐκ τοῦ ἀνθρωπίνου ποιεῖται ὁ Κύριος, παρ' αὐτῆς τῆς θεότητος γεγενῆσθαι δοκεῖν, ἵνα διὰ τούτων ἰσχυρότερα ἀποδείξωσι τὴν βλασφημίαν.

[1] Epiph. Hær. 69. § 49. et 50. — [2] Lib. de Hær. — [3] Ep. 1. ad Cle. pag. 740. — [4] Lib. 1. contra Eunom. p. 53. — [4] Epist. ad Aca. tom. 5. Par. 2. p. 119.

[6] Act. 3. tom. 11. Bibl. PP. pag. 505. — [7] Aug. de Hær. c. 49. — [8] Lib. de Incarn. cap. 7. — [9] Serm. 193. de Temp.

docet Gregorius Nyssenus, « ut ostenderent, humiliores voces, quas ex humana natura loquitur Christus, ab ipsa divinitate profectas videri : ut hac ratione validiorem efficerent blasphemiam. » Quamobrem, cum præcipuus Arii furor, et nefandæ caput hæresis in divinitatem Filii, et sanctissimæ dogma Trinitatis incumberet, ad hoc firmandum, et corroborandum, velut accessionis loco, illud alterum adversus assumpti hominis fidem adhibuit, ut testatur Leontius (1). Ex quo demum intelligimus, cur Ariani tam enixe loca illa Scripturæ contra æqualem, eamdemque Filii cum Patre divinitatem, et substantiam proferrent, quæ ad humanam in Christo naturam manifeste pertinent. Id enim consentanee faciebant alteri isti erroris et insaniæ parti, qua divinitatem Filii animæ vicem corpori præstitisse volebant : ut quæ passus esse, ac sensisse per carnem, et in carne ille dicitur, ea Verbum ipsum in substantiam suam admiserit. Quod plerique veteres observant; ut Hilarius[1] a Theodoreto[2] citatus, Athanasius passim, Augustinus, Fulgentius[3], et alii.

Hinc merito Judæis detestabiliores Arianos esse scribit Ambrosius[4]. « Detestandi Judæi, *inquit*, qui carnem Domini crucifixerunt : detestabiliores tamen eos arbitror, qui divinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Denique qui cum Judæis sæpe tractabat, *Hæreticum*, inquit[5], *post unam correptionem devita.* » Ex quo consequens est, Ambrosium scisse, Arianos pro anima subrogasse divinitatem Filii humanæ in Christo substantiæ.

VIII. Quocirca ex hoc eodem dogmate, liquet Arianos veram Christi ἐνανθρώπησιν, id est *hominis assumptionem*, sive *inhumanationem*, ut ita loqui fas sit, neutiquam credidisse ; sed solam σάρκωσιν, id est *incarnationem*, non eo sensu, quo vulgo ab Catholicis vox ista sumitur, qui *carnis* nomine totum amplectuntur hominem ; verum proprie, uti sola caro significetur.

Itaque sola δοκήσει, hoc est *specie tenus*, et, ut latini Patres loquuntur, *putative*, hominem fuisse Christum arbitrati sunt Ariani. Ideo contra hos disputans Epiphanius, et ex ipsis Christi verbis approbans, illum animam revera sumpsisse cum carne, (2) « Quando, *inquit*, de anima loquitur, ostendit revera se hominem esse factum, et non sola specie. » Quippe verus homo non est, qui præcipua, et substantiva parte caret hominis, et quæ maxime hominem constituit. Ejusmodi autem est anima, a qua, velut a forma, compositi manat essentia.

Verum quod primaria, et omnium perniciosissima labes, fonsque ceterarum, et stirps in Ariana hæresi esset illa contra Filii divinitatem insania, cujus velut appendicula, et consectarium erat perversa de Incarnatione sententia : ideo hæc ipsa perfidiæ pars tum ab Nicænis Patribus neglecta est, et omissa; tum a plerisque, qui eamdem oppugnavere singuli, vel dissimulata prorsus, vel levius perstricta : cum omnium, uti fit, intenti essent animi ad illud, quod latius patebat, et periculosius urgebat, extinguendum nefarii erroris incendium.

IX. Quo illud pertinet, quod a Manuele Caleca viro imprimis erudito animadversum est in libro, quem contra populares suos Græcos pro Latinis edidit : ubi de processione Spiritus sancti ex utroque, Patre videlicet, ac Filio, disputans, quod de Theodoreto solet objici, qui Spiritum sanctum negavit a Filio procedere, ei sic respondet capite vicesimo secundo : minime illum catholicum, cum ista scriberet, sed hæreticum fuisse Nestorianum. Quippe propriam hanc Nestorii hæresim extitisse, non a Filio, sed a solo Patre procedere Spiritum sanctum. Verum ab concilii Ephesini Patribus dissimulatum caput illud hæresis ipsius esse, quod tunc alterum magis urgeret, ac tractari oporteret, quo susceptæ carnis a Verbo, et unius in utraque natura personæ fides everteretur. « (3) Nam et periti medici, *inquit*, ex duobus morbis, quibus ægrotus afficitur, in eum curandum operam conferunt, qui magis

(1) LEONT. lib. de Sect. act. 3. Τοῦτο δὲ ἔλεγεν, ἐπειδὴ συνεβάλλετο αὐτῷ εἰς δόγμα τῆς Τριάδος.

(2) EPIPH. hær. 69. § 49. Ὅταν δὲ περὶ ψυχῆς διηγεῖται, δείκνυσιν ἑαυτὸν ἀληθινῶς ἐνανθρωπήσαντα, καὶ μὴ δοκήσει.

(3) CALEC. Ἐπεὶ καὶ οἱ σοφοὶ τῶν ἰατρῶν δύο νοσημάτων παρόντων, πρὸς τὸ μᾶλλον ἐνεχόμενον, καὶ τομῆς δεόμενον, εἰ καὶ τῷ γένει φαυλότερον παρατάττονται. Καὶ δικασταὶ πολλάκοις τὸν ἐγκαλούμενον ἐν πολλοῖς δικαίως ἂν ἐπιτιμηθέντα, περὶ τὸ ἓν ἐκεῖνο μόνον, ἐν ᾧπερ ἀδικῶν ἐφωράθη, πρὸς τὸ παρὸν αἰτιῶνται. Οὐ μὴν θαυμαστὸν εἰ καὶ μὴ φέρεται τὸ εἰρημένον δόξαν εἶναι τοῦ Νεστορίου. Ἐπεὶ καὶ Ἄρειος, καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν Υἱὸν νοσοῦντες, καὶ περὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πολλῷ χεῖρον ἐνόσουν. Καὶ δὴ καὶ τὴν προσληφθεῖσαν μετὰ τῆς σαρκὸς ψυχὴν τῷ Χριστῷ προϋπάρχειν τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκώσεως· καὶ οὐρανόθεν αὐτὴν ὁ Ἄρειος ἥκειν ἐδόξαζε. Τὰς γὰρ τῶν ψυχῶν προϋπάρξεις ἐπίστευε καὶ αὐτὸς. Ἀλλ' οὐδεὶς ἐκείνῳ περὶ αὐτῶν ἐνεκάλεσεν.

[1] Lib. 9. — [2] Dial. 2. pag. 107. — [3] 1. ad Trasim. cap. 7.

[4] Amb. 3. de fide c. 3. col. 150. — [5] Tit. 3.

urget, et omnino amputandus est, quamvis genere ipso sit levior. Ac sæpe judices reum multorum criminum pœnas meritum, hujus tantummodo, cujus manifeste convictus tenetur, in præsens lata sententia condemnant. Neque vero mirari quis debet, quod non tributa Nestorio est opinio illa, quam dixi : quando et Arius, et omnes perperam sentientes de Filio, de Spiritu sancto multo deterius existimarunt. Quin idem Arius assumptam cum carne animam a Christo ante Incarnationem existere, atque e cœlo venisse credidit. Siquidem animarum et ipse corporibus anteriorem extantiam ponebat. Neque tamen hoc illi quispiam objecit. » Ita Calecas : quæ postrema de animarum προϋπάρξει, dici mirum est ab Ario propugnata fuisse. Sed illud mirabilius, etiam Christi animam eumdem ipsum e cœlo accivisse, et antiquiorem fecisse corpore. Quippe, ut ex superioribus constat, nullam prorsus animam Christo assignavit hæreticus ille, sed Verbum animæ vicem in eo gessisse docuit. Atque hoc præter illos omnes, quos recensuimus, testificantem insuper opportune hic audiemus Faustum Reiensem in epistola tertia [1].

« Ariani, *inquit*, ad Deum quæ erant hominis retulerunt, credentes quod minor loqueretur divinitas, ubi sola hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam ponentes inter cœlestia, et terrena rationem, dum naturas in Deo et homine duas recipere nolunt, Dei substantiam diviserunt ; et dum ad sola hominis verba respiciunt, Deum, qui gloriæ plenitudo est, intellectus lumine perdiderunt. Ac sic qui Deum Filium hominis credendum denegat, Nestorii impietate maculatur : qui duas substantias in Redemptore non credit, Arii laqueo deceptus involvitur. »

CAPUT SEXTUM.

1. De Apollinari hæretico, cujus historia primum exponitur. Episcopum hunc fuisse non Antiochiæ, sed Laodiceæ. — 3. Ejusdem eruditio. — 4. Scriptorum multitudo. — 5. Hæreses variæ. Præcipua de Incarnatione : qua Christo, — 5. partim animam detraxit, — 6. partim mentem. — 8. Carnem item consubstantialem asseruit divinitati. — 12. Et hanc ideo patibilem fecit. — 15. Alii errores ejusdem, de animæ propagatione ; de Trinitate Millenariorum fabula. — 16. Quibus in synodis dicta sit in Apollinaristas damnationis sententia. — 17. De Timotheo, — 18. et Vitali Apollinaris discipulis. 19. De Antiochena synodo contra Apollinarem habita.

I. Quemadmodum professioni divinæ in Christo substantiæ adversatus maxime est Arius : sic ejusdem Incarnationem oppugnare Apollinaris instituit ; et humanæ naturæ proprietatem falsa, et pestifera interpretatione corrupit. Ac plane ita constat, omnes propemodum hæreses, quæ verum, et catholicum Incarnationis dogma labefactare conatæ sunt, ex Apollinaris fonte fluxisse. De eo genere loquor hæresum, cujusmodi Eutyches, et ab eo propagati deinceps instauravere ceteri, cujus mira varietas, et eadem hærentium radice dissimilitudo sectarum extitit.

De Apollinari igitur acturi, ejus primum historiam, more nostro, compendio persequemur, ac de vocabulo ipso prius agendum. Ἀπολλινάριον Græci fere constanter vocant, ut Athanasius [2], vel potius synodus Alexandrina in epistola ad Antiochenses, Socrates, Theodoretus, Epiphanius [3], et alii plures. Quanquam apud Basilium [4], Philostorgium, et quosdam alios, Ἀπολλιναρίους duplici λ scriptum occurrit. Latinis passim Apollinaris vocatur. Hieronymus libro de Scriptoribus Apollinarium nominat. Duo fuerunt eo appellati nomine ; pater, et filius [5]. Ille Alexandrinus genere, professione grammaticus, cum Beryti aliquanto tempore litteras docuisset, Laodiceam se contulit ; ubi uxore ducta, filium suscepit cognominem, qui rhetoricæ, ac sophisticæ totum se dedidit. Ibi cum Epiphanio sophista gentili homine arctissima ambo familiaritate juncti, a Theo-

[1] Tom. 3. Bibl. PP. col. 46. C. — [2] Pag. 452. — [3] Hær. 74. — [4] Epist. 74.

[5] Socr. lib. 2. cap. ult. Sozom. lib. 6. c. 35. Niceph. lib. 9. c. 17.

doto primum Laodiceno episcopo reprehensi sunt. Erant enim ambo clerici, ac pater in presbyterorum, filius in lectorum ordinem cooptatus fuerat. Itaque verebatur Theodotus, ne sophistæ illius consuetudine ad gentilem superstitionem allicerentur. Sed nihilominus in proposito perseverantes, Georgius Theodoti successor, frustra cohortatus ut desisterent, ambos ab communione submovit.

II. Hanc injuriam Apollinaris filius impotenter ferens, et artis suæ fiducia, et ulciscendi cupiditate, novam excogitavit hæresim. Etsi ab aliis proditum est, odio Georgii id illos fecisse, quem in professione Trinitatis parum sibi constantem animadverterent. Sozomenus ab Georgio excommunicatos esse refert, quod cum Athanasio Laodicea transeunte, ut Alexandriam rediret ab exilio, communicassent.

Porro Apollinarem filium hæresis inventorem episcopum fuisse constat. Siquidem epistola synodica concilii Alexandrini ad Antiochenses, cujus paulo ante memini, anno scripta Christi 362. testatur legatos a Paulino missos ad synodum diaconos duos : et ab Apollinari episcopo monachos aliquot. Ruffinus in primo Historiæ libro, cap. 20, Laodiceæ episcopum fuisse significat : idque diserte asserit Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, et Liberatus in Breviario capite tertio.

At Theodoretus [1] (1) Apollinarem Antiochiæ suæ partis ducem se fecisse narrat, quo tempore Meletius, et Paulinus Catholicis, Arianis Euzoius præerant : ut hac ratione quatuor velut episcopi in illa civitate sederint, donec Sapores dux Antiochiam missus a Gratiano imperatore, post Valentis obitum, Apollinarem episcopatu dejecit, Flaviano maxime adnitente, qui tum presbyter, Meletio postea successit. Quod quidem ann. 378. incidit. Sed Apollinarem Laodiceæ, non Antiochiæ episcopum fuisse verisimilius est. Ac nihilominus quatuor tunc urbs illa tulit episcopos. Nam Vitalem factioni suæ præfecit episcopum Apollinaris, eodem auctore Theodoreto [2], virum eximium, ac litteris et pietate conspicuum. Qui cum sub Meletio presbyter esset, ab Flaviano ejusdem collegii contemptim haberi, ac minoris ab episcopo fieri se non sustinens, ad Apollinaris partes transiit, et multos secum opinione virtutis abduxit.

Vitalis episcopi ab Apollinare facti meminit Facundus [3]; et Gregorius Nazianzenus [4] : ac potissimum Epiphanius in hæresi Dimœritarum [5] : qui illum ait Antiochiæ abs se visum esse, hominem vita, moribus, et instituto religiosissimum ; sed Apollinaristarum principem. Quem a Paulino ibidem catholicæ partis unius episcopo dissidentem cum reconciliare vellet, deprehendisse perperam de Christi incarnatione sentire : uti mox dicam. Ante enim de magistro illius cetera prosequenda sunt.

III. Fuit Apollinaris, ut æqualis illius testatur Epiphanius (2), vir insigni doctrina, et, antequam in hæresim caderet, pietate ac virtute : ac tum Epiphanio ipsi, tum vero Athanasio, et Catholicis omnibus longe carissimus. Cujus et hoc luculentum deinceps elogium pertexit. « (3) Non enim mediocrem litterarum scientiam fuerat vir ille consecutus : cum et humanioribus, græcisque disciplinis esset excultus, et dialecticam, ac sophisticam omnem imprimis calleret : esset idem porro præcipua in omni vita gravitate præditus : et cum fidei catholicæ propugnatoribus summa charitate conjunctus, antequam in illud dogma laberetur. Quinetiam exilium perpessus est idem, quod cum Arianis convenire nollet. » Ex quo funestior illius lapsus Ecclesiæ accidit, majoresque ab Catholicis querelas, et uberiores lacrymas expressit : uti tum ex eodem Epiphanio constat ; tum ex Basilio, qui in epistola quadam [6] infelicem tanti viri exitum acerbissime deplorat.

Nam quod Athanasio gratissimum olim istum fuisse scribit Epiphanius, cum eo congruit, quod Leontius prodidit [7], gloriari solitum Apollinarem de litterarum commercio, quod cum Athanasio quondam habuerat, et cum Serapione, aliisque fidei catholicæ defensoribus. Quin Leontius idem [8] Apollinaris epistolæ cujusdam fragmentum refert, in qua scribit, « litteras se semper a beato episcopo Athanasio accipere. »

(1) Theod. lib. 5. c. 3. Πρὸς δὲ τούτοις Ἀπολλινάριος ὁ Λαοδικείας ἑτέρας νῦν συμμορίας ἑαυτὸν ἀπέφηνεν ἀρχηγόν.

(2) Epiph. hær. 77. § 2. Ὁ πρεσβύτης, καὶ σεμνοπρεπὴς ὁ ἀεὶ ἡμῖν ἀγαπητὸς, καὶ τὸ μακαρίτῃ Παπᾷ Ἀθανασίῳ, καὶ πᾶσιν ὀρθοδόξοις, Ἀπολλινάριος ὁ ἀπὸ Λαοδικείας.

(3) Ibid. § 24. Παιδείᾳ γὰρ οὐ τῇ τυχούσῃ ὁ ἀνὴρ ἐξήσκηται, ἀπὸ τῆς τῶν λόγων προπαιδεύσεως τε, καὶ ἑλληνικῆς διδασκαλίας ὁρμώμενος, πᾶσάν τε διαλεκτικὴν, καὶ σοφιστικὴν πεπαιδευμένος· ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον βίον σεμνότατος, καὶ τῶν πρὸς ὀρθοδόξους ἀεὶ ἐν ἀγάπῃ ἐν πρώτῳ ἀριθμῷ ταττόμενος, ἕως τούτου τοῦ λόγου διέμεινεν. Ἀλλὰ καὶ ἐξορίαν ὑπέμεινε, διὰ τὸ μὴ τοῖς Ἀρειανοῖς συγκατεῖναι.

[1] Lib. 5. Hist. c. 3. — [2] Ibid. c. 26. — [3] Lib. 4. p. 150. — [4] Ep. 2. ad Cle. p. 746. — [5] Epiph. Hær. 77. § 20. — [6] Ep. 293 — [7] Lib. 3. cont. Nest. Tom. 4. Bib. par. 2. col. 1040. — [8] Ibid. col. 1040.

IV. Multa illum ingenii sui edidisse monimenta testatur Basilius (1) : cum admirabilis in eo facultas esset de quocumque proposito argumento disputandi ; adeo ut librorum suorum multitudine totum orbem compleverit ; non illud animadvertens Ecclesiastæ [1], quo plures scribi libros prohibet. Ita factum est, ut in tanta librorum copia, non minor esset erratorum. Hæc Basilius : additque, in tractanda Theologia non illum e Scripturis, sed ex humanis inventis argumenta petiisse. Vide quæ ex Philostorgio Suidas excerpsit de Apollinaris eruditione, ac stilo [2] : quem ad commentarios scribendos aptissimum fuisse judicat. Sed præ hoc, et Basilio, ac Gregorio Nazianzeno, nimium Athanasium abjicit impudentissimus, ac nequissimus Arianus. Theophilus Alexandrinus in prima Paschali auctor est, Apollinarem contra Arianos, Eunomianos, et Origenem, aliosque hæreticos quamplurima scripsisse : idemque significat Acacius Berœensis in epistola quadam ad Cyrillum [3]. Nec omittendum est quod Leontius adnotavit [4], Timotheum Apollinaris discipulum ecclesiasticam historiam in hunc finem elucubrasse, ut magistrum suum prædicaret, cujus commendandi inde potissimum argumentum duxit, quod cum magnis viris consuetudinem litterarum habuisset.

Inter cetera illius opera celebratum est maxime quod adversus Porphyrium edidit pro Christiana religione : cujus Vincentius Lirinensis meminit ; qui et ejusdem Apollinaris præconium compendio colligit, quod hoc loco commemorare non abs re fuerit. « Nam quid illo præstantius, *inquit*, acumine, exercitatione, doctrina ? Quam multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum nobilissimum, ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis ædificatoribus Ecclesiæ par esse potuisset, nisi profana illa hæreticæ curiositatis libidine, novum nescio quid invenisset, quo et cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admistione fœdaret, et doctrina ejus non tam ædificatio, quam tentatio potius ecclesiastica diceretur. » Hieronymus item [5] « et innumerabilia scripsisse volumina » dicit « Apollinarem, et ejus adversum Porphyrium triginta libros inter cetera ejus opera vel maxime probari. »

V. Erroris illius, hæresisque capita varia, et multiplicia feruntur. Quod quidem ad Incarnationis mysterium spectat, tripliciter aberravit a vero. Quod Leo papa Epistola decretali vicesima tertia sic est complexus. « Unde non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi : nec hominem tantum, sicut hæretici Photiniani : nec ita hominem, ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem, quam non de fœmina sumpsit, sed factam de Verbo in carnem converso, atque mutato : quæ tria falsa, et vana Apollinaristarum hæreticorum tres partes varie protulerunt. »

Prima itaque labes opinionis fuit, quod naturam hominis in Christo semiplenam putavit, hoc est anima carentem, cujus vicem supplebat corporis Verbum ipsum caro factum. Altera fuit, quod non integram detraxit animam, sed ejus partem, hoc est νοῦν, sive *mentem*. Hujus enim instar fuisse Verbum postea docuit, parte illa sola relicta rationalis animæ, qua vivimus, et sentimus, ac communia ceteris nobiscum animantibus officia præstamus. Tertia denique corruptela dogmatis hæc fuit, quod carnem Christi dissimilem nostræ, nec de B. Virginis carne sumptam arbitratus est ; sed partem ipsius substantiæ Dei in carnem esse conversam, e cœloque delapsam. Quæ tria nefandæ hæresis argumenta paululum illustrare ac declarare uberius oportet.

Ita ergo sese res habuit : Apollinares ambo, ut ait Socrates, initio docuerunt, « (2) Animam a Deo Verbo in dispensatione Incarnationis non assumptam. Deinde quasi pœnitentia ducti, corrigentes semetipsos adjecerunt, animam quidem assumptam, quæ tamen non

(1) BASIL. epist. 74. pag. 876. Δεύτερος μετ' αὐτόν ἐστιν ὁ Ἀπολλινάριος, οὐ μικρῶς καὶ αὐτὸς τὰς ἐκκλησίας παραλυπῶν. Τῇ γὰρ τοῦ γράφειν εὐκολίᾳ πρὸς πᾶσαν ὑπόθεσιν ἔχων ἀρκοῦσαν αὐτῷ τὴν γλῶσσαν, ἐνέπλησε μὲν τῶν ἑαυτοῦ συνταγμάτων τὴν οἰκουμένην, etc. Vide et eumdem in epistola 82. pag. 909. et seq.

(2) SOCRAT. lib. 2. cap. ult. Καὶ πρότερον μὲν ἔλεγον ἀναληφθῆναι τὸ ἄνθρωπον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Λόγου ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τῆς ἐνανθρωπήσεως ψυχῆς ἄνευ· εἶτα ὡς ἐκ μετανοίας ἐπιδιορθούμενοι, προσέθεσαν, ψυχὴν μὲν ἀνειλῆφέναι, νοῦν δὲ οὐκ ἔχειν αὐτὴν, ἀλλ' εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον ἀντὶ νοῦ εἰς τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον.

[1] Eccl. 12. 12. — [2] In voce *Appollinaris*, Basil. et Greg. — [3] Tom. 5. Oper. Cyr. par. 2. pag. 63. — [4] Loco cit. col. 1010. — [5] Lib. de Script. Eccl. cap. 114.

haberet mentem, sed Deum verbum esse pro mente in hominem assumptum. » Ita Socrates ex Epiphanii versione in Tripartita [1]. Cui adstipulatur Augustinus in libro de Hæresibus [2] : « Apollinaristas, *inquit*, Apollinaris instituit, qui de anima Christi a catholica fide dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. » Sic Athanasius in sermone contra omnes hæreses [3] de anima testatur, cujus vicem suppleverit in Christo divinitas, ex Apollinaris sententia. Item Leo [4], « Apollinaris fidei soliditate privatus, *inquit*, Filium Dei ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, ut in illa carne diceret animam non fuisse, quia vicem ejus expleverit ipsa divinitas. »

Epiphanius quoque in hæresi Dimœritarum refert, (1) quosdam Apollinaris discipulos animam funditus detraxisse Christo. Idque in synopsi, et in anacephalæosi posuit. Auctor item Prædestinati, in hæresi quinquagesima quinta, quæ est Apollinaristarum, « negasse » Apollinarem ait, « hominem perfectum in Christo, sed assumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas esset. » Et Rupertus [5], « Non enim, sicut Apollinaristæ hæretici suspicati sunt, Verbum Dei sine anima carnem assumpsit. » Tum Harmenopulus in libello de Sectis, et Anastasius in Ὁδηγῷ c. 4.

VI. Sed mutata velificatione, aliter profiteri est ingressus, ac non totam funditus animam defuisse Christo ; sed partem illius duntaxat eam asseruit, qua rationales sumus, sive mentem, vel interiorem hominem : adeo ut minime integer homo esset. « (2) Aiunt loco ejus hominis, qui interior in nobis dicitur, (verba sunt Athanasii,) mentem cœlestem inesse Christo. Quippe instrumenti loco circumfusa figura corporis utuntur. Non enim perfectum hominem esse potuisse. Quoniam ubicumque perfectus est homo, ibi est et peccatum, tum quod duo perfecta unum fieri nequeunt, etc. » Mox, « Suscepit, *inquit*, sine mente corpus, ut sit ipse mens in seipso, et expers sit omnino peccati, tum divinitate, tum carne mentem neutiquam habente. Siquidem caro peccare non potest, nisi id quod carnem regit, hoc est pars illa quæ sapit, peccati actionem antea cogitando conceperit. » Hoc modo consulere se Christi ἀναμαρτησίᾳ, id est *impeccantiæ*, putabant : quam tolli e medio stulte arbitrabantur, si mens inesse illius animæ diceretur.

Epiphanius in hæresi Dimœritarum, sive Apollinaristarum, quod paulo ante narrare cœpimus, refert se Antiochiam profectum, operam dedisse, ut Vitalem episcopum partis Apollinaristarum, cum Paulino catholico episcopo conciliaret, ac Paulinum quidem impigre obtulisse fidei formulam manu exaratam Athanasii, a se subscriptam : (3) Vitalem vero tergiversantem, crebris interrogationibus eo adductum, ut animam quidem in Christo fuisse confiteretur, sed cui pro mente divinitas esset : ita ut ex tribus integer homo conflaretur, carne, anima, et divinitate, quæ vice sit mentis.

Idem et Gregorius Nazianzenus de Apollinari prodit in epistola ad Nectarium [6], quæ perperam inter orationes quadragesima sexta ponitur, et in epistola priore ad Cledonium [7], quæ et ipsa in censum venit Orationum, ordine quinquagesima prima ; tum Theophilus Alexandrinus in prima Paschali ; Cyrillus Alexandrinus in secundo libro de Recta fide ad imperatrices [8], utrumque Apollinaris discipulis impingit, ἄψυχον, καὶ ἄνουν, id est animam, et mente carentem ab illis prædicari Christum.

VII. Sic Theodoretus, qui hæretici illius sententiam accuratius exponit sic : « (4) Incarna-

(1) EPIPH. hær. 77. § 23. Ποτὲ γὰρ οὐχ ὡμολόγουν, οὔτε ψυχὴν αὐτὸν εἰληφέναι : et ante § 2.

(2) ATHAN. lib. de Incarn. pag. 479. Εἶτά φασιν ἀντὶ τοῦ ἔσωθεν ἐν ἡμῖν ἀνθρώπου, νοῦς ἐπουράνιος ἐν Χριστῷ· τῷ γὰρ ὀργανικῷ κεχρῆνται σχήματι τῷ περιέχοντι. Οὐ γὰρ εἶον τε ἦν τέλειον αὐτὸν ἄνθρωπον γενέσθαι. Ὅπου γὰρ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκεῖ καὶ ἡ ἁμαρτία. Καὶ ὅτι δύο τέλεια, ἓν γενέσθαι οὐ δύναται, etc. ἀλλ' ἔλαβε, φησὶ, τὸ ἀνόητον, ἵν' αὐτὸς ᾖ νοῦς ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἄγευστος ᾖ πάντη τῆς ἁμαρτίας κατά γε τὸ θεῖον, καὶ τὸ ἀνόητον τῆς σαρκός. Οὔτε γὰρ ἁμάρτοι ἂν ἡ σὰρξ, τοῦ ἄγοντος τὴν σάρκα, τουτέσι τοῦ φρονοῦντος, μὴ προθυμηθέντος τὴν πρᾶξιν τῆς ἁμαρτίας.

(3) EPIPH. hær. 77. § 23. Ὁ δὲ τὸν λογισμὸν τὸν ἴδιον ἀπεκάλυπτε τῆς διανοίας, ὅτι τέλειον ἄνθρωπον λέγομεν εἶναι, εἰ τὴν θεότητα ποιήσομεν ἀντὶ τοῦ νοῦ, καὶ τὴν σάρκα, καὶ τὴν ψυχήν. Ὡς εἶναι τέλειον ἄνθρωπον ἐκ σαρκὸς, καὶ ψυχῆς, καὶ θεότητος ἀντὶ τοῦ νοῦ.

(4) THEOD. lib. 4. c. 8. Σαρκωθῆναί τε τὸν Θεὸν ἔφησε

[1] Lib. 5. Trip. c. 44. — [2] Cap. 55. et in lib. con. Ser. Ar. c. 5. et Tra. 47. in Joan. et l. 83. quæst. qu. 80. — [3] Pag. 854. — [4] Leo Hom. 4. de Nat

[5] Lib. 1. in Joan. p. 214. — [6] Pag. 722. et in Carm. de vita sua, p. 10 — [7] Pag. 740. et epist. 2. p. 746. — [8] Tom. 5. Part. 2. cap. 55. p. 175.

tum dixit esse Deum verbum, quod corpus, et animam assumpsit, non rationalem, sed rationis expertem, quam naturalem, sive vitalem aliqui nominant. Mentem porro diversum quiddam ab anima esse dicens, negavit assumptam, sed naturam suffecisse divinam ad usum mentis explendum. » Theodorus quoque presbyter in Isagoge de Incarnatione idem de Apollinari commemorat, necnon Theorianus in legatione ad Armenos, et Leontius in libro de Sectis, et in altero contra fraudes Apollinaristarum, qui editus est in tomo 4. Bibliothecæ Patrum. Augustinus præterea tractatu 4. in Joannem, cum dixisset Apollinaristas « animam humanam non assumpsisse Christum contendere, » subjicit ista : « Nam et aliqui eorum fuisse in Christo animam negare non potuerunt. Videte absurditatem, et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt, dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis. » Vincentius Lirinensis de eodem Apollinari, « Dicit in ipsa Salvatoris nostri carne, *inquit*, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens, et ratio non esset. » Et, Facundus [1] « Apollinaristæ quidem carnis, et animæ naturam sine mente adsumpsisse Dominum credunt : Ariani vero carnis tantummodo. » Recte item Petrus Damiani [2], « Condemnamus, *inquit*, Apollinarem, qui non hominis mentem, sed solam sine ratione animam suscepisse perhibet Salvatorem. Dogmatizat enim quia sufficere potuit sola divinitas, ut mentem daret, et consilium sapientiæ rationalis infunderet. Quod proculdubio tantumdem est ac si dicat : Redemptor noster non homo fuit, sed membra dumtaxat humani corporis habuit. Animam scilicet et corpus habent et animalia bruta, sed rationem non habent, quæ mentis est propria. »

Ceterum hanc Apollinaris opinionem expressit e Platonica philosophia, ut testis est Nemesius initio libri, quem de natura hominis inscripsit. « (1) Quidam enim, *ait*, e quibus est Plotinus, aliud esse animam, et aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, e corpore, anima, et mente. Hos secutus est Apollinaris Laodiceæ episcopus. Hoc enim jacto fundamento sententiæ suæ, reliqua dogmati suo consentanea superstruxit. »

VIII. Aliud erroris portentum peperit vecors illa Apollinaris factio, ceteris capitalius, atque ad Ecclesiæ perniciem, et ad insequentium hæresum propagationem longe fœcundissimum; quod non minus divinæ, quam humanæ Christi naturæ dignitatem evertit. Et enim divinitatem ὁμοούσιον humanitati, id est *ejusdem cum ea substantiæ* dixit esse. Quod Ephiphanius tum in Synopsi hæresis septuagesimæ septimæ, et in Anacephalæosi asserit; tum in Hæresi ipsa : in qua epistolam Athanasii ad Epictetum posuit, idem de Apollinari testantem. Hanc vero nonnihil stomachabundus ad amicum illum episcopum scripsit Athanasius, ut Epiphanius observat, ægre ferre se dicens, quod vel coram se proferri talia sit passus, nec sacrilegas illas voces e vestigio compescuerit. « (2) Undenam, *inquit*, istâ prodierunt? Quinam porro inferi illud eructarunt; consubstantiale deitati corpus esse, quod ex Maria genitum est? aut Verbum ipsum in carnem, ossa, capillos, totumque adeo corpus esse conversum, et a suapte natura mutatum? Quis hoc omnino a Christianis audiit, Filium Dei specie, ac fictione sola, non natura, vereque gessisse corpus? Ecquis eo impietatis erupit, ut diceret, ac sentiret, ipsam consubstantialem Patri deitatem circumcisam esse, atque imperfectam ex perfecta redditam? Item illud, quod in ligno suffixum est, non corpus extitisse, sed substantiam ipsam naturæ totius opificem? »

Ergo illi neutiquam nostræ similem carnem Christo tribuebant, sed alterius conditionis ; ungues item, pilos, ac cetera dissimilia nostrorum. Qui autem Dominicum corpus ex Maria sumptum asserebant, Catholicos non Trinita-

Λόγον, σῶμα, καὶ ψυχὴν ἀνειληφότα, οὐ τὴν λογικὴν, ἀλλὰ τὴν ἄλογον, ἣν φυσικὴν, ἤγουν ζωτικήν τινες ὀνομάζουσι. Τὸν δὲ νοῦν ἄλλο τι παρὰ τὴν ψυχὴν εἶναι λέγων οὐκ ἔφησεν ἀνειλῆφθαι, ἀλλ' ἀρκέσαι τὴν θείαν φύσιν, εἰς τὸ πληρῶσαι τοῦ νοῦ τὴν χρείαν. Vide et lib. 5. ejusdem cap. 11.

(1) NEM. Τινὲς μὲν, ὧν ἐστὶ καὶ Πλωτῖνος, ἄλλην εἶναι τὴν ψυχὴν, καὶ ἄλλον τὸν νοῦν δογματίσαντες, ἐκ τριῶν τὸν ἄνθρωπον συνεστάναι βούλονται, σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ νοῦ. Οἷς ἠκολούθησε καὶ Ἀπολλινάριος ὁ τῆς Λαοδικείας γενόμενος ἐπίσκοπος. Τοῦτον γὰρ πηξάμενος τὸν θεμέλιον τῆς οἰκείας δόξης, καὶ τὰ λοιπὰ προσῳκοδόμησε κατὰ τὸ οἰκεῖον δόγμα.

(2) ATHAN. in ep. ad Epict. Ταῦτα δὲ πόθεν ἐξῆλθε; ποῖος ᾅδης ἐξηρεύξατο, ὁμοούσιον εἰπεῖν ἐκ Μαρίας σῶμα τῇ τοῦ Λόγου θεότητι; ἢ ὅτι ὁ Λόγος εἰς σάρκα, καὶ ὀστᾶ, καὶ τρίχας, καὶ ὅλον σῶμα μεταβέβληται, καὶ ἠλλάγη τῆς ἰδίας φύσεως; τίς δὲ ὅλως ἤκουσε παρὰ Χριστιανῶν ὅτι θέσει, καὶ οὐ φύσει σῶμα πεφόρηκεν ὁ Υἱός; ἢ τίς τοσοῦτον ἠσέβεσεν, ὥστε εἰπεῖν ἅμα, καὶ φρονεῖν, ὅτι ἡ θεότης αὐτοῦ ἡ ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ αὐτὴ περιετμήθη, καὶ ἀτελὴς ἐκ τελείου γέγονε; καὶ τὸ ἐν τῷ ξύλῳ καθηλούμενον οὐκ ἦν τὸ σῶμα, ἀλλ' αὐτὴ ἡ δημιουργὸς οὐσία τῆς φύσεως,

[1] Lib. 9. p. 382.

[2] Opusc. 1. cap. 3.

tem, sed quaternitatem aiebant statuere, nempe præter personas tres divinas, quartam substantiam peregrinam, ac longe diversam. Eosdem præterea ἀνθροπολάτρας per convicium nominabant, ut scribit Gregorius Nazianzenus [1], hoc est *hominicolas*, ut Facundus interpretatur [2]. Meminitque Athanasius in fine libri de incarnatione Christi. At vicissim Catholici σαρκολάτρας, id est *carnicolas* illos vocabant, teste Gregorio in eadem illa ad Cledonium epistola, et in iambico carmine contra Apollinarem [3].

IX. Gregorius Nyssenus in epistola ad Theophilum contra Apollinaristas, refert eos existimasse, « (1) Verbum Dei, carneum, ac seculorum conditorem, hominis filium, et Filii divinitatem esse mortalem. » Nimirum divinam ipsam Verbi substantiam in carnem conversam esse dicebat, nec patiebatur hominem ipsum, vel humanam potius naturam, assumptam a Deo putari. Sed id, quod homo in Christo nominatur, hoc est naturam ipsam corpoream, et aspectabilem, aiebat esse Deum, et divinæ figuram substantiæ. « (2) Apollinaris, ait idem alibi Gregorius Nyssenus, hominem asseverans divinæ ipsius esse gloriæ splendorem, et in carneo Deo, quem inanibus rationum suarum commentis velut idolum quoddam fabricavit, divinam hypostasim figurari, Patrem ipsum blasphemiis appetit suis. »

Mirum vero illud magis, et ad stuporem insanum, ac detestandum fuit ejusdem Apollinaris, quod Gregorius Nazianzenus in epistola ad Nectarium refert, « (3) affirmasse ipsum, neutiquam adventitiam esse carnem, quam ad instaurandam naturam nostram unigenitus Filius secundum dispensationem assumpsit, verum jam tum a principio carnalem illam naturam esse in Filio. » Quod commentum ex illa probabat Scripturæ sententia [4], *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis;* « (4) tanquam ipse fiilius esset hominis, etiam antequam e cœlo descenderet, ac descendens carnem illam secum adduxerit, quam habebat in cœlo seculis omnibus anteriorem, et substantiæ suæ insitam. » Quod item auctoritate Apostoli fulciebat ita scribentis [5], *Secundus homo de cœlo cœlestis.* Theophylactus quoque ad illa Joannis tertio, adnotat, Apollinarem « (5) docuisse, Christum e cœlo corpus habentem, per Mariam venisse, tanquam per canalem. » Hunc Apollinaris errorem late describit, ac refellit Gregorius Nyssenus in libro Antirrhetico adversus Apollinarem, qui liber non extat, et ex eo multa describit Euthymius in Panoplia [6]. Ex quibus etiam constat, Apollinarem putasse, divinitatem Christi passam esse, ac mortuam, ut quæ animæ instar esset corpori ejusdem.

X. Ambrosius item in libro de Incarnatione [7], Apollinaris sectam tacito refellit nomine, «qui carnem Domini dicebant et divinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit; ut majore contentione asserant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius non esse substantiæ; quia isti divinitatem Domini, et carnem substantiæ unius dicere tentaverunt. Deinde cum isti dicant, quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem, et ossa conversum est, et a natura propria mutatum est, datur illis locus, ut infirmitatem carnis ad infirmitatem divinitatis, quadam facta divinæ naturæ mutatione, detorqueant. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, ut putent quia divinitas Domini circumcisa est, et imperfecta de perfecta facta est; et in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia divina, in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horrescat? Quis audiat, quia non ex Maria virgine, sed ex divina substantia passibilem sibi carnem fecerit Dei Verbum? Quod asserendo, eo prolabuntur, ut non ex tempore corpus Do-

(1) Greg. Nyss. tom. 2. p. 694. Κρατύνειν ἐπιχειροῦσι τὰ ἴδια, σάρκινον τὸν Λόγον, καὶ δημιουργὸν τῶν αἰώνων τὸν τοῦ ἀνθρώπου Υἱόν, καὶ θνητὴν τοῦ Υἱοῦ κατασκευάζοντες τὴν θεότητα.

(2) Nyss. in opusc. con. Apol. tom. 1. pag. 880. Ἀπολλινάριος τὸν ἄνθρωπον αὐτῆς λέγων τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἀπαύγασμα καὶ ἐν τῷ σαρκίνῳ Θεῷ, ὃν διὰ τῆς ματαιότητος τῶν λογισμῶν εἰδωλοποιήσας ἀνέπλασε, τὴν τοῦ Θεοῦ ὑπόστασιν χαρακτηρίζεσθαι, αὐτῆς τῆς κατὰ τοῦ Πατρὸς ἄπτεται βλασφημίας.

(3) Naz. orat. 46. pag. 722. Ὅτι μοι πτυκτίον ἐν χερσὶ τοῦ Ἀπολλιναρίου, ἐν ᾧ τὰ κατασκευαζόμενα πᾶσαν αἱρετικὴν κακίαν παρέρχεται. Διαβεβαιοῦται γάρ, μὴ ἐπίκτητον εἶναι τὴν σάρκα κατ' οἰκονομίαν ὑπὸ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ προσληφθεῖσαν ἐπὶ μεταστοιχειώσει τῆς φύσεως ἡμῶν, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς ἐν τῷ Υἱῷ τὴν σαρκώδη ἐκείνην φύσιν εἶναι.

(4) Ibid. Ὡς καὶ πρὶν τοῦ κατελθεῖν αὐτὸν Υἱὸν ἀνθρώπου εἶναι, καὶ κατελθεῖν ἰδίαν ἐπαγόμενον σάρκα ἐκείνην, ἣν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἔχων ἐτύγχανε, πρωαιώνιόν τινα, καὶ συνουσιωμένην.

(5) Theophyl. in 3. Joan. Τοῦτο γὰρ Ἀπολλιναρίου δογματίσαντος τὸ σῶμα ἐξ οὐρανοῦ ἔχοντα τὸν Χριστὸν, διὰ τῆς παρθένου ἐλθεῖν, ὡς διὰ σωλῆνος.

[1] Ep. 1. ad Cle. pag. 742. — [2] Lib. 9. pag. 383. — [3] Pag. 247. — [4] Joan. 3. 13. — [5] 1. Cor. 15. 47. — [6] Part. 2. Tit. 13. — [7] Cap. 6.

mini esse susceptum, sed coæternum Dei Verbo semper fuisse contendant. Horum omnium auctores sunt, qui divinitatem et carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt. Legi enim quod non crederem nisi ipse legissem; legi, inquam, in cujusdam libris sic positum: et organum, et eum a quo movebatur organum, unius in Christo fuisse naturæ. Quod ideo posui, ut ex scriptis nomen deprehendatur auctoris, et advertant, quamvis exquisitissimis argumentis, et phaleratis sermonibus non posse vim veritatis obduci. » Hæc Ambrosius de Apollinaris hæresi, quem tamen non nominat; uti nec Athanasius; quicum eadem fere narrat Ambrosius : ac videntur ambo ex eodem Apollinaris libro prompsisse quæ memorant.

XI. Leontius, ut paulo ante memini, in libro adversus fraudes Apollinaristarum, fragmentum quoddam refert Apollinaris ex Oratione disputatoria, quod ejusmodi est[1] : « Organum, et quod movet instrumentum, unam naturaliter perficiunt operationem. Cujus autem est una operatio, una etiam substantia est, una ergo substantia facta est Verbi, et instrumenti. » Quem ad locum respexit Ambrosius.

Sic Leo papa sermone nono de Quadragesima scribit, « secundum Apollinarem in carnem deitate conversa, ipsam deitatem Verbi mutabilem, ipsam esse factam passibilem. » Et Gennadius libro de Dogmatibus, capite secundo, « Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transivit, non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem; nec homo in divinam, glorificatus in Deum: quia mutatio, vel versibilitas naturæ, et diminutionem, et abolitionem substantiæ facit. » Liberatus in Breviario, capite tertio, « Nestorium *ait* carnem, et omnipotens Dei Verbum asseverasse unius esse substantiæ: ac Verbum carnem factum, vel aliquid Verbi in carnem fuisse conversum, atque mutatum, non autem carnem de Maria virgine sumptam, atque susceptam. »

Non aliter de Apollinaris isto dogmate Facundus Hermianensis existimat pluribus in locis, ut cum « Deum verbum convertibiliter hominem esse factum » ex illius opinione scribit [2], « et naturarum diversitatem stultissime ab eo confundi. » Ideo [3] *Synusiastas* vocatos esse dicit Apollinaristas, quorum etiam alibi decretum exponit sic [4] : « Deinde cum hæretici Synusiastæ putarent Christum unius essentiæ natum, nec ex utero Virginis habuisse carnem; sed potius in ejus utero Deum verbum partem suæ substantiæ, id est deitatis, in carnem sibi vertisse, et in illa quidem, sed non ex illa incarnatum esse credentes, non solum in divinitate, verum etiam in carne, consubstantialem dicerent Patri. » Itaque Christum asserebant « ex Virgine secundum deitatem initium sumpsisse, et ex ejus utero natum esse, id est qui ante non esset extitisse. »

XII. Quo ex errore consequens erat, divinam ipsam naturam patibilem esse, ac revera cruciatus, et mortem esse perpessam. Quod apud Theodoretum Eranistes is, cui Apollinaristarum partes in disputatione mandantur, ita declarat. « (1) Non nos, *inquit*, divinam naturam passam esse dicimus, sed humanam: divinam autem una cum corpore esse passam. »

Ad quæ Orthodoxo sic instanti, « (2) Una esse passam qui tandem intelligis? An ita, ut impactis corporis clavis, natura divina dolorem admiserit? » Eranistes assentiendo respondet, « Ita prorsus. » Quamobrem divinum Verbum mortem degustasse, et mortis particeps fuisse carne, censet Eranistes[5]. Sed[6] minime ideo illud indignum videri, quod sponte sua ad eam conditionem, nec invitum descenderit. Tum ex divinis omnibus proprietatibus, quæ attributa vocant, « (3) solam immortalitatem, et impatibilitatem mutabiles adstruebant, ac vertibiles. » Igitur « (4) natura quidem immortalem esse Deum » aiebant, « sed postquam homo est factus, esse passum. »

Idipsum et ex omnibus testimoniis antiquorum Patrum colligitur, quos ad refutandam Apollinaris hæresim Theodoretus ibidem citavit. In hoc enim conspirant universi, ut probent divinitatem ipsam nihil esse passam, sed

(1) THEOD. dial. 3. pag. 145. Οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς τὴν θείαν φύσιν πεπονθέναι φαμὲν, ἀλλὰ τὴν ἀνθρωπείαν. Τὴν θείαν δέ γε συμπεπονθέναι τῷ σώματι.

(2) Ibid. Ὀρθ. Τὸ συμπεπονθέναι πῶς λέγεις; ὡς τῶν ἥλων ἐμπηγνυμένων τῷ σώματι τὴν θείαν φύσιν ἀλγηδόνος τὴν αἴσθησιν δέξασθαι; ΕΡΑΝ. Ναίχι.

(3) THEOD. ibid. pag. 124. Μόνας τὴν ἀθανασίαν, καὶ τὴν ἀπάθειαν τρεπτὰς εἶναί φατε, καὶ τὸ δυνατὸν τῆς ἀλλοιώσεως ἐπ' αὐτῶν συγχωρεῖτε.

(4) Ibid. pag. 142. ΕΡΑΝ. Φύσει μὲν ἔστιν ἀθάνατος, ἐνανθρωπήσας δὲ πέπονθεν.

[1] Leon. Part. 2. tom. 4. Bibl. PP. col. 1039. — [2] Fac. l. 6. pag. 242. et 245. — [3] Id. lib. 8. p. 337. et lib. 9. p. 402.

[4] Eod. lib. 9. et p. 402. — [5] Ib. apud Theod. p. 120. — [6] Ibid. p. 121. et seq.

humanam tantummodo naturam. Quare perpessiones omnes attribuisse divinæ ipsi substantiæ Apollinarem necesse est.

Quanquam Eranistes ille, cui partes Apollinaris Theodoretus affingit, in plerisque meram istius hæresim neutiquam profitetur, ac fere de solo contendit modo locutionis. Quippe homini Christo non solum animam, sed rationalem etiam animam concedit [1]. Verum [2] ab hoc abhorrere se fatetur uno, quod Catholici usurpant, *Verbum assumpsisse carnem :* atque ita potius loqui, *Verbum carnem esse factum*, vel *esse incarnatum ;* ut ad ipsas Scripturæ voces adhærescat. Itaque τροπὴν etiam divinitatis ibidem negat, hoc est *mutationem*, sed [3] « id duntaxat *ait* esse factum, quod non erat. »

XIII. Gregorius vero Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola decem anathematismos proponit, totidem, ut videtur, hæresis nefariæ dogmatibus adversos, quibus notantur ii primo, qui sanctam Mariam negant esse θεοτόκον, id est *Deiparam*. Deinde qui Christum per Virginem, velut per canalem, decurrisse, non in illa formatum esse dixerunt. Item, qui antea formatum esse hominem, ac post in eum subiisse Verbum asserunt. Ad hæc, qui duos constituunt filios, alterum ex Deo Patre, alterum ex matre Virgine. Tum, qui divinitatem in illo, tanquam in Propheta, per gratiam operatam esse defendunt, non secundum substantiam esse copulatam. Qui crucifixum non adorant. Qui ex operibus perfectum fuisse dicunt ; vel post baptismum, aut resurrectionem adoptatum : qui carnem a Verbo depositam esse, ac modo nudatum corpore manere Verbum existimant. Qui lapsam e cœlo carnem, non a nobis esse. Qui assumptum hominem carere mente asserunt. Quæ quidem omnia docuisse eumdem apparet hæreticum, quamvis dissona, et contrariarum sectarum propria esse dogmata videantur. Sed nimirum in tanta librorum copia, quos commentatus est Apollinaris, haud pauca illi exciderunt invicem pugnantia, et alioqui sæpius ille sententiam mutavit, ut æquales ipsius Patres citati a nobis paulo ante testati sunt.

XIV. Ex omnibus vero, præcipuum ejus fuisse decretum illud, ac sectæ caput videtur ; animam in Christo propria caruisse mente, et hujus vicem supplevisse divinitatem Verbi. Cujus propugnandi causam hanc habuit, quod et supervacaneum putaret, humanam ei mentem tribuere, quem totum divinitas, quæ mente longe est potior, occuparet : sic quasi lucernam adjungas ad solem. Et ubicumque mens humana statueretur, ibi τὸ ἁμαρτητὸν, id est *peccandi potestatem*, inesse oporteret. Præterea, si homo integer in Christo ponatur, idemque Deus, prorsus τετράδα, id est *quaternarium numerum* adorandorum in Trinitatem invehi credebat, quod refert, ac refellit Athanasius in epistola ad Epictetum [4], et ex eo Theodoretus [5] : necnon Ambrosius [6]. Verebatur hoc etiam, ut idem Ambrosius scribit [7], « ne si perfectam animam Christo tribueret, divideret ipsum. » Ex quo anathematismi quarti apud Gregorium Nazianzenum allati paulo ante ratio constat. Vide Theodorum presbyterum libro de Incarnatione [8], et Leontium libro de Sectis, actione 4. Hoc vero postremum dogma primarium in secta ista fuisse, etiam ex eo colligitur, quod, ut Gregorius idem narrat, illud in vestibulis privatarum, ac publicarum et sacrarum ædium inscriberent. Nam postquam Damasi papæ sententia damnatos illos esse dixit, addit ista : « (1) Cum igitur errorum istorum manifeste convicti sint, ne irascantur, sed pudore suffundantur, nec mendaciis nos incessant : verum animos summittant ; atque e vestibulis deleant magnum illud, et admirandum elogium, ac præconium orthodoxæ fidei : qui cum quæstione statim, et distinctione ingredientibus occurrunt, Adorandum videlicet esse non hominem deigerum, sed Deum carnigerum. » Quam sophistica versutia contortam, et ad ludificandum argute collectam sententiam irridet Gregorius.

Ex his manifestum est, Apollinarem, ejusve discipulos Incarnationis vel ἐνανθρωπήσεως fidem specie tenus, ac voce tenuisse, rem autem illius, ac veritatem abjecisse funditus. Non enim aut hominem verum, aut veram in Christo putarunt fuisse carnem, qui et rationalem ei animam detraxerunt, et carnis loco divinam

(1) Nazianz. orat. 52. quæ est epist. 2. ad Cled. p. 748. Ταῦτ' οὖν ἐληλεγμένοι σαφῶς, μὴ χαλεπαινέτωσαν, ἀλλ' ἐντρεπέσθωσαν, μηδὲ καταψευδέσθωσαν, ἀλλὰ συστελλέσθωσαν. Καὶ τῶν πυλώνων ἐξαλειφέτωσαν τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν αὐτῶν ἐκεῖνο πρόγραμμά τε, καὶ κήρυγμα τῆς ὀρθοδοξίας, μετὰ ζητήματος εὐθὺς ἀπαντῶντες τοῖς εἰσιοῦσι, καὶ διακρίσεως, τὸ δεῖν προσκυνεῖν μὴ ἄνθρωπον θεοφόρον, ἀλλὰ Θεὸν σαρκοφόρον.

[1] Theod. Dial. 3. p. 145. — [2] Ib. p. 7. et p. 19. et seq. — [3] Ib. p. 8. — [4] Pag. 454. et 459. — [5] Dial. 2. p. 92. — [6] Lib. de Incarnat. cap. 7. — [7] Ibid. — [8] Tom. 11. Bibl. PP. pag. 321.

affinxerunt substantiam. De quibus legendus est Gregorius idem in Oratione 14[1]. et in carmine de vita sua. Ubi tam in divinitatem Verbi, quam in humanitatem illius esse grassatam hæresim affirmat[2]. Sane apud Photium Eulogius Alexandrinus [3] Apollinaris ipsius verbis ostendit, illum ex divinitate et carne unam constituisse naturam, in quo Monophysitarum et Eutychianorum prælusit hæresi.

XV. Præter hæc, quæ dixi, portenta magis opinionum, quam dogmata, tria sunt, quæ eidem Apollinari veteres tribuunt ab Ecclesiæ fide discrepantia. Primum ad humanæ statum animæ, originemque pertinet, cujus testis est Hieronymus in epistola quadam, in qua varias de ea quæstione sententias enumerat, et inter has dubitari ait[4], « An certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinarius, et maxima pars occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, et simili cum brutis animantibus conditione subsistat. »

Nemesius item capite secundo, « (1) Placet, *inquit*, Apollinari animas ex animis gigni, uti corpora ex corporibus. Prodire quippe animam propagatione quadam ab homine primo, quemadmodum corpora ipsa propagantur. » De qua quæstione scimus quam perplexe, ac diffidenter scripserit Augustinus.

Alterum caput erroris ad Trinitatem spectat, de qua idem ac Sabellium sensisse Basilius Apollinarem perhibet[5], ut in unum conflaret personas tres, Gregorius vero Nazianzenus clarius opinionem illius explicat. « (2) Apollinaris, *ait*, divinitatis nomen Spiritui sancto tribuens, divinitatis virtutem nequaquam retinuit. Nam ex magno, et majore, et maximo Trinitatem componere, hoc est e Spiritu, et Filio, et Patre, tamquam ex splendore, et radio, et sole ; quemadmodum diserte scriptum est illius in libris ; divinitatis est scala, quæ non in cœlum deducit, sed e cœlo dejicit. » Hujusmodi porro Sabellii fuisse sententiam alibi docuimus[6]. Idem de Apollinari Theodoretus quoque prodidit[7]. Quanquam Vincentius Lirinensis auctor est, « jactasse se Apollinarem quasi consentire in unitatem Trinitatis ; et hoc ipsum plena fidei sanitate. » Et Leontius in libro de Sectis, *circa* θεολογίαν, id est *divinitatis dogma*, ut in Prolegomenis totius operis interpretati sumus, « (3) nihil erroris admisisse » putat « Apollinarem. Tametsi Gregorii ambo etiam hac in parte erroris illum redarguunt. Quippe creaturam quidem, inquiunt, neutiquam asserit : verum paulo tamen inferiorem a Patre gradum Filio, ac Spiritui sancto tribuit. » Sed nimirum varios libros elucubravit Apollinaris iste, in quibus, uti mos est hæreticis, contraria invicem, ac pugnantia dogmata vulgavit.

Tertio Millenariorum fabulas progugnavit idem hæreticus, cujus testes sunt Basilius in epistola ducentesima nonagesima tertia[8], et Gregorius Nazianzenus in secunda ad Cledonium[9]. Existimavit enim, post resurrectionem judaicos omnes ritus instaurandos esse, et in usum revocandos. Quod præter illos duos significat etiam Hieronymus[10], ut alibi docuimus. De hac Apollinaris fabula vide Orientalium refutationem ad anathematismum tertium Cyrilli.

XVI. Apollinaristarum hæresis, præsertim qua parte Incarnationis dogma pulsabat, non semel sacrarum Synodorum auctoritate damnata est. Primum sine auctoris mentione, in Alexandrino concilio, quod anno 362. post Constantii obitum celebratum est ab Athanasio, aliisque catholicis episcopis, qui Juliani edicto ab exilio revocati fuerant. Ibi enim « (4) hominem factum Dei filium, non solum carne, sed etiam anima præditum esse, decretum » asserit Socrates. Sed non satis dixit. Nam non solum

(1) NEMES. tom. 12. bibl. PP. pag. 730. Ἀπολλιναρίῳ δὲ δοκεῖ, τὰς ψυχὰς ἀπὸ τῶν ψυχῶν τίκτεσθαι, ὥσπερ ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰ σώματα· προϊέναι γὰρ τὴν ψυχὴν κατὰ διαδοχὴν τοῦ πρώτου ἀνθρώπου εἰς τοὺς ἐξ ἐκείνου πάντας, καθάπερ τὴν σωματικὴν διαδοχήν.

(2) NAZIANZ. ep. 1. ad Cled. pag. 744. Ἀπολλινάριος μὲν τὸ τῆς θεότητος ὄνομα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δοὺς, τὴν δύναμιν τῆς θεότητος οὐκ ἐφύλαξε. Τὸ γὰρ ἐκ μεγάλου, καὶ μείζονος, καὶ μεγίστου συνιστᾶν τὴν Τριάδα, ὥσπερ ἐξ αὐγῆς, καὶ ἀκτῖνος, καὶ ἡλίου, τοῦ Πνεύματος, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πατρὸς, ὥσπερ σαφῶς ἐν τοῖς ἐκείνου γέγραπται λόγοις, κλίμαξ ἐστὶν θεότητος, οὐκ εἰς οὐρανὸν ἄγουσα, ἀλλ' ἐξ οὐρανοῦ καθάγουσα.

(3) LEONT. act. 4. tom. 11. bibl. PP. pag. 507. Ὁ δὲ Ἀπολλινάριος περὶ μὲν τὴν θεολογίαν οὐ φαίνεται ἁμαρτών. Πλὴν διελέγχουσι καὶ τοῦτον οἱ Ἐγηγόριοι περὶ ταύτην ἁμαρτάνοντα. Κτίσμα μὲν γὰρ, φασὶν, οὐ λέγει, ὑπόβασιν δὲ μικρὰν λέγει τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸν Πατέρα·

(4) SOCRAT. lib. 3. cap. 7. Καὶ τὸν ἀνθρωπήσαντα οὐ μόνον ἔνσαρκον, ἀλλὰ καὶ ἐμψυχωμένον ἀπεφήναντο.

[1] Naz. Orat. 14. p. 221. — [2] Idem Carm. p. 10. D. — [3] Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 447. vers. 29. — [4] Hier. in epist. 82. quæ est 27. inter Augustinianas. — [5] Basil. ep. 293. pag. 1060.

[6] Lib. 1. de Trin. c. 6. § 3. — [7] Lib. 4. de Hær. c. 8. et lib. 5. hist. c. 3. — [8] Tom. 2. p. 1060. — [9] P. 747. — [10] Lib. de Script. Eccl. c. 28. et in c. 65. Esa. Vide to. 1. nostrum lib. 7. cap. 14. § 2.

ἐμψυχωμένον, ut ille loquitur, ac plerique alii passim, sed ἔννουν esse synodus illa pronuntiavit, hoc est non solum animam, sed etiam mentem habuisse. Hæc enim prosterior peculiaris fuit labes Apollinaristarum, quam potissimum notandam Patres illi censuerunt. Id adeo demonstrat Synodica concilii illius epistola, quæ apud Athanasium legitur. Ubi hujusmodi professio ab Catholicis ad ineundam concordiam expressa dicitur, « (1) Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers. » Nam in græco ἀναίσθητον, pro αἰσθητὸν, scribere oportet, ut in calce epistolæ, Paulini subscriptio indicat, qui totidem illa de Incarnatione profitetur.

Anno sequente [1], Christi 363. cum Jovianus sublato e vivis Juliano successisset, pius, et amans catholicæ religionis imperator, ejus accitu venit Antiochiam Athanasius, eique veræ fidei formulam Alexandriæ altera in synodo confectam obtulit. Ac tum videtur Paulinus, datæ sibi ab Athanasio fidei professioni subscripsisse, ut sparsam de se Sabellianismi ab æmulis invidiam dilueret. Quam formulam descripsit Epiphanius [2], consentaneam iis, quæ in Alexandrina synodica continentur, præsertim de incarnatione Domini adversus novam Apollinaris hæresim.

XVII. Postea [3] Damasus de hac peste per orientis Ecclesias grassante certior redditus, in Apollinarem, ejusque discipulum Timotheum depositionis lata sententia, utriusque dogma damnavit in Romana synodo; cui et Petrus Alexandrinus episcopus adfuit; qui in locum Athanasii suffectus anno Christi 371. vita functi, Romam profugerat, Lucii Ariani, Valentis jussu in Alexandrinam sedem intrusi, tyrannidem devitans. Extat ea de re epistola Damasi ad orientales episcopos, ab Theodoreto in historiam relata, ex qua intelligimus Timothei potissimum damnationem orientales illos enixe postulasse: adeoque magnum aliquod damnum ac perniciem attulisse catholicæ rei Timotheum istum : quem nominatim ab Romano Pontifice notari tanti interesse putaverint. Id quo anno Christi contigerit, non penitus exploratum est. Mansit enim Romæ Petrus annos fere sex, usque ad 377. quo permissu Valentis Alexandriam rediit.

Sub idem tempus, quo Timotheus cum magistro suo Apollinari condemnatus est : qui Christi 373. vulgo finitur; vel non multo postea, Vitalis Apollinaris discipulus apud Damasum in suspicionem hæreticæ illius opinionis adductus est, Romamque veniens, postulante Pontifice, fidem suam litteris consignatam obtulit, sic ambigue subdoleque conceptam, ut in pium sensum accepta, Damaso ipsi improbanda minime videretur. Quod Gregorius Nazianzenus in secunda ad Cledonium epistola testatur : in qua seipsum exemplo Damasi purgat, quod eamdem Vitalis professionem initio probasset; ac subinde comperta fraude respuisset.

XVIII. Quanquam Damasus Vitalem haud omnino probatum absolutumque dimisit, sed ad Paulinum Antiochenum, qui Thessalonicæ forte tunc erat, remisit cum litteris, quæ extant [4], quibus ita præscribit, ut si Vitalis, aliique communionem impetrare voluerint, tum Nicænæ fidei subscribant, tum recens in Oriente ortam hæresim damnent, quæ erat Apollinaris. Theodoretus professionem fidei scriptis prodidit [5], missam a Damaso ad Paulinum eumdem Antiochenum, qui in Macedonia tunc erat, ac Thessalonicæ. Quæ quidem anathematismis tota constat adversus Apollinaristarum, et aliorum impia dogmata. Atque haud scio, an superioris ad Paulinum epistolæ appendix illa fuerit, formulæ instar, cui Vitalis, ac ceteri, quorum suspecta fides erat, subscriberent, si ad catholicam Ecclesiam aggregari vellent. Ac Vitalem quidem ex Damasi præscripto in communionem receptum esse, Gregorius in secunda illa ad Cledonium epistola significat; sed idem mox refert, Damasum, agnita Vitalis fallacia et hæretica pravitate, in eum sententiam dixisse, oblatamque sibi ab eodem Vitali confessionem fidei damnasse. Extat apud Cyrillum in libro de recta fide ad Theodosium imperatorem [6] fragmentum quoddam Vitalis episcopi ex libro de Fide, quod inter alia orthodoxorum Patrum testimonia contra Nestorianam hæresim adhibuit, et, ut est conjectura, pars est professionis alicujus fidei. In qua incarnationis Verbi sanam, et inculpatam doctrinam sine ulla hæresis suspicione prædicat. An vero sit Vitalis illius, de quo agimus, ut et episcopus iste fuerit, an cujuspiam alterius, amplius est cogitandum.

XIX. Est etiam haud vana suscipio, Apollinaris dogma in Antiochena illa synodo condemnatum fuisse, quæ post novem ab obitu Basilii menses habita est, ut scribit Gregorius

(1) Epist. ad Antioch. Athan. tom. 1. pag. 450. Ὁμολόγουν γὰρ καὶ τοῦτο, ὅτι οὐ σῶμα ἄψυχον, οὐδ' ἀναίσθητον, οὐδ' ἀνόητον εἶχεν ὁ Σωτήρ.

[1] Soz. lib. 6. c. 5. — [2] Hær. p. 1015. — [3] Theod. lib. 5. c. 9. — [4] Tom. 1. Concil. et est ep. 1. Damas. — [5] Ib. c. 10. — [6] Cyril. to. 5. Par. 2. p. 51.

Nyssenus in libro de vita S. Macrinæ [1]. Episcopi certe illi, qui anno post secundam œcumenicam Synodum Constantinopli celebratam, in eadem urbe denuo convenerunt, in epistola ad Damasum [2], ac ceteros episcopos Romæ congregatos, postquam fidei rationem anno superiore in concilio constitutam exposuerunt, asserunt, plura de catholico dogmate tum contra Sabellianos, Arianos, Eunomianos, Macedonianosque, tum adversus hæresim illam, quæ Apollinaristarum propria fuit, in Antiochena synodo ab iis, qui illo convenerant, sancita fuisse. Ut minime dubium sit, in Antiocheno concilio, Apollinaris hæresim esse damnatam. Quin auctor libri nuper editi sub Prædestinati titulo [3], cum de Apollinaristarum agit hæresi, atque, ut solet, a quo potissimum oppugnata sit, recenset, « Egit contra hunc, *inquit*, synodus in Antiochia. »

Hanc vero synodum propterea suspicor illam esse, quæ post obitum Basilii mense circiter decimo Antiochiæ coacta dicitur a Gregorio Nysseno, quod per idem tempus, mortuo Valente, ac pace Ecclesiis reddita, constat illa in urbe contra Apollinarem gestum aliquid fuisse. Quanquam Theodoretus [4] non episcoporum concilio, sed Sapori duci idipsum tribuit, qui post necem Valentis, ab Gratiano Romani totius imperii compote missus illo fuerat, ut Ecclesiam quatuor in partes sub episcopis totidem scissam componeret, et ad concordiam revocaret. Ubi Flaviani opera, qui Meletii presbyter erat, compressum esse Paulinum primo, deinde Apollinarem, scribit Theodoretus, atque hunc episcopatu dejectum Antiocheno, Laodiceam se recepisse, cum jam ante Vitalem ordinasset.

Sed multa sunt in illa Theodoreti narratione parum accurate ac vere prodita, præsertim in Flaviani gratiam, in quem paulo propensior fuit, quam historici exacti ac sinceri fides pateretur, et multo probabilius est ab episcopis, quam ab duce, homine laico, tanti momenti rem ecclesiasticam susceptam fuisse.

Ceterum Antiochena ista synodus in annum incidit Christi 378. cujus calendas Januarias Basilii mors illustravit, potius quam insequentem, ut nos olim opinabamur.

Post hæc, Constantinopolitanum concilium, quod secundum œcumenicum censetur, Apollinaris denuo damnavit errorem : ut epistola testatur paulo a nobis ante citata, quam sequente anno Romam miserunt, quo ad Concilium vocati erant a Damaso papa. Justinianus item imperator in Edicto contra tria capitula [5], Constantinopolitanam secundam œcumenicam synodum celebratam fuisse scribit κατὰ Μακεδονίου τοῦ πνευματομάχου, καὶ Μάγνου τοῦ Ἀπολλιναρίου : hoc est *adversus Macedonium impugnatorem Spiritus sancti, et Magnum Apollinaristam*. Sic enim τοῦ Ἀπολλιναρίου vetus interpres reddidit. Quin etiam postea consequentes omnes synodi, quæ de Incarnationis fide quippiam attigerunt, Apollinarem eumdem decretorum suorum parte aliqua notarunt, ac pro damnato et execrato judicarunt.

Nec tamen prætermiserim, aliquando de Incarnatione præclare catholiceque locutum Apollinarem, adeo ut ejus testimonio contra ipsius sectatores usus sit Theodoretus Dialogo quarto [6].

[1] Pag. 187. Append. Nyss. a Grets. editæ. — [2] Apud Theod. lib. 5. c. 9. — [3] Præd. lib. 1. cap. 55.

[4] Theod. lib. 5. c. 3. — [5] Tom. 4. Conc. p. 355. — [6] Tom. 4. p. 112.

CAPUT SEPTIMUM.

De Nestorio hæretico. — 1. Ejus origo, vitæ institutum. — 2. Provectio ad episcopatum. — 3. Hæresis a Paulo Samosateno, et Theodoro Mopsuesteno accepta. — 4. Qua incarnationem Verbi negans, θεοτόκον dici Virginem non est passus. — 5. Quod primus publice ausus est prædicare Dorotheus episcopus, vel Anastasius presbyter Nestorii asseclæ. — 7. Simultates ejusdem cum Cyrillo, et mutuæ litteræ. Alienatio ab Nestorio Constantinopolitani cleri, ac populi. Cælestini papæ de illo decretum, ut nisi intra decem dies errorem revocet, a communione sua, et episcoporum aliorum sciret se esse rejectum. — 8. Nestorii pervicacia, et in Catholicos furor.

I. Apollinaristarum sectæ propago, vel, ut Græci dicunt, ἀπήχημα quoddam, Eutychiana fuit hæresis, quam idcirco proxime post illam explicari consentaneum videri poterat. Verum quoniam ex omnibus, quæ incarnationis Dominicæ fidem adulterarunt, hæresibus, duæ maxime celebres extiterunt, Nestoriana, et illa ipsa, quam diximus, ab auctore nominata Eutyche, atque ad eas ceteræ revocantur omnes ; harum præcipue rationem ducere, et ab Nestoriana, quod tempore alteram antecessit, auspicari maluimus.

Nestorius [1], impii ac nefandi architectus erroris, Germanicia oriundus oppidulo Syriæ, variis peragratis provinciis, ut scribit Theodoretus, Antiochiæ tandem resedit. Qua in urbe liberalibus artibus mediocriter eruditus, curandæ exercendæque voci potissimum operam dedit, quæ natura suavis, et clara illi inerat. Marcellinus comes Antiochia natum illum falso prodidit. Nam Germanicensem fuisse veteres consentiunt. Monasticam vitam eumdem initio professum, quod Socrates, et Theodoretus, aliique tacent, indicat Evagrius [2], ex eoque Nicephorus [3], qui et monasterium ad Antiochiam situm fuisse referunt, duorum stadiorum intervallo, idque τὰ Εὐπρεπίου nominatum : ut habet Nicephorus. Evagrius enim haud scio an satis castigatus sit, qui νύντισα, vel ναύτισα Εὐπρεπίου vocari scribit [4]. Sancti Euprepii nonnulli vocitant [5]. Ab hoc instituto ad clerum translatus, et presbyter factus est, eique, quod sermone promptus, ac disertus esset, docendi populi munus injunctum. Quod ille sic gessit, ut, auditorum utilitate neglecta, populi favorem, plausumque cupidissime captaret, ad idque dicendi genus, et conciones suas accommodaret. Accedebat affectata quædam sanctitatis species, quam et pulla vestis ostentabat, et vultus ad tristitiam, gravitatemque compositus, et index inediæ ac continentiæ pallor, cum forum insuper, ac frequentiam devitans, domo se contineret, ubi inter libros summa in quiete vitam degebat.

II. His artibus brevi ad commendationem hominum, ac famam, multitudinis vero potissimum admirationem, et gratiam obrepsit. Ac diu in hoc vivendi instituto, magnamque partem perseveravit ætatis, usque ad annum Christi quadringentesimum vicesimum octavum, quo Constantinopolim ad episcopatum vocatus est. Quod sic gestum esse memoriæ prodidit Socrates [6]. Post Sisinnii mortem, qui Attico successerat, obieratque Christi anno 427, Decembris vicesimo quarto, cum de subrogando in locum illius episcopo ageretur, visum est imperatoribus, peregrino potius, quam indigenæ, eam deferre dignitatem, et ab ea urbe præsulem petere, quæ tam felici successu Joannem antea dederat cognomento Chrysostomum. Venit ergo Constantinopolim accitus Antiochia Nestorius, et consulibus Felice ac Tauro, anno scilicet Christi 428. ordinatus est episcopus, Aprilis die decimo, pari gratulatione omnium ac spe : quod Cælestinus papa ex illorum narratione, qui ordinationi illius interfuerant, data postea ad eumdem Nestorium epistola testatur [7]. Et Cyrillus [8], statim atque renuntiatum illum episcopum audiit, officii plenas ad eum litteras rescripsit, ut in epistola, quam ad Theodosium misit ipsemet significat.

Ut primum vero pontificatum suscepit Nestorius, vehemens in catholicam religionem studium suum, et in hæreticos odium præ se tulit, atque hoc præsertim indicio probavit. Quam enim primam concionem habuit coram imperatore Theodosio, in ea memora-

[1] Socr. lib. 7. cap. 29. Theodor. lib. 4. de Hær. c. 12. Ex quo excerpta est epistola ad Sporacium in calce To. 4. p. 696. Liber. in Brev. c. 6. — [2] Lib. 1. cap. 7. — [3] Lib. 14. cap. 36. — [4] In ed. Gr. Robert. Stephan.

[5] Baron. ad A. 428. § 20. — [6] Socr. lib. 7. c. 28. — [7] Conc. Eph. Par. 1. cap. 17. — [8] Cyr. in epist. ad Theod. Par. 3. Conc. Ephes. pag. 557. To. 2. Conc.

bilem hanc vocem, et ubique celebratam edidit : « Da mihi, imperator, puram ab hæreticis terram, et ego cœlum tibi vicissim dabo : Everte mecum hæreticos, et ego tecum Persas evertam. » Quæ vox ut Catholicis plerisque grata fuit, ita non paucos alienavit, ut scribit Socrates, qui hoc illis displicuisse refert, quod homo externus, vixdum pede in urbem, et ecclesiam posito, tam truculentum dictum, et arrogans eloqui minime dubitasset. Neque vero aliter atque in primo illo congressu demonstraverat, facere deinceps instituit. Nam hæreticos acriter insequi, ac vexare cœpit. Cujus rei exempla nonnulla leges apud Socratem, quæ, ut ab nostro aliena proposito, missa facio.

III. Dum in hæreticorum perniciem totus incumbit Nestorius, hæreticus et ipse, imo architectus, et princeps novæ est hæresis factus. Quam jam ante animo conceptam, non longo, quam Constantinopolim advenit, spatio proferre, ac profiteri non est veritus. Quanquam non ille quidem auctor, ac fabricator hæresis istius fuit. Sed ad Ebione primum, deinde ab Artemone, et Paulo Samosateno, ac Photino traditam, Theodorus Mopsuestenus amplexus erat, a quo illam Nestorius accepit, ut Evagrius scribit [1]; qui Nestorium refert Antiochia Constantinopolim euntem, Mopsuestia iter habuisse, et in transitu cum Theodoro urbis istius episcopo contulisse, ab eoque venenum hausisse nefandæ opinionis; cujus rei testem citat Theodulum in epistola quadam.

Theodori certe discipulum fuisse Nestorium, et eum audisse sæpius, utriusque familiaris Joannes Antiochenus indicat in epistola ad Nestorium [2], qua eumdem ob detestandam hæresim arguens, ad resipiscendum hortatur exemplo Theodori, qui cum in concione quadam aliquid dixisset, quod dici non debuisse tum ceteri judicabant, tum ille ipse, qui aderat, Nestorius; nihil est cunctatus, quin paucis interjectis diebus, dictum illud suum publice revocando corrigeret, eoque facto invidiam omnem, offensionemque tolleret. Quam epistolæ Joannis partem latine redditam decimo suo libro Facundus Hermianensis intexuit [3]. Hinc vero constat, Nestorium Theodoro Mopsuesteno de divinis rebus disputanti operam dedisse, cujusmodi Gregorio Nazianzeno Hieronymus adhibuit. Ac de Theodoro paulo post agendum erit pluribus. Nunc illud ex superioribus colligimus, Nestorium ab Theodoro isto pravam de Christi incarnatione sententiam expressisse.

Qua de causa Theodori filius, ac Pauli Samosateni nepos a Theodoro presbytero Raithuensi nominatur in libello de Incarnatione; (1) cujus verba in dictionarium suum transtulit Suidas. Eadem vero sic in annalibus accepta sunt, tanquam ex Pauli Samosateni stirpe, ejusque nepos fuisse dicatur Nestorius. Quod nihilo certe magis procedit, quam ut Theodori quoque Mopsuesteni filius, hoc est eo patre genitus iisdem ex verbis fuisse credatur. Itaque non generis, ac sanguinis, sed doctrinæ, erroris que cognatio vocibus illis exprimitur, ut idem sit quod μαθητὴς, *filius*, et *nepos*, μαθητοῦ μαθητής. Sic Diodori Tarsensis eadem cum Theodoro hæresi notati μαθητὴς fuit Nestorius, de quo, ut et Theodoro, postea, quemadmodum Cyrillus prioris ad Successum epistolæ initio scribit [4]. Sic in epistola ad Theodosium imperatorem, quæ recitata est in Quinta synodo, collatione 5 [5], Diodorum Tarsensem, et Theodorum Mopsuestenum vocat *Nestorii impietatis patres*, hoc est auctores; hoc enim πατέρας Græci nominant.

IV. Quale vero Nestorii dogma fuerit, non est hic accuratius explicandum, ne inchoatæ jam historiæ filum, ac seriem cogar interrumpere. Hoc itaque in caput nonum rejecto, modo perpaucis, et quantum ad historicam notitiam satis est, perstringam.

Filium Dei Nestorius negabat revera incarnatum, et hominem factum, sive ex Maria virgine secundum carnem genitum, ac natum. Sed ex ea processisse solum asserebat. « (2) Sic enim locutus est, ait Cyrillus : Deum ex Christipara virgine processisse, ex sacris litteris sum edoctus. At vero Deum ex ipsa genitum esse, nusquam edoctus sum. » Ita Christum in duos dividebat filios, ac totidem adeo personas, et hypostases; tametsi hoc videri facere nollet; quorum unus Deus esset, et ex Deo genitus, alter homo ex homine, id est Virgine matre prognatus, quo cum Deus

(1) Theod. Raith. tom. 11. bib. PP. pag. 321. Υἱὸς γὰρ ἦν τοῦ Κίλικος, τοῦ δὲ Σαμωσατέως ἀπόγονος.

(2) Cyr. in ep. ad Acac. tom. 5. par. 2. in ep. pag. 124. Ἔφη γὰρ οὕτω· τὸ παρελθεῖν τὸν Θεὸν ἐκ τῆς χριστοτόκου παρθένου παρὰ τῆς θείας ἐδιδάχθην γραφῆς· τὸ δὲ γεννηθῆναι Θεὸν ἐξ αὐτῆς οὐδαμοῦ ἐδιδάχθην.

[1] Lib. 1. cap. 2. — [2] Part. 1. Conc. Eph. c. 25. pag. 204. — [3] Fac. lib. 10. p. 421.

[4] Tom. 5. Part. 2. p. 125. — [5] Tom. 4. Conc. p. 247.

non substantiva veraque unione conjunctus esset in eamdem personam, sed σχετικῇ, id est *habitudinis*, et externa copulatione, quæ non unum aliquem ex ambabus naturis efficeret, proprieque dictum filium, sed duos revera solo inter se dignitatis, et amoris, ac benevolentiæ, vel ἐνεργείας, id est *efficientiæ* vinculo, nexuque sociatos; quemadmodum communes homines, si justi, ac sancti sunt, unum cum Deo esse dicuntur, nisi quod prærogativa quadam sanctitatis, et officii, Christus in eodem genere conjunctionis altius ceteris ascendit.

Hinc Θεοτόκον, hoc est *Deiparam*, appellandam esse sanctissimam Virginem impurus homo negabat, proque nomine isto, χριστοτόκον, hoc est *Christiparam*, usurpari volebat. Ac propterea totus illius furor in eam, si posset, eradendam voculam conversus est, quam illudere, lacerare, ac proscribere nunquam desiit. Ab hac igitur insectanda, et damnanda Virginis appellatione, prima facta est nefandæ illius hæresis eruptio. Id quo pacto gestum sit, repetito narrationis historicæ cursu, atque ordine pertexam.

V. Vix bene Constantinopolitano in throno sedem fixerat Nestorius, cum tentandi gratia, ecquid nova, quam conceperat animo, probari in vulgus posset hæresis, palam exerendæ illius partes cuidam ex asseclis mandavit, homini impuro, et ad quidvis audendum projecto. Hunc Anastasium fuisse presbyterum affirmat Socrates, quem Antiochia secum adductum, arcanorum omnium, consiliorumque socium, ac participem adhibebat. Hic inter sacra sermonem ad populum de more faciens coram præsule Nestorio, conceleratam hanc vocem audacter protulit : « (1) Deiparam Mariam nullus nominet. Nam Maria homo erat : impossibile est autem ut homo Deum pariat. » Socratis de Anastasio narrationem secuti sunt Evagrius, Liberatus, et Nicephorus. At Cyrillus Dorotheum episcopum contra Deiparam declamasse primum, in epistolis refert, et « (2) Anathema ei dixisse, qui S. Mariam Deiparam nominaret. » Quem quidem Dorotheum, in epistola ad Cælestinum, quæstus causa assentari solitum, ac lingua promptum fuisse, idem Cyrillus observat [1]. Et in octava epistola meminit Anastasii presbyteri, quem Nestorii fautorem indicat, et ab eo se calumniose traductum queritur. Fieri potest, ut ab utroque impiæ temeritatis illud specimen editum fuerit, uno episcopo, altero presbytero. Theophanes, ex eoque Cedrenus narrant Nestorium homiliam quamdam de fide legendam ad populum syncello suo dedisse, in qua verba illa continebantur, ac primum omnium Eusebium quemdam Imperatricis scholasticum blasphemiam illam arguisse. Quemadmodum et Anastasium Eusebius alter Dorylæi episcopus accusavit, is qui Eutychen viginti circiter post annis reum postulavit.

VI. Ceterum illa vox, simul atque est audita, magnos in populo clamores, ac tumultus excitavit. Nestorius vero adeo temeritatem istam, impietatemque non repressit, ut etiam laudaret, eique suffragaretur. Nam et subinde [2] Dorotheum, post sermonem illum, ad mysteriorum communionem adhibuit, et ipse frequenter ad populum verba faciens [3], eadem prædicavit, plerisque communionem illius evitantibus, ac statim ut Anastasius, Dorotheusve publice illa jactavit, ab Ecclesia digressis. Cyrillus certe, qui hæc ad Cælestinum scribit, affirmat, « (3) Constantinopolitanum populum universum, præter paucos leves, ac vanos homines, et Nestorii assentatores, a communione ejus abstinuisse, necnon monasteria omnia, et eorum archimandritas. » Quinetiam Proclus [4], qui postea Constantinopolitanam sedem obtinuit, Cyzici ab Sisinnio designatus episcopus, sed a populo rejectus, et Constantinopoli tum degens, cum Dominica quadam die concionem habere rogatus esset præsente Nestorio [5], eam dixit homiliam de laudibus B. Virginis, quæ initio concilii Ephesini præfixa legitur, in qua Θεοτόκον Mariam virginem nominavit. Ex quo in Nestorii offensionem, ac simultatem incurrit. Refert etiam Cyrillus [6], cum Nestorius in ecclesia impia quædam, et execranda garriret contra Christi divinitatem, laicum quemdam e media turba

(1) SOCRAT. lib. 7. cap. 32. Θεοτόκον τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς. Μαρία γὰρ ἄνθρωπος ἦν. Ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ Θεὸν τεχθῆναι, ἀδύνατον.

(2) CYR. ep. 6. p. 30. Τοῦ καλοῦ Δωροθέου τοῦ Ἐπισκόπου φανερῶς λέγοντος· ἀνάθεμα εἴ τις εἶναι λέγει τὴν ἁγίαν Μαρίαν Θεοτόκον, et epist. 9. pag. 37.

(3) CYR. epist. 9. Ὥστε καὶ νῦν ἀποσυνάκτους εἶναι τοὺς λαοὺς τῆς Κωνσταντινουπόλεως, πλὴν ὀλίγων ἐλαφροτέρων, καὶ τῶν κολακευόντων αὐτόν. Τὰ δὲ μοναστήρια σχεδὸν ἅπαντα, καὶ οἱ τούτων ἀρχιμανδρῖται, καὶ τῆς συγκλήτου πολλοί, οὐ συναγονται.

[1] Epist. 9. — [2] Cyr. epistol. 6. — [3] Socr. lib. 7. c. 32. — [4] Socr. lib. 7. c. 28.

[5] Theoph. Cedren. lib. 14. c. 32. Nicephor. — [6] Cyr. lib. 1. contra Nest. p. 20.

quanta poterat contentione vocis exclamasse : « Verbum divinum ante secula genitum a Patre, alteram subiisse generationem secundum carnem, et ex muliere. » Quo audito, varium ac dissonum in concione murmur exortum esse, aliis laudantibus, aliis frementibus. Nestorium vero acri bile percitum, contra intempestivum monitorem linguam suam exacuisse. Sed laici illius piam, et catholicam præscriptionem pluribus ibidem confirmat Cyrillus, quam et hac Vigilii sententia corroborare possumus ex libro secundo contra Eutychen : « Certum est, *inquit*, Dominum Jesum Christum secundum catholicam fidem, et præconia Scripturarum, duas habere nativitates, unam de Patre sine tempore, alteram de matre sine semine ; et harum nativitatum utramque gerens naturam, Dei scilicet, qua de Patre natus est, et hominis, qua est de matre progenitus, unus, idemque Deus et homo est Christus. Gemina enim nativitas geminam uni Christo dedit naturam, dum qui Deus est de Patre, idem et homo est de matre. »

Inter hæc [1] Nestorii homiliæ passim dispersæ, ut sunt homines novarum rerum, maxime ad religionem spectantium, cupidi, in Ægyptum perlatæ sunt, ac plerosque leves, et simplices in errorem, aut certe dubitationem impulerunt. Quibus auditis, Cyrillus Alexandriæ præsul epistolam scripsit ad Ægyptios monachos [2], qua illos contra pestilentem hæresim præmunire conatus est, nulla auctoris facta mentione. Hujus epistolæ nonnulla Constantinopolim exempla pervenerunt. Quibus lectis complures in catholica fide confirmati sunt, atque haud pauci principes et magistratus, scriptis ad Cyrillum litteris, ei gratias egerunt.

Ex his refellitur quod Prædestinati auctor in octogesima nona hæresi, quæ est Nestorii, refert. « Consuetudo est, *inquit*, ut unum tractatum suum episcopus Alexandrinus mittat ad Constantinopolim, qui recitetur in Pascha, et tractatum suum Constantinopolites, qui Alexandriæ recitetur. In tractatu suo Constantinopolites Nestorius scripsit Mariam non esse Theotocon, sed Christotocon, id est, non Deum peperisse, sed hominem. Cyrillus Alexandrinus hoc dictum ita reprehendit, quo diceret per epistolam, ut si eum forte fefellisset, emendaret dictum. Ex hoc ipso, quo reprehensus est Nestorius a Cyrillo, cœpit Cyrillum hæreticum inclamare. » Verum aliter, ut ex historia constat, ad Cyrilli notitiam hæresis Nestoriana pervenit.

Per idem tempus ad Theodosium imperatorem epistolam misit Cyrillus, sive librum de Recta fide; et ad Imperatrices unum, atque alterum [3]; quibus late catholicam de Incarnatione professionem exposuit, ac recentem confutavit hæresim.

VII. At Nestorius, ubi illam ad monachos scriptam epistolam legit, exulcerato in Cyrillum animo, nihil non machinari cœpit, quo eum ulcisceretur. Cyrillus [4], datis ad illum litteris, placare ipsum studuit, hortarique, ut quæ ab eo impie et hæretice dicta circumferebantur, præsertim adversus θεοτόκον Virginem, revocaret, ac corrigeret. Tum accepta perbrevi ab Nestorio epistola, alias rursum ad eumdem litteras misit. Quibus ille respondens, hæresim propugnavit suam. Nec finis ultro citroque scribendi fuit; cum interea Nestorius per se, suosque inaudita contra Cyrillum crimina calumniasque confingens, auctoritatem ejus elevare niteretur, ac disseminatis ubique libellis, eum refellere, ac suo dogmati robur, ac pretium addere.

Quin idem ad Cælestinum papam prior scribere ausus est [5], et expositionum suarum libellos una mittere. Quo Cyrillus audito, litteras et ipse scripsit ad Cælestinum per Possidonium diaconum, mandans huic, ut si Nestorii litteras, et scripta Romanus accepisset Pontifex, ei quas a se habebat offerret : sin minus, non illas daret, sed Alexandriam reportaret. Possidonius, ut jussus erat, Cælestino, quia jam Nestorii acceperat, Cyrilli litteras tradidit. Quibus statim ille ex Synodo respondit [6]; ac vices suas Cyrillo committens, præcepit ut, nisi intra decem dies, postquam admonitus fuisset, Nestorius hæresim ejuraret, et catholicam profiteretur fidem, renuntiaret hunc ab Romanæ Sedis, et omnium episcoporum communione esse rejectum, ipse autem Ecclesiæ illi prospiceret. Idem et ad Nestorium scripsit; deque eo Constantinopolitanum clerum, ac populum, et Joannem Antiochenum, ac Juvenalem Hierosolymitanum, aliosque præsules certiores reddidit. Datæque litteræ leguntur 3. id. Aug. Theodosio 13. et Valentiniano 3. Coss. qui est annus Christi 430.

VIII. Cyrillus [7] Cælestini papæ, et occiden-

[1] Cyr. ep. 9. — [2] Ea prima est inter ep. Cyr. et in Ephes. Conc. itidem primo loco posita. — [3] Extant inter Acta Ephes. — [4] Ephes. Concil. Part. 1. c. 6. ac seq.

[5] Conc. Eph. Par. 2. Act. 1. p. 235. Cyr. ep. extat part. 1. Conc. Eph. p. 176. Nestorii vero pag. 182. — [6] Cæl. epis. ib. p. 179. Meminit Liberatus. cap. 5. — [7] Eadem Acta Eph.

talis Ecclesiæ auctoritate fretus ad Joannem Antiochenum, aliosque de Nestorio scripsit. Joannes quoque Nestorium ad resipiscendum hortatus est. Sed cum obfirmatus in hæresi semel animus nullis machinis expugnari posset, Cyrillus [1] congregata diœcesis suæ Egyptiacæ synodo, tertiam ex ea scripsit epistolam ad Nestorium, cum duodecim capitulis, quæ totidem anathematismis illius feriebat hæresim, denuntians ei, nisi damnato errore capitulis istis subscriberet, latam in ipsum ab Cælestino ratam fore sententiam. Dedit et ad Constantinopolitanos litteras, clerum videlicet, ac populum; necnon ad monachos, quibus eadem illa significavit.

At [2] Nestorius in furorem actus, duodecim et ipse capitula, sive anathematismos Cyrilli totidem opposuit, quibus contra catholicum dogma hæresim affirmavit suam [3]. Nec verbis insanire contentus, factis etiam insectari Ecclesiam aggressus est. Nam Constantinopolitanos, qui pene omnes ab ejus communione discesserant, variis modis exagitavit : præfectorum abusus potentia, præsertim adversus monachos, quos assiduos, et infestissimos adversarios habebat. Imperatorem quoque adversus Cyrillum calumniis suis commotiorem reddidit [4] : adeo ut acres, ac minaces ad eum litteras daret, quibus ipsum imprudentiæ, et inquieti animi, ac turbarum appetentis accusat. Verum paulo post, coacta Ephesina synodo, Nestorius pro hæretico compertus, ac damnatus meritas impietatis suæ pœnas luit; ejusque proscripta et profligata hæresi, pax est Ecclesiæ, ac serenitas restituta. Quod quemadmodum gestum sit, insequens caput exponet.

CAPUT OCTAVUM.

De concilio Ephesino, in quo Nestorius cum hæresi sua damnatus est. De damnatione, ac depositione Nestorii, deque turbis ab Joanne Antiocheno, et orientalibus excitatis; iisdemque postea restinctis. De Nestorii relegatione, et concordia inter Joannem, et Cyrillum restituta.

I. Cum Nestorius, vulgata hæresi nefaria, catholicam pacem fœda tempestate turbasset, eoque mali vis erupisset, ut usitatis, ac lenibus remediis foveri potius, quam sanari videretur; res ad generalem toto ex orbe Christiano synodum episcoporum est deducta. Theodosius anno illo, quo consul erat 13. et Valentinianus 3. qui Christi numeratur 430. litteras scripsit ad episcopos omnes [5], quarum exemplar extat, Cyrillo, et metropolitanis illius regionis inscriptum. Datæque leguntur 13. cal. Decembris. His litteris convenire jussit Ephesum post Pacha anni sequentis, Christi 431. et ipso die sacro Pentecostes Concilium auspicari. Paschatis dies eo anno fuit Aprilis 19, Pentecostes vero Junii 7. Ac Cyrillo præterea mandavit, ut quos idoneos judicaret, secum episcopos adduceret; tum universe denuntiavit, nullam apud Deum, et apud se excusationem habiturum, qui non ad condictam diem adfuisset, utque novi nihil ante Synodum de fide, ac recens orta quæstione statueretur.

Scripsit item paulo post [6] ad episcoporum conventum, significans se Candidianum domesticorum Comitem Ephesum misisse, tumultus compescendi gratia, et ut monachos, ac sæculares, quorum opera nihil istic necessaria foret, ab urbe summoveret, atque ut neminem, nisi absoluta Synodo, redire domum, vel ad Comitatum venire pateretur. Postremo Irenæum Comitem, ad Concilium ire permissum, non curationis ullius causa, sed quod Nestorium eodem proficiscentem privati officii nomine comitari expetisset.

Cum ad tempus ceteri advenissent episcopi, solus Joannes Antiochenus episcopus cum suis, quos ex orientali diœcesi delegerat, ad præstitutum diem non affuit. Satis constabat, illum de industria moram interponere, quod Nestorio faveret, neque damnari hominem æquo animo ferret ex diœcesi sua ad illam dignitatem vocatum. Scripsit tamen ex itinere officiosas

[1] Ibid. p. 206. — [2] Ibib. p. 218. — [3] Ibid. p. 219. [4] Ibib. p. 223. — [5] Ibid. p. 225. — [6] Ibid. p. 229.

ad Cyrillum litteras[1], quibus viæ longitudinem, ac molestiam causatus, brevi se venturum ostendit. Quin etiam [2] præmissi ab eo aliquot episcopi die 16. post præfixam Synodo diem, ejus nomine Patres hortati sunt, ut ne se amplius expectarent, sed ad rem aggrederentur. Erant illi Alexandri duo, alter Apameæ, alter Hierapoleos antistes[3].

II. Pridie illius diei, quo consessus primus initus est[4], episcopi ad Nestorium allegati sunt a Patribus, qui hunc ad Synodum invitarent, quibus respondit, deliberaturum se, et, si ita videbitur, affuturum. Nec destitit interea privatis in colloquiis dogmatis sui venena spargere[5]. Nam triduo ante Concilium, episcopis quibusdam dicere ausus est, «Non se bimestrem, ac trimestrem Deum nominare posse.»

Cœpta igitur est Synodus[6] Antiocho et Basso Coss. 10. calend. Julii, sive Junii vicesimo secundo die, anno Christi 431. ac septem actionibus, sive, ut vulgo nominant, sessionibus explicata. In prima omnium, quæ illo, quem dixi, die facta est in basilica S. Mariæ, secundo ac tertio citatus Nestorius, cum se militari satellitio vallasset, ægre responsum per internuntios missis ab Synodo episcopis dedit, se, cum omnes advenerint episcopi, etiam affuturum. Designabat autem orientales episcopos, qui adhuc in itinere morabantur. Detrectante itaque judicium, ac tergiversante Nestorio, ad rem Patres aggressi sunt. Principio lectum est Nicænum fidei symbolum, tum Cyrilli ad Nestorium epistola prima, eaque omnium sententiis approbata. Tum Nestorii ad eumdem Cyrillum, cui cum auctore suo anathema dictum est a Patribus. Exinde Cælestini ad Nestorium litteras, et alias Cyrilli ad eumdem legi placuit. Postea antiquorum Patrum testimonia recitata sunt, ut Petri, Athanasii, Alexandrinorum præsulum, Julii, Felicis, Romanorum, aliorumque doctorum, quibus Nestorii dogma refellebatur. Mox Nestorii quaterniones lecti, horrendis in Christum blasphemiis referti. Secundum quæ Carthaginensis ecclesiæ epistola per Besulam diaconum oblata Synodo est, qua significabat, neque Augustinum, quem nominatim Imperator acciverat, ire potuisse, qui anno ante ex hac vita decesserat, neque Africanos ullos episcopos, partim quod serius Imperatoris litteræ ad se perlatæ fuerant, partim quod hostilibus barbarorum incursionibus infesta esset Africa. De cetero placere sibi novi nihil in fide catholica decerni, sed antiqua dogmata sanciri.

III. Ad extremum[7] de communi sententia damnatus est Nestorius, tum ex auctoritate canonum, tum, ut diserte professi sunt Patres, ex præscripto et epistola Cælestini Romani pontificis; atque episcopali dignitate, et sacerdotali omni gradu, et consortio privatus. Cui sententiæ subscripserunt episcopi supra ducentos[8]. Hoc synodale decretum incredibili populi applausu, gratulationeque est exceptum. Qui quidem ab ortu solis, ad vesperam usque rei exitum præstolatus, audito damnatum esse Nestorium, faustis acclamationibus discedentes episcopos, ac cum tædis et facibus ad diversorium usque prosecutus est; quos et matronæ turibula gestantes antecedebant[9]. Tum per totam urbem appensa lumina, in lætitiæ signum. Postridie depositionis sententia missa est ad Nestorium ab Synodo; quæ et Constantinopolitanum clerum certiorem de ea fecit.

At[10] Candidianus Comes Nestorio addictus, antequam synodalia Acta conficerentur, et ad Imperatorem mitterentur, relationem ad eum scripsit mendaciis, et in Synodum calumniis plenam. Idem et Nestorius cum decem episcopis fecit, de vi et injuria ab Memnone Ephesino sibi illata conquerens, maxime quod Joannis et Orientalium adventum exspectare noluisset.

Dum hæc aguntur[11], tertio post damnatum Nestorium die, qui erat Junii 26. vel potius Junii 28. et quinto post depositionem Nestorii, ut paulo post ostendam, Joannes Antiochenus cum suis Ephesum pervenit. Cui præsto fuerunt missi obviam a Synodo episcopi, et clerici, partim honoris causa, partim ut Nestorii depositionem illi renuntiarent[12]. At ille militari præsidio vallatus superbe legatos illos rejecit, nec ad colloquium prius admisit, quam ad diversorium venisset. Ibi per milites introductos, male ab Irenæo Comite multari, et plagis affici permisit. Ac statim eodem ipso die latrocinalem collegit synodum, in qua Cyrillum, et Memnonem deposuit; Ephesinos vero Patres ceteros communione privavit.

IV. Quæ ut plenius exponantur, de tempore, sive die conciliabuli istius accuratius est agendum. Liberatus diaconus *post biduum*, ait, quam Nestorius exauctoratus fuerat, Joannem

[1] Ibib. p. 230. — [2] Cyr. Ep. ad Comar. etc. Ibid. 293. et Apol. ad Theod. p. 560. D. — [3] Ibid. p. 297. et 348. — [4] Relat. ad Imp. Par. 2. Act. 1. p. 297. — [5] Ib. 298. — [6] Ephes. Concil. Par. 2. p. 231. et seq.

[7] Ibid. p. 282. — [8] Ibid. p. 291. — [9] Ibid. p. 301. — [10] Cyr. in epist. ad Cler. p. 294. — [11] Liber. c. 6. Theophanes, Niceph. l. 4. c. 35. — [12] Memnon in ep. p. 408. Eph. Conc.

Antiochenum Ephesum venisse. Theophanes, μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *post tres dies* : Nicephorus, (1) *post tertium diem a depositione Nestorii*. Ut ille dies depositionis putetur, non quo dicta in eum, sed ei significata sententia est, nempe Junii 23. tertius dies, sive biduum interjectum incidit in Junii 25. Verum relatio œcumenicæ Synodi per Juvenalem Hierosolymitanum, aliosque legatos missa ad imperatores, aliud persuadet : nimirum « (2) venisse tandem Ephesum Joannem vicesimo secundo die post præstitutum tempus ineundo Concilio. » Dies porro inchoando Concilio præfinita, fuit Junii 7. in quam Pentecoste cecidit. Quare vicesima secunda dies ab illa fuit Junii 28. Ideo quinque diebus elapsis a Nestorii depositione advenisse dicendus est Joannes.

Habebat hic in comitatu episcopos viginti duos, ut ait Nicephorus ; ut Theophanes, viginti sex. Huic adjunxere se tum qui cum Nestorio erant sex, septemve, tum alii. Quos omnes quadraginta tres enumerant acta conciliabuli [1]. Sed Ephesinæ synodi Patres nonnisi triginta [2]. Inter quos complures depositos, aut hæreticos fuisse memorant, maxime Cælestianos, id est Pelagianos. Atque iidem Patres in alia relatione [3] per Palladium missa calendis Juliis testantur, ex episcoporum numero, qui cum Joanne, ac Nestorio erant, et conciliabuli decreto subscripserant, descivisse nonnullos, et ad catholicam transisse partem, ita ut paulo plures triginta septem cum schismaticis restarent.

V. Hoc igitur episcoporum coacto cœtu [4], Joannes, cum vix e curru descendisset, et cubiculum intrasset, adhuc pulverulentus, clandestinum conventum habuit. In quo Candidiani Comitis querelæ primum auditæ sunt de præpropera festinatione Patrum, ac Nestorii damnatione, deque Cyrilli, ac Memnonis impotentia [5]. Tum lectis Imperatoris litteris, ac digresso Comite, Joannes sententiam pronuntiavit, qua Cyrillo et Memnoni episcopatus abrogatus est, reliqui vero episcopi communione privati, donec resipiscerent, et Cyrilli capitula damnarent. Omnibus in commune damnandis causa hæc inscripta fuit, quod contra mandatum Imperatoris, antequam omnes ab illo vocati ad Concilium advenissent, per tumultum, ac seditionem cuncta gessissent. Cyrillus vero nominatim ob capitula, sive anathematismos notatus est, in quibus Apollinaris, et Eunomii, atque Arii nefaria dogmata vulgasse ferebatur. Exemplum sententiæ illius ad Synodum missum est, deque omnibus litteræ ad imperatores, aliosque factæ.

Post hæc [6] cum legati Cælestini Romani pontificis Ephesum venissent, Arcadius et Projectus episcopi, et Philippus presbyter, cum Cælestini litteris, quarum nonnullæ datæ leguntur [7] idibus Maiis, actio secunda celebrata est, sexto idus Julias, in qua lectæ sunt litteræ illæ primum latine, deinde græce. Postea legati postularunt, communicari sibi acta synodalia damnationis, ac depositionis Nestorii. Quibus lectis,

Actione tertia, quinto idus Julias, rogantibus legatis, rursus lecta sunt eadem illa Synodi acta contra Nestorium, et ab illis probata, atque subscripta. Primus Philippus commentariis illis subscripsit [8], tum Arcadius, et Projectus. De quo subinde Synodus ad Imperatorem scripsit, easque litteras Eutyches diaconus detulit, is qui postea in hæresim est lapsus.

VI. Actione deinde quarta [9], 17. cal. Aug. sive Julii 16, Cyrillus et Memnon a conciliabulo Orientalium in ordinem redacti, libellos obtulerunt Synodo adversus Joannem Antiochenum, rogantes ut ille citaretur ad rationem facti sui coram Synodo reddendam. Missi ergo semel iterumque terni episcopi renuntiarunt se ad Joannis diversorium venisse ; nec introductos esse, quod pro foribus dispositi milites aditu prohiberent. Ac demùm clericos quosdam responsum hoc attulisse ab Joanne : nihil sibi commune deinceps fore cum excommunicatis, ac depositis.

Iterum [10] actione 5. congregatis Patribus 16. cal. Aug. episcopi tres ad Joannem allegati sunt cum notario, commonitorium ferentes, quo postremo citabatur. Qui frustra tentato aditu reversi sunt. Synodus Joannem et episcopos cum illo, numero triginta tres, communione, et sacerdotali omni functione mul-

(1) Nic. lib. 14. cap. 35. Ὑστερήσας τρίτην ἡμέραν τῆς καθαιρέσεως.

(2) Relat. conc. Eph. pag. 422. Ἀλλ' ὁ τῆς Ἀντιοχέων Ἰωάννης, μετὰ τὴν εἰκοστὴν δευτέραν τῆς ῥηθείσης πρεσβείας, μόλις φθάσας ἡμέραν.

[1] In Conc. Ephes. p. 316. — [2] In rel. p. 347. et 349. In alia item p. 421. et 422. — [3] Ibid. p. 401. — [4] Cyr. in Apol. ib. p. 561. — [5] Acta Conciliabul. in Ephes. Syn. a p. 310. Liberatus cap. 6.

[6] Conc. Eph. Act. 2. pag. 322. — [7] Ibid. p. 328. — [8] Concil. Ephes. p. 333. — [9] Ibid. p. 337. et Liberat. cap. 6. — [10] Ibid. p. 352.

tavit, et irrita omnia esse decrevit, quæ adversus Cyrillum, et Memnonem ab illis gesta fuerant. Ac de omnibus litteras scripsit ad Imperatorem, et ad Cælestinum papam. Cui quidem significant [1], lectis se synodalibus actis contra Pelagianos, et Cælestianos, ea rata habuisse. Ex quo constat, Pelagianam hæresim in Actione ista condemnatam fuisse cum auctoribus, ac propugnatoribus suis. De qua re Synodus canones duos edidit, primum, et quartum.

Interim orientales schismatici cum Nestorianis nihil non machinabantur ad opprimendam catholicam synodum, et acta ejus oblitteranda. Quippe fictis adversus illam calumniis, ac mendaciis, aures imperatorum, ac principum impleverunt, strenuam ad hoc operam navantibus Candidiano, et Irenæo Comitibus. Qui vias omnes, ac portus et navigia in potestate habentes, sedulo id egerunt, ne quid litterarum ab œcumenica Synodo ad Imperatorem perveniret, quo rem, ut gesta erat, certe cognosceret, cum interim soli Orientalium commentarii, et epistolæ Constantinopolim perferrentur.

VII. Ex quo factum est [2], ut Imperator falsa schismaticorum relatione delusus, ad Ephesinam synodum per Palladium Magistrianum scripserit, jubens irrita esse, quæ hactenus gesta fuerant, ac de integro legitimum de omnibus judicium institui. Quæ epistola data subscribitur 13. calend. Julias, sive Junii 19. Patres vero [3] hac accepta, per eumdem Palladium rescripserunt, rei gestæ ordinem ex veritate narrantes, ac de Candidiano, et Irenæo querentes, a quibus multa et indigna paterentur. Sed non majorem in Palladio, quam in Comitibus duobus fidem experti sunt Patres. Etenim litteras quidem ille ab catholica synodo ad Imperatorem ferendas accepit; easque raptim exaratas, nec satis plenas; cum properandi necessitatem causatus, ne tantum quidem spatii dedisset, ut omnes subscriberent. Quocirca non, ut quidam arbitrati sunt, Palladius synodicam illam Catholicorum epistolam ferendam non accepit, quos epistola ipsa refellit; sed acceptam Imperatori non dedit. Ex quo factum est [4], ut inopes consilii Catholici mirificum illud excogitaverint, ut homini mendico litteras committerent, ad episcopos, et monachos scriptas, quibus rei veritatem exponebant.

His acceptis litteris, monachi strenue operam suam collocarunt, ac præ ceteris Dalmatius archimandrita vir sanctissimus, qui annos totos quadraginta et octo pedem monasterio non extulerat, quamvis de eo sæpe rogatus ab Imperatore fuisset. Verum ut tunc exiret, missa de cœlo voce compulsus est, et cum aliis archimandritis Imperatorem adiens, rem omnem ut erat aperuit. Imperator ab utraque parte legatos mitti ad se voluit. Orientales Irenæum pro se Comitem allegarunt [5], eique synodalem relationem ad Imperatorem perferendam dederunt.

VIII. Irenæus Constantinopolim profectus, catholicæ synodi legatos ibi reperit, quibuscum varie certavit, ac fraudibus, et mendaciis adeo profecit, ut Imperator circumventus iterum, quod valde mirum sit, eo duci se pateretur, uti ratam juberet trium esse depositionem, Nestorii, Cyrilli, et Memnonis, quos ab legitima synodo damnatos omnes arbitrabatur [6]; de quo sacram, ut appellare mos erat, scripsit ad Ephesinos Patres per Joannem Comitem sacrarum largitionum. Qui cum Ephesum pervenisset [7], tres illos in privatam custodiam dedit, ac litteras Imperatoris illis legit, quibus Patribus abeundi potestas fiebat, pacatis inter se dissidiis, ac simultatibus, addebatque idem et Acacium Berœensem scriptis ad se litteris probasse, quas et ad Patres misit.

Tandem [8] ab utraque parte delecti episcopi ad Imperatorem mittuntur, ab Catholicis quidem episcopi septem, inter quos Arcadius legatus Rom. Pontificis, Juvenalis, etc. quibus ab Synodo mandatum est, ut de Cyrillo, et Memnone enixe agerent, neque cum Joanne, et aliis schismaticis ullo modo communicarent. Ab Orientalibus totidem missi sunt [9] Joannes Antiochenus, Theodoretus, etc. Qui [10] Chalcedone manere jussi, et Constantinopolim adire prohibiti sunt, monachorum metu, ut ipsi scribunt die Septembris 11. cun ante octo dies Nestorius Epheso dimissus, et quo vellet abire permissus esset. Hunc refert Socrates [11], postquam tantas a se turbas excitatas vidit, pœnituisse, itaque dixisse: Appelletur sane Deipara, dum tumultus isti conquiescant; sed a nemine auditum.

Idem porro Socrates [12] in eo graviter aberrat, quod Joannem Antiochenum putat Antiochiam reversum totam illam contra Cyrillum actio-

[1] Ibib. p. 354. — [2] Ibib. p. 375. — [3] Ibid. p. 399. — [4] Ibid. p. 402. — [5] In Actis Ephesinis p. 379. et seq. — [6] Ibid. p. 385.

[7] Ibid. p. 386. — [8] Ibid. p. 419. — [9] Ibid. p. 387. — [10] Pag. 390. — [11] Socr. lib. 7. c. 34. et Liber. c. 6. — [12] Quod etiam Liberatus refert.

nem instituisse, in eumque sententiam tulisse, quod constat Ephesi esse factum.

IX. Post multas inter se legatorum altercationes[1], ac secum et cum Imperatore colloquia, cum frustra pro Nestorio contendissent Orientales, demum ita rem decidit Imperator, ut Cyrillus, et Memnon in Ecclesiis suis manerent, tum ut ad suas quisque reverteretur.

Nestorio damnato, in ejus locum suffectus est Maximianus monachus presbyter, vir bonus, sed indisertus, et quietis amans, Octobris 25. post 4. a Nestorii abdicatione menses [2]. Theodosius ægre ferens moram afferre paci Joannis et Cyrilli dissensionem, Aetio, et Valerio Coss. anno 432. Aristolaum tribunum, et notarium misit ad ambos illos, qui conciliari invicem juberet, ac Nicomediam ad se venire. Extat litterarum exemplar [3], quas ad Joannem ea de causa scripsit, necnon ad Simeonem styliten, ut pacis hortator esset. Orientales, his acceptis, etsi obtemperare decrevissent, rem aliquantulum traxerunt, ac Cyrillo haud satis æquas conditiones tulerunt. Nam [4] apud Acacium Beræensem senio, et sanctitatis fama venerabilem in unum coacti, Paulum Emesenum Alexandriam cum Aristolao miserunt, qui Cyrillum impelleret, ut sola Nicæna fidei professione contentus, cetera omnia, quæ apud Ephesum gesta fuerant, pro irritis haberet. Quod cum Cyrillus constanter recusasset, coactus est Paulus Ephesina acta nomine Orientalium omnium approbare. Ac missis cum Aristolao Antiochiam legatis Cyrillus ab Joanne quod volebat obtinuit. Ita demum Ecclesiæ tranquillitas constituta, discordiis una cum Nestoriana hæresi funditus extinctis.

At [5] Nestorius Antiochiam reversus, in monasterio suo, de quo supra memini, annos quatuor habitavit. Sed [6] cum illic complures colloquiis, ac litteris suis corrumperet, Joannis Antiocheni monitu, Theodosius illum in Oasim relegari jussit. Ubi multis ærumnis, et barbarorum incursionibus, ac crebris locorum mutationibus confectus, miserrime vitam finiit, lingua eadem, qua sacrilegas in Dei matrem voces emiserat, vermibus exesa.

Ad extremum edicto cavit Imperator, ut deinceps Nestoriani, Simoniani vocarentur, et libri Nestorii igni addicerentur. De quo varia extant rescripta tam Imperatoris, quam præfectorum [7]. Præterea [8] contra Irenæum Comitem, qui a Nestorianis ordinatus erat episcopus Tyri, decretum est, ut is in ordinem redactus, privatus in patrio solo degeret; cui edicto annus subscriptus est Diocletiani 164. indiction. 1. Aprilis 18. hoc est Pharmuti 23. qui annus est Christi 448.

CAPUT NONUM.

De Nestoriana hæresi, in quo maxime sita fuerit. — 1. Duas in Christo naturas ita separabat, ut eo consequens esset, personis esse distinctas. — 2. Deum negabat natum ex Virgine; — 3. vel passum, aut mortuum; vicissimque hominem esse Deum. Nec unum esse Christum, nisi affectu, et σχέσει, hoc est externa quadam habitudine dicebat; non proprie, ac substantive. — 6. Neque vero duos Christos, aut filios palam, ac verbis asserebat, etsi reipsa hoc adstrueret, et Incarnationem funditus tolleret. — 10. Postremo θεοτόκον dicendam B. Virginem non putabat, sed χριστοτόκον.

I. Qui de Nestorio, ejusque nefando dogmate scripto aliquid prodidere [9], vulgo illius in hoc hæresim constituunt, quod B. Virginem θεοτόκον, hoc est *Dei Genitricem*, dici negarit oportere; sed χριστοτόκον, hoc est *Christi genitricem*, potius appellandam censuerit. Ac Cyrillus [10] testis est in epistola, quam ad Joannem Antiochenum, et Orientales omnes, pace jam constituta, scripsit, pene totum de vocabulo isto certamen fuisse conflatum. Atque in istius quidem vocabuli constitutione, si quanam id ex causa fecerit spectemus, tota impietatis, ac veneni vis

[1] Ibid. p. 398. — [2] Socr. lib. 7. c. 35. et 37 Liberat. c. 7. — [3] In Ephes. Concil. p. 581. — [4] Cyr. in ep. ad Acac. Mel. p. 599. Conc. Ephes. et in epist. ad Don. pag. 623. Liber. c. 8. Vulg. et Par. 3. Ephes. Synod. pag. 586. et seq. — [5] Evagr. l. 1. c. 7.

[6] Ibid. et Theoph. Nic. lib. 14. c. 36. — [7] In Conc. Eph. pag. 655. et seq. — [8] Ibid. p. 659. — [9] Ut Theod. lib. 4. de Hær. c. 12. Cass. l. 2. de Incarn. c. 2. Auctor Prædestinati lib. 1. c. 89. — [10] Cyr. ep. ad Joan. in Eohes. Synod. Par. 3. pag. 596.

collecta continetur. Verum rei prius in opinione labem, quam nominis, intueri et expendere licet, cum alioqui vox utraque catholicum capere sensum, et usurpari sine fraude, atque erroris invidia possit. Non potest autem aliunde melius, ac certius hæresis illius summa confici, quam ipsius ex verbis, et sententiis, quæ in Ephesina synodo ex ejusdem schedis publice lectæ sunt, et a Cyrillo in iis libris allatæ, quos contra illum edidit.

Ex quibus omnibus Nestoriani erroris hæc ratio subducitur : Duas in Christo naturas sic a se mutuo separatas, ac distractas esse, ut quæ singulis competerent proprietates, appellationesque, non de uno prædicarentur aliquo, sed seorsim in alterutrum caderent, hominem, aut Deum. Quocirca Deum incarnatum, natum, aut passum esse dici minime patiebatur, nec vicissim hunc hominem, Dei filium, aut Deum, aut ejusmodi cetera, in quibus non naturæ, sed personæ, sive hypostasis ratio ducitur.

II. Deum ergo negabat per se illum esse, qui in Virginis utero formatus est, ac de Spiritu sancto creatus; (1) alioqui ἀνθρωπολάτρας, et νεκρολάτρας nos esse, quasi *hominicolas*, aut *mortuicolas* dixeris.

Christum secundum carnem, Deum nominari dicebat [1] propter συνάφειαν, id est junctionem cum Verbo. Item quemadmodum Dei vocabulum non soli vero Deo tribuitur, sed etiam Mosi, ita Christum appellari Dominum, ac Deum, et Filium, etsi major sit hujus, quam Mosis, aliorumque dignitas.

Fuit etiam impura vox ejusdem : « (2) Propter eum, qui portat, eum, qui portatur, veneror : propter eum, qui latet, eum, qui apparet, adoro. » Item celeberrima fuit illius hæc blasphemia, quam paulo ante primum Ephesi Patrum consessum, ex ejus ore excepisse se pro testimonio dixerunt episcopi duo, Theodotus Ancyranus, et Acacius Melitinensis, « (3) Bimestrem, vel trimestrem dici non oportere Deum. »

Quamobrem Incarnationis mysterium nihil esse aliud existimabat quam (4) ἐνοίκησιν, id est *habitationem Dei in homine*, velut in domicilio suo, vel in templo [2], quemadmodum in Mose ac prophetis reliquis habitasse dicitur. Hinc θεοφόρον, id est *Deiferum*, appellabat Christum, « (5) non vero Deum, sed hominem potius cum Deo tanquam dignitatis æqualitate conjunctum. » Vocabat et κτήτορα τῆς θεότητος [3], *possessorem divinitatis*. Tum naturas a se invicem sejunctas statuens, hoc est ἰδίας, et ἀναμέρους, ut loqui Cyrillus solet [4], hominem instrumenti instar esse dixit, et ὀργανικὴν ἐνέργειαν, hoc est *instrumenti propriam illius efficientiam*. Non enim « eumdem Deum, quem hominem credebat, » ut ait Facundus [5]. Quippe naturarum ambarum junctionem, sive, ut jam vocabulum usu contritum est, *unionem*, non veram, et propriam arbitrabatur esse, ita ut ex ea unum per se aliquid, sive unus potius, et una persona conficeretur ; (6) sed nonnisi σχετικὴν esse et *externam*, quam συνάφειαν vocabat, cujusmodi est perfecte subsistentis rei unius applicatio ad alteram similiter perfectam. Vel unionem *solius dignationis* nominabat [6], κατὰ τὴν ἀξίαν μόνην, quatenus homo assumptus, ac per se interim subsistens, in communionem majestatis, ac dignitatis adhibitus est a Verbo. Hinc Cyrillus in Anathematismo tertio, « (7) Si quis (ait interprete Petro diacono [7]) in uno Christo dividit substantias post unitatem (imo *unitionem*) sola societate connectens secundum dignitatem, et auctoritatem, aut potentiam ; et non magis conjunctionem, quæ est secundum unitatem naturalem, anathema sit. »

III. Ex eo, quod consectarium erat, colligebat Nestorius, non oportere naturæ propria unius, adscribere alteri. Ideo non recte dici, Verbum, sive Deum esse passum, et qui hoc usurpabat, Cyrillum errare, et ignorantia labi, quod παθητὸν, hoc est *patibilem*, Λόγον diceret, imo παθητὴν θεότητα, *deitatem patibilem* ; qui

(1) NESTOR. in quater. 16. ex conc. Eph. par. 2. act. 1. pag. 277. Οὐ καθ' ἑαυτὸ Θεὸς τὸ πλασθὲν ἀπὸ μήτρας· οὐ καθ' ἑαυτὸ Θεὸς τὸ κτισθὲν ἐκ τοῦ Πνεύματος, etc. οὕτω γὰρ ἂν ἡμεν ἀνθρωπολάτραι, καὶ νεκρολάτραι σαφεῖς.

(2) NEST. ibid. pag. 276. Διὰ τὸν φοροῦντα τὸν φορούμενον σέβω· διὰ τὸν κεκρυμμένον προσκυνῶ τὸν φαινόμενον.

(3) Ibid. pag. 265. Διμηνιαῖον, ἢ τριμηνιαῖον μὴ δεῖν λέγεσθαι Θεόν.

(4) NESTOR. apud. Cyr. lib. 1. con. eum pag. 22. et seq. tom. 6. Τὴν ἐνοίκησιν τὴν εἰς ἄνθρωπον.

(5) Ibid. pag. 30. Θεοφόρον γὰρ ἡμῖν αὐτὸν πειρᾶται δεικνύειν, καὶ οὐχὶ Θεὸν ἀληθῶς, ἄνθρωπον δὲ Θεῷ συνημμένον, ὡς ἐν ἰσότητι τῆς ἀξίας.

(6) CYRIL. lib. 2. con. Nest. pag. 31. tom. 6. Γέγονεν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς οὐ κατὰ συνάφειαν ἁπλῶς, ὡς γοῦν ἐκεῖνός φησι, τὴν θύραθεν ἐπινοουμένην, ἤτοι σχετικήν.

(7) CYR. anath. 3. Εἴτις ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν ἢ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον σύνοδον τὴν καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Nest. in Eph. Concil. Par. 2. Act. 2. p. 275. — [2] Ibid. lib. 2. p. 40. — [3] Ibid. lib. 3. p. 64. — [4] Cyr. ep. 1. p. 15. et ep. 2. p. 20.

[5] Fac. l. 1. cap. 4. — [6] Cyr. contra Nest. p. 34. 40. 43. etc. — [7] Lib. de Incarnat. cap. 2.

Apollinaris error fuit. Vide loquacis potius, quam diserti, sed ventosi plane, et imperiti hæretici secundam ad Cyrillum epistolam [1]; in qua eruditione præstantem theologum inscitiæ arguit, et videlicet docere instituit, *sus*, quod aiunt, *Minervam*.

Ibi ex Symboli verbis probare nititur, illa, quæ dixi, propria conditionis humanæ, vilia, et indigna, non esse tribuenda Verbo, sive Deo; sed Jesu Christo Domino, vel Filio, et unigenito; quæ quidem, et his similia nomina in utramque naturam competunt. Idcirco prius in Symbolo positas esse voces illas; deinde cetera subjecta, *Qui conceptus est, etc. natus ex Maria Virgine, passus, et sepultus:* ne quis Verbo, ac Deo imbecillitates, et perpessiones istas, sed homini soli inscribendas putaret. Ad hæc in Scripturis, nativitatem, mortem, cruciatum, et si quid aliud ejusdem-modi est, semper annecti vocabulo alicui, eoque circumscribi, quod humanæ sortis est proprium. Etenim « sic duas naturas, ait Agobardus [2], in unico Filio Dei Domino nostro Jesu Christo dividit, ac separat, ut in disputatione dogmatis sui, sic de uno, quasi de duobus loquatur; quasi alium suspicans Deum verbum, alium Emmanuel, licet plerumque unam harum fateatur personam. »

IV. Fons autem, ac caput impuri dogmatis hoc fuit. Conjunctionem, sive *unionem*, aut *unitionem* duarum in Virginis utero naturarum, ita factam asserebat, ut ante formatus sit homo integer, et perfectus; deinde, cum Deo copulatus fuerit, atque ex ista conjunctione, quam συνάφειαν vocat, homo nominari Deus cœperit. Declarat hoc falsum illud symbolum a Nestorio conditum, quod Charisius presbyter Ephesinis Patribus obtulit [3], in quo ita legitur, « (1) Verbum divinum, hominem assumpsisse perfectum: quem quidem hominem natura nostri similem, Spiritus sancti virtute in Virginis utero formatum, factum ex muliere, factum sub lege, etc. arcano quodam modo sibi conjunxit. » Ac subinde, hominem illum, quod cum Deo conjunctus sit, ejusdem cum ipso honoris ait esse participem.

Leo quoque magnus in epistola 23, Nestorii mentem exponit sic: « Nec dicimus, quod beata virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus a Spiritu sancto, postea sit susceptus a Verbo, quod Nestorium prædicantem merito justeque damnavimus. »

Sic apud Athanasium in libello *de incarnatione Verbi contra Paulum Samosatenum*, qui mihi non esse videtur illius, explicatur in hunc modum dogma istud: « (2) Hominem quidem esse ex Virgine genitum, nec habere natura quidquam divinum, sed in ipsum descendisse Deum. » Ibidem etiam illud rejicit, quod asserebant, « Deum habitare in homine. »

V. Quocirca Incarnationem reipsa negabat, etsi verbo fatebatur, Nestorius. « (3) Simulant se, ait Cyrillus, Incarnationis vocem admittere: verum incarnatum esse revera Dei verbum non putant, hoc est hominem esse factum nostri similem: ita ut quod erat maneret. Verum asserunt, sic tanquam in uno quopiam homine ex sanctorum numero, de Maria virgine natum, habitasse unigenitum Dei verbum. » Ex quo subinde consectaria cetera Cyrillus Nestoriani dogmatis colligi demonstrat: « Non unum esse Christum Filium, ac Dominum, et adoratione colendum, sed ut hominem seorsim, ac separatim intellectum, sola copulatione, secundum unitatem dignitatis honoratum, simul adorari, et conglorificari. » Tum sic homine in illo Deum habitasse, quemadmodum per Spiritum sanctum in nobis habitare dicitur.

Ita enim Nestorius scripserat: « (4) Eumdem et infantem fuisse, et infantis dominum, vel

(1) Symb. quod Charis. obtulit in Ephes. conc. par. 2. act. 6. pag. 360. Ὅτι ὁ δεσπότης Θεὸς Λόγος ἄνθρωπον εἴληφε τέλειον, etc. ὃν ἄνθρωπον ὄντα καθ' ἡμᾶς τὴν φύσιν, Πνεύματος ἁγίου δυνάμει ἐν τῇ τῆς παρθένου μήτρᾳ διαπλασθέντα, γενόμενον ὑπὸ γυναικὸς, καὶ γενόμενον ὑπὸ νόμον, etc. ἀποῤῥήτως συνῆψεν ἑαυτῷ.

(2) ATHAN. tom. 1. pag. 462. Ἄνθρωπον μὲν εἶναι ἐκ τῆς παρθένου τεχθέντα, καὶ μηδὲν ἔχειν τῇ φύσει θεῖον, Θεὸν δὲ εἰς αὐτὸν καταβεβηκέναι. Ibid. Εἰ γὰρ καὶ Θεὸν ἐνοικεῖν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ λέγοιεν μὴ παραδεχώμεθα.

(3) CYRIL. in exposit. Anath. 5. Ὑποκρίνονται μὲν ὁμολογεῖν τὴν τοῦ σεσαρκῶσθαι φωνήν. οὐ μὴν ὅτε καὶ σαρκωθῆναί φασι, κατὰ ἀλήθειαν τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, τουτέστιν ἄνθρωπον γενέσθαι καθ' ἡμᾶς, μετὰ τοῦ εἶναι ὃ ἦν. Ἀλλὰ γὰρ ὡς εἰς ἄνθρωπον τῶν ἁγίων ἕνα, τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένον κατοικῆσαι διϊσχυρίζονται τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ Λόγον, ἵνα μηκέτι Χριστὸς εἷς ὁμολογῆται καὶ Υἱὸς, καὶ Κύριος, καὶ Προσωπάτος, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος ἰδικῶς, καὶ καταμόνας νοούμενος, μόνῃ συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἑνότητα τῆς ἀξίας τετιμημένος συμπροσαγορεύηται, καὶ συνδοξάζηται.

(4) NEST. in Eph. conc. act. 1. pag. 276. ex quater. 27. Ἦν γὰρ ὁ αὐτὸς βρέφος, καὶ τοῦ βρέφους δεσπότης, etc. ὁ αὐτὸς ἦν βρέφος, καὶ τοῦ βρέφους οἰκήτωρ.

[1] Ea quinta est inter Cyr. epist. c. 26. — [2] Lib. contra Fel. To. 9. Bibl. PP. col. 1176.

[3] Eph. Concil. Act. 6. p. 300.

infantis habitatorem. » Unde, ut recte Acacius Mitylenensis ait, « (1) vocabulo tenus unitatem Dei cum carne confitebatur, reipsa vero eam funditus tollebat. »

Propterea Gelasius[1], non ille Cyzicenus, futilis scriptor, sed Romanus pontifex, in libro adversus Eutychem et Nestorium, affirmat, Nestorium putasse singularem in Christo, quando est conceptus, fuisse naturam, id est humanam. Ex quo consequens fit, nullam omnino σάρκωσιν, id est *incarnationem* extitisse.

VI. Eadem calliditate, ac κρύψει Nestorius duas in Christo negabat esse personas, vel filios duos, quamvis reipsa duos omnino profiteretur. Quare in epistola ad Cyrillum, « (2) nomen Christi, ait ille, expertem patiendi, et patibilem substantiam in una, et singulari significare persona, » ac paulo post, « (3) divinitatis, et humanitatis in unius personæ copulationem congruentium rationem » vocat. Idem Nestorius apud Cyrillum aperte profitetur, quemadmodum unitas in Christo, ac divisio, vel duplicitas spectanda sit. Nam « (4) nullam *ait* esse divisionem copulationis illius, quæ in dignitate consistit, neque filietatis, ut sic loquar : sed neque qua Christus est, ullam inesse divisionem ; verum divinitatis, et humanitatis duntaxat. Quare nec duos habere nos Christos, nec filios duos ; sed unum et eumdem esse dignitate, non natura. » Atqui tum veteres sæpius, tum recentes theologi complures Nestorii sententiam sic explicant, uti duas ab illo personas, duosque filios asseverari scribant.

Vincentius Lirinensis, « Nestorius, *inquit*, contrario Apollinari morbo, dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, et inaudito scelere duos vult esse filios Dei, duos Christos : unum Deum, alterum hominem : unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. »

Leontius libro de Sectis, (5) duas a Nestorio hypostases positas esse dicit. Paulinus item Aquileiensis libro tertio contra Felicem[2], personas duas. Harmenopulus in libro de Sectis[3], duos filios. Vigilius in secundo libro contra Eutychen, « Nestorius, *inquit*, duas inducendo naturas, duas putavit esse personas, et ob hoc arbitratus est eo ut sacrilego dogmate duos Christos induci. » Et subinde, « Nestorius proprietatem attendendo personarum, a personæ excidit unione, et duos putavit Christos, unum passibilem, alterum impassibilem esse. » Idem et plerique de Schola theologi de Nestorio prodiderunt.

VII. Verum nunquam filios, vel Christos duos, neque personas duas in Christo Nestorius verbo professus est, tametsi revera ita sentiret, idque illius ex principiis ac decretis necessario esset consequens, quod etiam adstruere, clam, et per ambages, ancipitesque sententias, miris artibus conatus est. Apud Maxentium[4] certe Nestorianus acerrime negat duos se constituere filios in uno eodemque Christo.

Cyrillus de hac secta scribens, hanc ejus fraudem, ac versutiam detegit. « (6) Quandoquidem, *ait*, scopum hunc habent, duos prædicare Christos, ac duos filios, et hominem seorsim, ac Deum seorsim constituere ; eoque stabilito solarum personarum unitionem asserunt : ideo versute agunt, et excusationes in peccatis fingunt. » Et alibi, « (7) par ab illo Filiorum, Christorum, et Dominorum invehi, » ex ejusdem oratione colligit. Quippe « (8) hominem separatim collocabat, æqualitate dignitatis, sive auctoritatis cum Deo conjunctum, sed hypostasi divisum, et quasi seor-

(1) ACAC. in conc. Eph. act. 1. pag. 259. Ἔδειξεν ἑαυτὸν ὀνόματι μόνῳ τὴν ἑνότητα τοῦ Θεοῦ πρὸς τὴν σάρκα ὁμολογοῦντα, τὸ δὲ πράγματι ταύτην πάντῃ ἀρνούμενον.

(2) NEST. in epist. quæ est quinta inter Cyrillianas. Τίθεσι τὸ, Χριστὸς, ὡς τῆς ἀπαθοῦς, καὶ παθητῆς οὐσίας ἐν μοναδικῷ προσώπῳ προσηγορίαν σημαντικήν.

(3) Ibid. Κατὰ τὸν τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ θεότητος λόγον, καὶ τὴν τούτων εἰς ἑνὸς προσώπου συνάφειαν.

(4) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. con. Nest. pag. 44. tom. 6. Cyr. Διαίρεσις οὐκ ἔστι τῆς συναφείας τοῦ ἀξιώματος, τῆς υἱότητος. Αὐτοῦ τοῦ εἶναι Χριστὸς οὐκ ἔστι διαίρεσις, etc. οὐ γὰρ ἔχομεν δύο Χριστοὺς, οὐδὲ δύο υἱοὺς, etc. ἀλλ' αὐτὸς ὁ εἷς ἐστι διπλοῦς, οὐ τῇ ἀξίᾳ, ἀλλὰ τῇ φύσει. Vide et pag. 47.

(5) LEONT. act. 4. tom. 11. bibl. PP. pag. 508. Ἀλλὰ δύο ὑποστάσεις ἔλεγε, καὶ διαίρεσιν : et lib. 1. con. Nest. et Eut. tom. 4. par. 3. bibl. PP. col. 959.

(6) CYR. epist. 8. ad cler. Const. pag. 33. tom. 5. par. 2. Ἀλλ' ἐπειδὴ σκοπὸς ἐκείνοις δύο λέγειν Χριστοὺς, καὶ δύο υἱοὺς, καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον ἰδικῶς, τὸν δὲ Θεὸν ἰδικῶς· εἶτα μόνων τῶν προσώπων ποιοῦσιν τὴν ἕνωσιν, διὰ τοῦτο ποικίλλονται, καὶ προφάσεις πλάττονται ἐν ἁμαρτίαις.

(7) Lib. 2. contra Nest. pag. 51. tom. 6. Cyr. Τὴν τῶν παρὰ σοῦ λεγομένων Υἱῶν ξυνωρίδα. Εἶτα πῶς οὐ δύο Χριστοὶ, καὶ Υἱοὶ, καὶ Κύριοι ; Vide lib. 3. pag. 75.

(8) Id. lib. de Rect. fide, pag. 166. Εἰ δὲ καθὰ περφρονήκασί τινες, ἄνθρωπος ἦν ἰδικῶς, ἰσότητι μὲν τῆς ἀξίας, ἤγουν αὐθεντίας, συνημμένος Θεῷ, διῃρημένος δὲ καθ' ὑπόστασιν, καὶ ἀνὰ μέρος εἶναι πιστευόμενος.

[1] To. 4. Bibl. PP. col. 417. — [2] To. 4. Par. 2. Bibl. p. 28. — [3] To. 11. Bibl. p. 452. — [4] Maxent. to. 4. Bibl. PP. 468. E.

sim per se positum. » Atque etiam hominem prius in utero Virginis genitum, formatumque esse docuit, ut supra memini, quam cum Deo copulatum, eoque factum Deum. Ex quo illud necessario sequebatur, ἕνωσιν et συνάφειαν, id est *conjunctionem* et *copulationem*, quam conceptu posteriorem hominis in utero factam esse Nestorius utcumque fatebatur, fuisse προσώπων, hoc est *personarum*, ἕνωσιν in unam eteamdem personam ex utraque conflatam, quod Cyrillus affirmat in epistola octava, et in libro de recta fide ad Imperatrices[1], necnon in libro, Quod unus sit Christus[2]. Ita subdolus iste ac versipellis hæreticus, quod solemne est ejusmodi novorum dogmatum architectis, verborum ambiguitate fefellit incautos, dum et unam personam, et unum Filium aperte confessus est Christum ; et duas interim reipsa, proprieque, significavit esse personas ; quæ in unam convenirent, late sumpto *unius* nomine, ut cum σχέσει, id est *habitudine*, vel *affectu*, et commercio, ac societate unum dicuntur, qui plures sunt re, ac persona disjuncti, ac separati. Vide Maxentium in Dialogo primo[3], ubi vafritiem hæretici illius redarguit.

VIII. Hinc Theorianus in dialogo contra Armenios, « (1) Nestorium *ait* duas asseverasse naturas a se invicem disjunctas, nec unitas in unam personam. » Et Cyrillus in epistola ad Eulogium, « (2) Etsi, *inquit*, Nestorius duas naturas asserat, significans carnis, ac Verbi differentiam, (nam est alia Verbi natura, alia carnis,) non tamen unitionem nobiscum fatetur. » Nempe veram et proprie dictam, qua unum per se substantivum salva naturarum proprietate ac differentia, constituitur. Alioqui tum ἕνωσιν, tum unum Christum, unamque personam, ac Filium unum prædicabat Nestorius : imo *dignitatis, et auctoritatis æqualitatem*, et unitatem suo modo, sensuque confitebatur, qua « homo per se, ac seorsim consistens, Deo copulatus erat, hypostasi tamen ab eo divulsus, » ut jam dixi.

Facundus Hermianensis fucum istum Nestorianorum aperit[4], qui « non eumdem credentes esse Deum, quem hominem, duos nobis filios, licet non verbis, rebus tamen volunt inducere. » Recte dixit, non eum verbis, sed rebus, *nefandam* istam *dualitatem*, ut alibi nominat[5], *conatum inducere*. Nam verbis negare perseveravit, ut ostendimus ; et Nestorianum ipsum a Charisio Patribus oblatum[6], et ab iisdem in Ephesina synodo damnatum symbolum fidem facit.

IX. Rursus Liberatus archidiaconus in Breviario, capite secundo, illam ipsam Nestorii tectam, fucatamque nequitiam accuratius evolvit. « Nestorius, *inquit*, confundens existentiam divinitatis Filii Dei, Christum purum hominem tradidit conceptum, atque formatum, et postea in Deum provectum, hoc est hominem deificatum ; et non Verbum carnem factum, et habitasse in nobis ; quod prædicat Evangelium, et catholica confitetur Ecclesia, negat. » Ibidemque ex Lucentii chronico istud refert : « Felice, et Tauro consulibus, Nestorius Constantinopolitanus episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum hominem tantum, non etiam Deum natum ; eique divinitatem collatam esse pro merito dicit. »

Omnium exactissime quinta Synodus totam illam hæresim damnando complexa est anathematismis aliquot. Ut cum in secundo, « (3) Dei Verbi duas esse nativitates » definit ; « unam ante secula ex Patre, alteram in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cœlis descendit, et incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice, et semper virgine Maria natus est ex ipsa. » Tum in quarto unitionem naturarum duarum, ex Nestorii sententia, « (4) secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctori-

(1) THEOR. tom. 11. bibl. PP. pag. 452. Ἀλλ' ὁ Νεστόριος δύο φύσεις ἔλεγε κεχωρισμένας, οὐχ ἡνωμένας εἰς πρόσωπον ἕν.

(2) CYR. ep. ad Eulog. pag. 331. Οὕτω καὶ ἐπὶ Νεστορίου, κἂν λέγῃ δύο φύσεις, σημαίνων τὴν διαφορὰν τῆς σαρκὸς, καὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου (ἑτέρα γὰρ ἡ τοῦ Λόγου φύσις, καὶ ἑτέρα ἡ τῆς σαρκὸς) ἀλλ' οὐκέτι τὴν ἕνωσιν ὁμολογεῖ μεθ' ἡμῶν.

(3) Anath. 2. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τοῦ Θεοῦ Λόγου εἶναι τὰς δύο γεννήσεις, τήντε πρὸ αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀχρόνως, καὶ ἀσωμάτως, τήν τε ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τοῦ αὐτοῦ κατελθόντος, ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας ἐνδόξου θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ γεννηθέντος ἐξ αὐτῆς ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

(4) Anath. 4. Εἴτις λέγει κατὰ χάριν, ἢ κατὰ ἐνέργειαν, ἢ κατὰ ἀξίαν, ἢ κατὰ ἰσοτιμίαν, ἢ κατὰ αὐθεντίαν, ἢ ἀναφορὰν, ἢ σχέσιν, ἢ δύναμιν, τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς ἄνθρωπον γεγεννῆσθαι. Ἢ κατὰ εὐδοκίαν, etc. ἢ κατὰ ὁμωνυμίαν, καθ' ἣν οἱ Νεστοριανοὶ τὸν Θεὸν Λόγον Ἰησοῦν, καὶ Χριστὸν καλοῦντες, καὶ τὸν ἄνθρωπον κεχωρισμένως Χριστὸν, καὶ Υἱὸν ὀνομάζοντες, καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν; καὶ ἓν πρόσωπον,'καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν.

[1] Tom. 5. Par. 2. p. 53. E. — [2] Tom. 5. Par. 1. p. 728. et 729. — [3] Tom. 4. Bibl. 469. D. E.

[4] Lib. 1. c. 4. p. 35. — [5] Fac. lib. 6. c. 3. p. 245. Vide et lib. 3. p. 129. — [6] In Eph. Synod. Act. 6. p. 361. A.

tatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem » esse demonstrat, « vel secundum bonam voluntatem. » Ac Nestorianos addit, « Deum Verbum filium et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et filium nominantes, et duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam, et unum filium, et unum Christum confingere. »

X. His omnibus quod erat connexum adstruxit impius Nestorius, ut B. Virginem negaret appellandam esse θεοτόκον, id est *Deiparam*, sed potius χριστοτόκον, id est *Christiparam*, diceret, sive [1] ἀνθρωποτόκον, id est *hominiparam*. Qua in vocabuli definitione tota Nestoriani dogmatis pravitas, velut in compendium redacta continetur, quemadmodum catholicæ summa professionis, quod ad Trinitatem spectat, in unam τοῦ ὁμοουσίου vocem confluxit.

In actis Ephesinæ synodi, quædam excerpta leguntur e libro Nestorii ; in quibus illud ad rem suam observat : Nunquam omnino Scripturam Christi ortum ex Virgine, vel mortem, et ejusmodi commemorare cetera, ut ad horum mentionem *Dei* nomen adjungat, sed Christi duntaxat, aut Filii, aut Domini, quæ tria nomina naturas duas significant, ut cum legis apud Apostolum [2], *Misit Deus Filium suum factum ex muliere,* hominem solum esse factum ac natum intelligas, (1) qui filius propter adjunctum Dei Filium dicitur.

Sic Angelus, inquit, non dixit, *Surge, et accipe Deum,* sed [3], *Accipe puerum.* Quare [4] venerandam fatebatur esse Virginem, quæ Deum recepit, quique per eam prodiit, non sic tamen, ut ab ea genitus dici debeat. Atque hoc ipsum reliqua Nestorii excerpta repetunt, et inculcant, quæ in Ephesinæ synodi actione illa continentur, ex quibus recta illud sequitur, quod in epistola secunda ad Cyrillum Nestorius diserte scripsit : « (2) Si diligentius nomen imponere volumus, sanctam Virginem vocandam esse Christi non Dei genitricem. »

Quod nominatim damnavit quinta Synodus collatione octava, canone sexto [5]. Cassianus quoque meminit [6], et Arnobius in conflictu cum Serapione [7], necnon Vincentius Lirinensis, qui Nestorium ait « asseruisse sanctam Mariam non θεοτόκον, sed χριστοτόκον esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille Christus, qui Deus, sed ille, qui erat homo, sit natus. » Nos de vocabulo isto θεοτόκου, deque Nestorii rationibus, et firmamentis plura deinceps explicabimus. Nunc unum id agimus, ut arcana dogmatis illius accuratius exploremus, quod quidem comparatione istius cum aliis quibusdam similium hæresum auctoribus plenius assequimur.

CAPUT DECIMUM.

1. Comparatur Nestoriana hæresis cum nonnullis aliis huic affinibus : — 2. Velut Pauli Samosateni, Photini. — 4. De Diodoro Tarsensi, variisque de eo priscorum judiciis ; quorum alii non mediocriter ipsum prædicant, alii suspectum faciunt hæretici dogmatis.

I. Veterum omnium, qui adversus Nestorii hæresim disputarunt, querela ista fuit, instauratam ab illo fuisse superiorum hæreticorum amentiam, qui Christum nihil præter homi-

(1) NEST. in Eph. conc. act. 1. pag. 273. Υἱὸν γὰρ γέννησε Θεοῦ ἡ χριστοτόκος παρθένος. Ἀλλ' ἐπειδή περ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ διπλοῦς ἐστι κατὰ τὰς φύσεις, οὐκ ἐγέννησε μὲν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐγέννησε τὴν ἀνθρωπότητα, ἥ τις ἐστὶν Υἱὸς διὰ τὸν συνημμένον Υἱόν. Vide Nestorii epist. ad Cyr. quæ est inter epist. Cyr. pag. 26.

(2) NEST. in ead. epist. 27. E. Ὡς καλεῖσθαι κατὰ ἀκριβεστέραν προσηγορίαν, τὴν ἁγίαν παρθένον, Χριστοτόκον, οὐ Θεοτόκον.

[1] Cyril. Dial. quod unus est Christus, tom. 5. p. 716. — [2] Gal. 4. — [3] Matt. 2.

[4] Concil. Ephes. Act. 1. p. 274. — [5] Pag. 292. — [6] Lib. 2. de Incarn. c. 2. — [7] Pag. 546. et seq.

nem esse profitebantur, ut Ebionis, Theodoti coriarii, ac deinde Pauli Samosateni, Marcelli, et Photini : de quibus supra meminimus. Est in actis Ephesinis [1] obtestatio clericorum Constantinopolitanorum adversus Nestorium, qui sedem illam adhuc obtinebat, publice in Ecclesia proposita, in qua consentire illum probant cum Paulo Samosateno ante annos centum et sexaginta damnato, comparatis inter se præcipuis utriusque dogmatum capitibus : maxime quod ut Paulus Mariam negabat peperisse Verbum, ita Nestorius divinitatem. Ille hominem nostri similem ex Maria natum esse dixit : idem hoc iste docuit. Paulus Christum asseruit gratiam omnem e Spiritu sancto assecutum esse, ut nonnisi adoptionis jure tantam dignitatem adeptus fuerit. Nestorius tunc assumptum esse ad qualemcumque divinitatis communionem eumdem Christum putavit, quando post baptismum, Spiritus sanctus in eum columbæ specie delapsus est [2]. Ambo denique non aliter in Christo sapientiam, vel Deum habitasse, quam in prophetis, arbitrati sunt : nisi quod uberior se in illum, quam in istos, cœlestis gratiæ copia profudit.

His consentiens fuit plurimorum de Nestoriana hæresi antiquorum opinio. Sed nimirum ut in neganda σαρκώσει, id est *incarnatione*, concors amborum sententia fuit : sic in qualiscumque junctionis, sive *unitionis* (ita enim vocatur ἕνωσις) modo constituendo, dispar eorum extitit ratio. Cujusmodi vero sit istud, clarius pervidebitur, si quod Socrates de hac re judicium fecerit, diligenter examinemus. Vixit enim per id tempus historicus ille [3], ac superstite adhuc, et apud Oasim degente Nestorio, scripsit.

II. Hic igitur historiæ suæ libro septimo, cap. 31. de illius agens hæresi, scribit sic, ex Epiphanii versione in Historia tripartita [4] : « (1) Nestorius apud multos in ea erat opinione, quod purum hominem diceret Christum, et tanquam Pauli Samosateni, atque Photini dogma in Ecclesias introduceret. » Quam ille opinionem refellens : « (2) Non mihi videtur, *inquit*, Nestorius neque Samosatenum secutus Paulum, neque Photinum, neque omnino purum hominem dixisse Christum ; sed sermonem solum (id est dictionem τῆς θεοτόκου) quasi metuendum expavisse. » Quam deinceps vocem testimonio veterum approbat, et explanat : demumque non hominem merum a Nestorio positum esse Christum ex eo colligit, quod « (3) nusquam Dei Verbi subsistentiam perimit, sed ubique id subsistere confitetur, et habere substantiam ; non sicut Photinus, et Samosatenus, ejus existentiam perimentes. »

Pauli Samosateni duplicem hæresim fuisse, supra capite tertio docuimus ; eumque de Trinitate idem cum Sabellio sensisse ; nimirum, Verbum non esse personam subsistentem ex sese, sed ἐνέργειαν quamdam, id est *operationem* transeuntem in hominem Christum : ex quo secundus error exortus est ; nullam revera σάρκωσιν, id est *incarnationem*, extitisse, nec Deum carnem esse factum ; sed in ea, velut in templo, ac domicilio habitasse, itidem ut in sanctis viris, ac prophetis commorari dicitur, per effectionem quamdam, quæ in Christo, λόγος, id est *sermo* sive *verbum*, nominatur. Hoc modo neutiquam incarnatus Deus, aut Filius dicitur : non ille, quoniam persona divina non propria, et intima conjunctione cum carne, vel homine copulata fuit, sed externa et, ut vocant, *morali ;* ut quidem illius erat error ; non Filius, quia per se hunc existere, aut hypostasim esse negabat idem hæreticus, nec aliud quidquam esse credebat, præter fugacem, et transeuntem efficientiam.

III. At Nestorius a Paulo de Trinitate dissentiens, Filium per se subsistere fatebatur, et eumdem perfectum, ac subsistentem hominem delapsum, unum cum ipso facere, hoc est unam hypostasim, ac personam ex duobus compositam, non ea, quam *physicam* dicunt, unitate, ita ut unus proprie, et substantive ex ea conjunctione Christus existat ; sed externa, quale est amantium se mutuo, vel ejusdem participum majestatis, ac dignitatis consortium. Quocirca verbo unicam personam Christi prædicans, re duas agnoscebat. Siquidem unitas illa, quam profitebatur, nonnisi *moralis*, ut ita loquar, et *tropica* fuit : *dualitas* autem, vera, substantiva, proprie dicta. Unde persona quoque nonnisi improprie, ac

(1) SOCRAT. Νεστόριος δὲ δόξαν παρὰ τοῖς πολλοῖς εἶχεν ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον λέγων τὸν Κύριον, καὶ ὡς Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, καὶ Φωτεινοῦ τὸ δόγμα εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄγων.

(2) Ibid. Οὔ μοι δοκεῖ ὁ Νεστόριος, οὔτε τὸν Σαμοσατέα Παῦλον ζηλῶν, οὔτε μὴν Φωτεινὸν, μηδὲ ὅλως ψιλὸν ἄνθρωπον λέγειν τὸν Κύριον· ἀλλὰ τὴν λέξιν μόνην ὡς τὰ μορμολύκια περιδέδιται.

(3) Ὡς οὐδαποῦ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν ἀναιρεῖ, ἀλλὰ πανταχοῦ ἐνυπόστατον αὐτὸν ὁμολογεῖ, καὶ ἐνοῦσιον· οὐ μὴν ὡς Φωτεινὸς, καὶ ὁ Σαμωσατοὺς ἀναιρεῖ αὐτοῦ τὴν ὕπαρξιν.

[1] Act. 1. p. 175. — [2] Joan. 1. — [3] Socr. lib. 7. cap. 34. — [4] Trip. l. 12. c. 5.

figurate censetur una, cum sit reipsa duplex.

Hoc sensu Nestorius non simplicem hominem aiebat esse Christum : quippe in quo Deus, ac divina hypostasis habitabat ; etsi non unus cum homine esset, nisi eo, quem dixi, modo. Itaque revera nudum, ac solitarium illum esse sentiebat, quidquid ex contrario dictis, ac voce tenus contenderet. Neque vero Socrates audiendus est, qui Nestorium præ inscitia dicit de solo vocabulo τῆς θεοτόκου confligentem, eoque velut spectro, ac terriculo consternatum, nullo modo merum hominem asseverasse Christum. Nam id quidem verbis fortasse non usurpavit ; est tamen ex illius decretis, ac rationibus necessario consequens. Sed neque nominis θεοτόκου contentiosa illa, et pervicax oppugnatio aliunde, quam ex interiori sensu, ac dogmate proficiscebatur : uti Arianorum rixa de ὁμοουσίου nomine ex falsa interpretatione divinæ processionis ortum accepit.

Mihi vero Nestorius ideo videtur diligenter hoc cavisse, ne duos Christos, aut filios, vel etiam personas appellaret duas, ut non Pauli Samosateni affinis hæresi esse videretur, quam sciret tanto ante damnatam, et proscriptam esse, et apud Christianos pessime audire, quoniam diserte nudum hominem esse Christum docuerat. Hoc autem necessario inde sequi videbat Nestorius, si duas personas in Christo distinctas poneret. Nam alteram earum, nihil nisi hominem oportebat : alteram, Deum ex toto constitui.

Eadem Photini, quæ Pauli, ac similium, ratio est, et cum utroque par Nestorii consensio, ut ex iis constat, quæ capite tertio supra de illis explicavimus.

IV. Nunc alios in medium adducamus, ab quibus propius hæresim suam combibisse Nestorius dicitur. Ex iis primus occurrit Diodorus Tarsensis episcopus, de quo antiquorum variant judicia. Hic Antiochiæ primum in clero insignis est habitus, Meletio præsule ; ac pietate, et eruditione celebrem eum fuisse, argumentum ex eo capitur, quod ab Juliano imperatore exagitatus, et maledictis ob illam causam laceratus est.

Extat apud Facundum [1] Juliani ad Photinum hæreticum epistola, qua eum commendat, quod Deum neutiquam in utero fœminæ conceptum esse sentiat : Diodorum vero suggillat, quod Galilæum (ita Christum impius apostata contemptim nominabat) Deum prædicaret æternum. Quem etiam « adversus cœlestes deos linguam suam armasse » dicit. Quippe Athenas navigasse, et philosophiæ, ac musicæ, necnon rhetoricæ operam dedisse. Suidas quamplurimos a Diodoro libros esse scriptos refert, non solum theologicos, ac sacros, veluti commentarios in Scripturam, aliasque proprii argumenti lucubrationes : sed etiam astronomicos, et philosophicos.

Ex quo mirari subit, quod Hieronymus in Catalogo scribit [2], et ab Facundo citatur [3] : Diodorum « multa scripsisse ad Eusebii magis Emisseni (omisit hoc cognomentum Facundus) characterem pertinentia : cujus cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam secularium litterarum. » Atqui Basilius etiam in epistola 167. quam ad illum scripsit adhuc presbyterum, valde ipsius dicendi facultatem, et politiorum litterarum scientiam prædicat.

V. Ceterum [4] Diodorus iste una cum Flaviano monasticum vitæ institutum amplexus, per absentiam Meletii, qui Antiochia pulsus fuerat, rem catholicam strenue tutatus est adversus Leontium Arianæ partis episcopum. Etenim ambo illi, etsi nondum in clerum ordinati essent, sed adhuc laici, populum ad pietatem, ac fidem instituebant, et sacros Catholicorum conventus auctoritate sua regebant. Quin etiam primi Antiochiæ traduntur morem illum condidisse, qui per universam Ecclesiam postea propagatus est, ut alterna modulatione Psalmi Davidici, diviso bifariam choro, canerentur. Post hæc [5] reversus ab exilio Meletius Diodorum, Tarsi, quæ erat Ciliciæ metropolis, episcopum creat. Cujus discipuli fuere Joannes Chrysostomus [6], et Theodorus Mopsuestenus, de quo paulo post agemus. Idem Constantinopolitano primo concilio interfuit [7], et Nectarium una cum aliis ordinavit episcopum [8]. Ac summorum virorum, et apprime catholicorum usu, et amicitia floruit : ut Athanasii, cujus ad eum epistolam Facundus refert [9] : necnon Basilii, cujus extant ad eumdem epistolæ duæ [10] : e quibus prioris fragmenta quædam [11] Facundus describit ; tum Epiphanii [12], qui librum de Gemmis illius inscripsit nomini ; extatque nuncupatoria ad eumdem Diodorum epistola latine a Facundo posita. Laudatus est et ab aliis plerisque, quos

[1] Lib. 4. p. 163. — [2] Cap. 12. — [3] Lib. 4. p. 199. — [4] Theodor. l. 2. hist. c. 19. et l. 4. c. 22. Tripar. lib. 5. c. 32. Niceph. l. 11. c. 24. — [5] Theodor. lib. 5. c. 4. Fac. lib. 8. c. 5. p. 329. Niceph.

[6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Fac. lib. 8. c. 5. pag. 339. — [9] Lib. 4. p. 148. — [10] Basil. ep. 167. et 197. — [11] Fac. lib. 4. pag. 152. — [12] Ibidem p. 158. Vide etiam lib. 8. pag. 351.

in quarto, et octavo libro Facundus commemorat.

Sed longe testimoniis, ac suffragiis omnibus potior est Constantinopolitanæ primæ auctoritas synodi [1], quæ in constituenda gubernatione diœceseon ecclesiasticarum, inter catholicos antistites Diodorum recenset Tarsi episcopum. Cujus decretum secutus imperator Theodosius, legem tulit [2], qua lege tradi Ecclesias catholicis jussit episcopis : et, ut certo constaret quinam ejusmodi essent, nominatim designavit aliquos, quibuscum jungi communione illos oporteret ; inter quos Diodorum recensuit.

VI. Verum Cyrillus Alexandrinus in epistola priore ad Successum (1) Diodorum carpit, quem ait ex Macedoniano, et Pneumatomacho factum Catholicum in aliam incurrisse hæresim ; ac sensisse, scripsisseque, alterum esse, ac separatum filium, qui e semine Davidis ortum accepit ex B. Virgine : alterum, seorsimque spectandum filium, Verbum a Deo patre genitum, qui vero ac genuino Filio conjunctus, Filii etipse dignitatem adeptus est gratiæ, ac beneficii loco. Quam ab illo labem opinionis hausisse dicit Nestorium. Quod Macedonianæ Pneumatomachorum hæresi addictum antea Diodorum fuisse Cyrillus asserit, probabile fit ex eo, quod Sylvani Tarsensis olim episcopi alumnus idem fuit : ut testis est Basilius in epistola 82. ad Patrophilum Ægensem episcopum. Sylvanus autem Semiarianorum, qui iidem et Pneumatomachi fuerunt, coryphæus est habitus, ac Basilio Ancyrano, Georgio Laodiceno, Eleusio Cyziceno, et Macedonio, earumdem partium assidue inhæsit : ut ex Epiphanio [3], Socrate [4], Sozomeno [5], aliisque constat. Sanctus tamen Basilius cum de Diodoro agit, *beatum Silvanum* nominat. Cujus verba Facundus refert : « (2) Diodorum autem, velut nutrimentum B. Silvani, ab initio accepimus : nunc autem diligimus, et prædicamus propter gratiam verbi, quæ ei adest : per quam plurimi ad eum convenientium meliores efficiuntur. » Nimirum Seminariani modico discrimine ab Catholicis distabant, ut alibi dixi [6] : ideo nonnunquam promiscue sunt habiti. Ac Diodorum verisimile est quædam in scriptis adspersisse suis de naturis in Christo duabus, quæ ab catholica regula dissidebant. Non enim mentitus est puto Cyrillus, aut quæ de illo scripsit non ex ejus libris deprompsit. Qui et in alia quadam epistola ad Joannem Antiochenum, et Synodum illic coactam, quæ in parte tertia Ephesini concilii, capite 44. descripta est, Diodorum, et Theodorum notat tanquam adversarios gloriæ Christi. De qua epistola sequenti capite, cum de Theodoro agetur, nonnulla dicemus. Sic in epistola ad Acacium Melitinæ episcopum, Diodorum una cum Theodoro in libris suis contra Incarnationem scripsisse dicit.

Leontius sane Byzantinus libro tertio contra Nestorium et Eutychem [7], Diodorum ait Theodoro, de quo mox, « malorum, et impietatis auctorem, et ducem, ac patrem fuisse. » Tum quod in illius gratiam ab ejus, et Nestorii propugnatoribus afferri solebat, diluit : idem nempe quod latius Facundus prosequitur, præclaris viris probatum fuisse Diodorum. Basilium ex omnibus profert Leontius, « qui ad Diodorum scripserit, et quædam ejus de Trinitate scripta approbaverit. » Sed de Incarnatione, non de Trinitate culpatur Diodori fides. Deinde nihil hoc ad excusandos impiorum dogmatum inventores pertinet, quod a magnis, et sanctitate præstantibus viris aliquando laudati fuerint : ut Leontius objicit, et Origenis atque Apollinaris exemplis asserit.

(1) Cyr. ep. 1. ad Succ. Διόδωρός τις πνευματομάχος ὤν, κατὰ καιρὸν, ὡς φασι, κεκοινώνηκε τῇ τῶν ὀρθοδόξων ἐκκλησίᾳ· ὕστον ὑποθέμενος, ὥσπερ οὖν ἐνόμισε, τὸν τῆς Μακεδονικῆς αἱρέσεως σπίλον, εἰς ἑτεραν ἐκπέπτωκεν ἀρρωστίαν. Πεφρόνηκε γὰρ, καὶ γέγραφεν ὅτι ἕτερος μὲν Υἱὸς κατ' ἰδίαν ἐστὶν ὁ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ γεννηθεὶς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ θεομήτορος· ἕτερος δὲ πάλιν ἰδικῶς Υἱὸς ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος.

(2) Basil. ep. 82. p. 910. Διόδωρον δὲ, ὡς θρέμμα τοῦ μακαρίου Σιλβανοῦ, τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀπεδεξάμεθα· νῦν δὲ καὶ ἀγαπῶμεν, καὶ περιέπομεν διὰ τὴν προσοῦσαν αὐτῷ τοῦ λόγου χάριν, δι' ἧς πολλοὶ τῶν ἐντυγχανων αὐτῷ βελτίους γίνονται.

[1] Socr. lib. 5. c. 8. Soz. lib. 7. c. 8. — [2] Extat in Cod. Th. l. 3. de fide Cathol. Soz. ibid. Facun. l. 4. p. 162.

[3] Hær. 73. § 23. — [4] Lib. 4. c. 12. — [5] Lib. 4. c. 21. — [6] Lib. 4. de Trin. c. 6. — [7] Tom. 4. Bibl. PP. col. 1005.

CAPUT UNDECIMUM.

De Theodoro Mopsuesteno : ejus scripta : consuetudo cum viris sanctis, et litterarum commercium; de quo multa falso prodita ab illius defensoribus. Facundus notatur. Cyrillus Theodorum impugnavit tanquam hæreticum; necnon Diodorum Tarsensem. Theodori impia dogmata ex quinta Synodo.

I. Theodori Mopsuesteni magis explicatu facilis causa videtur post quintam Synodum, et ad rem nostram, ac Nestorii dignoscendam hæresim permagni interest. Hunc Diodori Tarsensis discipulum una cum Joanne Chrysostomo fuisse, testis est Theodoretus [1], necnon Facundus [2], et Leontius libro 3. contra Eutychem. Quem insuper amplissimo genere, et in summis opibus natum Antiochiæ, ab eodem illo Joanne ad monachorum institutum allectum esse narrant, Hesychius presbyter Hierosolymitanus in Ecclesiastica historia, cujus fragmentum recitatum est in quinta Synodo, collatione quinta : tum qui Joannis Chrysostomi vitam memoriæ prodiderunt, Georgius, et alii [3]. Quin etiam illum ipsum fuisse Theodorum asserit Nicephoras [4], post Hesychium, ad quem libros duos egregios scripsit [5], ut eum in communem vitam ab sacratiore vivendi proposito relapsum revocaret. Atque hic demum Mopsuestiæ, quæ urbs Ciliciæ est, episcopatum obtinuit.

Multos admodum libros elucubravit, præsertim adversus hæreticos; ut Arianos [6], et Eunomianos : necnon Origenem [7], et Apollinarem [8] : ac contra omnes totis trignita sex annis, quibus episcopus fuit, stilo, ac sermone certavit, ut Theodoretus referet [9], qui hunc mirifice collaudat, una cum ipsius fratre Polychronio Apameæ episcopo. Fecisse hoc idem complures feruntur illustri sanctitate, ac doctrina prædíti, ut illum aut viventem, aut jam vita functum litteris et amicitia, vel laudum præconiis celebrarent [10]. Gregorium imprimis Nazianzenum aliquot ad eum litteras scripsisse [11], Facundus asserit, qui unam earum descripsit [12]: ut et Chrysostomi ad eumdem ab exilio [13]. Cyrilli quoque honorificum de illo testimonium memorat [14], tametsi postea scriptis eum suis notasse perhibeatur; de quo Facundum eumdem lege libro octavo, capite sexto. Qui quidem Theodori patrocinium, in libris duodecim, quos pro tribus capitulis scripsit, accurate suscepit : ut postea dicemus, ubi et de Ibæ epistola, quæ ejusdem commendationem continet.

II. Incredibile vero est dictu, quanta de illo Catholicos inter, et quam vehemens sit orta contentio : quæ paulo post Ephesinam synodum agitari cœpta, paulatimque corroborata, demum Justiniano imperante in apertum erupit incendium. Quo tempore famosa illa de tribus capitulis commota quæstio est; quæ ingenti, ac propemodum exitiali dissidio catholicam distraxit Ecclesiam. De hac posteriori tempestate dicam postea : nunc de priori pauca ex historia repetam; ut intelligi possit, quibus ex initiis tam ardens in Theodori nomen ac memoriam invidiæ flamma conflata sit.

Damnato in Ephesina synodo cum hæresi sua Nestorio, ac libris ejus imperatorum edicto proscriptis, fautores illius ac discipuli, quorumdam episcoporum scripta, quibus erroris Nestoriani venena erant inspersa, in vulgus edere, ac disseminare cœperunt [15] : præsertim Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuesteni, qui auctores Nestorio dogmatis infandi fuisse perhibentur, uti supra meminimus [16] ; eosque libros, quo latius eorum pernicies propagata serperet, in Syriacam, Armeniacam, et Persicam linguam transferendos curarunt : Theodori imprimis Mopsuesteni, qui omnium pestilentissimus habebatur. Quo cognito, Acacius Melitinensis, et Rabula Edessenus episcopi ad Armenos episcopos scripserunt, hortantes ne Theodori libros admitterent, tanquam hæretici, et Nestorianæ labis auctoris : reclamantibus ex adverso Cilicibus episcopis, et populare m suum contra illorum, ut ferebant, invidiam tutantibus. Ea re permoti Armeniæ episcopi

[1] Lib. 5. Hist. c. 39. — [2] Lib. 4. c. 1. et l. 8. c. 5. Leont. Tom. 4. Bibl. 1009. — [3] Georg. etc. in 1. Tomo Oper. Chrys. edit. Savil. — [4] Lib. 13. c. 2. — [5] Qui sunt in tom. 6. Savil. — [6] Fac. l. 3. c. 3. — [7] Ibid. p. 129. — [8] Theodoret. lib. 5. hist. c. 39.

[9] Ibid. et Nic. l. 14. c. 30. — [10] Fac. l. 2. pag. 57. et l. 7. p. 309. et seq. et l. 8. c. 4. — [11] Greg. ep. 219. 220. 221. 222. — [12] Quæ est Gregor. 220. apud Fac. l. 7. p. 311. — [13] Fac. pag. 309. — [14] Id. l. 3. p. 135. — [15] Lib. 1. in Bre. cap. 10. Dion. Exig. Præf. in epist. Procli. — [16] Cap. 10. § 6.

communi consensu legatos ad Proclum Constantinopolitanum episcopum decernunt duos Leontium, et Aberium presbyteros, «secundum morem, cum libellis suis, et uno volumine Theodori Mopsuesteni, scire volentes, utrum doctrina Theodori, an Rabulæ, et Acacii vera esse probaretur, » ait Liberatus. Proclus re diligenter examinata, epistolam, sive tomum, ut appellant, scripsit ad Armenos, in quo, suppresso Theodori nomine, impium, quod ei adscribebatur, dogma contraria professione damnavit. Quod enim Theodorus, ut ait Dionysius exiguus, in præfatione ad epistolam Procli latino a se sermone redditam, « Christum Dominum unum ex Trinitate nullatenus fateretur, » ex quo sequebatur, quatuor in tribus personas adstrui, duosque Dei filios : quoniam Christum Dominum constat esse Deum, ac Dei filium : idcirco Proclus accurata oratione disputavit, Christum esse verum Deum, et unum de Trinitate, nec in ea quartam extitisse personam.

III. Hunc tomum per Theodorum diaconum ad Joannem misit Antiochenum episcopum, subjectis aliquot capitulis, quæ ab hæreticis vulgata ferebantur ; petens ab eo, ut omnibus attente perlectis, quid sentiret expromeret, et epistolæ subscriberet. Fecit quod rogatus fuerat Joannes, et Procli tomum ad Armenos cum suis approbavit. Gesta hæc sunt anno Christi 435.

Post hæc Basilius quidam diaconus Alexandriam profectus, tomum illum, cum Armenorum libellis obtulit Cyrillo, et adversus Theodorum ejus excitavit animum, adeo ut tres contra Diodorum, et Theodorum libros conscriberet, et quartum de Incarnatione : de quibus postea dicam. Exinde Basilius Constantinopolim ad Proclum veniens, libellum scripsit, quo Theodori Mopsuesteni, perinde ut Arii, et Eunomii, notanda et vitanda esse scripta contendit. Quod ipsum vehementius quidam ex Armenia Constantinopolim venientes monachi efficere conati sunt. Idemque per orientis civitates, et monasteria circumcursantes, velut classicum contra Theodorum cecinerunt. Quibus commotus Joannes Antiochenus tres pro Theodoro scripsit epistolas, unam ad Theodosium imperatorem, cujus fragmentum descripsit Facundus Hermianensis[1] : aliam ad Cyrillum[2] : tertiam ad Proclum[3]. Quibus omnibus hoc effecit, ut ne Theodori nomen cum scriptis ejus publica damnatione plecteretur, quam tamen post annos fere centum et viginti, imperante Justiniano, vitare non potuit : uti capite 17. referemus. De Cyrilli vero adversus illum editis libris, agemus in libro quinto, cum de enuntiatione ista disseremus : *Unus ex Trinitate crucifixus, et mortuus est.*

IV. Nunc illud inquirendum est, verumne sit quod de Theodori laudatoribus ab Facundo proditum esse, capitis hujus initio dixi. Non enim satis attentus in illis considerandis fuit, sed errore translatitio lapsus est. Primus in medium producitur Gregorius Nazianzenus, ejusque proferuntur epistolæ duæ : prior inter Gregorii epistolas ducentesima vicesima ponitur : posterior, octogesima octava. Sed neutra ad Theodorum Mopsuestenum pertinet. Sunt apud Gregorium epistolæ decem, ab 81. ad 90. quæ græce *Anonymo* inscribuntur : latine, *Theodoro Tyanensi.* Item aliæ sunt quatuor, a 219. ad 222. quibus Theodori nomen superscribitur. Ac denique 225. græce latineque Theodori Tyanensis inscriptione notatur. Sed earum nulla Mopsuestenum indicat, sed Tyanensem. In quinta Synodo, collatione quinta, in qua Theodori causa disceptatur, sex Gregorii Nazianzeni epistolæ referuntur, quas ad Mopsuestenum scriptas esse defensores hujus asserebant, quæ sunt inter Gregorii epistolas 89. 90. 81. 219. 88. et 225. Verum Euphratas Tyanensis episcopus, qui tum intererat, ad Theodorum Tyanensem esse scriptas, non ad Mopsuestenum, certis argumentis probavit, cujus judicium Synodus secuta est. Quare multum hallucinati sunt Theodori Mopsuesteni, ac trium capitulorum patroni, et qui unus horum fuit, Facundus Hermianensis.

V. Idem in Joanne Chrysostomo error istorum fuit : cujus epistolam ad Theodorum Mopsuestenum Facundus attulit, de exilio scriptam, in qua valde hominem collaudat. Ea est inter Chrysostomi epistolas 112. quæ Θεοδότῳ, non Θεοδώρῳ in editione Savillii inscribitur. In hac epistola Ciliciæ mentionem Facundus invenit ex corrupto exemplari, unde Mopsuestenum Theodorum somniavit. De quo P. Sirmondus in notis ad Facundum[4].

Rursus Cyrilli epistolam supposititiam Theodori propugnatores jactabant ad Joannem Antiochenum episcopum scriptam, qua Theodorum prædicat, et eos arguit, ac negat audiendos esse, qui collecta quædam illius e libris capitula circumferebant, et horum damnationem

[1] Lib. 2. p. 61. — [2] Id. Fac. lib. 8. c. 4. p. 330.

[3] Liberatus c. 10. et Fac. lib. 2. p. 61. — [4] Ad lib. 7. Fac. p. 310.

extorquere studebant. Recitata est epistola ista in quinta Synodo, collatione quinta [1]. Sed tanquam ab impostore aliquo conficta, statim explosa est. Nihilominus Facundus [2] ad Theodori causam sublevandam, testimonio illius multum utitur : et alias germanam Cyrilli ejusdem epistolam alteram pessime interpretando depravat.

Tantum vero abest, ut Cyrillus Theodori scripta, et decreta probaverit, ut ea sæpe redarguerit, et aliena a fide catholica judicarit, ac Nestorii hæresi consentanea ; cui et auctor errandi fuerit. Tametsi prudenter Cyrillus ita damnari Theodori nefaria dogmata voluit, ut illius jam vita functi nomini parceretur, quod cum toto Oriente celebre esset, ac multos fautores et admiratores haberet, verendum erat, ne damnatione illius offensi, ab Ecclesiæ communione discederent

VI. Scripsit hac de re non unam epistolam Cyrillus ; velut ad Proclum Constantinopolitanum episcopum, quæ in quinta Synodo prolata est [3], græceque inter opera Cyrilli edita. In ea questum apud se per litteras Joannem Antiochenum scribit de nonnullis, qui Constantinopolim ad Imperatorem profecti petierant, ut Theodori libri damnarentur : quod si fieret, ingens ex eo damnum erupturum dicere, propter incredibilem auctoritatem viri in Ecclesia singulari cum laude versati, et in ejus communione defuncti. Neque vero negare se ait Cyrillus, « (1) quin aliqua in Theodori libris inveniantur nefarie dicta, et nimiæ plena blasphemiæ, de quo nulli dubium sit recte sapientium. » Addidit insuper, in Ephesina synodo propositam fuisse fidei expositionem sub illius nomine, quæ ibidem damnata sit, nulla auctoris facta mentione, cum Nestorii impiam redoleret hæresim. Hæc illa videtur esse fidei expositio, quam Charisius presbyter Philadelphiæ Patribus obtulit [4], a Nestorii emissariis acceptam, quæ illius hæresim spirat. Cyrillus porro Theodori damnatione supersedendum existimat, pacis, et dissidii vitandi gratia.

At Joannes Antiochenus, congregata synodo, de qua post agemus, litteras ad Cyrillum misit [5], quibus significat, nonnullos instare, ut Theodorus damnetur, ob prava quædam, et hæretica capita, quæ in excerptis notata circumferebant. Quod ne fieri permittat, multis rationibus suadere conatur. Nam et illustrem fuisse virum, ac gloriosis pro Ecclesia functum laboribus, et in communione catholica diem obiisse. Tum quæ perperam ab illo scripta proferuntur, partim culpa carere, partim ambigua esse, et bonam in partem accipi posse : ac postremo similia pleraque istorum ab antiquis usurpata esse Patribus, Athanasio, Basilio, Gregoriis ambobus, Amphilochio, Theophilo, Proclo, et aliis.

VII. Huic rescribens Cyrillus, « (2) Diodori, *inquit*, et Theodori pravas, et illaudatas opiniones, vel aliorum quorumdam, quos non laudari satius erat, ne quid acerbum dixerim, eo quod plenis quodammodo velis contra Christi gloriam feruntur, nemo, obsecro, sanctis et orthodoxis Patribus adscribat, Athanasio, inquam, Basilio, Gregorio, et Theophilo, ac ceteris. » Porro admonet, ut si qui Nestorianæ hæresis accusentur, eorum causa non apud laicos judices, sed in ecclesia, et ab episcopo disceptetur. Quin etiam in aliis ad diversos epistolis vehementer conqueritur, Joannem Antiochenum, et orientales omnes Theodoro nimis addictos esse, qui parem cum Nestorio, imo longe deteriorem morbum impietatis habeat : atque hoc pacto Nestorianam hæresim, quam odisse simulant, alio instaurare modo. Sic ad Acacium Melitenensem episcopum scripsit Cyrillus [6], et in epistola ad Clericos [7], et Lamponem presbyterum narrat se, cum esset Hierosolymis, epistolam ab Antiochenis orthodoxis accepisse, in qua de orientalibus episcopis expostulabant, quod Theodori libros de Incarnatione præ se ferrent, in quibus pejora multo, quam Nestorius docuerat, flagitia continebantur. Addit etiam, illorum rogatu se Nicænam fidei professionem diligenter exposuisse : librum illum, opinor, significans de

(1) CYRIL. in ep. ad Proc. tom. 5. par. 2. p. 200. Ὅτι μὲν γὰρ ἐν τοῖς συντάγμασιν αὐτοῦ εὑρίσκομέν τινα ἐκτόπως εἰρημένα, καὶ ἀκράτου γέμοντα δυσφημίας, οὐδενὶ τῶν τὰ ὀρθὰ φρονεῖν εἰωθότων ἀμφίβολον.

(2) CYRIL. epist. ad Joan. quæ est tom. 5. par 2. pag. 104. et in Eph. conc. coll. 5. pag. 246. Διαβεβλημένας δὲ δόξας Διοδώρου τέ φημι, καὶ Θεοδώρου, ἢ καὶ ἑτέρων τινῶν, οὓς ἦν ἄμεινον οὐκ ἐπαινεῖν, ἵνα μή τι λέγοιμι φορτικὸν, καὶ τῷ ὅλοις ὥσπερ ἱστίοις κατεχθῆναι τῆς δόξης Χριστοῦ, μηδεὶς ἐπιφημιζέτω, παρακαλοῦμεν, τοῖς ἁγίοις, καὶ ὀρθοδόξοις ἡμῶν πατράσιν, Ἀθανασίῳ τέ φημι, καὶ βασιλείῳ, Γρηγορίῳ τε, καὶ Θεοφίλῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς.

[1] Tom. 4. Concil. p. 246. — [2] Lib. 4. p. 135. et lib. 8. c. 6. et alibi sæpe. — [3] Collat. 5. tom. 4. Concil. p. 247. — [4] In Conc. Ephes. Part. 2. Act. 6. p. 360.

[5] Extant inter Cyrilli epist. p. 192. — [6] Cyr. epist. p. 197. — [7] Ibid. p. 198.

Nicæno symbolo, qui inter ejus epistolas extat [1]. Ad hæc [2] scripsit idem ad imperatorem Theodosium de orientalibus querens, qui Diodori, et Theodori, quos hæresis auctores suæ Nestorius habuerat, libros approbarent, eosdemque recte de fide sensisse dicerent, atque Athanasio, Basilio, et reliquis Patribus consentaneos fuisse: cum tamen « immaniter blasphemaverint contra Christum omnium salvatorem, nescientes ipsius mysterium. »

VIII. Præterea Cyrillus contra Theodorum libros edidit, qui in Synodo quinta pro germanis illius agniti sunt [3], et quædam ex eis publice recitata, ex libro primo, et secundo, cum hac inscriptione : *Ex primo, deinde ex secundo libro Cyrilli episcopi Alexandriæ, de eo quod unus est Christus, contra Theodorum.* Extat Cyrilli de eo argumento liber; in quo nulla, quod meminerim, Theodori mentio. Itaque aliud eadem de re opus contra Theodorum elucubravit, cujus etiam verba ponuntur in quinta Synodo [4], iisque Cyrilliana refutatio subjicitur.

Pro Theodoro adversus Cyrillum librum edidit Theodoretus, ex quo nonnulla in eadem synodo quinta prolata sunt [5], sane intemperanter, et iracunde scripta. Meminit etiam utriusque operum Leontius in libro de Sectis, actione 8. sub finem.

Quod ad Cyrilli libros spectat, Liberatus diaconus in Breviario [6] refert « quatuor ab illo scriptos esse, tres adversus Diodorum, et Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores, et alium de Incarnatione librum; » in quibus inter ceteros, Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi testimonia posita esse demonstrat. Verum Catholicos ait, Acephalis, qui libris illis utebantur, respondisse, non eos esse Cyrilli. Quod sane verum non puto : non solum quia Synodus quinta œcumenica pro germanis illos habuit, sed etiam quia Cyrilli stilus, et dicendi character in fragmentis apparet istis, quæ ex opere illo in actis Ephesinis reliqua sunt latine reddita.

Commodius itaque Catholici Acephalis eadem ex Cyrilli contra Diodorum et Theodorum opere testimonia proferentibus respondent, ab hæreticis addita illa fuisse, ut in collatione illa legitur [7], quæ Constantinopoli inter ambas partes celebrata est, Justiniano Imperatore, anno Christi 1532.

IX. Verum Facundus, quod mirum sit, Cyrillo teste utitur ad sublevandum, et commendandum Theodorum. Ac dubium esse id quidem ostendit [8], an sit Cyrilli opus illud, « in quo aliqua sancti Theodori Tarsensis episcopi, ac Theodori dicta culpantur. » Sed hunc nihilominus a Cyrillo laudatum fuisse contendit verbis istis, quæ ex *secundo libro de eo quod unus est Christus, contra Theodorum* excerpta esse constat ex Synodo quinta [9] : « Scripti sunt a magno Theodoro adversus Arianorum, et Eunomianorum hæreses viginti forte et adhuc amplius libri, et alia præter hæc evangelica, et apostolica scripta interpretatus est. Et hos quidem labores nullus ausus est increpare, sed dextro decreto honorare studium rectorum dogmatum, quod in eis est. » Hæc Cyrilli verba sæpius ille Catholicis ingerit [10], contra Theodorum Cyrilli auctoritate nitentibus.

At longe aliter Cyrilli locum illum referunt acta quintæ Synodi [11] : « Scriptum est igitur, *inquit*, a bono Theodoro adversus hæresim Arianorum, et Eunomianorum viginti pene numero, vel ampliores libri, necnon etiam alii, interpretantes evangelicos, et apostolicos libros : quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem decreto studium honorare, si inesset eis dogmatum rectitudo. » Quibus verbis oneratur magis hæresis infamia Theodorus, quam ab ea purgatur.

X. Nobis constat Theodorum, necnon ejus magistrum Diodorum, ab Cyrillo traductos fuisse, tanquam alienum a catholica regula de Incarnatione dogma profitentes, et idem prorsus cum Nestorio, qui duces illos, et auctores secutus est, hoc est πατέρας, ut Græci nominant. Vincunt hoc Cyrilli ipsius testimonia extra dubitationem posita, quæ paulo ante citavimus. Multo vero id magis loca illa persuadent, quæ ex ipsius Theodori libris excerpta sunt, recitataque in quinta Synodo. Hæc enim facile demonstrant, Nestorianam purulentiam non aliunde, quam ex illo ulcere manasse. Deum imprimis negat ex Maria esse genitum [12]. « Nam est quidem dementia, *inquit*, Deum ex virgine natum esse dicere. » Itaque merum esse putavit hominem [13], qui simul ac formatus est in utero Virginis, Verbo est unitus, non substantiva *unione*, sed affectu voluntatis, et gratia. Ex qua conjunctione non unus est factus, sed duo [14] : quorum qui homo

[1] Ibid. p. 179. — [2] In 5. Synod. tom. 4. Conc. p. 247. — [3] Coll. 5. pag. 242. et 244. — [4] Ibid. pag. 231. et seq. — [5] Ibid p. 241. — [6] Cap. 10. — [7] Tom. 3. Conc. p. 855.

[8] Facun. l. 3. c. 3. p. 107. et l. 4. c. 1. et lib. 8. c. 6. — [9] Facun. lib. 3. pag. 107. — [10] Ut lib. 8. c. 6. — [11] Coll. 5. p. 242. — [12] In 5. Synod. Coll. 4. p. 220. — [13] Ibid. pag. 226. Num. 54. — [14] Ibid. p. 221. et seq.

est, gratia promeritus est adoptionem [1]. Neque vero Deum esse fassus est eum, qui resurrexit [2], aut qui crucifixus est ; sed *Dei Verbi templum* [3]. Personam tamen unam fuisse dicit, sicut vir et mulier una caro vocantur [4]. « Quando enim naturas discernimus, perfectam naturam Dei verbi dicimus, *inquit*, et perfectam personam, (nec enim sine persona est, subsistentiam dicere perfectam,) perfectam autem et hominis naturam et personam similiter. Quando autem ad conjunctionem respicimus, unam personam tunc dicimus. »

Idem Θεοτόκον, id est *Dei genitricem*, Mariam nonnisi σχετικῶς, id est *relatione*, dici arbitratus est [5], hominis vero genitricem, *natura rei*. « Hominis enim genitrix, *ait*, natura, quia homo erat et in ventre Mariæ, qui et processit inde ; Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato, etc. Sed quod in eo erat voluntatis affectu. »

Rursus in eadem collatione [6], impura hæc illius verba recitata sunt : « Idem hoc dicemus juste et de Domino, quod Deus Verbum sciens ejus virtutem, et secundum præscientiam, statim in ipso initio complasmationis inhabitare bene voluit, et uniens eum sibi affectu voluntatis, majorem quamdam præstabat ei gratiam. »

XI. Recte itaque Rabula Edessenus episcopus in epistola ad Cyrillum, Theodori hæreticas opiniones recenset, easdem plane, quas in Nestorio synodus Ephesina damnaverat [7]. « Primum exposuit, *inquit*, non esse vere Dei genitricem sanctam Virginem ; tanquam Deo Verbo non suscipiente secundum nos nativitatem. » Quod Nestorius palam, ac publice præ se tulit. Deinde quod ad Incarnationem attinet, arbitratus est Theodorus, « non secundum substantiam unitum esse Deo Verbo hominem : sed bona voluntate quadam, tanquam divina natura non suscipiente alterum modum unitatis, propter non circumscriptibile. » Item, « Iste, *inquit*, et Dominum nostrum Jesum Christum dixit non oportere adorare sicut Dominum ; sed relatione Dei honorari sicut imaginem quamdam, etc. Iste et carnem Domini pronuntiavit nihil omnino prodesse, dissipans Domini vocem (1), quæ est [8], *caro nihil prodest.* »

Cyrillus in epistola ad Acacium Melitenes episcopum scripsit, Theodorum, quem perbrevi elogio ex suis ornat virtutibus, « (2) habuisse » dicens « illum linguam blasphemam, et huic ministrantem calamum. » Hunc ergo queritur tanti ab orientalibus æstimari, « ut acclamationes a populo tales de eo factæ sint in ecclesiis : Augeatur fides Theodori : Ita, nos credimus quemadmodum Theodorus : cum tamen eumdem ausum alias in ecclesia exiguum quiddam perperam loqui, lapidibus appetierint. » « Verum sicut pastori libet, ita sentit grex, » addit Cyrillus, Joannem tacite vellicans.

XII. Hanc puto concionem, et eum Theodori sermonem indicari, de quo supra ex Joannis ad Nestorium epistola meminimus [9] : ubi et Theodorus illa ipsa, quæ imprudenter dixerat, publice damnasse, ac recantasse dicitur. Quo insuper allusisse credo Armenorum, ac Persarum legatos in libello, quem Proclo obtulerunt : de quo postea, qui et sermonis particulam, et offensionem inde consecutam referunt.

Plura sunt alia nefariæ opinionis capita, quæ ex Theodori scriptis in quinta Synodo memorantur, ob quæ damnari in eadem meruit ; ut subinde dicemus. Extat in eadem synodo quinta [10], imperatorum Theodosii, et Valentiniani sanctio, qua Diodori, Theodori, et Nestorii impia dogmata damnantur ; ac decernitur, ut « Nestorii, et Theodori proposito consentientes, Simoniani deinceps nominentur : » tum ut eorum libri conquirantur, et publice incendio tradantur, pœna in eos gladii ac bonorum proscriptionis constituta, qui edicto non paruerint. Quæ lex græce, latineque posita est in Ephesinæ synodi parte tertia [11]. Sed ibi solius Nestorii nomen legitur. Ac videntur in eam constitutionem inserta duorum aliorum nomina post quintam Synodum, in qua Theodorus damnatus est. Quanquam de Diodoro nihil synodus ista decrevit. Ideo non Justiniani auctoritate Diodorus illic adjunctus est, sed privata manu. Quod idem etiam de altera sanctione judicandum est, quæ priori

(1) *Dissipans* dixit, pro eo quod est, διαφημίζων, vulgo *usurpans*.

(2) Cyr. epist. ad Acac. pag. 197. tom. 5. par. 2. Θεόδωρος δύσφημον μὲν ἔσχε καὶ γλῶσσαν, καὶ κάλαμον ὑπηρετοῦντα ταύτῃ, etc. διέθηκαν δὲ οὕτω τοὺς ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ὥστε καὶ ἐκβοήσεις γενέσθαι ἐν ἐκκλησίαις παρὰ τῶν δήμων· αὐξείτω ἡ πίστις Θεοδώρου· οὕτω πιστεύομεν ὡς Θεόδωρος· λίθοις αὐτὸν βαλόντες ποτὲ ἐν τῇ παρ' αὐτοῖς ἐκκλησίᾳ, τολμήσαντά τι παραφθέγξασθαι βραχύ· ἀλλ' ὡς ὁ διδάσκαλος βούλεται, οὕτω φρονεῖ τὸ ποίμνιον.

[1] Ibid. pag. 222. Num. 13. — [2] Ibid. Num. 15. — [3] Ibid. p. 225. Num. 28. — [4] Ibid. Num. 29. — [5] Ibid. p. 226. Num. 43. — [6] Pag. 226. Num. 54. — [7] Ibid. p. 237. — [8] Joan. 6. — Cap. 7. § 3. — [10] Coll. 5. p. 240. — [11] Pag. 655.

illi subjungitur in quinta Synodo, quæ Diodori, Theodori, et Theodoreti scripta tradi, incendique præcipit; sed de tribus istis nullum ante quintam Synodum decretum factum est contra Diodorum, ac ne hæc quidem aliquid statuit. Theodoreti vero sola illa scripta damnata sunt, quibus Cyrillum oppugnarat. De quibus postea plura dicturi sumus. De Theodoro vero multa memoriæ prodidit Leontius Byzantinus libro tertio contra Nestorium et Eutychen.

CAPUT DUODECIMUM.

De Pelagianis; ac de Leporio monacho ex eadem secta; quatenus Nestorianæ similem hæresim paulo ante professi sunt: deque Leporii emendatione.

1. Hæresim Nestorianam quædam in Galliis similis antecessit, et utrique Pelagiana prælusit, ab iisque vicissim incrementum, ac robur accepit. Testis ejus rei est imprimis Cassianus; qui in primo de incarnatione Christi contra Nestorium, capite secundo, refert, antequam Nestoriana lues erumperet, « emersisse hæresim venenosam ex maxima Belgarum urbe, certi erroris, incerti nominis, quæ ex antiqua Ebionitarum stirpe surgens, solitarium hominem Dominum nostrum Jesum Christum natum esse blasphemans, hoc quod ad Dei postea honorem, potestatemque pervenerit, humani meriti, non divinæ asseruit fuisse naturæ : ac per hoc eum divinitatem ipsam non ex proprietate unitæ sibi divinitatis semper habuisse, sed postea pro præmio laboris, passionibusque meruisse; cum utique Dominum, salvatoremque nostrum, non Deum natum, sed a Deo blasphemaret assumptum. » Hanc hæresim ex Pelagiano errore descendisse mox ait [1], idque declarat sic : « Quod dicentes quidam solitarium hominem Jesum Christum sine ulla peccati contagione vixisse, eo progressi sunt, ut asseverent, homines, si velint, sine peccato esse posse. Consequens enim existimabant, ut si homo solitarius Jesus Christus sine peccato fuisset, omnes quoque homines sine Dei adjutorio esse possint quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. Ac si nullam facerent inter omnem hominem, ac Dominum nostrum Jesum Christum esse distantiam : cum idem utique homo nisu, atque industria sua mereri possit, quod Christus studio, ac labore meruisset. » Addit, eosdem sensisse, « Christum hunc in mundum non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla venisse. » Tum, « Addiderunt, *inquit*, Dominum, salvatoremque nostrum post baptisma factum esse Christum; post resurrectionem, Deum; alterum assignantes unctionis mysterio, alterum merito passionis. »

II. Idem etiam in quinto libro confirmat, Nestorianam hæresim cum Pelagiana conspirare [2] : « ut, exclusa ab Christo penitus sacræ originis dignitate, sola ei tantummodo meritorum relinqueretur electio. Id adnitentes utique, ac laborantes, ut, eo quasi in plebem omnium misso, et velut in turbam humani generis aggregato, id per bonorum actuum conversationem mereri omnes homines posse dicerent, quidquid bene vivendo ille meruisset. » Hinc illud esse docet [3], « quod intercessionibus suis Pelagianistarum querelas foverent, et scriptis suis causas illorum asserent. »

Sane Pelagianos, ac Cælestianos Nestorius ejusque fautores ope sua, præsidioque texerunt, quantum in ipsis fuit : et post damnatam proscriptamque Pelagianam hæresim, complures harum partium episcopos, pulsos sedibus suis, et in orientem profugos humaniter exceperunt, proque iis laborarunt. Nestorius ipse duas, quæ extant, ad Cælestinum papam epistolas scripsit [4], in gratiam Juliani, Flori, Orontii, Fabii, occidentalium episcoporum, qui ob illam ipsam hæresim exauctorati

[1] Cap. 3. — [2] Cas. 5. de Inc. c. 1. vide et 2. [3] Id. lib. 1. cap. 3. — [4] In Eph. Conc. Par. 1. c. 16. et 17.

fuerant, scire volens qua de causa ejecti essent. Cui Cælestinus respondens, ita scribit[1]: « Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum, quæ gesta sunt, nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes, expulit justa damnatio. Quos illic invenisse requiem, non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se æstiment innocentes. »

Ac vicissim Pelagiani Nestorio, et ejus defensoribus fidelem operam navarunt adversus Catholicos, et Ephesinam synodum; et Joanni Antiocheno cum orientalibus suis illam oppugnanti, ac damnanti præsto adfuerunt in Ephesino conciliabulo, ut supra memini[2]. Ex quo una cum Nestoriana hæresi, damnari etiam Pelagiana meruit in eadem synodo, ac duobus ab ea notata canonibus est, primo, et quarto, ut ibidem observavimus. Et in epistola synodali ad Cælestinum[3], quæ rerum gestarum seriem continet, narrant Patres se commentariis actorum in causa Pelagianorum, et Cælestianorum, ac nonnullorum depositione, perlectis, ea rata probataque habuisse.

III. Meminit in carmine de Ingratis Prosper Pelagianorum male habitorum apud Ephesum : et in illos catholici commoti populi :

> Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
> Clara Ephesos; non passa suis consistere tectis
> Vasa iræ, et morbi flatus, et semina mortis.

Quam autem consentiens, affinisque sit Nestorianæ Pelagiana perfidia, docet idem in epitaphio utriusque :

> Nestoriana lues successi Pelagianæ,
> Quæ tamen est utero progenerata meo.
> Infelix miseræ genitrix, et filia natæ,
> Prodivi ex ipso germine quod peperi.
> Nam fundare arcem meritis prior orsa superbis,
> De capite ad corpus ducere opus volui, etc.

Mox :

> Nam Christum pietate operum, et mercede volentes
> Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus.
> Sperantesque animi de libertate coronam,
> Perdidimus, quam dat gratia, justitiam.

IV. Nec leve documentum illud fuit propinquitatis hæresum ambarum, quod, paulo antequam Nestorius extitisset, Leporius quidam monachus, ex Pelagiana secta, prorsus in eosdem, quos subinde Nestorius vulgavit, errores incurrit; de quo ita Cassianus[4] : « Leporius tunc monachus, modo presbyter, qui ex Pelagii, ut supra diximus, institutione, vel potius pravitate descendens, apud Gallias adsertor prædictæ hæreseos aut inter primos, aut inter maximos fuit, a nobis admonitus, a Deo emendatus, ita male conceptam persuasionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides : quia primum est errorem penitus non incurrere : secundum, bene repudiare. Is ergo in se reversus, non solum in Africa, ubi tunc erat, atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est : sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates flebiles confessionis, ac planctus sui litteras dedit; scilicet, ut ubi deviatio ejus prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur ; et qui testes erroris antea fuerant, iidem postea correctionis essent. » Harum litterarum partem describit in sequenti capite. Integras autem edidit P. Jacobus Sirmondus inter opuscula dogmatica, qui *libellus emendationis* inscribitur eique subscripserunt episcopi tres Africani, inter quos Aurelius Carthaginensis, et Augustinus Hipponereiensis : ac communem et ipsi ad Gallicanos episcopos duos epistolam miserunt, Proculum, et Cylinnium, in qua de Leporii emendatione significarunt. Hujus Leporii meminere Facundus[5], et Gennadius[6].

V. Pristini porro, quem ejuravit, erroris capita, ut ex illius libello colligitur, hæc fere sunt. « Deum natum de Maria » negabat, adeo ut « non ipsum Deum hominem natum, sed perfectum cum Deo natum hominem diceret. » Item « duos filios, non unicum » asserebat. Rursus hominem in Christo « quasi per gradus, et tempora profecisse in Deum, et alterius status ante resurrectionem, alterius post resurrectionem eum fuisse. » Negabat « Deum natum, passum, mortuum. » Christum exæquabat sanctis, ac, perinde ut istos, « labore, devotione, merito apprehendisse » putabat « finem meritorum, » id est beatitudinem. Ad hæc, « Christum Dominum nostrum sic omnia quæ erant passionum implesse, ut in nullo, quasi perfectus homo, a divinitatis auxilio juvaretur; volens scilicet ita in Christo hominem adsignare perfectum, quo et alienum ab his passionibus verbum Patris assererem : et solum per se hominem egisse hæc

[1] Ibid. c. 18. p. 187. — [2] Cap. 8. § 4. — [3] Eph. Conc. Act. 5. p. 354.

[4] Lib. 1. de Inc. c. 4. — [5] Lib. 1. c. 4. — [6] Lib. de Scr. c. 89.

omnia possibilitate naturæ mortalis, sine aliquo deitatis adjutorio. »

Idem Christum « secundum hominem ignorasse » docuit. Hæc fere capita sunt errorum, quæ in libello suo retractavit; plane Nestorianæ hæresi gemina, ac germana.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De Eutyche auctore nefandæ hæresis, deque ejus prima damnatione in concilio Constantinopolitano, sub Flaviano episcopo. De latrocinali synodo Ephesina, cui Dioscorus Alexandrinus præsedit : in qua Flavianus depositus est, et male multatus triduo post obiit. De Martiano Theodosii successore, deque damnato, et relegato Eutyche. Tum de Chalcedonensi concilio, ac rerum ibi gestarum summa.

I. Præclare Novatianus scriptor pervetus [1] catholicam Trinitatis professionem oppugnantes utrinque duas hæreses, quarum alteri Sabellius, alteri postea patrocinatus est Arius, inter se ita comparavit in libro de Trinitate : « Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est, et ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere sacrilega convicia. » Sic aliarum duarum hæresum medium est, et injuriis expositum utriusque catholicum de Incarnatione decretum; hinc Nestorii, inde Eutychis; qui ambo, contrariis invicem sectis institutis, evertendæ religionis negotium pari sibi studio, ac proposito sumpserunt. De horum altero satis hucusque dictum est. De Eutyche nunc agendum : ac primum illius expromenda est historia : necnon opinionis summa : quæque ob hanc teterrimam hæresim concilia celebrata sunt.

Fuisse dicitur Eutyches Constantinopoli presbyter, et abbas, incertum cujus monasterii [2]. « Archimandritam celeberrimo monasterio præsidentem » Liberatus nominat. Hic acerrimus fidei catholicæ defensor, pro ea contra Nestorium strenue dimicavit, atque hujus adhuc diaconi opera difficillimo tempore Ephesina est usa synodus [3], eique communi ad imperatores scriptam nomine perferendam epistolam dedit : cum Nestorii fautores, obsessis itineribus omnibus, sedulo caverent, ne quid ab catholica parte litterarum ad Comitatum manare posset, quo certiorem de rebus Ephesi gestis, deque Nestorianorum fraudibus, et injuriis principem facerent. Meminit etiam Constantinopolitana synodus Flaviano præside celebrata, studii et laboris adversus Nestorium ab illo suscepti [4].

II. Hic odio, ut est credibile, Nestorianæ hæresis, ac perperam intellectis quibusdam Cyrilli vocibus, de quibus dicam postea, deceptus, in stolidum, et cum illo ex adverso pugnantem errorem incidit. Quippe

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Ac principio, ut auctor est Liberatus, asseruit, « Dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem ; sed de cœlo corpus habuisse. Rursusque varians, dicebat ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vero unam factam esse. » Hæc cum domi inter familiares crebris sermonibus agitaret, Eusebius episcopus Dorylæi civitatis provinciæ Phrygiæ Salutariæ (ait Liberatus [5]) qui illi erat amicissimus, sæpe ipsum monuit, ne talia loqueretur, quemadmodum antea, « cum Agens esset in rebus, Nestorium reprehenderat in ecclesia res sacrilegas prædicantem, » ait breviculum historiæ Eutychianistarum. Sed eo in amentia perseverante, rem ad Flavianum deferendam putavit. Præerat hic Constantinopolitanæ sedi, Proclo suffectus, qui anno Christi 447. decesserat.

Anno itaque sequente [6], Flavio Zenone, et Postumiano Coss. 6. id. Nov. cum esset Constantinopoli collecta synodus episcoporum quadraginta, ut ait Theophanes, ad disceptan-

[1] Cap. 30. lib. de Trin. — [2] Calch. Act. 1. Brevic. Eutych. hær. Libera. c. 11. — [3] In Eph. Conc. Par. 2. Act. 3. p. 333. — [4] Const. Conc. Act. 4. in Chalc. Syn. Act. 1. p. 111.

[5] Chalc. Syn. Act. 1. p. 81. Liber. c. 11. — [6] Act. 1. Syn. Constant. sub Flaviano, quæ est in Act. 1. Chal. Syn. p. 80. et seq. Liber. ibid. Theophanes, Brevic. Auct.

dam controversiam inter Florentium Sardium episcopum, Lydiæ metropolitanum, (1) et episcopos ejusdem provinciæ duos, Joannem, et Cosinium, priori hac lite decisa, novam Eusebius instituit, unus ex iis, qui in Concilio erant : ac libellum obtulit Synodo adversus Eutychem, quo hunc hæresis accusans, citari jubebat ad causam dicendam. Missi sunt primum Joannes presbyter, et Andreas diaconus, qui illum vocarent. Considentibus deinde in actione secunda Patribus, prid. id. Nov. lectæ ac probatæ sunt epistolæ Cyrilli duæ, una ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum, quibus maxime Eutychiana adversabatur hæresis [1]. Post hæc [2], actione tertia, Nov. 15. feria 2. qui in actione prima missi erant ad Eutychem, interrogati ab Synodo, renuntiarunt, illum respondisse, non se posse ab monasterio egredi : ac tam ipsi, quam Joannes Basilii Seleuciensis diaconus testati sunt, Eutychem audientibus se dixisse, unam tantum post Incarnationem in Christo esse naturam, neque carnem ejus consubstantialem esse nostræ.

III. Rursus [3] eodem die alii missi sunt ad Eutychem, qui hunc secundo citarent : sed nihil profecerunt. Imo per monasteria libellos, sive tomos, quibus dogmata sua continebantur, misit ad archimandritas, ut iis subscriberent. Demum tertio vocatus ad Synodum, valetudinem excusavit, ac tempus sibi prorogari petiit ad septimum usque diem. Quo impetrato [4], actione septima, Novembris 22. feria secunda, cum ingenti stipatu, et militari manu ab Florentio Patricio, et Magno Silentiario deductus, stitit sese Concilio, Chrysaphii eunuchi favore ac potentia fretus, quem e baptismo susceperat; quique hanc illi pompam circumdederat. Ibi ab episcopis et ab Florentio ipso interrogatus, hæresim suam coram est professus ; nec adduci potuit, ut eam ejuraret. Itaque de Concilii sententia damnatus, ac sacerdotali dignitate, et omni præfectura monasterii spoliatus est. Hic finis Constantinopolitani illius concilii fuit, in quo Eutyches damnatus est. Flavianus certiorem de omnibus subinde Leonem Romanum pontificem fecit, et ad eum acta synodalia transmisit : cum interim Eutyches et ad Leonem scribens de injuria sibi facta questus esset, et libellos publice Constantinopoli affigi curasset, quibus injuste se damnatum esse contestabatur. Leo, serius acceptis Flaviani litteris et Concilii gestis, cum diu suspensus hæsisset, tandem re comperta, Eutychis damnationem ratam habuit, et inter alias celeberrimam illam epistolam scripsit ad Flavianum [5], qua incarnationis Dominicæ dogma catholicum uberrime, eruditissimeque declaravit, Asterio, et Protogene Coss. id. Junii anno Christi 449.

IV. Dum hæc aguntur, Chrysaphius nihil non in Eutychis gratiam, et ad Flavianum opprimendum moliebatur apud Theodosium, bonum, ac pietati deditum ceteroqui principem, sed propter simplicitatem, aulicorum insidiis opportunum. Erat Chrysaphius ob eam, quam supra memoravi, causam, tum quod ejus hæresim amplecteretur, propensus in Eutychem ; Flavianum vero pessime oderat, ac de throno illum ejicere, et in ejus locum Eutychem substituere cupiebat, ut scribit Theophanes [6]. Itaque fictis criminationibus, et calumniis apud Imperatorem in suspicionem illum vocare non destitit. Primum [7] Eutyche conquerente de actorum falsitate, tanquam ab notariis multa falso perscripta essent, effecit, ut ejus ratio haberetur, ac Theodosio jubente, iterum coram Thalassio Cæsareæ in Cappadocia episcopo, et Florentio patricio, episcopi convenirent, Eutyche per procuratores causam suam agente.

Asterio itaque, et Protogene Coss. sexto id. Apr. congregatis omnibus, commentarii Actorum legi cœpti sunt [8]; nec in iis falsi aliquid est repertum. Postea eodem instigante spadone, fidei professionem ab Flaviano imperator exegit : quæ græce, latineque extat in concilio Chalcedonensi [9].

V. Nec iis contentus, generalem synodum congregari jussit Ephesi, cui præesse voluit Dioscorum Alexandriæ episcopum, ad quem, ut et alios patriarchas et metropolitanos, litteras misit tertio cal. April. ac Theodoretum adesse vetuit, nisi secus Synodo videretur [10]. Barsumam quoque Syrum archimandritam immanem sicarium nominatim invitavit, et ad eum scripsit [11]. Tum ut pacate, ac sine tumultu omnia peragerentur, Elpedium Comitem sacri consistorii, et Eulogium tribunum, et notarium prætorianum, cum militari manu eodem desti-

(1) In act. Chalced. pag. 81. leg. Καὶ τῶν ὑπ' αὐτῷ τελούντων ἐπισκόπων. Liberatus legit, κατὰ τῶν, *adversus episcopos*, etc.

[1] In Chal. Syn. p. 83. — [2] Ibidem p. 103. — [3] Ibidem pag. 105. et seq. — [4] Ibid. p. 118. Liber. Breviculi auctor. — [5] Extat Græce Latineque Act. 2. Conc. Chalc. p. 214. et est 10. inter Leonis epistolas. — [6] Theophanes. — [7] Chalc. Act. 1. p. 127. Liberat. — [8] Ibidem p. 129. — [9] Par. 1. Concil. Chal. p. 4. et Latine apud Liber. — [10] Ibidem p. 53. — [11] Ibid. p. 55. et seq.

navit [1]. Episcopos vero, qui in Constantinopolitana synodo Eutychem damnaverant, adesse quidem jussit, sed non inter judices censeri : quippe quorum in judicium inquireretur.

Idem et ad Leonem Romanum pontificem scripsit Imperator [2], rogans ut ad synodum calendis Augusti celebrandam Ephesum veniret. Leo tertio id. Maias litteris acceptis, idibus Juniis Theodosio rescripsit [3], necnon Pulcheriæ illius sorori [4], et utrique significavit, se vice sua legatos ad Concilium destinasse, Julianum, vel Julium, Puteolanum, ut Breviculi auctor scribit, episcopum, Renatum presbyterum, et Hilarum diaconum. Quod autem nominatim ipse ab Imperatore invitatus esset, negavit id moris esse, ut Romanus per sese Pontifex istiusmodi synodis interesset [5] : tum etsi alias ita factum foret, sibi integrum non esse, quod nec ab Urbe digredi per rerum præsentium statum sibi liceret, et nimis angustum spatium habendo concilio præstitutum esset a tertio die iduum Maiarum, quo Imperatoris litteras accepisset, ad diem calendarum Augustarum. Scribit auctor Breviculi, ex tribus legatis Leonis, « presbyterum Renatum in insula Delo morte præventum esse. »

VI. Igitur [6] Ephesina synodus, Eutychis et Dioscori studio per Chrysaphium spatarium Theodosii (ait Breviculum) impetrata, cœpta est post consulatum Zenonis, et Posthumiani, hoc est Asterio, et Protogene Coss. anno Christi 449. sexto id. Aug. indictione tertia, (ut est in actis Chalcedonensis concilii, quibus insertum est conciliabulum Ephesinum,) vel potius indictione secunda, considentibus Dioscoro Alexandrino, et Juliano episcopo Romani Pontificis vices agente : Juvenale Hierosolymitano, et Domno Antiocheno : Flaviano item Constantinopolitano, qui tamen non tanquam judex, sed ut reus, nec suo loco, affuit, aiunt Acta [7]. Convenerunt que, ut refert Breviculum, episcopi fere 360. Ibi Imperatoris lectis litteris, cum legati Romani Pontificis instarent, ut Leonis epistola synodica coram recitaretur, hoc Dioscorus elusit [8]. Post introductus est Eutyches [9], qui fidei suæ libellum obtulit ; Eusebius vero illius accusator non est admissus.

Exinde [10] Constantinopolitanæ synodi, in qua damnatus erat Eutyches, acta relecta sunt, jubente Dioscoro. Qui mox decretum Ephesinæ primæ contra Nestorium synodi legi voluit [11], quo prohibitum erat, ne quis præter ea, quæ ibi constituta erant, de fide amplius quæreret, aut retractaret : alioqui, si episcopus aut clericus esset, deponeretur : si laicus, communione privaretur. Videtur hoc ejusmodi esse decretum, quod actione sexta Ephesini concilii Patres ediderunt [12], post lectum fidei symbolum a Nestorianis corruptum, quod synodo Charisius presbyter obtulerat ; de quo videnda sunt quæ alibi disputamus [13].

VII. Post hæc [14] Dioscorus contra Flavianum, et Eusebium, tanquam decreti illius Ephesini violatores, quod novi aliquid de fide constituissent, depositionis sententiam tulit ; nequicquam deprecantibus, et ad genua illius accidentibus episcopis, ut eum ad misericordiam flecterent. Quod tantum abest ut impetrarint, ut etiam invitos omnes amborum damnationi subscribere coegerit [15], intentatis militum gladiis, et fustibus, quos cum ducibus, et comitibus in synodum introduxit. Statim Eutyches de omnium sententia in integrum restituitur.

Flavianus ab hac sententia provocavit [16], Hilaro etiam diacono Romani Pontificis legato contradicente. Damnatum esse Flavianum, tum quod injuste Eutychen exauctorasset, tum etiam « quod dixisset, in duabus naturis cognosci Christum, » ait Liberatus [17] ; sed ea, quam dixi, causa ex actis synodalibus colligitur. Domnus porro Antiochenus, postquam una cum ceteris Flaviani depositioni subscripsit, cum eum subinde facti pœnituisset, ac palam improbasset, et ipse triduo post in ordinem cogitur [18]. Eadem sententia perculsi sunt etiam alii episcopi, velut Iba Edessenus, Theodoretus Cyri episcopi, et alii, quorum Evagrius meminit libro primo, capite 10. Theodoretus quidem de ea re ad Renatum presbyterum epistolam scripsit, quæ est 116. necnon ad archidiaconum Romæ, quæ est 118. et videtur esse Hilarus : apparetque ambos istos esse legatos apostolicæ Sedis, qui cum Julio, vel Juliano Puteolano episcopo ab Leone papa missi fuerant. Quanquam auctor Breviculi Eutychianistarum, « presbyterum Renatum unum de tribus in Delo insula morte præventum » fuisse dicit, et videlicet ad Concilium minime pervenisse ; quod valde mirum est.

[1] Ibidem p. 56. — [2] Ex ep. 13. Leonis quæ in Chal. Syn. p. 13. legitur. — [3] Leo. ep. 12. — [4] Ib. ep. 13. — [5] Ibib. — [6] In Chal. Syn. Act. 1. p. 61. Brev. hist. Eut. a Patre Sirm. edit. cum Appen. Cod. Th. — [7] Ib. p. 62. — [8] Ib. p. 65. — [9] Ib. p. 70. et 71.

[10] Ib. p. 80. et seq. — [11] Ibid. p. 161. et 187. — [12] In Eph. Concil. p. 366. — [13] Lib. 7. de Trinit. c. 16. — [14] Chalc. Syn. Act. 1. p. 189. et 190. — [15] Ibid. p. 161. et seq. — [16] Ibid. p. 190. — [17] Cap. 12. — [18] Liber. c. 2. Brevic. Theophan.

Flavianus, pro eo quod oppressus ab Dioscoro de more Romanum Pontificem appellasset, et appellationis libellum per legatos apostolicæ Sedis, tam ad ipsam, quam ad occidentales episcopos misisset : ut Valentiniani, et Placidiæ litteræ significant, de quibus postea [1] ; « cæsus, et multis injuriis affectus, ait Liberatus, dolore plagarum migravit ad Dominum. » Auctor Breviculi, « Post diem tertium Synodi Dioscorus, *inquit*, repente discessit, solutusque conventus est. Ducitur in exilium Flavianus, et apud Epipam, quæ est civitas Lydiæ, seu superveniente, seu ingesta morte defunctus est. » Evagrius hunc ipsum a Dioscoro propulsum, et calcibus appetitum esse prodit [2]. Sed et acta Chalcedonensis synodi, a Barsuma occisum esse referunt [3], cum monachis suis vociferante, *Occide*. Zonaras scribit [4], Dioscorum calces illisisse illius pectori, et pugnis malas impertisse ; ac triduo post ipsum ex plaga pectoris extinctum fuisse, cum biennio sedisset.

VIII. Hilarus Leonis legatus ægre, ac furtim dilapsus Romam aufugit [5]; a quo certior de re tota factus Leo concilium Romæ habuit, in quo acta omnia conciliabuli istius rescidit, atque ad Theodosium tertio id. Oct. scripsit [6], postulans ut generalis in Italia synodus congregaretur, quæ huic malo mederetur. Idem etiam Valentinianus imperator, Theodosii gener, et Galla Placidia Valentiniani mater, et Eudoxia ejus uxor scriptis ad Theodosium litteris enixe petierunt Leonis hortatu pontificis [7]. Sed Theodosius abnuit. Pene illud præterieram, Dioscorum post Ephesinum illud latrocinium, apud Nicæam excommunicationis sententiam contra Leonis papam tulisse, coactis ad subscribendum decem circiter episcopis, qui ex Ægypto cum eo profecti fuerant. Testatur hoc Theodorus diaconus in libello contra Dioscorum, quem synodo Chalcedonensi obtulit Actione tertia [8]. Tandem vero Theodosius, rei veritate comperta, in eos a quibus circumventus erat animadvertit ; Chrysaphium malorum omnium auctorem relegavit. Eudoxiam conjugem suam acriter objurgavit, adeo ut ea desperatione fracta Hierosolymam abeundi copiam impetraverit ; Pulcheriam deinde sororem, quam Chrysaphii et Eudoxiæ impulsu ab rerum administratione removerat, honorifice revocavit, et in pristinam dignitatem restituit. Ac paulo post anno ætatis 49. imperii 43. moritur, Julii 20. indictione tertia, ut scribit Theophanes [9] ; alii 4. cal. Augusti referunt. Cui Marcianus successit vir præstantissimus, eique Pulcheria nupsit : ac paribus studiis ambo in re catholica constituenda laboraunt.

IX. Marcianus paulo post adeptun imperium, calendis ipsis Augusti, edictum promulgavit [10] adversus clericos, vel monachos, « qui relicto vero orthodoxæ religionis cultu, Apollinaris, vel Eutychetis hæresim, et dogmata abominanda secuti fuissent. »

Deinde [11] Flaviani corpus honorifice Constantinopolim revectum, in basilica Apostolorum, in qua episcopi illius urbis sepeliri solebant, collocari jusit : episcopos, qui ob Flavianum in exilium deportati fuerant, reverti præcepit. Chrysaphius porro « Pulcheriæ nutu, » ut ait Marcellinus, interemptus est. Cum autem Leo paulo ante Theodosii obitum legatos ad ipsum destinasset, Abundium Comensem episcopum, et Asterium similiter episcopum ; Basilium, et Senatorem presbyteros [12]: hi Marciano Theodosii successori Leonis oblatis litteris, honorifice suscepti sunt, et cum Anatolio, qui in locum Flaviani suffectus erat, consilio habito, Eutychem damnarunt [13]. Qui jussu Marciani, et instante Leone, in exilium missus est [14]. Quid autem deinceps eo factum sit, quemve in locum deportatus sit, et ubi finem vivendi fecerit, ac quo exitu, quove anno, altissimo ista silentio apud scriptores oppressa jacent. Quod superest, de illius hæresis damnatione, in Chalcedonensi facta synodo, deque rebus in isto concilio transactis compendio dicemus.

X. Post Theodosii igitur obitum, Marcianus imperator, apprime pius et catholicus princeps, Leonis hortatu pontificis, et Pulcheriæ Augustæ conjugis, generalem synodum decrevit cogere, primum Nicæam [15], quo et Leonem ipsum, si hoc commodo suo facere posset, et episcopos alios invitavit in A. D. cal. Sept. anno Christi 451. qui Coss. notatur Marciano Aug. et Adelphio [16]. Convenere in urbem illam episcopi, ut scribit Liberatus, et Marcellinus, sexcenti triginta; ut autem Patres ipsi in synodica epistola ad Leonem papam scribunt [17], quingenti et viginti. Leo porro vice sua legatos eo destinavit,

[1] Quæ sunt in Par. 1. Syn. Chal. p. 23. et 26. Leo ep. 25. — [2] Lib. 2. cap. 2. — [3] Act. 4. p. 317. — [4] To. 3. in Theod. juniore p. 36. — [5] Leo. ep. 24. 25. et 27. — [6] Ibid. et ep. 32. — [7] Extant hæ litteræ in 1. par. Chalced. Conc. Liber. c. 12. — [8] P. 245. Theoph. Zonar. Niceph. lib. 14. c. 58.

[9] Ibid. — [10] Lib. ult. Cod. Just. de Apostatis. — [11] Epist. Pulch. ad Leon. P. in Conc. Chalc. p. 35. — [12] Leo ep. 35. — [13] Acta S. Abund. apud Baron. — [14] Leo epi. 25. et 70. — [15] Epist. Marc. ad Episcopos in Conc. Chalc. p. 32. Liber. c. 13. — [16] Ibid. p. 34. Conc. Chalc. — [17] Ibid. p. 473.

Paschasinum Lilybetanum in Sicilia, et Lucentium Asculanum episcopos, Bonifacium, et Basilium presbyteros [1]. Qui [2] cum enixe rogassent Imperatorem, uti Concilio præsens interesset, negarentque se aliter eo accessuros; ille Chalcedonem episcopos transtulit, quo propter loci propinquitatem, commodius ad eos excurrere ab urbe regia posset.

Igitur concilium iniri Chalcedone cœpit, 8. id. Octob. indictione 4. Marciano I. et Adelphio Coss. desiitque Novembri mense, et ipsis adeo calendis, ut conjectura fert. Nam dies in Actis mendose concipitur. Totum concilium actionibus 16. explicatum esse, acta eadem referunt. Liberatus *sessiones*, sive *secretaria*, ut vocat, duodecim, actiones vero sedecim recenset; quod in eadem sessione plures interdum actiones transactæ sunt. Nos quid in singulis gestum sit, non necesse habemus persequi. Sed ea solum perstringemus, quæ ad Eutychianam causam attinent.

XI. In sessione prima [3], cui amplissimi magistratus, ac senatores interfuerunt, cum Dioscorus inter episcopos suo loco consideret, Paschasinus, et Lucentius intercesserunt, contestati, se, ut erant ab Leone jussi, e Synodo discessuros, si Dioscorus judicis, et non potius rei locum obtineret. Factum est ita ut petierant, et Dioscorus in medio collocatus est; eique ex adverso Eusebius oppositus Dorylæi episcopus, qui se accusatorem profitebatur. De Theodoreto nonnihil dubitatum est: qui ab Theodosio imperatore urbe se sua continere jussus erat [4], cum ceteri episcopi ad latrocinale conventiculum Ephesinum citarentur: donec aliter Synodo videretur. Tandem tamen [5] admitti in consessum placuit ob eam causam, quod ei ab Leone Romano pontifice episcopatus esset redditus: frementibus Ægyptiis, Illyricianis, et Palæstinis; orientalibus contra, Ponticis, et Asianis, ac Thracibus approbantibus.

Ibi tum synodi utriúsque acta perlecta sunt, Constantinopolitanæ, in qua Eutyches damnatus, et Ephesinæ latrocinalis, in qua restitutus est, et Flavianus depositus.

Actione vero, sive sessione tertia, idibus Octobris habita [6], cui neque senatores, neque Dioscorus affuerunt, accusante constanter Eusebio, et aliis libellos contra Dioscorum offerentibus, in quibus horrenda illius crimina continebantur, cum idem tertio citatus non se stitisset, sed tergiversationibus eluderet, depositus est, missaque ad eum sententia Octobris 13. sabbato [7]. Ac ne qua spes relinqueretur episcopatus recuperandi; quod ille in vulgus sparserat; edictum ab Synodo publice propositum est, quo constaret ita eum dignitate, ac gradu spoliatum esse, ut nunquam in integrum restituendus esset.

XII. In actione 4. coram judicibus, ac senatu 16. cal. Octobr. habita [8], actum est de episcopis, qui cum Dioscoro latrocinio Ephesino præfuerant, Juvenale Hierosolymitano, Basilio Seleuciæ, Thalassio Cæsareæ Cappadociæ, Eusebio Ancyræ, et Eusthatio Beryti episcopis: de quibus Imperator judicium Synodo permisit. Ea vero clementer cum illis agens, omnes in pristinum ordinem, et in Concilium admisit [9].

Exinde [10] quinque dierum induciæ datæ sunt, ut Anatolius, adhibitis, quos vellet, episcopis, de condendo fidei decreto deliberaret. Quod actione quinta, 11. cal. Nov. prolatum [11], minime omnibus arrisit [12]. Cum igitur ab Asclepiade diacono recitatum esset, reclamarunt huic Romanæ Sedis legati, cum orientalibus quibusdam; quod in eo solum istud inerat, *ex duabus naturis esse Christum:* omisso eo, quod necessarium videbatur, et a Leone significatum erat, *in duabus esse naturis immutabiliter, inconfuse et indivise:* ut diserte testatur Leontius [13]. Hinc non levis inter Patres orta dissensio est; quæ priusquam in apertum dissidium erumperet, cum jam abitum, et novam de integro synodum Romæ celebrandam minarentur Leonis legati, nisi ex hujus præscripto formula fidei conciperetur; auctores fuere senatores, ac principes, qui synodum moderabantur, ut episcopi rursum, collatis inter se capitibus, ac Romanis præsentibus legatis, decretum fidei concinnarent. Quod, nequicquam intercedentibus, ac tumultuose vociferantibus aliis, Imperatoris jussu factum est. Ac mox [14] eadem actione lectum est illud idem, et omnium sententia probatum. Post etiam, actione sexta [15], cui Marcianus ipse cum Pulcheria interfuit, 8. calendas Novembris, rursus est recitata fidei formula superiori actione conscripta, et omnium subscriptione firmata.

Tandem absoluta Synodo [16], et ab Imperatore publico edicto sancita, Dioscorus relegatus est Gangram Paphlagoniæ [17].

[1] Leo ep. 43. 46. 47. — [2] Epist. Mar. ad Syn. in Conc. Chal. p. 38. et Liber. — [3] Conc. Chalc. Act. 1. p. 49. — [4] Ibid. p. 33. — [5] Ibid. p. 54. — [6] Ibid. p. 230. et seq. — [7] Ibid. p. 284. — [8] Ibid. p. 287. et seq.

[9] Ibid. p. 309. et seq. — [10] Ibid. p. 289. — [11] Ibid. p. 333. — [12] Ibid. p. 334. — [13] Lib. de Sect. Act. 6. p. 516. Tom. 11. Bibl. PP. — [14] Chalc. Syn. p. 337. — [15] Ibid. p. 346. — [16] Ib. Par. 3. Synodi Chalc. p. 477. — [17] Liberat. c. 14.

XIII. Hunc exitum habuit celeberrima illa synodus, duabus de causis præcipue collecta. Altera fuit, ut Ephesinæ latrocinalis acta rescinderentur : altera, ut certa, rataque fidei forma conscriberetur. Utrumque rite perfectum est. Ac Dioscorus non tam propter hæresim depositus est, quam quod tertio vocatus ad causam dicendam, Synodo se sistere noluisset, ut ex depositionis sententia constat [1]. Nam cum variis criminibus accusatus esset, tum ab Eusebio Dorylæensi, tum ab aliis, qui libellos contra eum obtulerant ; atque ut iis omnibus responderet, tertio citatus, minime paruisset ; Synodus judicavit, contumaciam istam objectorum criminum confessionem videri. Itaque tam quod Synodo non obtemperasset, quam ob cetera flagitia, de quibus postulatus respondere detrectasset, damnationi subjectus est.

Porro inter alia crimina, illud præcipue Patres commovit, et ad condemnandum Dioscorum impulit, quod Nicææ Leonem papam excommunicare ausus fuerat ; quod Romanæ Sedis legati in dicenda sententia nominatim expresserunt [2] : necnon Anatolius Constantinopolitanus episcopus in actione quinta synodi Chalcedonensis asseveravit [3], Dioscorum non ob fidem esse damnatum, sed quod et Leonem excommunicasset, et ter vocatus non affuisset. Atque hoc Nicolaus papa primus in epistola octava commemorat, ad Michaelem scribens imperatorem [4]. Ceterum de Eutyche ipso nominatim nihil omnino Synodus statuit : quippe quem Constantinopolitana jam, Flaviano præside, deposuerat, et in eadem urbe congregata synodus alia ab Anatolio, et Romanæ Sedis legatis, anno 450. uti supra meminimus [5].

XIV. Ad extremum nec illud prætermittere oportet, synodum illam, paucis post annis, quam est absoluta, magnis hæreticorum conatibus oppugnatam, et in discrimen adductam fuisse. Verum singulari Dei providentia factum est, ut ad firmandam, et roborandam illius auctoritatem improborum ista consilia spectarent. Scribit Eulogius Alexandrinus patriarcha [6], post Marciani obitum, qui in annum incidit 457. cum ei successisset Leo, Ægyptios ab Synodo reversos per totum orbem maximos excitasse tumultus ; cum hoc ubique disseminarent, Cyrillum in illa synodo damnatum, et Nestorium pro Catholico receptum fuisse. Qua re permotum Leonem, Chalcedonensis acta concilii, et decreta ad omnium per orbem provinciarum episcopos, necnon ad insigniores monachos misisse cum circularibus litteris, et mandatis, ut quis de illo cujusque sensus esset, scripto testatum ad se mitteret. Id vero libenti animo præstitisse cunctos, numero mille sexcentos episcopos. Unum tamen refragatum Amphilochium Sides episcopum : qui subinde ceteris assensus Synodo subscripsit. At Ephræmius Antiochenus patriarcha apud eumdem Photium nonnisi quadringentos septuaginta subscripsisse refert [7].

Evagrius autem historicus rem fusius enarrans, refert Alexandriæ contra Proterium episcopum catholicum gravem ortam esse seditionem, ac Timotheum Ælurum hæreticum in eam sedem per vim intrusum fuisse. Qui, Marciano imperatore vita functo, Proterium interficiendum curavit. Cumque ad Leonem Marciani successorem tam a catholica parte, quam ab hæretica pugnantes et contrariæ tam de Timotheo, quam de Chalcedonensi concilio relationes, ac querelæ missæ essent, Imperatorem encyclicas ad omnes episcopos litteras misisse, quibus de Timotheo, deque synodo Chalcedonensi perscriptas omnium ad se sententias mitti jubebat. Quæ omnia in unum codicem relata τα ἐγκύκλια vocata sunt. Hujusmodi complures epistolæ synodales variis ab episcopis ad Leonem datæ leguntur in tertia parte actorum Chalcedonensium, ex quibus constat unum omnium fuisse sensum, quod neque Timotheus in Alexandrino episcopatu tolerandus sit, sed neque Christiani nomine dignandus, et Chalcedonensem synodum prorsus esse retinendam, et, quod ait Liberatus [8], « usque ad sanguinem vindicandam. »

[1] Synod. Chalced. Act. 3. p. 284. — [2] Ibid. p. 260. — [3] Ibid. p. 335. — [4] Tom. 6. Concil. p. 505. F. 2. — [5] § 9. — [6] Apud Phot. Cod. 230. pag. 463. — [7] Cod. 229 p. 419. — [8] In Brevia. c. 15.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De Eutychis hæresi. Tria illius flagitia : quod carnem Christi negabat ex Virgine sumptam : quod ante unitionem duas naturas fuisse diceret, in quo cum Nestorio conveniebat : quod unam post unionem naturam statueret. Quod postremum variis modis explicabat. Naturæ duæ ab illo confusæ : negata reipsa Incarnatio, etsi verbo aliud profiteretur. Θεοτόκον Virginem revera negabat, quamvis aliud profiteretur.

I. Magisne stolida, et imperita, an impia, sceleratáque nebulonis istius hæresis fuerit, non facile est dictu. Utramque certe huic inesse labem, Leo magnus affirmat in epistolis, quas ad Pulcheriam scripsit Augustam. Quarum in altera scripsit sic[1] : « Ut error, qui, ut arbitror, de imperitia magis, quam de versutia natus est, auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat : quia etiam ignorantia in graves nonnunquam incidit lapsus, et plerumque in diaboli ruit foveas incauta simplicitas, per quam in supradicto subrepsisse intelligo spiritum falsitatis. » In altera erroris ejusdem pravitatem, ac perniciem ita declarat[2] : « Hæresis quippe est nimis impia, et Evangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta convellere. » Hoc quidem constat, nullam perinde diffusam, et in plures sectas, ac velut lacinias distractam fuisse ; aut vero diutius per orientales fere provincias perseverasse. Nam et hodieque Alexandriam, et Ægyptum, atque Æthiopiam aliosque tractus, qui ab Alexandrino patriarcha sacrorum jura repetunt, obtinet sectæ istius colluvio : ut ex litteris, quæ inde scriptæ sunt, colligitur : maxime nostrorum [3]. Ac Dioscori memoriam late populi isti venerantur, Chalcedonense concilium improbant. Quemadmodum in Syria, et in plerisque Indiæ, Orientisque regnis, si qui Christiani sunt indigenæ, Nestorium celebrant, ejusque addicti dogmati, Ephesinam detestantur synodum : uti Malabares, et Meliaporenses, qui apostoli Thomæ prædicatione, ac cultu gloriantur.

II. Jam quod ad Eutychis dogma hæreticum attinet, cujusmodi fuerit, ex ejus confessione liquet, quam in Constantinopolitana synodo accusatus ab Eusebio, et Flaviano interrogatus, edidit. Ibi « (1) adventum cum carne Christi, ex B. Virginis carne factum esse » profitetur, « et hominem perfectum itidem nostra causa esse factum. » Interrogatus deinde, an consubstantialem Patri, secundum divinitatem ; consubstantialem matri secundum humanitatem crederet, aliquantum tergiversatus est, quid in animo haberet eloqui detrectans. Nam « (2) hactenus se Domini corpus consubstantiale esse nostro minime putasse : sed sanctam Virginem consubstantialem credidisse, ex qua incarnatus est ille ; » tamen si aliter ipsis videretur, se quoque idem esse dicturum. Postremo rogatus utrum consubstantialem, et ex naturis duabus constantem post Incarnationem esse sentiret Dominum nostrum, qui ex Virgine natus est, mentem suam aperuit sic. « (3) Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem ; post unitionem vero, unam naturam confiteor. » Instante vero Flaviano, ac ceteris, ut hoc ipsum dogma revocaret, et anathemate damnaret, omnino recusavit, eaque de causa depositus est.

Atque hoc ipsum Leo papa ex Eutychis sententia sic explicat[4] : « Hic autem recentioris sacrilegii profanus assertor, unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum : sed ipsa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia. » Et in celebri illa ad Flavianum epistola [5], « Qui quidem, *ait*, sicut

(1) Eutych. in act. 1. Chalced. pag. 121. Ὁμολογῶ δὲ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν γεγενῆσθαι ἐκ τῆς σαρκὸς τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ ἐνανθρωπῆσαι αὐτὸν τελείως διὰ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν.

(2) Eutych. ibid. pag. 122. Εὐτυχὴς Πρεσβύτερος εἶπεν· ἕως σήμερον οὐκ εἶπον τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ ἡμῶν ὁμοούσιον ἡμῖν, τὴν δὲ ἁγίαν παρθένον ὁμολογῶ εἶναι ἡμῖν ὁμοούσιον, καὶ ὅτι ἐξ αὐτῆς ἐσαρκώθη ὁ Θεὸς ἡμῶν.

(3) Eut. ibid. pag. 123. Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ.

[1] Leo ep. 13. — [2] Id. ep. 31. — [3] Vide Codig. lib. 1. de rebus Abass. c. 28.

[4] Leo ser. 8. de Nat. c. 5. — [5] Id. ep. 10. c. 6.

gestorum ordo patefecit, pene cœperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctatus, profiteretur se dicere quod ante non dixerat, et ei fidei acquiescere, cujus prius fuisset alienus. Sed cum anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignunque esse, qui judicium condemnationis exciperet. »

III. Quocirca tria sunt flagitia Eutychianæ hæresis. Primum, quod carnem Christi ex Virgine negabat esse sumptam, ut auctor est Fulgentius in responsione quarta ad Ferrandum diaconum. « Hinc etiam fides nostra dicernitur, *inquit*, ab Eutychis errore ; qui licet incarnatum Verbum negare non audeat, ipsam tamen Verbi carnem cum non fatetur sumptam de carne Virginis, mysterium summi prorsus evacuat sacerdotis. » Undenam igitur carnis illius arcessebat originem ? Gennadius [1] « de cœlo eam Verbum attulisse secum, » asserit opinionem fuisse Marcionis, Origenis, et Eutychis. Sic Vigilius initio libri tertii contra Eutychen, « Eutychiana, *inquit*, hæresis in id impietatis prolapsa est errore, ut non solum Verbi et carnis unam credat esse naturam : verum etiam hanc eamdem carnem non de sacro Mariæ virginis corpore adsumptam, sed de cœlo dicat, juxta infandum Valentini, et Marcionis errorem fuisse deductam. Ita pertinaciter Verbum carnem adserens factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam, transisse videatur ; non tamen ut de Virgine aliquid, quod nostri sit generis adsumpsisse videatur. » Ceterum Eutyches in Ephesino latrocinio postulantibus quibusdam Catholicis, uti modum Incarnationis, et assumptæ naturæ hominis exponeret, respondere noluit : ut in Chalcedonensi concilio questus est Basilius Seleuciensis [2]. At antea in Constantinopolitano, urgente Flaviano, inter alia dixerat, « (1) se hactenus sensisse, non hominis corpus, esse corpus Dei ; sed humanum corpus, atque ex Virgine incarnatum esse Dominum. » Idque ipsum Flavianus de eo refert in epistola ad Leonem : nempe, « (2) Virginem quidem, quæ eum genuit secundum carnem, consubstantialem nobis esse ; ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis, et corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse, quod est ex Virgine. » In quo puerili ambiguitate sese hæreticus iste jactabat. Nam corpus Christi, si ad Verbum, cujus est, refertur, non est corpus hominis, sed Dei, qui, qua Deus aut Verbum est, non est homo. Hoc tamen sensu corpus est hominis, quia idem Deus ac Verbum, homo est secundum susceptam ab eo carnem.

Theodoretus similiter negasse Eutychen affirmat, assumptum esse corpus a Deo : « (3) Nihil enim hominis proprium e Virgine cepisse Deum Verbum, sed ipsum sine ulla mutatione conversum, et carnem factum, transisse tantummodo per Virginem. » Theodorus quoque Rhaithuensis presbyter libro de Incarnatione, Eutychen scribit asseruisse, (4) Christi corpus e cœlo delatum, ac per Virginem transisse Dei Verbum, veluti per canalem : et Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, capite quinto.

Verum Eutyches ipse in synodo Constantinopolitana, præside Flaviano, hanc sibi falso impositam fuisse calumniam professus est, nec se unquam dixisse, « (5) Deum Verbum carnem e cœlo detulisse. »

Ephræmius vero Antiochenus patriarcha apud Photium [3], scribit hæreticum illum non sponte, sed coactum, admisisse *unitionem hypostaticam*, et *incarnationem* ex Dei genitrice Virgine ; quin etiam anathemate damnasse quod antea confessus erat, corpus Christi allatum e cœlo fuisse. Numquam tamen adduci potuisse, ut idem corpus consubstantiale nobis esse fateretur.

IV. Secundum caput erroris fuit, quod ante

(1) Eut. in Chalc. syn. act. 1. pag. 122. Οὐκ εἶπον σῶμα ἀνθρώπου τὸ τοῦ Θεοῦ σῶμα, ἀνθρώπινον δὲ τὸ σῶμα, καὶ ὅτι ἐκ τῆς παρθένου ἐσαρκώθη ὁ Κύριος.

(2) Flavian. in ep. quæ est in act. Chalc. conc. par. 1. pag. 6. Ἀλλ' ἔφασκε τὴν μὲν τεκοῦσαν αὐτὸν παρθένον, κατὰ σάρκα ὁμοούσιον ἡμῖν εἶναι· αὐτὸν δὲ τὸν Κύριον μὴ εἰληφέναι ἐξ αὐτῆς σάρκα ὁμοούσιον· ἀλλὰ τὸ τοῦ κύριου σῶμα μὴ εἶναι μὲν σῶμα ἀνθρώπου, ἀνθρώπινον δὲ σῶμα τὸ ἐκ τῆς παρθένου.

(3) Theod. lib. 4. de Hær. cap. 13. Οὗτος δὲ καὶ τοῦ σώματος ἠρνήθη τὴν πρόσληψιν, οὐδὲν γὰρ ἔφη τὸν Θεὸν Λόγον ἀνθρώπειον ἐκ τῆς παρθένου λαβεῖν, ἀλλ' αὐτὸν ἀτρέπτως τραπέντα, καὶ σάρκα γενόμενον. Τοῖς γὰρ καταγελαστοῖς αὐτοῦ κέχρηται λόγοις· τὴν πάροδον μόνην διὰ τῆς παρθένου ποιήσασθαι.

(4) Theodorus Rhaith. tom. 11. bibl. PP. p. 322. Ἐξ οὐρανοῦ λέγων κατενηνέχθαι τοῦ Κυρίου τὸ σῶμα, καὶ ὡς διὰ σωλῆνος, τῆς παρθένου παραδρομεῖν τὸν Θεὸν Λόγον.

(5) Eutych. in Chalc. act. 1. pag. 139. Προσετίθει δὲ, ὅτι λοιδορίας τινὸς, ὡς ἔφην, κατατεθείσης κατ' αὐτοῦ, ὡς αὐτοῦ εἰρηκότος, ὅτι τε δὴ ἐξ οὐρανοῦ τὴν σάρκα ὁ Θεὸς Λόγος κατενήνοχεν, αὐτὸς ἀνεύθυνος τυγχάνει τῆς τοσαύτης λοιδορίας.

[1] Lib. de Dogm. c. 2. — [2] Concil. Chal. Act. 1. p. 73.

[3] Ephr. apud Phot. Cod. 228 p. 415.

unitionem naturas fuisse duas asserebat Eutyches ; ut ex ejus professione paulo ante memoravimus. Quam hæretici vocem cum inter acta Constantinopolitani concilii ab Flaviano missa Leo pontifex legisset, miratus est[1] « tam absurdam, tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum. » Et in epistola sequente ad Julianum Coensem iterum queritur, « tanquam inane id præterfluxisse, quod nonnisi de haustu venenatorum dogmatum apparebat effusum. » Ac suspicari se dicit, « talia proloquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cœlis sit commorata, quam de Maria virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularit, etc. Unde quod in Origene merito damnatum est, qui animarum, antequam corporibus insererentur, non solum vitas, sed et diversas fuisse asseruit actiones ; necesse est ut etiam in isto, nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur. »

Nos de Origene, et ejus errore paulo post agemus : hoc interim admonemus, suspicari nos, Eutychem non tam Origenis dogma persecutum, quam ex inscitia, et stupiditate, ut erat ex æquo imperitus, ac vecors, in tale commentum incidisse naturarum ante unitionem duarum. Cum enim et Deum carnem, id est hominem esse factum, ex communi Christianorum professione didicisset, et unam nihilominus naturam in Christo esse (undecumque tandem istud hauserat, de quo mox viderimus) pro certo haberet : non aliter conciliare ista, et extricare se potuit, quam ut ex duabus unam factam esse naturam diceret : adeoque duas, antequam inter se sociarentur, naturas extitisse.

V. Hanc mihi suspicionem facit Theodoretus : qui in dialogo secundo, Eranisten (huic Eutychianorum patrocinium affingit) duo ista secernentem inducit, σάρκωσιν, id est *incarnationem*, et ἕνωσιν, id est *unitionem* : ac duas naturas ante unitionem : post hanc, unicam asserentem. Instante vero Catholico, ne momento quidem, ante incarnationem Verbi, aut *unitionem*, humanam naturam fuisse, proindeque non duas, sed unam duntaxat tum fuisse naturam ; nihil aliud respondet Eranistes, nisi tritam illam Eutychianæ sectæ cantilenam : « (1) Ex duabus naturis dicere se Christum, non duas esse naturas. » Sed rursus urgente Catholico, et ut mentem suam disertius explicaret hortante, nihil hiscere aliud sustinet Eranistes, nisi hoc, se in Scriptura, Verbum, et carnem, hoc est naturas duas legere, et eas subinde unum esse factas ; nimirum unam, ut quidem interpretabatur, naturam.

Præclare omnino de hoc Eutychis inepto, ac secum pugnante delirio, Gelasius, non ille Cyzicenus, ut viri docti crediderunt[2], futilis, et ineptus scriptor, sed qui episcopus Romanus inscribitur, et a Fulgentio [3], qui Gelasii papæ tempore vixit, eo nomine citatur, latinus auctor et elegans ; recte igitur ille Eutychem observat in Nestorii, a qua maxime abhorrebat, hæresim incurrisse, dum naturas ante unionem duas ait extitisse. Tanta hominis stoliditas, et imperitia fuit. Etenim [4] « si sic Eutychiani velint accipi, ait Gelasius, ante adunationem duas fuisse, in utero scilicet materno, ergo fuit ibi aliquot interstitium, quo ante adunationem sui istæ naturæ putarentur fuisse discretæ, et in adunationem postea convenisse. Redolet hic Nestorius : utique ille dixit in partu, nudumque hominem disseruit procreatum, et postmodum in Deum fuisse provectum, etc. » Itaque cum Nestorio convenit Eutyches, quatenus ante unionem, naturam humanam separatam extitisse docuit, quæ postea unione ipsa cum divina coaluit. Atqui « non velut duæ substantiæ, pergit idem Gelasius, primitus extiterunt, id est, ipsius humanæ formæ, quæ suscepta est, et deitatis, quæ suscepit, ut earum postea adunatio sequeretur ; sed hoc ineffabile, magnumque mysterium adunatione sit potius inchoatum, et ipsa inchoatione hujus conceptionis unitum. »

VI. Tertium Eutychianæ perfidiæ caput fuit, et quidem præcipuum, ac velut χαρακτηριστικὸν hæresis illius, quod unam tantum agnoscebat in Christo naturam post unionem. Id ex Eutychis ore ipsius exceptum supra memoravimus. Idem Leo papa, ceterique, quos recensuimus, et quos omisimus, innumerabiles alii testati sunt. Flavianus in epistola ad Leonem, qua causam Eutychis, et damnationem explicat, dogma illius declarat in hunc modum : « Ante inhumanationem quidem salvatoris nostri Jesu Christi, duas naturas esse, divinitatis et humanitatis : post unitionem vero,

(1) THEOD. dial. 2. pag. 67. Ἐκ δύο φύσεων λέγω τὸν Χριστὸν, δύο δὲ φύσεις οὐ λέγω.

[1] Epist. 10. ad Flav. c. 6. — [2] Baron. ad Ann. 496. et Bellar. lib. de script. Eccles. — [3] Resp. ad Inquis. 2. Ferrandi. — [4] Gelas. To. 4. Bibl. PP. col. 418.

unam naturam factam. » Hoc, nisi alterutra consumpta et in alteram mutata, vel duabus extinctis et in tertiam conversis, vel certe integris manentibus, et ad tertiam conflandam cœuntibus, fieri, intelligive non potuit. Totidem modorum aliquo mentem suam interpretari Eutyches debuit, si non temulentus, aut furiosus de naturæ singularitate talia garriret. Et varie ab auctoribus sensus illius traditur, quippe ut errantium temere incerta vestigia sunt, sic hæreticorum inconditæ ac dissonæ sunt voces et sententiæ, nec minus discordes inter se, quam cum veritate pugnantes. Theodoretus in Eutychis hæresi, « Deum » refert, ex illius fabula, « sine conversione conversum, et carnem esse factum : » ut paulo ante notavimus[1]. Ad hæc vero quod ex eodem addimus modo, « (1) clavis suffixam, et cruci affixam fuisse incircumscriptam, indeterminatam, et incomprehensam Unigeniti divinitatem, eamdem tumulo mandatam resurrexisse. »

VII. At idem Theodoretus in Diagolo secundo, Eranistem (is est Apollinaristarum, vel Eutychianorum patronus erroris, quicum Orthodoxus disputat) ita pronuntiantem introducit, ut, divinitate sola manente, humanam dicat absorptam esse naturam. Nam sciscitanti Catholico, « (2) quomodo post unitionem, unicam naturam agnosceret : utrum ex ambabus unam esse conflatam ; an altera manente, extinctam putaret alteram ; » respondet : « Ego divinitatem aio mansisse : ab hac vero absorptam esse humanitatem. »

Tum paulo post modum explicat, quo peractum istud est, et, « (3) Non extinctionem, *ait*, assumptæ naturæ dicimus ; sed mutationem in divinitatis substantiam. » Atque idem antea [2] σύγχυσιν, id est *confusionem* duarum naturarum usurpari vetuerat, cum nihilominus naturas duas abnegaret. Et exemplum commistionis illius, absorptæque naturæ deterioris affert ejusmodi : « (4) Ut si in mare mellis gutta fundatur. Nam gutta illa statim evanescit, aquæ maris immista. »

Porro σάρκωσιν, et ἕνωσιν, id est incarnationem, et unitionem distinguens ibidem Eranistes [3], illam definit, *assumptionem carnis :* hanc vero, *disjunctorum copulationem*. Et hac ratione declarare conatur dogma suum, quo asserebat [4], « ante unitionem (nempe in Incarnatione ipsa) duas extitisse naturas : eas vero convenientes, unam effecisse naturam. »

Sed quo tempore unitio facta sit, non liquido constabat istis. Etenim Eranistes primo in ipso conceptu accidisse dicit [5]. Deinde convictus Orthodoxi rationibus tempus prorogat, et post resurrectionem factam esse definit[6] : sive post Ascensionem[7]. Theodorus Raithuensis libro de Incarn. (5) ceræ instar ab igne naturam humanam ab divina consumptam indicat ex Eutychianorum sententia. Vide Expositionem fidei Justino tributam [8].

VIII. Tertia Eutychiani commenti ratio est, ut ex duabus naturis una quædam facta dicatur, eaque composita, sicut ex elementis, corpus : ex anima et corpore, hominis natura conflatur. Hunc modum interpretandæ junctionis duarum in unam personam substantiarum amplexi sunt illius gregis aliqui, ut Timotheani, auctore Gennadio [9], qui immixtas naturas asserebant ; contra quos multum disputat Maximus martyr ; et peculiari quodam tractatu illos refellit : necnon Euthymius in Panoplia [10], et Leontius in libro primo contra Nestorium et Eutychen [11].

Hinc passim Catholici, in condendis professionis catholicæ formulis, ad intercludendum Eutychianæ perfidiæ venenum, usurpare solebant, *Ex duabus, et in duabus perfectis naturis Christum sine ulla confusione subsistere :* ut postea in tertio libro demonstrabimus. Nam ex duabus illum extitisse fatebatur Eutyches ; sed in duabus negabat subsistere, eo quod unam ex duabus unitio ipsa fecerit.

Joannes porro Damascenus Eutychianæ con-

(1) THEOD. lib. 4. con. Hær. cap. 13. Καὶ τῷ σταυρῷ προσηλωθῆναι, καὶ προσπαγῆναι τὴν ἀπερίγραφον, καὶ ἀπεριόριστον, καὶ ἀχώρητον θεότητα τοῦ μονογενοῦς, καὶ ταύτην τῷ τάφῳ παραδοθεῖσαν τετυχηκέναι τῆς ἀναστάσεως.

(2) Id. dial. 2. pag. 76. Πῶς μίαν λέγεις μετὰ τὴν ἕνωσιν φύσιν ; ὡς μιᾶς ἐξ ἀμφοῖν γενομένης, ἢ ὡς θατέρας μεινάσης, τῆς δὲ ἑτέρας ἀναιρεθείσης ; EPAN. Ἐγὼ τὴν θεότητα λέγω μεμενηκέναι, καταποθῆναι δὲ ὑπὸ ταύτης τὴν ἀνθρωπότητα.

(3) Ibid. pag. 78. Οὐκ ἀφανισμὸν τῆς ληφθείσης φύσεως λέγομεν, ἀλλὰ τὴν εἰς θεότητος οὐσίαν μεταβολήν.

(4) Ibid. pag. 77. Ὡς ἡ θάλασσα μέλιτος προσλαβοῦσα σταγόνα· φροῦδος γὰρ εὐθὺς ἡ σταγὼν ἐκείνη γίνεται, τῷ τῆς θαλάσσης ὕδατι μεμιγμένη.

(5) THEOD. pag. 321. tom. 11. Bibl. Οὐδὲ ὡς κηρὸν πῦρ ταύτην ἐξεδαπάνησεν.

[1] Sup. § 3. — [2] Theodoret. Dial. 2. p. 73. — [3] Ib. p. 67. — [4] Ib. p. 66. — [5] Ibid. et p. 78. — [6] Ib. p. 75. — [7] Ib. p. 82. — [8] Justin. p. 303.

[9] Gen. de dog. Eccles. c. 2. — [10] Part. 1. Tit. 7. p. 146. et seq. — [11] Tom. 4. Par. 2. Bibl. PP. col. 964. et seq.

fusionis modos illos tres, quos recensui, sic excludit : (1) « Unitus, *inquit*, secundum hypostasim, citra confusionem, aut mutationem, aut divisionem : ita ut nec divinitatis suæ naturam in carnis substantiam mutaverit, nec substantiam carnis suæ in naturam suæ divinitatis : nec ex divina sua natura, et quam assumpsit, humana natura, unam confecerit naturam compositam. »

Verum Eutychiani σύγχυσιν, id est *confusionem*, minime fatebantur, ut nec ille apud Theodoretum [1] ; cum reipsa interim adstruerent, eaque ex illorum esset opinione consequens ; ut suo loco docebimus. Ac mihi sane videntur rationes illæ omnes explicandi pestiferi istius erroris, quæ ab Catholicis commemoratæ refutatæque sunt, non ab Eutyche ipso repertæ fuisse, vasti ac stupidi ingenii sene : sed ab ejus doctrinæ propugnatoribus, qui assiduis Catholicorum disputationibus irritati, et calefacti, ad ista subtilius enucleanda compulsi sunt.

Theodorus patriarcha Hierosolymitanus in epistola synodica, quæ relata est in acta Synodi septimæ, actione tertia [2], hujusmodi fuisse censet opinionem Eutychis, ut duæ naturæ in unam compositam conflatæ sint.

IX. Quemadmodum autem naturarum duarum confusionem verbo negans hæresis illa, re, ac decretorum convenientia, et consensu profitebatur : sic incarnationem Verbi, ac naturarum unitionem ; id est σάρκωσιν, et ἕνωσιν, et quæ indidem alia sequuntur ; velut ex matre Virgine satum, ortumque Dei, ac Christi reipsa tollebant ; cum eadem ore, ac sermone præ se ferrent. Quæ quidem magna ex parte constant ex superiori dogmatis illius expositione. Fulgentius item [3] ad eamdem mentem, cujus verba supra descripsimus, postquam veram esse in Christo carnem approbavit, Eutychem asserit, etsi incarnationem Verbi negare non audeat, reipsa tamen funditus eam tollere, quia carnem ex beata sumptam Virgine minime fassus est. Ac recte id quidem dictum est a Fulgentio. Etenim quæ potest Incarnatio esse vera ex utero Virginis fœminæ, cum in illum aliunde importata caro, non ex eo delibata, genitaque dicatur ? Ita neque Dei mater, ac ne Christi quidem haberi sanctissima Virgo merito debebit. Nam nec divinitas per sese ortum ex ea cepit : neque caro, quam e cœlo delatam Eutyches opinatus est : nec ipse postremo unus, et constans ex utroque Christus : cui nihil ex Mariæ carne decerptum tribuitur, sed aquæ more per canalem erumpentis, nonnisi per eam transisse creditur. Ecquis autem tubum ac fistulam, aquæ, ut ita dixerim, parentem, id est originem nominet ? Prorsus ab fonte, non ab canali is, qui per eum transmeat, liquor oriri dicitur. Et frustra Nestorio invidiam Eutyches faciebat ; cum tolerabilius ille de Christo, ejusque genitrice, quam iste senserit : quippe saltem hominis Christi matrem Nestorius Virginem esse passus est ; quod huic ademit Eutyches.

Ferrandus diaconus Carthaginensis Fulgentii discipulus in epistola ad Anatolium [4], « Duo, *inquit*, quantum legimus, erroris sui tela portabat Eutyches, unde exeuntem de Dominico latere tanquam perfidus miles, vulnerare cupiebat Ecclesiam. Negans enim Mariam semper virginem sancti Spiritus operante virtute nascituro ex humanis visceribus unigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, consubstantialem filium matri fateri nolebat. »

X. Ut de Θεοτόκου, id est Deiparæ vocabulo potissimum agam, non minus huic adversari Eutychis hæresim, quam Nestorii, demonstrat Cyrilli sententia quædam, quam ex epistola ad imperatorem Theodosium, citat Justinianus imperator in Typo, quem ad quintam synodum scripsit [5]. Extat autem in epistola ejusdem Cyrilli ad Joannem Antiochenum [6]. Cum igitur accusatus ab obtrectatoribus esset Cyrillus, quod Christi corpus non ex B. Virgine sumptum, sed e cœlo delapsum esse diceret, eo argumento calumniam refellit istam, quod fieri nequit, ut qui Θεοτόκον esse Mariam asseverat, is Dei carnem non ex ea genitam existimet. « (2) Animadvertere, *inquit*, eos plane illud

(1) Dam. lib. 3. cap. 2. in fine. Ἑνωθεὶς καθ' ὑπόστασιν ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως, μὴ μεταβαλὼν τὴν τῆς θεότητος αὐτοῦ φύσιν εἰς τὴν σαρκὸς οὐσίαν, μήτε μὴν τὴν οὐσίαν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, εἰς τὴν φύσιν τῆς αὐτοῦ θεότητος· οὐδὲ ἐκ τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως, καὶ ἧς προσελάβετο ἀνθρωπίνης φύσεως μίαν φύσιν ἀποτελέσας σύνθετον.

(2) Cyrill. Ἔδει σαφῶς ἐννοεῖν, ὅτι σχεδὸν ἅπας ἡμῖν ὁ περὶ τῆς πίστεως ἀγὼν συγκεκρότηται διαβεβαιουμένοις ὅτι θεοτόκος ἐστὶν ἡ ἁγία Παρθένος. Ἀλλ' εἴπερ ἐξ οὐρανοῦ, καὶ οὐκ ἐξ αὐτῆς τὸ ἅγιον σῶμα γεγενῆσθαί φαμεν, τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ, πῶς ἂν ἔτι νοεῖτο θεοτόκος ; τίνα γὰρ ὅλως τέτοκεν, εἰ μὴ ἐστιν ἀληθὲς, ὅτι γεγέννηκε κατὰ σάρκα τὸν Ἐμμανουήλ ;

[1] Dial. 2. p. 73. — [2] Tom. 5. Conc. p. 601. E — [3] Fulg. in Resp. 4. ad Ferran. — [4] Tom. 3. Bibl. PP.

[5] Just. in Tom. 4. Conc. p. 369. — [6] Tom. 5. Cyril. in epist. pag. 106. et seq.

oportebat, totum pene certamen pro fide susceptum a nobis in hoc uno stetisse, quod affirmaremus sanctam Virginem esse θεοτόκον, id est Dei genitricem. Atqui si de cœlo, non ex Virgine ipsa, factum esse dicimus sanctum corpus servatoris omnium nostrum Jesu Christi, qui tandem intelligemus illam esse Dei genitricem ? Quem enim omnino genuit, nisi verum sit, genitum ab ea secundum carnem Emmanuelem ? »

Quo illud referri debet alibi a nobis adnotatum [1], vocabulum τίκτω non tantum significare, *parere*, sed etiam *gignere*, tum de patre nihilo secius ac de matre usurpari passim ab auctoribus græcis. Unde θεοτόκος non solum est quæ *peperit*, id est fudit ex utero Deum, sed etiam quæ genuit. Itaque Nestorius, qui Deum in Virginis utero cum homine utcumque copulatum asserebat, ex eaque junctione hominem appellari cœpisse Deum, non tamen θεοτόκον vocari patiebatur Virginem, sed θεοδόχον, quod Deum velut hospitio excepisset, ut Cyrillus refert [2].

Atqui nihil erat quod θεοτόκου nomen adeo refugeret, si id esset solum, *parere*, hoc est *in lucem effundere* ex utero, quem utique Deum haberi, nominarique suo modo, ac sensu non improbat. Sed nimirum intelligebat, vocem illam θεοτόκον ad eam pertinere, quæ Deum *genuisset*, et originem ei dedisset secundum carnem.

XI. Joannes secundus Romanus pontifex in epistola secunda ad Avienum aliosque senatores [3], « Propterea ergo, quia proprie, et veraciter, *inquit*, Dei Filius ex ea incarnatus est; ideo proprie, et veraciter matrem Dei ex ea incarnati et nati esse confitemur. Et ne Dominus Jesus per honorificentiam, vel gratiam Dei nomen accepisse credatur, sicut Nestorius sentit insulsus. Veraciter autem ideo, ne phantasma aut aliquo modo, non veram sumpsisse carnem credatur ex Virgine, sicut asseruit impius Eutyches. » Hic utriusque causas exposuit Pontifex, cur tam Nestorius, quam Eutyches, θεοτόκου vocabulum, ille re ac verbo, iste re duntaxat, respuerent. Nimirum, quod Nestorius non putabat Christum, sive hominem in Verbo subsistentem, *proprie* esse Deum : Eutyches vero, qui eumdem, ultra etiam quam necesse erat, Deum *proprie* fatebatur, *veraciter* natum, ac genitum negabat. Uterque autem error cum θεοτόκου notione non congruit.

Sed accuratissime omnium disputavit de hac re Facundus Hermianensis [4]; qui tam ab Nestorio, quam ab Eutyche repudiari vocem illam reipsa docet. « Non enim potest B. Virginem vere, et proprie dicere matrem Dei, sed nuncupative potius, ac perfunctorie, quam non credit carnem ex se omnium domino ministrasse. Non ergo Nestorianam tantum, verum etiam Eutychianam hæresim destruit ista confessio, qua dicitur B. Maria vere, et proprie mater Dei. » Plura ibidem de hujus nominis proprietate scribit, quæ nos suo loco reddemus.

Postremo non illud omiserim, Avitum Viennensem in epistola secunda de Eutychiana hæresi disputantem, mire hallucinatum esse, dum quæ Nestorii propria sunt, Eutychi tribuit. Hunc enim ait non Θεοτόκον B. Virginem, sed Χριστοτόκον appellasse : « ut scilicet divisa credatur persona, quæ servat divinitatis naturam, ab ea, quæ sustinuit passionis injuriam. »

[1] Tom. 2. lib. 3. de Trin. c. 6. § 15. — [2] Epist. 8. p. 35.

[3] Tom. 3. Conc. p. 851. — [4] Lib. 1. c. 4. p. 24.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Comparatur Eutychiana hæresis cum iis, quæ illam antecesserant, Valentini, Marcionis, Manichæi, Apollinaris, et similium : quibus affinis fuit. Tum, quod mirabilius est, docetur eamdem cum Paulianistarum, ac Nestorianorum hæresi congruere. Ab Origene ansam eidem erroris oblatam fuisse, ac de illo obiter disseritur. Postremo ex Cyrilli verbis male acceptis perperam sentiendi occasionem Eutychen habuisse.

I. Ut hæresis pestilentissimæ plenius arcana omnia perscrutemur, juvat eam conferre cum antiquis notissimis sectis, quas majori ex parte hactenus enumeravimus. Ex quo mirum illud, et inopinatum existet, nullam propemodum fuisse, cum qua non dogmatis aliqua societate jungatur : ne Nestoriana quidem excepta : cui capitaliter inimica, et ex toto esse contraria vulgo creditur. Quin illud pariter intelligetur, nonnulla passim Eutychi, ejusque sectæ tribui, quæ propalam illi negabant. Sed quod decretis eorum consentanea erant, et ex his necessario sequebantur, tametsi diffiterentur, pro certis, et confessis eorum opinionibus habita fuerunt.

Ac cum hæreses istæ omnes ad duo potissimum offenderint catholicæ fidei capita, quæ totidem naturis in Christo continentur, duo nos ad fastigia Eutychianæ hæresis et communionis cum reliquis summam referemus. Naturam hominis assumptam non reipsa, sed sola specie, complures, ut antea diximus, hæreticorum veterum arbitrati sunt; ut Valentinus, Marcio, Manichæus, quos Δοκητὰς, et φαντασιαστὰς vocant : de quibus actum est supra [1]. Theodoretus in quarto de Hæresibus, capite 13, Eutychen ait, « (1) jampridem exoletam Valentini hæresim instaurasse. » Anastasius item Sinaita, eumdem hæreticum a Valentinianis, Marcionitis, et Manichæis didicisse refert « (2) phantasticam, et specie tenus apparentem Christi carnem. »

II. Leo quoque pontifex de eo sic scribit Epistola 11. « Qui unigenitum Dei Filium sic de utero B. Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit. » Et subinde, « Negator enim mediatoris Dei, et hominum, hominis Jesu Christi, necesse est ut multis impleatur : eumque aut Apollinaris sibi vindicet, aut Valentinus usurpet, aut Manichæus obtineat : quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem. »

Valentinus quidem, ut capite quarto scripsimus, Christi corpus non de B. Maria sumptum fuisse putabat : sed per illius uterum, quasi aquam per canalem, fluxisse, ac *spiritalem carnem* ab illo tributam esse Christo Tertullianus prodidit [2].

Theodoretus, « (3) corpus ejusdem cum anima substantiæ » ex opinione illius assumptum, et « inexplicabili quadam sapientia ita factum, ut tangi, videri, ac pati posset. » Non absimilis fuit Manichæorum hæresis, ut eodem illo capite docuimus : ac proinde Eutychiani « Manichæorum (ut ait Leo Epistola 23.) confœderantur errori, qui ab unigenito Dei Filio verum, et nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnesque ejus corporeas actiones simulatorii volunt fuisse phantasmatis. » Huic assentitur Vigilius initio libri tertii contra Eutychem, et Harmenopulus libro de Sectis, hæresi 5.

Quare Δοκητὴς fuit Eutyches, qui, itidem ut Valentinus, Christi corpus e cœlo allatum per Mariam transisse dicebat, « (4) nempe ut ex ea muliere factus videretur, cum revera non esset ex ea factus, » ait Theodorus Rhaithuensis.

III. Ex omnibus vero antiquioribus hæreticis, Apollinari maxime solet accenseri Eutyches. Hinc Facundus [3] « Synusiastas, sive, ut auctoris sui nomine sunt vocati, Apollinaristas, progenitores Eutychianæ dementiæ » fuisse

(1) THEODORETUS. Τὴν προπάλαι μαρανθεῖσαν αἵρεσιν Βαλεντίνου πάλιν ἀνθῆσαι πεποίηκεν.

(2) ANAST. in Ὁδηγῷ cap. 6. pag. 90. Ἐκεῖθεν ἐδιδάχθη τὴν φαντασίαν, καὶ δόκησιν.

(3) THEOD. 1. con. Hær. cap. 7. Ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιθέσθαι σῶμα ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, ἀῤῥήτῳ δὲ σοφίᾳ πεποιημένον πρὸς τὸ ἁπτὸν, καὶ ὁρατὸν γενέσθαι, καὶ παθητόν.

(4) THEOD. Rhait. tom. 2. bib. PP. Ἵνα δεξῃ δῆθεν γεγεννῆσθαι ἐκ γυναικὸς, καίπερ μήτε γεγεννημένος. Vide Niceph. Call. lib. 18. cap. 48.

[1] Cap. 4. — [2] Lib. contr. Valent. c. 15.

[3] Fac. lib. 1. c. 4. p. 337. et 362. et con. Moc. p. 580.

asserit, « qui unam Christi dicebant esse naturam. » Et alibi [1] « institutores Eutychianorum Synusiastas » eosdem appellat. Sane cum et multiplex, et ab auctore suo interpolata sæpius Apollinaris hæresis fuerit, ut capite sexto docuimus, ea parte cum isto consensit Eutyches, qua carnem Christi non ex utero sumptam B. Virginis, sed e cœlo delapsam Apollinaris credidit: tum quatenus uterque unicam naturam asseveravit, et utriusque permistam, ac confusam substantiam : ex quo sequitur, divinam naturam cruciatus, ac perpessiones in seipsam excepisse. Cetera portenta Apollinaristarum non expressit Eutyches.

Sed Valentino, Marcioni, Manichæo, Apollinari, atque etiam Ario, annumerari Eutychem, aliisque minus admiror : qui incarnationem nonnisi adumbratam, et fictam, minimeque solidam ac veram, aut naturam ipsam Dei in carnem esse conversam, et hominis propria per sese passam arbitrati sunt. Illud præter communem opinionem affirmari videtur, etiam Paulo Samosateno, et Nestorio affinem Eutychem fuisse : quod nonnulli sanctorum Patrum scripserunt, cum istorum odio erroris, ac metu, in extremam alteram, et oppositam huic ex adverso hæresim incurrisse credatur.

IV. Tradunt illud ipsum tamen de Eutychianorum secta, qui contra Severum unum ex istius hydræ capitibus stili acie depugnarunt, Pamphilus Abydenus episcopus, Justinus Siculus, Felix Romanus pontifex tertius, in epistolis quas ad Petrum Fullonem Trisagii depravatorem scripserunt [2]. Qui omnes Petrum istum ex Eutychiana secta Antiochenum episcopum, et unius naturæ propugnatorem arguunt, quod ad Trisagium hymnum appendicem illam assuerit, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, tanquam Deus ipse per se, et in natura sua passus fuerit : de quo postea pluribus. Hujusmodi ergo dogmatis patronos, id est *Monophysitas*, et *Eutychianos*, ideo reprehendunt, quod non solum Valentini, Manichæi, Apollinaris, ac similium, instaurarunt amentiam; sed etiam Pauli Samosateni, et Nestorii. Pamphilus quidem de duobus istis hoc argumento probat, (1) quod dum Crucifixum pro nobis separatim ab tribus personis commemorat Petrus Cnapheus, ostendat alienum esse ab divinitate Christum : in quo Samosateno Paulo suffragatur. Nestorio vero (2), quatenus Crucifixum eumdem disjungens a Deo ἰσχυρῷ, id est *forti*, quo nomine Filii persona significatur, duas in Christo personas adstruit, unam quæ secundum in Trinitate locum tenet, alteram quæ cruci est affixa. Vel ut brevius explicat Justinus Siciliæ episcopus [3], quod cum ab Filio, qui secunda est persona, divellat eum, qui pro nobis in cruce suffixus est, τετράδα, id est quartam personam constituat : ex quo sequitur, duos esse filios, unum quidem ante secula genitum, alterum crucifixum. Quæ omnia consectaria sunt hæresum omnium, quæ vel in duas personas dividunt Christum, ut Nestorius : vel divinam naturam cum humana confundentes, patibilem illam faciunt. Nam cum isti ὁμοούσιον, id est *consubstantialem* Trinitatem ex Nicæni concilii decreto profiteantur, revera tamen dissimilem eam, quæ est in Christo passa, deitatem instituunt ab vera illa, quæ Trinitati convenit. Hæc enim immortalis, et impatibilis est. Ita miseri, et imperiti homines ad eum, quem vitabant, scopulum navem suam allidunt, et per anfractus errorum, in Nestorianam, a qua se abhorrere jactant, perfidiam miro quodam modo relabuntur. Quod quidem illustrari, ac planum fieri hoc loco, theologorum interfuit.

V. Inter Eutychis magistros numeratus a quibusdam est Origenes : cujus ex libris universos deinceps ad impietatem instructos, et armatos esse principes hæresum, merito sanctorum Patrum plerique dixerunt; et inter alios Theophilus Alexandrinus [4], *Hydram omnium hæreseon* illum nominat.

Ac suspicatum esse supra monuimus [5] Leonem papam, ex actis Constantinopolitanæ synodi, Eutychem Origenis imbutum opinione falsa pronuntiasse, *Ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem;* tanquam animam Christi, antequam corpori insereretur, extitisse crederet. Quod cum universe de omnium animis hominum, tum de Christi potissimum asseveravit Origenes.

Præterea hanc eamdem animam cum Verbo conjunctam fuisse *ab initio creaturæ*, et ante-

(1) PAMPH. apud Zon. pag. 534. Οὐ Παυλιανιστήν σε φωνήσω; ἀλλ' ἐν τοῖς συγγράμμασιν ἔφης, μετὰ τὴν Τριάδα, φανεῖν Χριστὸν δι' ἡμᾶς σταυρωθέντα.

(2) Ibid. pag. 535. Οὐ Νεστοριανόν σε φράσω; ἀλλ' ἀπέδειξας μετὰ τὸν Πατέρα, μὴ ὁμολογεῖν τὸν ὑμνούμενον ὑπὸ πιστῶν Θεοῦ ἰσχυρὸν Υἱόν, σαρκὶ ἐσταυρωμένον.

[1] Lib. 10. c. 1. p. 419. — [2] In append. Conc. Const. sub. Menna Tom. 4. Conc. p. 149. et seq. et apud Zonar. p. 534.

[3] Justin. apud Zonar. p. 538. et 543. — [4] Epist. Pasch. 1. col. 86. Tom. 3. Bibl. PP. — [5] Cap. 14. § 4.

quam in corpus illaberetur, idem opinatus est : extatque dogma illud in libro secundo profani operis *de Principiis*, capite 6. ubi « unigenitum Dei Filium participationem sui universis rationabilibus creaturis invisibiliter præbuisse » *dicit ;* « ita ut tantum ex eo unusquisque participii sumeret, quanto erga eum dilectionis inhæsisset affectu. Verum cum liberi arbitrii facultate varietas unumquemque, ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore, et exiliore erga auctorem suum amore teneretur, illa anima, de qua dixit Jesus [1], *Quia nemo auferet a me animam meam*, ab initio creaturæ, et deinceps, inseparabiliter ei, atque indissociabiliter inhærens, utpote sapientiæ, et verbo Dei, et veritati, ac luci veræ, et tota totum recipiens, atque in ejus lucem, splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus : sicut et Apostolus his, qui eam imitari deberent, promittit, quia qui se jungit Domino, unus spiritus est. » Joannes item Damascenus νοῦν, id est *mentem*, unitam fuisse Verbo, antequam incarnaretur, Origenem ait existimasse.

VI. Quanquam dubitari potest, an conjunctionem illam animæ cum Verbo ante procreationem corporis, substantivam, et hypostaticam, an potius σχετικὴν, et solius affectus, ac voluntatis, adeoque *moralem*, ut vocant, esse putarit Origenes. Et videtur hypostaticam plane constituisse. Etenim subinde Verbum assumpsisse carnem, eamque sibi copulasse « mediante substantia animæ inter utrumque » asserit. Tum addit ista : « Sed neque rursus anima illa, utpote substantia rationabilis, contra naturam habuit capere Deum, inquem, ut supra diximus, velut in verbum, et sapientiam, et veritatem, tota jam cesserat. Unde et merito pro eo quod tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea, quam assumpserat, carne Dei filius, et Dei virtus Christus Dei sapientia appellatur. »

Theophilus Alexandrinus in epistola prima Paschali, quæ est contra Origenem, ut eam citant veteres [2], quamdam illius sententiam commemorat, quæ est ejusmodi : « (1) Quemadmodum Filius et Pater unum sunt : ita et anima, quam assumpsit Filius, et ipse, unum sunt. » Quæ verba Theophilus sic interpretatur, tanquam ejusdem cum divinitate substantiæ Christi animam esse voluerit. Verum nisi ad eam, quam *moralem* nominant, conjunctionem ; cujusmodi et nostram optabat esse Christus ; referre ista placet ; de hypostatica potes accipere. Sic illud ex eodem depromptum Origene Theophilus exagitat [3] : locum illum Apostoli, in quo [4] *semetipsum exinanisse* dicitur *Christus*, *et formam servi accepisse*, de anima ipsius intelligendum esse. Ex quo sequitur, animam Christi ejusdem cum Deo Verbo esse substantiæ : tum etiam ceterorum hominum, quæ ejusdem cum illa substantiæ sunt, animas, non disparis esse conditionis. Cujusmodi fuisse Origenis dogma, scribit Hieronymus in epistola ad Avitum. Quanquam addit Hieronymus ita illum dixisse, Deum, et angelos, et animas, ac rationales adeo creaturas omnes quodammodo unius esse substantiæ. « Unum addit verbum, *inquit*, ut tanti sacrilegii crimen effugeret. » Rursus idem Origenes tomo primo in Joannem [5], quod ab Evangelista scriptum est, Joannem Baptistam dixisse in Christo [6], *Qui post me venit*, *ante me factus est*, ad ejusdem trahit erroris argumentum ; « Ut edoceamur, *inquit*, etiam hominem filii Dei, divinitati ipsius commistum ante fuisse, quam nasceretur ex Maria. » De hac προϋπάρξει Origeniana legendus Rusticus diaconus in dialogo contra Acephalos [7].

Ad hæc, Filium Dei « ut hominem hominibus, sic angelum angelis esse factum, » in eodem loco commentariorum in Joannem asserit, necnon homilia 8. in Genesim. Quo et illud pertinet, quod eumdem sensisse Origenem refert Hieronymus : « Pro salute dæmonum Christum etiam in aere, et in supernis locis esse passurum. » Et, quod in expositione epistolæ ad Romanos apud Origenem legitur [8], Christum singulis angelorum ordinibus in propria cuique apparuisse forma, et omnibus Evangelium prædicasse. Quem Origene antiquiorem errorem de assumpta angelorum natura, refutavit in libro de carne Christi Tertullianus [9]. Sulpicius Severus in Dialogo primo [10] meminit erroris illius Origeniani de redemptione dæmonum : ex quo summam illi conflatam invidiam esse narrat Alexandriæ, cum Theophilus episcopus sectam illam persequeretur.

VII. Neque vero tantum ab hæreticis perfidiæ argumenta sumpsit Eutyches, sed etiam

(1) Theoph. in epist. 1. pasch. apud Theodor. dial. 2. pag. 101. Ὥσπερ ὁ Υἱὸς, καὶ Πατὴρ ἕν εἰσιν, οὕτω καὶ ἣν εἴληφεν ὁ Υἱὸς ψυχὴν καὶ αὐτὸς, ἕν εἰσιν.

[1] Joan. 10. 18. — [2] Theodoret. Dial. 2. p. 101. — [3] In ep. Pasch. Tom. 3. Bibl. PP. col. 88. — [4] Phil. 2. — [5] Tom. 2. Oper. Orig. p. 169. F. — [6] Joan. 1. — [7] Rust. Tom. 4. Bibl. col. 810. — [8] Orig. in ep. ad Rom. pag. 297. E. — [9] Cap. 14. — [10] Sev. Dial. 1. c. 2.

ab catholicis Patribus : quorum ex dictis male interpretandæ Dominicæ incarnationis qualemcumque causam habuit, aut se habuisse finxit. Præcipuam vero illi occasionem errandi Cyrillus præbuit : quo potissimum auctore, ac patrono, tam ille, quam ab eo propagatæ sectæ omnes gloriari solebant. Etenim Cyrillus passim, duas naturas *ante unionem*, et *incarnationem ;* post *unionem*, nonnisi unam fuisse scribit : ut in epistola ad Acacium Melitinensem episcopum [1], et in dialogo de uno Christo [2] : in epistola ad Eulogium [3], in utraque ad Successum : in quibus celebrem illam, ac tot deinde contentionibus agitatam sententiam edidit : « (1) Post unitionem, in Christo unam tantummodo Verbi incarnatam esse naturam. » Quod quidem Cyrilli dictum, etiam Catholicorum judicio perobscurum, ac non uno modo ab illis intellectum, ansam dedit nefariæ hæresis imperitissimo seni, qui pessime, ac contra Cyrilli mentem illud accepit. Dicemus de hac re postea copiosius, ac verum sensum verborum istorum explicabimus : de quo legi possunt quæ in quarto de Trinitate libro disputavimus, cum de vocabulo φύσεως ageremus. Eutyches certe in Constantinopolitana synodo postulatus hæresis, palam professus est, se ab Cyrillo, et aliis Patribus, atque imprimis Athanasio didicisse : « (2) Ex duabus naturis ante unitionem esse Christum ; post unitionem et incarnationem, non duas amplius naturas esse, sed unam : » nec addidit, σεσαρκωμένην, hoc est *incarnatam ;* quod Cyrillus usurpaverat.

VIII. Occurrunt et apud veteres alios sententiæ quædam, quæ eidem errori suffragari videntur ; ut cum Gregorius Nyssenus ait, humanam naturam ita commistam esse divinæ ; « (3) velut si aceti stilla in mare projecta huic admisceatur : fit enim mare : propterea quod naturalis qualitas tantuli liquoris, in elementi prævalentis infinitate non maneat. » Hæc nisi compensarentur cum plerisque aliis ejusdem sanctissimi doctoris sententiis, quibus duas in Christo naturas aperte post Incarnationem distinguit, offensionis aliquid traherent.

Etenim videntur Eutychiani et Apollinaristæ hoc, aut hujus simili exemplo multum usi, ad explicandum, illustrandumque dogma suum. Anastasius certe in ὁδηγῷ capite 13. pag. 276. eamdem aceti guttæ similitudinem ab Eutychianis allatam diluit. Sic apud Theodoretum Eranistes, postquam dixit, « (4) Divinitatem quidem mansisse, sed ab ea humanam naturam absorptam fuisse, » hac deinde similitudine rem exponit : « (5) Ut si mare guttam mellis capiat. Statim enim gutta illa evanescit maris aquæ permista. » Ad quæ Orthodoxus respondens, negat itidem confundi naturas in Christo, ut humores illos duos. De qua re postea fusius, ubi et Gregorium Nyssenum, et Cyrillum, et alios Patres ab impuræ opinionis invidia vindicabimus.

(1) Cyr. in 1. ad Succ. pag. 137. Μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην.

(2) In act. 1. Chalced. conc. pag. 124. Εὐτυχὴς πρεσβύτερος εἶπεν· ἐγὼ ἀνέγνων, τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου, ὅτι ἐκ δύο μὲν φύσεων εἶπον πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν σάρκωσιν, οὐκέτι δύο φύσεις εἶπον, ἀλλὰ μίαν.

(3) Nyss. lib. 4. contra Eun. pag. 162. et seq. Ὡς εἴ τις λέγοι ὅτι τὴν σταγόνα τοῦ ὄξους ἐμμιχθεῖσαν τῷ πελάγει, θάλασσαν ἡ μίξις ἐποίησε, τῷ μηκέτι τὴν κατὰ φύσιν ποιότητα τοῦ ὑγροῦ τούτου, ἐν τῇ ἀπειρίᾳ τοῦ ἐπικρατοῦντος συμμένειν : quod et repetit in epist. ad Theophilum contra Apol. pag. 697.

(4) Theod. dial. 2. pag. 77. EPAN. Ἐγὼ τὴν θεότητα λέγω μεμενηκέναι, καταποθῆναι δὲ ὑπὸ ταύτης τὴν ἀνθρωπότητα.

(5) Ibid. EPAN. Ὡς ἡ θάλασσα μέλιτος προσλαβοῦσα σταγόνα· ῥεῦδος γὰρ εὐθὺς ἡ σταγὼν ἐκείνη γίνεται, τῷ τῆς θαλάττης ὕδατι μιγνυμένη.

[1] Tom. 5. Cyr. Par. 2. p. 115.

[2] Tom. 5. Par. 1. p. 735. — [3] Tom. 1. Par. 2. p. 133.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De Eutychianæ sectæ propagine : quæ exposita temporis Chalcedonensem secuti synodum historia declarantur. De Alexandrinis episcopis catholicis, et hæreticis ; sub quibus, vel a quibus incrementum habuit hæresis illa : Timotheo Ælluro, Petro Moggo, Theodosio monacho Palæstino : nece Proterii, Leonis imper. studio, et confirmatione Chalced. synodi : Acacio Constantinop. et ejus schismate : Petro Cnapheo, et Theopaschitis : Basilisci tyranni decreto contra Synodum, Zenonis henotico, Acephalis, Hæsitantibus, Anastasio imper. Severo, Corrupticolis, Incorrupticolis, Theodosianis, Gaianitis, Justiniano. imper. Anthimo Trapezuntino, Tritheitis, Joanne Philopono. Quæ omnia breviter, accurateque declarantur.

I. Quod de Eutychiana hæresi decimi quarti capitis initio dixi, nullam fœcundiorem exti tisse, neque vel latius effusam ; vel in plures particulas, factionesque distractam : hujus fidem, ac specimen præsens exhibebit caput, in quod præcipuas illius sectæ propagines, ac si qua eodem spectantia sunt alia, scitu, et historia digna conferemus. Commode græci scriptores ea κέρατα, id est *cornua,* nominarunt, sic tanquam exitialis illius bestiæ, quam decem cornibus infestam, per visum Daniel [1], aut Joannes evangelista [2], prophetæ ambo conspexerunt. Ac decem revera hæresis istius cornua, totidem ejus antesignanos, et principes vocat Anastasius Sinaita [3], τὸ δικέρατον (ſ. δεκακέρατον) τῆς πλάνης, id est *decicorne monstrum erroris*, quos etiam nominatim percenset : et sunt isti, Eutyches, Dioscorus, Timotheus, Gaianus, Julianus, Severus, Jacobus, Petrus Cnapheus, Barsanuphius, Theodosius. Præter quos alibi [4] *Semidalitas*, [5] *Harmasitas*, et [6] *Nagranitas* enumerat : et plures insuper historia ipsa subjicit ; uti Petrum Moggum, Acephalos, Hæsitantes, ac similia portenta, quorum omnium ita ratio constabit.

II. Post Chalcedonensem peractam synodum, et Dioscorum damnatum, ac Gangras relegatum, ingentes Alexandriæ turbæ coortæ sunt, cum de ordinando in Dioscori locum episcopo cœptum est agi [7]. Sed nec electo Proterio, viro sancto, et catholico, conquieverunt : atque ut erant natura proni in factiones Alexandrini, duas in partes scissa est civitas, aliis ad Proterium sese adjungentibus, qui ut numero pauciores ita honestiores erant, aliis Dioscoro, quoad superstes fuit, fidem servantibus : quorum plerique, ne mortuo quidem illo, ad concordiam reversi sunt. Itaque Proterius inter tot tumultus quotidianum vitæ periculum adiens, militari se præsidio vallare opus habuit. Primarii concitandæ multitudinis duces fuere Timotheus Ælurus presbyter, et Petrus Moggus diaconus : qui Proterii communionem abdicantes, ob eam causam illius sententia damnati sunt [8].

Per idem tempus [9] Theodosius monachus, Eutychiana imbutus hæresi, homo truculentus, qui Chalcedonensis synodi tempore tumultuandi præcipuus auctor fuerat, in Palæstinam excurrens, ubi tum degebat Eudoxia Theodosii quondam uxor ; grassationibus, ac seditionibus late infestam hanc provinciam habuit. Quippe Imperatrice in communionem hæresis abducta, gratia, opibusque præpotens, Juvenalem Hierosolymitanum, et Domnum Antiochenum episcopos fugere compulit ; ipse in Juvenalis locum ab suis prædonibus ordinatus est. Sed eum paulo post Marcianus comprehensum ad se perduci, et qui ab eo facti erant episcopi, vi extrudi, et catholicos revocari jussit. Verum Theodosius fuga dilapsus in Sinæum montem secessit. Quo digresso, Juvenalis in sedem restitutus est, Eudoxia Simeonis stylitæ, et Euthymii opera ad sanam mentem rediit [10].

III. Interim [11] post Marciani obitum, anno 457, Timotheus Ælurus, horribili seditione commota totam Ægyptum permiscuit : ac monachorum, quos sacrilega fraude circumvenerat, satellitio fretus, Alexandrinum invasit episcopatum ; atque ab episcopis duobus, qui damnati, et in exilium pulsi fuerant, consecratus est, Eusebio Pelussi, et Petro Maiumæ. Inde Alexandriam introductus, contra Proterium odio ac furore imperiti vulgi inflammavit animos. Ille die ipso cœnæ Dominicæ

[1] Dan. 7. 7. — [2] Apoc. 12. et 13. — [3] Anastas. in ὁδηγῷ, c. 6. p. 98. et c. 24. p. 364. — [4] Anast. ib. p. 98. — [5] Cap. 10. p. 154. — [6] Pag. 152. — [7] Cap. 23. p. 348. — [8] Evag. lib. 2. c. 4. et 5. Liber. c. 14. Leont. Act. 5. Theophan. Niceph. lib. 15. c. 8. et seq. Brevic. hist. Eutyc.

[9] Evag. l. 2. cap. 5. Theophan. Niceph. l. 15. c. 9. Cyril in vita S. Euth. c. 12. Januarii 20. — [10] Cyril. ib. cap. 14. — [11] Epist. Ægypt. ad Leo. Imp. apud Evag. l. 2. c. 8. Liber. cap. 15. Theod. Lect. Leont. Act. 5. Theoph. Cedr. Niceph. lib. 15. c. 16. Brevic.

conclusus a turba intra Ecclesiam, in baptisterio, quo se receperat, Timothei jussu interemptus est. Ejus cadaver tractum per urbem, et laniatum, incendio postremo traditum est; cineres ipsi disjecti sunt, et in aerem sparsi. Tanta porro rabies vesanæ multitudinis fuit, ut detracta illius viscera discerperent, ac degustarent; quod in epistola ad Leonem Augustum episcopi Ægyptii, ac clerici testantur. Hæc anno gesta sunt Christi 457. cum antea eodem anno, Marcianus excessisset e vivis, Januarii 26. ut Theodorus lector in Collectaneis fidem facit.

IV. Litteræ de iis ad imperatorem Leonem utrinque factæ sunt [1], tam ab Ægypti episcopis, ac clericis, quibus de Timothei immanitate, ac Proterii nece conquerebantur, quam ab Timotheo, et ejus asseclis, quibus factum excusabant, postulabantque uti Chalcedonensem synodum abrogandam curaret. His Imperator acceptis, ne synodum denuo cogeret, circulares epistolas ad omnes Romani orbis episcopos scripsit, ut quid de concilio Chalcedonensi, et Timotheo statuendum videretur, singillatim perscriberent. Responsum ab omnibus est « Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam, (verba sunt Liberati,) Timotheum vero non solum inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari. » Extat exemplum Encyclicæ hujusmodi Leonis imperatoris ad Anatolium, apud Evagrium [2] : ac Leonis papæ ad eumdem responsum [3], Constantino, et Rufo Coss. cal. Nov. qui fuit annus 457, Leonis primus. Mille ac sexcentos episcopos ad Imperatorem eodem consensu rescripsisse refert Eulogius Alexandrinus episcopus apud Photium [4]: Ephræmius vero Antiochenus episcopus nonnisi 470. numerat [5], ac præter hos, insignes monachos Simeonem styliten, Jacobum, et Baradatum. Imperator his commotus, Timotheum Alexandria pelli, et Gangras relegari præcepit [6], unde Chersonam postea translatus est, cum in locum illius suffectus est Timotheus Solofaciolus catholicus episcopus.

V. Non minus in Oriente turbatum est, Petri Cnaphei, sive *Fullonis*, nequissimi hominis fraude, ac perfidia. Hic, ut Theodorus lector, Theophanes, et Nicephorus Callisti libro 15. capite 18. narrant, necnon Breviculum Eutychianæ hæresis, presbyter primum ecclesiæ S. Bassæ apud Chalcedonem, deinde monasterio cuidam Constantinopoli præfectus, criminum conscientia, profugit Antiochiam, Zenonem ab Leone imperatore Ducem factum orientis secutus, anno Christi 463. Ibi per Martyrii præsulis absentiam populum nactus studiis suis obsequentem, contra episcopum pariter, et catholicam fidem res novas molitus est, Zenonis favore fretus. Eutychis, et Apollinaris veneno contactus Theopaschitarum hæresim apertius præ se tulit; ac Trisagii hymnum primus appendice addita corrumpere est ausus: de qua postea dicam. Martyrius Constantinopoli reversus Antiochiam, ubi majores, quam ut pati, vel sedare posset, tumultus comperit, publice renuntians episcopatui, ex urbe discessit. Vacuam illius possessionem statim Petrus invadit. Sed Leonis imperatoris decreto exilio damnatus, antequam in Oasim deportaretur, clanculum aufugit.

VI. Post Leonis obitum [7], Zenone imperante, Basiliscus Verinæ socrus imperatoris frater tyrannidem invadit anno Christi 475. et cum Eutychianæ faveret hæresi, Timotheum Ælurum ab exilio revocat. Qui [8] cum Petro Cnapheo sectæ ejusdem antesignano Constantinopolim venit, Acacio jam illam sedem obtinente. Basiliscus, Timotheo suadente, contra Chalcedonense concilium, et epistolam Leonis edictum promulgat, quod apud Evagrium legitur [9] : qui et quingentos circiter episcopos illi subscripsisse refert [10]. Timotheus Alexandriam reversus [11], cum Petro Moggo, sedem recuperavit; fugato Timotheo Solofaciolo, et Chalcedonensem synodum proscripsit. Petrus item Cnapheus Antiochenam sedem recepit.

Interim Acacius Basilisco tyranno succensens, vel potius, ut Theophanes prodidit, populi ac monachorum consensum adversus hæresim, cui clam favebat, veritus, utrisque stipantibus, illum aggreditur, et catholicam profiteri fidem, atque edictum, quod contra Synodum fecerat, novo et contrario decreto abrogare coegit.

Post hæc [12] Zeno altero anno, quam ejectus erat a Basilisco, resumptis animis Constantinopolim cum exercitu venit : tyrannum vincit, et in potestatem redactum in Cappadociam mittit, ibique eum interficit. Tum acta illius omnia

[1] Evag. l. 2. c. 9. Liber. c. 15. Theophan. Nicephor. l. 15. c. 17. et 18. ex Marcel. Brev. Hist. Eutych. — [2] Loco cit. — [3] Leo P. ep. 75. — [4] Apud Phot. cod. 230. pag. 463. — [5] Apud Phot. cod. 229. p. 419. Nicephor. l. 15. c. 19. — Evag. lib. 2. c. 11. et seq. Liber. c. 16.

[7] Evag. lib. 3. c. 3. et seq. Liber. c. 16. Theophan. Theod. lect. lib. 1. — [8] Evag. l. 3. c. 5. — [9] Ib. c. 4. Nicephor. lib. 16. c. 3. — [10] Cap. 5. — [11] Evag. lib. 3. c. 7. Brevic. Liber. c. 16. Theophan. Nicephor. l. 16. c. 5. et seq. — [12] Evag. lib. 3. c. 8. etc. supra cit. Simpl. Pap. ep. 5. et seq.

rescindit. Petrum Cnapheum Antiochia deturbat, Timotheum Ælurum itidem expelli jubet, de cujus exitu diversa produntur. Evagrius Zenonem senectuti illius pepercisse refert [1] : et hunc paulo post diem suum obiisse. Liberatus metu Imperatoris veneno sibi conscivisse mortem [2]. Asiatici episcopi, qui Basilisci nefario edicto subscripserant, veniam ab Acacio deprecati sunt, oblatis supplicibus libellis.

VII. Alexandriæ vero, restituto catholico antistite Timotheo, hæretici Petrum Moggum episcopum ordinant. Quem Zeno morte damnavit, ut scribit Evagrius. Sed dejectum Alexandriæ delituisse, fidem faciunt auctores idonei [3], atque Evagrius etiam ipse. De hoc itaque longius amandando cum Timotheus Solofaciolus ad Simplicium papam scripsisset [4], hic tum Zenonem imperatorem ad id hortari non destitit, tum Acacium, ut apud Imperatorem sedulo id ageret, ac triennio fere toto hunc eumdem interpellavit [5] : sed frustra. Nam Petro favebat Acacius, et Acacii suasu Zeno ipse, cum tamen ad Simplicium scribens paulo ante idem Acacius [6], impurum hominem Alexandrinæ sedis invasorem notasset, ac Timotheum Solofaciolum laudasset.

Hæc Acacii perfidia ingentes orientali Ecclesiæ calamitates, et ab Romana et occidentali dissidium attulit. Mortuo Timotheo Solofaciolo [7], cum a Catholicis suffectus esset Joannes Talaida, hunc Acacii impulsu Zeno expelli jussit, et Petrum Moggum restitui, de quo etiam ad Simplicium papam scripsit.

Nec eo contentus, Acacius auctor etiam Zenoni fuit, ut ad conciliandos cum Catholicis hæreticos, decretum, ac fidei formulam mediam inter utrosque scriberet, quod Ενωτικόν, hoc est *Conciliatorium* appellavit [8]. In eo Ephesinam, et Chalcedonensem synodum ascivit, Nestorium, et Eutychem rejecit. De una tamen, aut duabus naturis post Incarnationem, callide tacuit; ne cui parti præjudicium faceret. Id anno 482. promulgatum est. Quod cum Petrus Moggus admisisset, cum eo communionem junxit Acacius, ac cum altero Petro cognomento Cnapheo, qui Constantinopoli tunc degebat.

VIII. Anno post promulgatum henoticon, cum decessisset Simplicius papa, successit ei Felix tertius, qui henoticum respuit, et Romæ synodum cogit [9]; ex qua legati Constantinopolim missi episcopi duo, Vitalis Troentinus, et Misenus Cumanus, qui apud Imperatorem agerent, ut Petrus Moggus Alexandria pelleretur, et Acacium Romam citarent ad causam dicendam. Verum in custodiam conjecti legati, et ab Acacio postea corrupti, fœde prævaricati sunt, ac cum hæreticis communicaverunt. Quibus rebus permotus Pontifex, Romæ iterum congregata synodo, tam legatos honore omni, et communione privavit, quam Acacium ipsum, anno 484, Venantio consule [10]. Acacius vero parvi ista pendens, in hæreticorum communione perseveravit, ac Felicis ipsius nomen e sacris diptychis exemit [11]. Quo ex tempore apostolica Sedes ab Constantinopolitanæ communione divulsa est : nec nisi post annos quinque circiter ac triginta, Justino primo Imperatore, Hormisdæ papæ opera, redintegrata concordia est, anno Christi 519.

Idem Acacius « etiam Petrum Antiochenum, » qui Cnapheus cognominatus est, « ejecto catholico Calendione, quem ipse ordinaverat, ad Antiochenam misit Ecclesiam, » ait auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum. Qui [12] recuperata sede, henotico, cui ante subscripserat, non contentus, Chalcedonense palam damnavit concilium, et ad Trisagii finem clausulam hanc adjecit, *Qui passus est pro nobis, miserère nobis*, ac Theopaschitarum sectæ initium dedit. Quæ a Patripassianorum hæresi in eo distabat, quod non solum Patrem, sed totam ipsam Trinitatem passam esse dicebat. Quanquam in eum quoque sensum accepta sit appendix ista Petri Cnaphei, ut una tantummodo Trinitatis persona secundum divinitatem passa sit [13] : atque ita Felix tertius ad eumdem Cnapheum scribens mentem illius exponit.

Ad insolitæ et horrendæ novitatis portentum cum totus orbis commotus esset, complures ad Petrum Cnapheum litteras scripserunt, quibus eum castigabant. Inter quos Acacius ipse, qui tum vivebat : tum Felix papa, aliique episcopi, qui in Romana synodo contra Acacium, et Moggum in unum convenerant, anno, ut paulo ante memini, 483. Extant multorum argumenti hujus epistolæ, et ipsius Acacii, græce, latineque [14]. Igitur in synodo illa Ro-

[1] Evag. c. 11. Niceph. l. 16. c. 11. — [2] Cap. 16. — [3] Simpl. ep. 10. et seq. Fel. P. epist. 2. lib. c. 6. Brevic. — [4] Simpl. in epist. cit — [5] Brev. — [6] Acacii ep. ad Simpl. inter Simpl. ep. vide Brevic. et lib. c. 17. — [7] Evag. c. 12. Brevic. Simpl. P. ep. 17. Liber. etc. — [8] Liber. c. 17. et 18. ubi Henot. describit, quod et apud Evag. extat c. 14. et Niceph. l. 16. c. 12.

[9] Evag. l. 3. c. 18. et seq. Liber. c. 18. Brevic. Niceph. l. 16. Fel. Epist. Tom. 3. Conc. — [10] Felix ep. 6. ad Aca. — [11] Niceph. l. 16. c 17. — [12] Theoph. Evag. l. 3. c. 16. Niceph l. 18. c. 51. Cedr. Euth in Pan. Tit 17. — [13] Fel. II. ep. 3. To. 3. Conc. — [14] Græcolat. apud Zonar. in Canon. et Lat. Tom. 3. Conc.

mana Petrus ille condemnatus est. Fuisse vero illam eamdem hæresim longe antiquiorem supra demonstravimus.

IX. Ceterum Alexandriæ nova quædam coorta factio est, sive nova potius ejusdem sectæ nuncupatio, cum natum in ea quoddam dissidium esset. Etenim [1] Petrus Moggus Alexandrinam in sedem ab Zenone restitutus, ex henotici, quod admiserat, præscripto, Chalcedonense concilium minime damnabat. Displicuit hoc perditis, ac nefariis quibusdam Eutychianis, qua peste illa civitas abundabat, qui ea de causa Petri communionem ejurarunt, « (1) ac propterea nominati sunt Acephali, quod a capite, id est patriarcha suo disjuncti, seorsim congregabantur : » ut Leontius memoriæ prodidit; multo verius, quam Liberatus [2], qui « Acephalorum auctores » putat illos, qui concordiam illam Cyrilli cum orientalibus, et horum principe Joanne Antiocheno, minime probantes, « neque Cyrillum habebant caput, neque quem sequerentur ostendebant. » Hoc quidem Acephalorum vocabulum ad totam Eutychianorum sectam permanavit; adeo ut non sæpius *Eutychiani*, quam *Acephali* vocentur. Ac tametsi Petrus Moggus, quo illos sibi conciliaret, subinde Chalcedonensi synodo anathema dixerit, nihil omnino promovit. Nam nihilo secius in dissidio perseverarunt, quod aliquando, henotico Zenonis admisso, Synodum Petrus neutiquam abdicasset.

Præter hos alia sectæ ejusdem praticula se ab reliquis abscidit; quos διακρινομένους, id est *Hæsitantes* appellarunt, ut idem Leontius narrat, nec eorum dogma quod fuerit apertius exponit. Chalcedonensi quidem adversatos esse synodo, et Eutychis hæresim amplexos esse demonstrat idem, cum eorum proponit, ac refellit argumenta.

X. Ex Hæsitantium numero fuisse Anastasium imperatorem, qui Zenoni anno 491. successit, testis est Leontius. Eumdem tamen nihil innovari passum esse neque a Catholicis, neque ab hæreticis, scribit Evagrius [3], ac miram eo imperante fuisse Ecclesiarum discordiam, episcopis singulis pro opinione, ac libidine sua impune se gerentibus; cum et orientales inter se, et ab occidentalibus dissiderent.

Hoc imperante, novum quoddam portentum Acephalorum secta protulit, Severum impurum, ac facinorosum hominem. Hic [4] Sozopoli oriundus in Cilicia primum in foro versatus est, deinde post baptismum monachus factus est in quodam cœnobio Gazam inter et Maiumam, unde ob hæresim ejectus cum aliis plerisque a Nephalio, qui ab Eutychiana professione ad catholicam transierat, Constantinopolim profectus in Anastasii imperatoris notitiam pervenit, qui etiam agente illo, Macedonium Constantinopolitanum antistitem catholicum expulit [5], necnon Flavianum Antiochenum; atque hujus loco Severus ipse ordinatus est anno Christi 512. nempe χρηματισμοῦ τῆς Ἀντιοχείας, ut putat Evagrius [6], anno 561. ineunte, Dio mense, qui Novembri respondet, indictione sexta. Simulatque thronum est adeptus, henoticon Zenonis recepit, damnavitque Chalcedonensem synodum contra fidem Anastasio imperatori jurejurando prius obligatam [7]. Hic enim stipulatus ab illo fuerat, nihil ipsum, ubi sedem illam obtinuisset, contra Synodum esse facturum. Hoc initio grassandi facto, catholicos episcopos, qui ejus synodicis litteris subscribere nollent, et anathema Synodo dicere, vexare instituit, ac sedibus suis expellere.

XI. Anastasio mortuo [8], anno Christi 518. Justinus imperator catholicæ religionis studiosissimus, eodem renuntiatus est, et purpuram induit, Julii nono, ac statim, Vitaliani magistri militum, quem Severus maledictis lacerarat, impulsu, misso Irenæo Magistriano, ut ait Liberatus, rapi ad sese jussit hæreticum, ac linguam ei amputari. Quod cum ille rescisset [9], fuga supplicium antevertit, et Septembri mense elapsus Antiochia, Alexandriam se recepit, quo et Julianus Halicarnassensis ejusdem particeps hæresis ante confugerat. Præerat tunc Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus hæreticus, qui profugos illos libenter excepit.

Ex isto sceleratorum hominum concursu, ac contubernio triplex impietatis fetus erupit. Cum enim de Severo sciscitatus esset monachus quidam [10], an Christi Domini corpus *corruptibile* fuisset, an *corruptionis expers*, ille corruptibile a sanctis Patribus haberi respondit. Hoc audito, nonnulli Alexandrinorum Julianum Halicarnassensem interrogarunt, quid ipse sentiret. Hic sanctos Patres e contrario *incorruptibile* asseverare dixit. Ex hac scintilla

(1) LEONT. act. 5. Καὶ ἐλέγοντο οἱ τοιοῦτοι Ἀκέφαλοι, διότι τῷ πατριάρχῃ αὐτῶν μὴ ἀκολουθήσαντες, καθ' ἑαυτοὺς ἐκτιθόνευν.

[1] Leon. Act. 5. — [2] Liberat. c. 9. — [3] Lib. 3. cap. 30. — [4] Evag. lib. 3. c. 33. Niceph. l. 16. c. 29. — [5] Liber. c. 19. — [6] De hac æra vide lib. 10. de Doctr. Tempor. c. 62. — [7] Joan. quidam apud Niceph. l. 16. c. 29. Theod. lect. l. 2. — [8] Evag. lib. 4. c. 1. Liber. c. 19. Niceph. lib. 17. c. 2. — [9] Evag. ib. c. 4. — [10] Liber. c. 19. Leont. Act. 5. Eutych. Pan. Tit. 16.

magnum subito incendium extitit, utroque suam opinionem propugnante., ac scriptis alteram lacessente. Hinc *Corrupticolarum*, et *Incorrupticolarum* enatæ sunt sectæ. Movebat hos potissimum istud argumentum, ut scribit Leontius, quod si *corruptibilem* Christi carnem dixeris, jam hoc ipso duas in Christo naturas esse fateare, unam incorruptam, alteram corruptionis capacem. Huic Severus occurrebat, nihilominus asserens posse naturæ singularitatem adstrui, etsi corruptioni carnem subjicias.

XII. Tertia exinde pullulavit Agnoetarum factio. Timotheum enim Alexandrinum episcopum, qui, ut refert Liberatus, in Severi sententiam erat propensior, ut autem Leontius affirmat, modo hunc, modo alterum sequebatur, interrogavit Themistius diaconus, an et ignorasse aliqua Christum consentaneum esset, siquidem corruptioni fuit obnoxius. Negante illo, Themistius ab ejus communione recedens, ignorantiam Christo perseveravit adscribere, et Agnoetarum sectam condidit, quæ ab auctore Themistiana dicta est.

Ex his [1], qui Severi, et Juliani partes auctoritate sustentabant, duo Alexandriæ fuere, Theodosius, et Gaianus, ille *corruptibile*, hic *incorruptum* Christi corpus asserentes. Qui Timotheo defuncto, populum in contraria studia diviserunt. Nam Theodosius Theodoræ nutu successor illi destinatus est, suffragante clero. At monachi cum plebe, Gaiano Juliani partibus addicto faventes, hunc, extruso Theodosio, per vim introduxerunt. Ac vicissim Theodora, misso Narsete cubicularo, Gaianum Carthaginem relegavit, et Theodosium restituit. Ex quo seditiones, et cædes utrinque factæ; sed major militum: in quos magno consensu populus impetum fecit, mulieribus in eos quidquid occurreret e summis tectis jaculantibus. Sed vicissim illi subjecto ædibus incendio ulti se, stragem maximam ediderunt. Diu itaque in partes distracta civitate, alii Gaianitæ, sive *Phantasiastæ*; alii Theodosiani, qui et *Corrupticolæ*, deinceps nominati sunt. Postremo Theodosius populi seditionibus exagitatus, Constantinopolim ad Theodoram ejus accitu profectus, quod in sententia perseveraret, ab Justiniano ad sextum ab urbe milliare relegatus est. De Theodosianis et Gaianitis quædam scitu digna refert ex Eulogio Photius codice 227.

XIII. Porro Justinianus Catholicorum partes, et Chalcedonensem amplectebatur synodum, Theodora vero Severi dogma tuebatur. Quod quidem ambos ex composito fecisse Procopius in Arcana historia scriptum reliquit, rem in dubio relinquit Evagrius [3]. Theodoræ accitu [3], Constantinopolim venit Severus, cum ei urbi præesset Anthimus, Trapezuntina ex sede in illam translatus anno 535. Justiniano imperante [4]. Cumque Agapetus pontifex Romanus anno eodem Constantinopolim adiisset [5], Anthimum hæresis convictum deposuit, nequicquam obsistente Theodora; ac Mennam ei subrogavit. Auctor est Evagrius [6], Severum Anthimo persuasisse, ut hæresim suam episcopatu Constantinopolitano potiorem duceret, eoque cederet. Mortuo jam Agapeto [7], quem 10. cal. Maias, anno 536. obiisse scribit Anastasius in ejus vita, synodus Constantinopoli habita est a Menna, cui legati Romanæ Sedis interfuerunt, cœptaque 6. non. Maias. In qua variis clericorum, et monachorum de Severo, Petro Apameensi, Zoara, et Anthimo querelis acceptis, hi omnes excommunicati sunt. Post edicto Justiniani imperatoris relegati, et eorum libri incendio damnati [8]. Eadem Constantinopolitana acta in Hierosolymitana synodo brevi postea confirmata sunt [9].

XIV. At idem Justinianus postea in Aphthartodocitarum impegit hæresim [10], qui Christi corpus expers corruptionis, etiam dum hic vixit, fuisse dicebant, neque naturalibus, et peccato carentibus affectionibus obnoxium. Ideo resistentem sibi Eutychium patriarcham Constantinopolitanum Amaseam, quæ est in Ponto, relegavit. Cumque alios item patriarchas et episcopos ad hæresis illius professionem cogere vellet, Anastasius Antiochenus vir sanctitate, doctrinaque præstans, acerrime illi repugnavit. Paulo vero post Justinianus, ne in hunc, ceterosque durius animadverteret, morte obita est impeditus.

Ex Eutychianorum, Monophysitarumque secta, Tritheitarum orta factio est [11], quo tempore Theodosius Alexandrinus episcopus sede sua pulsus Constantinopoli morabatur, ut ait Leontius. Cujus instaurandæ auctor fuit Joannes Grammaticus cognomento Philoponus, ex Eutychiana, ut apparet, hæresi, quippe qui et contra Chalcedonensem scripsit synodum, ut testatur Nicephorus, et eumdem scribit Leon-

[1] Liber. c. 20. — [2] Lib. 4. c. 10. — [3] Evag. ib. et cap. 11. Niceph. lib. 17. c. 8. — [4] Liber. c. 20. Niceph. lib. 17. c. 9. — [5] Liber. c. 21. Syn. Const. sub Menna. — [6] Lib. 4. c. 11. — [7] Extat Synod. Tom. 4. Conc. Niceph. l. 17. cap. 9.

[8] Nov. 42. — [9] In Act. Const. Synod. sub Menn. Tom. 4. Conc. p. 135. — [10] Evag. lib. 4. c. 39. et seq. Cedren. Niceph. l. 17. cap. 29. et seq. Eustat. in vita Eutych. Apr. 11. apud Sur. — [11] Leont. Act. 5. Niceph. l. 18. cap. 15.

tius, cum adversus Catholicos contenderet, eo tandem vi, ac consequentia disputationis abstractum, ut tres in divinitate naturas, itidem ut hypostases, inesse diceret. Nam cum ita ratiocinando colligeret, si naturæ duæ sunt in Christo, duas esse in eodem hypostases sequi; occurrentibus Catholicis, non id esse consequens, quoniam non idem omnino sunt natura, et hypostasis; alioqui, quemadmodum tres in divinitate sunt hypostases, sic naturas fore tres; hoc ipsum citra cunctationem arripuit Philoponus, ac tres μερικὰς οὐσίας in Trinitate constituit. Hinc Acephalus ille, contra quem Rusticus diaconus disputat [1], et « unam, et tres substantias, atque naturas esse » dicit; « et unum Deum non secundum tres, sed secundum unam substantiam, et naturam glorificari. » Photius vero [2] eumdem Philoponum testatur *resurrectionem* corporum negasse, et adversus eam scripsisse.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Hæresis Eutychianæ variæ sectæ ex antecedentibus plenius explicantur. Duodecim illius segmenta. De Acephalis præsertim, ac Severitis, quorum quinque sectæ traduntur. De Jacobitis, et Armenis; et aliis eodem spectantibus.

I. His velut jactis ex historia fundamentis, hæresis Eutychianæ divortia facilius assequemur. Ac generali omnes vocabulo, præter Eutychianos (tametsi portionis cujusdam proprium hoc nomen factum videtur, ut paulo post dicam) Monophysitæ nominati sunt, quod in eo convenirent, uti singularem in Christo naturam ponerent, duas negarent. Tum etiam Acephali, quod et ipsum nomen suam aliquando sectæ particulam obtinuit; sed plerumque toti imputatur hæresi. Quemadmodum *Hæsitantium* vox, sive græca τῶν Διακρινομένων. Hanc enim universe toti attributam hæresi Chalcedonensi adversantium synodo refert Nicephorus [3]; nec obscure significat Leontius [4], cum Eutychianorum argumenta omnia dissolvens, ea se proponere ait, quæ contra catholicam Ecclesiam opponere solent οἱ Διακρινόμενοι; ac diserte Timotheus testatur Constantinopolitanus presbyter in opusculo quodam de Hæreticorum sectis.

II. Idem porro Nicephorus, sectam illam Eutychianum dogma propugnantem in duodecim segmenta partitam fuisse docet, cum Anastasius decem tantummodo numeret. Nec tamen singula discernit. Sed nonnulla nominat. Velut quosdam appellari ait [5] *Eutychianistas*, qui Dioscorum, et Eutychem solos recipientes, aiebant Christum consubstantialem esse Patri, nobis vero non esse; quod in illo humanæ naturæ veritas non constat.

Acephalos deinde recenset, quorum principem fuisse Severum refert. Qui Zenonis henoticon repudiabant, odio quartæ Synodi; quam palam decretum illud anathemate non notaverat. Eosdem vero *Acephalos* inde vocatos ait, quod episcopis non subessent. Itaque defunctis apud illos, si qui erant, episcopis, et sacerdotibus, neque baptismum usitato more in Ecclesia ab ipsis administrari solitum, neque oblationem ullam, vel sacrificium, ut fert consuetudo, peractum fuisse. Verum sacramenta ex antiquis temporibus asservasse ad communionem fidelium; e quibus abrasas perexiguas particulas, Paschatis tempore, in eos qui convenerant, distribuisse. Facile autem pro arbitrio, ac libidine quemque sua quidquid libitum esset, inserere fidei professioni; ex quo novarum hæresum et sectarum infinita varietas pullulavit. Hæc Nicephorus.

III. Joannes Damascenus in libro de Hæresibus, Monophysitas vulgo Ægyptios, et Schematicos appellari solitos refert. Ægyptios quidem, quod ab ejus gentis hominibus, atque Alexandrinis fere præsulibus hæresis illa propagata, corroborataque fuerit; tum ejusdem varia segmenta indidem ortum acceperint. Nam et Alexandrinus Dioscorus princeps totius factionis post Eutychen est habitus; ac dein-

[1] Tom. 4. Bibl. col. 839. C. — [2] Phot. Cod. 21. — [3] Lib. 18. c. 45. init.

[4] Act. 6. et seq. — [5] Niceph. loco cit.

ceps, illo de gradu dejecto, in ejus fide, et amore plerique civitatis illius perseverarunt, ac ne mortuo quidem ipso, ab hæresi, et dissidio cessarunt : adeo ut nusquam alibi tam tetra colluvio nefandarum sectarum extiterit. Cur autem Schematici vocati sint, Damascenus tacuit. Puto ita dictos, quod Christi carnem sola figura, et σχήματι constantem, non veram, ac nostræ similem esse mentiti sunt. Horum antistites tam iste, quam Nicephorus ponunt Theodosium episcopum Alexandrinum, a quo Theodosiani nomen adepti sunt : Jacobum Syrum, a quo Jacobitæ, de quibus mox : Severum Antiochenum, Joannem Tritheitam.

Sed ante hos nominandus fuit Julianus Halicarnassensis, a quo Julianistas nuncupatos esse Nicephorus scribit ; qui iidem et Aphthartodocetæ, et Gaianiani dicti sunt : qui Christi carnem corruptelæ, ac mortis, et perpessionis expertem fuisse semper, asserebant : ut supra meminimus. Necnon Theopaschitæ a Petro Cnapheo primum exorti, et a Severo deinde corroborati [1]. Quemadmodum et Agnoetæ ab Themistio diacono instituti, incrementum ab Severo magnum adepti sunt, ita ut Severitarum iidem vocabulo censerentur : ut scribit Nicephorus. Cujus obiter castigandus est haud vulgaris lapsus. Nam Themistium conditorem sectæ istius, philosophum illum fuisse credidit, doctrina, et dignitate, tempore Valentis imperatoris, illustrem : qui centum amplius annis ante floruit, nec Christianus fuit, ut olim in hujus vita demonstravimus, ubi et Franciscum Patricium in eodem errore versatum notavimus.

IV. Omnium pestilentissimus fuit Severus : cujus late dissipata venena, et in plures distractas sectas, perdiu Ecclesiam infestam habuerunt. Hujus quinque divortia, sive τμήματα commemorat Nicephorus [2], velut hydræ Lernææ capita totidem. Quorum discrimen non tam in Incarnationis modo, ac ratione disputanda, quam vel in Trinitatis dogmate diverso ; vel in antistitum, quos duces alii inscribebant sibi, alii repudiabant, varietate constabat.

Prima Severianorum classis Tritheitarum factionem continet ; cui præfuit initio Severus, postea Joannes Philoponus patrocinium assumpsit. Post Severum Theodosius Alexandrinus papa, inquit Nicephorus, dux illorum fuit : a quibus *Agnoetæ*, et *Contobabditæ* ex quodam loco ita dicti, proseminati sunt. Qui et Theodosiani omnes appellati fuerunt. Hinc apparet eosdem Eutychianos inscitiam attribuisse Christo, qui et corruptioni obnoxiam fuisse carnem dixerunt. Porro Severitæ isti ipsi proprie nominabantur, eo quod solum Severum asciscebant. Cujus liber extabat φιλαλήθης inscriptus : in quo veterum Patrum ducentas et triginta sententias nefario stilo corruperat, alios funditus rejiciebat. Quem quidem Monophysitæ omnes Evangelio ipsi præferebant ; ut Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ [3], ex eoque Euthymius in Panoplia referunt [4].

Alia Severianorum factio fuit, quæ præter Severum et Theodosium, Paulum quemdam recipiebat cognomento Μελανὸν.

V. Tertio loco numerat Nicephorus eos, qui non solum Severitæ, ac Theodosiani vocati sunt, sed etiam *Angelitæ*, *ac Damianistæ*. Angelitæ quidem ab loco quodam Alexandriæ *Angelio* dicto, in quo conventicula sua celebrabant. Apud Epiphanium in hæresi *Angelicorum* legimus, quosdam opinari, hæreticos istos, quos solo vocabulo cognitos habebat, id nomen esse sortitos ab loco aliquo, forsan trans Mesopotamiam sito, qui *Ingiline* dicitur. Ita Epiphanius. *Ingilenæ* gentis cujusdam in Armenia fit mentio in codice Justiniani [5]. Sed *Angelii* prope Alexandriam locus nondum mihi occurrit.

Hos autem Angelitas ab adversariis Sabellianistas, et Tetraditas nuncupatos asserit Nicephorus [6], Damianistasque vocatos ab episcopo quodam. Addit eosdem de Trinitate ita sentire, ut alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum esse prædicent : (1) nec singulos per se esse naturam ; sed habere communem Deum, sive deitatem in eis existentem : cujus sine ulla divisione particeps quilibet trium, Deus est. Porro unam hypostasim ait ab illis censeri Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, communem denique illorum Deum, esse substantiam, et naturam. Quæ omnia inextricabilia sunt, nec cohærent invicem. Apparet autem merito Sabellianistas ab æmulis suis esse dictos, quatenus tres in unam hypostasim miscebant.

(1) Nicephorus. Μὴ εἶναι δὲ τούτων ἑκάστων καθ' ἑαυτὴν φύσιν· ἀλλ' ἔχειν κοινὸν Θεὸν, ἤγουν θεότητα ἐνύπαρκτον· καὶ ταύτης μετέχοντας ἀμερίστως εἶναι Θεὸν ἕκαστον. Μίαν δὲ ὑπόστασιν δοξάζουσι τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· τὸν δὲ κοινὸν αὐτῶν Θεὸν, οὐσίαν, καὶ φύσιν.

[1] Niceph. l. 18. c. 51. — [2] Niceph. l. 18. c. 49. — [3] Cap. 6. p. 96. — [4] Tit. 15. — [5] Leg. 5. Cod. de Off. Mag. milit. — [6] Lib. 18. cap. 49.

Tetraditas denique ab Tritheitis ex eo nuncupatos esse suspicor, quod tribus, quos utcumque distincte nominabant, quartum adjungebant, quod trium οὐσία et φύσις esset, cum Tritheitæ tres tantummodo statuerent, personis naturisque numero solo differentes.

VI. Quarta Severitarum species ab Nicephoro *Petritarum* vocatur ab hujus nominis episcopo : qui Severo, et Theodosio contenti, Paulum, et Damianum respuebant, eorumque dogma ; quod cum catholica communicantes Ecclesia, nimirum ab ea parte, qua tres deos aversabantur, quartam tamen Synodum repudiabant. Ipsi autem personas per sese singulas substantiam, et naturam esse profitebantur, non numero solo, sed essentia nulla re discrepante. Erant itaque Tritheitæ a superioribus solo episcopi nomine discreti : eaque illis appellatio a Damianitis impingebatur.

Quinta Severitarum factio *Cononitarum* ab Nicephoro dicitur, ab Cnone quodam illorum episcopo. Hi Severum, et Theodosium asciscebant : iidemque cum Tritheitis sentiebant, tres esse numero distinctos, personasque ac naturas numero tres, per omnia similes : negabant tres esse deos, vel deitates, ac Joannem postremo Philoponum anathemati subjecerunt. Vide Photium codice 23. et 24. ubi Cononis et Eugenii meminit ex Eutychiana secta Philopono adversantium. Secundum hos omnes [1] commemorandus est Jacobus, ab eoque prognata Jacobitarum hæresis, quæ penes Armenos potissimum resedit. Genere iste Syrus fuit, obscuris natalibus : adeo ut *Zanzalus* ob summam vilitatem inter suos nominatus fuerit. Quippe זלזול aramæa lingua *contemptum*, ac *vilitatem* significat. Hic Eutychetis, et Dioscori, ac Petri Cnaphei, Severique imbutus erroribus, Monophysitarum, ac Theopaschitarum venena popularibus suis propinavit, eoque celebris apud orientales evasit. Apud quos catholici professores dogmatis, *Melchitæ* vulgo nominati sunt, tanquam Imperatori assentientes, et ejus auctoritate conflatam Synodum quartam sequentes ; quasi מורכיים, id est βασιλικοὺς, sive *imperatorios* appelles. Pars autem adversa, synodumque detestans, *Jacobitarum* præsertim nomine censeri solita.

VII. Ab Jacobo depravati maxime sunt Armeni : qui constanter in Theopaschitarum hæresi perseverarunt, adeo ut cum eam ceteri omnes ejurassent, sola gens ista pertinacissime in illa tuenda hæserit, ut Nicephorus scribit [2] ; quam hodieque retinet. Extat egregia disputatio Theoriani cum Armenorum Catholico habita anno Christi 1170. cum legatio ad illos missa est ab Manuelo Commeno imperatore Constantinopoli [3]. In qua solidissime prava illorum omnia decreta refelluntur. Quinam porro defectionis ab Ecclesiæ catholicæ fide, ac communione auctor illis fuerit ; tum eorum dogmata, et inanes fabulas, pluribus Euthymius in Panoplia persequitur titulo vicesimo, et Nicephorus [4].

Euthymii, quia græce nondum est editus, verba describam : in quibus tota hæresis Theopaschitarum compendio colligitur. « (1) Asserunt, *inquit*, Christum non suscepisse consubstantiale nobis corpus, sed incorruptibile, et impatibile, subtile, increatum, et cœleste. Idem porro adspectari solitum, manducare, bibere, ac cetera hominum agere propria, specie tenus. Rursus affirmant prædictam carnem in divinitatis naturam conversam, et ei consubstantialem esse factam. Atque ut mellis, aut aceti stilla in altum mare demersa, nec videtur amplius, nec subsistit. Ita corpus illud divinitatis commistum pelago, ac depressum, naturam suam non amplius retinet, nec proprietatem suam conservat. Propter hoc, inquiunt, in Christo non sunt naturæ duæ, sed una tantum, eademque tota divinitatis. Unde et sacrificium panis carnis Christi, non corpus esse Christi, sed divinitatis corpus prædicant. »

Addit Nicephorus, ex eorumdem sententia, Verbum per B. Mariæ uterum transisse solum, nec ex ea quippiam sumpsisse, ac divinitatem ipsam Unigeniti filii cruci affixam, et in sepulcro collocatam. Ex quo Theopaschitæ nominati sunt.

(1) Euth. tit. 20. Φασὶ γὰρ μὴ ἀναλαβέσθαι τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον ἡμῖν σῶμα, ἀλλ' ἄφθαρτόν τι, καὶ ἀπαθὲς, καὶ λεπτὸν, καὶ ἄκτιστον, καὶ οὐράνιον· ὀπτάνεσθαι δὲ, καὶ ἐσθίειν, καὶ πίνειν, καὶ τἄλλα τῶν ἀνθρωπίνων ποιεῖν, κατὰ φαντασίαν. Πάλιν δὲ λέγουσιν ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ δηλωθεῖσα σὰρξ αὐτοῦ εἰς φύσιν θεότητος ἐτράπη, καὶ ὁμοούσιος αὐτῇ γέγονε· καὶ καθάπερ σταγὼν μέλιτος, ἢ ὄξους καταποντισθεῖσα τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης οὐκέτι ὁρᾶται, ἢ ὑφίσταται· οὕτω καὶ τὸ σῶμα ἐκεῖνο συνανακραθὲν, καὶ καταποντισθὲν ἐν τῷ πελάγει τῆς θεότητος οὐκέτι σώζει τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, οὔτε φυλάττει τὴν οἰκείαν ἰδιότητα. Καὶ διὰ τοῦτο οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ Χριστῷ δύο φύσεις, ἀλλὰ μία, καὶ αὐτὴ ὅλη θεότητος. Ἔνθεν τοι καὶ τὴν θυσίαν τοῦ ἄρτου τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ, οὐ σῶμα Χριστοῦ, ἀλλὰ θεότητος σῶμα λέγουσιν.

[1] Niceph. l. 18. c. 52. Anon. de Hær. Jacob. — [2] Lib. 18. cap. 51.

[3] Tom. 11. Bibl. PP. — [4] Nic. l. 18. cap 53.

VIII. De quibus illud ex antecedentibus colligas : pro eo ac de Trinitate Eutychiani isti sentiebant, sic Dei, vel divinitatis perpessionem interpretatos fuisse. Etenim qui Sabellianum dogma sequebantur, hi totam Trinitatem, quam unica hypostasi definiebant, passam asserebant. Atque iidem proprie appendicem illam Trisagii usurpabant : quales ii fuerunt, quos Angelitas, et Damianistas vocabant. At Tritheitæ, ceterique, qui ab Sabellio dissidebant, solum Verbum passum esse fatebantur, ac nihilominus inter Theopaschitas numerati sunt ; et additamentum illud Trisagii sic ad Christum solum pertinere putabant, ut divinitati illius adscriberent, quod et antecedenti capite significavimus ex Felice papa, qui sic Petri Fullonis mentem interpretatus est. Atqui ante Petrum illum, imo ante Eutychem, Arius et Apollinaris Verbi divinitatem morti, ac perpessioni subjecerant, ut supra capite quinto, et sexto memoravimus. Sed quod in alteram intenti hæresim Arianorum Catholici istam velut accessionem neglexerunt, ut Augustinus indicat libro de Hæresibus capite 49. quod etiam de Apollinaristis usurpari potest ; tum quod idem istud dogma Petrus ab superioribus traditum hæreticis, in illo Trisagii hymno, velut in celebri quodam monumento illustrius reddidit ; ideo et nova habita est hæresis, et ejus auctoritas Petro Cnapheo interdum est attributa.

Sed nec illud omiserim, genus alterum Severianorum ac Theopaschitarum tam ab Anastasio commemoratum, ut supra demonstravi, quam ab Joanne Damasceno : quos Semidalitas nominant : hic etiam Barsanianos : atque idem Damascenus eorum institutum explicans, ait ipsos Gaianorum, et Theodosianorum decreta defendere, nempe quod ad naturæ singularitatem pertinet ; cum alioqui Gaianitas a Theodosianis discrepasse supra demonstraverim. Semidalitas vero nuncupatos esse, quasi *similagineos*, ob similæ particulam, quam symbolis a Dioscoro acceptis, ac per synaxes summo digito delibatis admiscebant. Cui simile nescio quid initio capitis hujus de Acephalis ex Nicephoro recensuimus.

Occurrent et alia nomina sectæ Eutychianorum, ac segmenta apud recentiores scriptores, quæ operæ pretium non sit persequi ; cum alioqui sola fere extent vocabula.

Pene illud effugerat, quod sane præteriri non debet, Humbertum Silvæ candidæ episcopum in libro contra Græcorum calumnias, adversus Michaelem patriarcham Constantinopolitanum, et Leonem Achridanum edito, illos redarguere [1], « quod nefandos Jacobitas, imo Theopaschitas, inter se, et penes se haberent, neque eorum consortia, neque colloquia, neque convivia, seu pariter orare devitarent. » Quæ ad Syros, et Armenos, et hos potissimum referimus. Quippe hodieque Armeni negotiatores, et opifices Constantinopoli frequentissimi versantur.

IV. Ad extremum scire duo convenit. Primum, totam illam Eutychianæ sectæ partitionem, ac varietatem ad duo posse fastigia revocari, quæ Facundus nobis Hermianensis suggerit [2] : « Eutychianorum, *inquit*, duæ sunt partes ; una quæ per totum sequitur Eutychis principis sui sententiam ; alia vero, quæ in quibusdam ab eo dissentiens per superbiam tamen dedignatur ad Ecclesiam pœnitendo reverti. » Priores communi nomine censentur Eutychianorum, posteriores *Acephalos* vocari a Græcis idem asserit, ipse Semieutychianos nominat. Quorum error in eo consistebat, ut affirmarent, « etsi una prædicetur Filii Dei natura, posse accipi eamdem unam naturam secundum aliquid naturæ Patris esse, consubstantialem, et item secundum aliquid nostræ. »

Quam deinde opinionem solide refellit, et est revera putida, et absona ; ut suo loco demonstrabimus. Quod autem *Acephalos* nominatos esse proprie asserit dimidiatos et molliores illos Eutychianos ; persuadet vocabulum illud initio generalius usurpatum, postea peculiare parti isti esse cœpisse. Ceterum amborum illorum discrimen in eo fuisse positum videtur, quod Eutychiani meri unam tantummodo naturam, eamque simplicem, post unitionem mansisse dicebant ; sive in humanitatem divinitate conversa ; sive hac in illam absorpta potius, atque consumpta, quod plerique ex ista hæresi sequebantur. At Semieutychiani unam ex duabus naturam compositam sic esse statuebant, ut, quod Facundus refert, eadem Deo Patri, et homini consubstantialis esset.

X. Alterum quod sciri postremo voluimus, est, quamvis duæ illæ sectæ, quarum unius auctor Nestorius, alterius Eutyches perhibetur, inter se pugnare videantur ; in eo tamen convenire, quod notat Leontius, ut utraque

[1] Tom. 4. pag. 2. Bibl. PP. col. 203.

[2] Fac. l. 1. c. 6. p. 36.

fictionem affingat Incarnationis mysterio, sed contraria ratione id quæque faciat. Verba Leontii hic quoque legi necesse est. « Discipuli Nestorii (ait initio libri primi adversus ambos hæreticos [1]) in idololatria humanitatis Christi, et discipuli Eutychis in fictione, imo discipuli utriusque fictionis, (belle enim utrosque religiosus, et divinus vir ἐναντιοδοκήτας, id est contrariæ fictionis auctores contrarios appellavit,) illi quidem divinitatem in Salvatore ficte dicunt ; hi vero humanitatem. Nestorius beneplacitum, et dignitatem pro fictione dignitatis defendit : Eutyches carnem ineffabilem pro naturali, et nostra, etc. Hi igitur secum, et cum veritate pugnantes, bellum in eam per contraria partiti sunt, eisdem propositionibus ad suum uterque finem abutentes, ita ut consensio impietatis contrarie dissentientium uno argumento veritatis a discipulis ejusdem veritatis convellatur, et concordia pravitatis copiosam victoriam pariat. Quibus enim argumentis alterum istorum, qui impietate connexi sunt, refellimus, eisdem etiam alterum simul refutavimus. »

Igitur ambæ istæ hæreses, ut ait Leontius, fictum aliquid inducunt in personam Christi. Nam et Nestorius hunc hominem Deum esse non sincere, sed ficte prædicat, dum sola σχετικῇ unitione id illi convenire defendit : et Eutyches non bona fide, sed simulate hominem eumdem esse profitetur, dum in divinitatem totam asserit hominis transisse substantiam. Quod autem addit, ex unius confutatione alterum everti, id sic intelligendum est. Cum hunc hominem vere, et οὐσιωδῶς, id est *substantive* Deum esse contra Nestorium evincimus, Eutychianorum, et Apollinaristarum σύγχυσιν eadem refellimus ; quorum ex opinione sequitur, non veram in Christo inesse divinitatem ; in quam humana conversa natura est, quæ sui admistione simplicitatem illam, et incorruptam divinitatis integritatem perimit. Sic etiam quibus argumentis veram hoc in homine naturam, et proprietatem humanitatis efficimus contra Eutychen et Apollinarem ; iisdem σχετικὴν et *moralem* Nestorii unitionem rescindimus, quia non potest unus e communi hominum illa de se usurpare, quæ in Evangelio sibi Christus assumpsit, et quæ apostoli de hoc homine, vero utique, nec ficto, gloriosa, et magnifica pronuntiarunt, nisi substantivo aliquo nexu conjunctam humanitati suæ divinitatem habeat : adeo ut proprietatum ex illo communicatio mutua consequatur.

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Consectaria quædam Eutychianæ sectæ, quæ partim citra hæresis labem, partim ad hæresim implicata, catholicam Ecclesiam infestarunt. De altercatione Catholicorum super hac quæstione, utrum unus de Trinitate passus esse dici debeat. De Acœmetis monachis. De trium Capitulorum controversia, ejus origine ac disceptatione in quinta Synodo facta : cujus historia pertexitur.

I. Duo potissimum occurrunt prioris generis capita, quæ ad illustrandam hæresis illius historiam spectant ; unum est, altercatio illa de hoc enuntiato, *Unus de Trinitate passus est ;* alterum longe nobilius, ac majori contentione inter Catholicos agitatum, *De tribus Capitulis.* De utroque compendio hic agam. Non pluribus est necesse, quod annalium, et historiarum scriptores facere convenit. Justino primo Imperatore, circa annum Christi 519. cum Hormisda papa legatos ad Imperatorem misisset Germanum Capuanum [2], et Joannem episcopos, Blandum presbyterum, Felicem diaconum, Dioscorum item diaconum [3], qui orientalem Ecclesiam apostolicæ Sedi reconciliarent, et ab episcopis, ceterisque, catholicæ fidei professionem, et Acacii, Petri Moggi, aliorumque Romani Pontificis sententia proscriptorum damnationem exigerent, rerum ex voto, prospereque fluentium cursum nova exorta contentio nonnihil interpellavit. Monachi quidam Scythici generis [4], « qui de domo erant magistri mili-

[1] Leont. tom. 4. Bibl. PP. col. 959. — [2] Horm. P. ep. 32. Tom. 3. Conc.

[3] Ep. 34. ib. et seq. — [4] Sugg. Dioscor. Diac. post. ep. Horm. 65.

tum Vitaliani, » qui et ipse Scytha erat, cum Victore diacono catholico disputantes [1], asserebant, oportere, præter Chalcedonensis synodi professionem, illud amplius fateri, *Unum de Trinitate esse crucifixum*. Quod cum Victor recusaret, adversus hunc Nestorianæ insimulatum hæresis, libellum obtulerunt legatis Rom. Pont. et Joanni Constantinopol. episcopo. Inter monachos istos præcipui erant Achilles [2], Joannes, Leontius, Mauritius, Maxentius, (quem pseudoabbatem Dioscorus unus ex legatis nominat [3],) tum Petrus diaconus, qui de Incarnatione ad Fulgentium scripsit. Ex his Leontius Vitaliani parens, ut in suggestione prima Dioscorus loquitur [4], id est propinquus fuit.

II. Hi ab legatis, aliisque rejecti, quod peregrinum, et Chalcedonensi synodo inauditum, ac minime necessarium additamentum extorquere vellent, ira perciti Vitalianum imprimis popularem suum commovent, cujus affinis erat Leontius [5]. Qui cum legatis egit sæpius, maxime cum episcopos gentis suæ, et inter alios Paternum Tomitanum hæresis accusassent. Igitur spe sua dejecti monachi Romam ad Hormisdam confugerunt. Qui [6] ab legatis, ut ne istis aures faciles accomodaret, admonitus, humaniter eos accepit, et ad reditum usque legatorum mansuros se esse pollicitos Romæ habuit. Ibi tumultuari, ac turbare omnia perseverantes, ad longinquos episcopos de fide, ac dogmate suo scripserunt. Extat epistola *Petri diaconi, Joannis, Leontii, Joannis alterius, ac ceterorum in causa fidei a Græcis ex Oriente Romam missorum*, ad Fulgentium, et alios Africanos episcopos de incarnatione, et gratia Christi, in qua opinionem suam explicant. Cui rescribens Fulgentius luculentum de eodem argumento librum misit.

At [7] iidem monachi majus aliquid aggressi etiam populum Rom. ad seditionem incitare conati sunt, et ad regum statuas confugientes fidem publicam implorare non dubitarunt. Sed spe sua falsi clam ex Urbe dilapsi sunt.

De his Hormisda papa epistolam scripsit ad Possessorem episcopum. Quam quidem Maxentius, tanquam supposititiam, quod Romanum Pontificem palam oppugnare vereretur, confutare est ausus : eaque *Responsio* in tomo 4. Bibliothecæ PP. legitur.

III. Sic illa sermonis novitas initio et suspecta fuit, et explosa est ab Catholicis, ipsoque adeo Romanæ sedis antistite Hormisda. Qui quidem non primus illam repudiavit. Reprehenderat hanc eamdem in Petro Cnapheo, annis ante septem circiter et triginta Felix tertius Zenone Imperatore. Qui anno Christi 483. de Trisagii additamento ad Petrum scribens, expostulat cum eo inter alia, quod media in Ecclesia prædicare ausus esset: (1) *Unum de increata, et indivisa Trinitate esse passum*. Ac subinde causam adjicit, ob quam cavenda vox ista sit : nimirum quod et plures esse deos inde sit consequens ; nec Patri consubstantialem esse Filium. Etenim quod pati potest in sese, non potest ejusdem cum eo, quod pati nequit, esse substantiæ. Quare si unus ille, qui passus dicitur, Filius est, alterius videtur esse naturæ, ac distinctus a Patre Deus, multoque magis ab Spiritu sancto. Ita tres existent dii. Hinc apparet quo sensu enuntiatum illud Catholici rejecerint, ac damnandum existimarint, eo nempe, quem Petrus Cnapheus tum in illo pronuntiando, tum in appendice Trisagii publicanda, in animo habuerat ; uti passum ipsa divinitate Filium assereret. Quod si probus ac legitimus sensus verbis istis adhibeatur, non ut unus ille de Trinitate secundum communem Trinitatis substantiam, sed ut in carne, humanaque natura idem passus ipse dicatur ; nec dubitassent illi, qui ea sunt offensi voce, pontifices hanc asciscere ; et qui deinceps secuti sunt, facile eamdem, comperta re, probarunt.

IV. Ceterum varia tum de usu, et sententia verborum illorum extitere judicia doctorum, et piorum hominum, aliis improbantibus, aliis admittentibus, quibusdam levi mutatione conformantibus ad usum catholicæ professionis.

Disputat de eo inter alios Ferrandus diaconus in epistola ad Anatolium [8], et illud effatum tuetur, ac quæ contra solebant objici refellit. Opponebant autem ex adverso Eutychianæ suspicionem hæresis, tanquam divinitas ipsa passa dicatur. Verum recte Ferrandus, etsi tacitum prætermittatur, commode tamen subaudiri asserit illud, *secundum carnem, vel humanitatem*. Alii vero Nestorianæ labis insimulabant, quasi quarta quædam persona intro-

(1) Felix III. ad Petr. Full. apud Zonar. in Can. pag. 541. Καὶ οὐ ἐπ' ἐκκλησίας ἐτόλμησας εἰπεῖν, ὅτι ὁ εἷς τῆς ἁκτίστου, καὶ ἀδιαιρέτου Τριάδος τὸ πάθος ὑπέμεινε.

[1] Sugg. altera Diosc. post ep. 67. Horm. — [2] Justin. ep. ad Hormis. ibid. p. 781. — [3] In Sugg. 2. post ep. 67. Horm. — [4] Post ep. 65. Horm. — [5] Sugg. Germ. etc. post epist. 65. Horm. p. 780. — [6] Ib. et c. 66. et 67. — [7] Horm. ep. 70. ad Poss. — [8] Tom. 3. Bibl. PP. col. 328.

duceretur, cui perpessio ipsa conveniat. Quam interpretandi calumniam discutit Facundus [1], qui latius eam controversiam disceptat; ac dictum illud approbat: imprimisque medios illos, et leviter immutantes arguit, quibus dici placebat, *unam de Trinitate passam esse personam;* non, *unum de Trinitate passum* : eo quod quærenti, quid ille unus sit, non possit responderi Deus, aut Filius; ne unus Deus, aut unus Filius, inter plures deos, ac filios intelligatur. Sed ludicra est et jocularis hæc exceptio, quæ sic eluditur, ut simile illud cum quæritur; quid tres sint, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Cujus gratia inventum esse *personæ* nomen putavit Augustinus, de quo suo loco diximus [2]. Utrumque igitur probum, et catholicæ regulæ consentaneum est, sive *unum de Trinitate passum* esse, sive *unam personam* dixeris. Quod posterius sub obtentu quartæ illius, ac Nestorianæ personæ, Maxentius impugnat. Sed magis auscultandum est Ferrando, et Facundo, ac super omnes Joanni secundo, qui in epistola ad Avienum, aliosque senatores [3], utrumque merito usurpari posse defendit. Verum de hac quæstione postmodum pluribus, nunc enim solam controversiæ hujus historiam persequimur.

V. Quam quidem uti plenius intelligamus, hujus velut appendix quædam adjungenda est monachorum aliorum per idem tempus pervicax contentio, quos *Acœmetas*, id est *insomnes* vocabant, quod in tres turmas distributi, ac per vices sibi succedentes, diu noctuque divinas laudes in Ecclesia sine intermissione canerent, institutore Marcello viro sanctissimo, ut refert Nicephorus [4]. Quo ex cœnobio Studius quidam vir primarius, Roma Constantinopolim translato domicilio, monachos induxit in alterum monasterium, quod in honorem S. Joannis Baptistæ illic condidit, quod ab illo *Studitarum* appellatum est. Igitur Acœmetæ monachi, cum Scythis illis acerrime restitissent, ac paulatim refrigerata, quæ in istos concitata fuerat, invidia, eorum causam superiorem esse, atque imperatori Justiniano, et episcopis probari cernerent, æmulatione quadam accensi, legatos ad Joannem papam secundum miserunt e suis duos, Cyrum et Eulogium, ut refert Liberatus diaconus in Breviario, capite 20. qui tum se Romæ fuisse narrat, ac monachorum istorum professionem hanc exponit: « Negantes, *inquit*, esse confitendum, beatam Mariam vere, et proprie Dei genitricem, et unum de Trinitate incarnatum, et carne passum. » Adversus hos monachos « missi sunt ab imperatore Justiniano, ait idem Liberatus, Hypatius Ephesiorum episcopus, et Demetrius a Philippis consulere Sedem apostolicam, » quod anno Christi 533. accidit, et extat epistola Justiniani ad Joannem papam [5], in qua duorum istorum episcoporum meminit. Joannes Imperatoris litteris acceptis, et audita legatione, de controversia ista cognovit, ac secundum Imperatorem sententiam dixit; Acœmetas vero monachos obstinato animo perseverantes in sententia communione privavit. Testatur hoc Joannes ipse in epistolis duabus; quarum altera [6] ad Justinianum data legitur 8. cal. April. Justiniano 4. et Paulino Coss. qui est annus Christi 534. altera [7] eodem, ut apparet, anno scripta est ad senatores, Avienum, Liberium, etc. In hac vero posteriore, refert tres sibi ab Imperatore propositas esse quæstiones : prima erat, « Utrum unus ex Trinitate Christus, et Deus noster dici possit; hoc est una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona. » Secunda, « An Deus Christus carne pertulerit, impassibili deitate. » Tertia, « An proprie, et veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria, semper virgo debeat appellari. » Quæ omnia tanquam catholicæ fidei consentanea se probasse dicit, et Acœmetas pro hæreticis Nestorianis damnasse, quorum vel colloquium ipsum vitari præcipit.

VI. Equidem Acœmetas istos arbitror non præfracte, ac palam negasse posteriora duo de tribus, nempe vel Deum Christum carne esse passum, non autem divinitate, vel B. Mariam virginem Domini ac Dei Christi matrem esse. Non enim tam aperte ausos illos fuisse putem duarum œcumenicarum synodorum decreta convellere, Ephesinæ, et Chalcedonensis : nec, si impudenter adeo convictam ac damnatam hæresim instaurassent, tantum operæ, ac laboris ad illos refrenandos adhiberi oportuisset, cum eo ipso damnandi e vestigio plectendique forent. Verum de primo tantummodo capite litem eos movisse credo, ut negarent Christum unam esse de sancta Trinitate personam, quod unum ab illis affirmari Justinianus in sua epistola testatus est : reliqua vero duo non tanquam ab iis ma-

[1] Lib. 1. cap. 3. — [2] Lib. 4. de Trinit. c. 11. § 2. — [3] Tom. 3. Concil. p. 850.

[4] Lib. 15. cap. 23. — [5] Tom. 3. Concil. p. 845. — [6] Ib. p. 486. — [7] Ib. p. 849.

nifeste, explicateque defensa proponit ; sed quasi consequentia ex eorum professione argumentando colligit. Sic enim Scythæ monachi illorum adversarii enuntiatum illud adstruebant, unam ex Trinitate personam incarnatam ac passam esse, quod alioqui duo illa, quæ dixi, et quæ Justinianus commemorat, Nestoriana dogmata sequerentur. Itaque Joannes quod erat consectarium opinionis Acœmetarum monachorum, id tanquam ab ipsis exerte, explicateque dictum in epistola posuit. Hanc nostram conjecturam probabilem esse sentiet, qui Justiniani epistolam attente considerare voluerit. Ac de Acœmetis quidem monachis, et tota illa quæstione hactenus, de qua legendus Baronius ad annum Christi 533. et 534.

VII. Sequitur appendix altera Eutychianæ sectæ ; nec minus etiam Nestorianæ ; quæ citra hæresim scidit Ecclesiæ catholicæ concordiam, et illam diu, ac vehementer exagitavit. Ea est famosa de tribus Capitulis controversia, cujus ratio ex Ephesinis, et Chalcedonensibus actis, et ambarum synodorum historia pendet. Hujus originem ex Liberato [1], et Evagrio [2] paulo altius repetam.

Cum Pelagius Romanæ Ecclesiæ diaconus ab Agapeto Constantinopoli relictus esset, ut apocrisiarii munere fungeretur, ad eum Palæstinæ quidam monachi ex cœnobio S. Theodosii et S. Sabæ venerunt, rogantes ut qua valebat apud Justinianum imp. auctoritate damnationem ab eo impetraret Origenis. Quod ab eo facile obtinuerunt. Nam et alioqui Theodoro erat infensus Pelagius Cæsareæ in Cappadocia episcopo, Origenis studioso, qui Acephalorum dogmata clam fovebat, atque apud Imperatorem, ejusque conjugem Theodoram omnia poterat. Pelagio itaque, ac Menna Constantinopolitano episcopo adnitentibus, Justinianus edictum adversus Origenem fecit, quo selecta quædam illius e scriptis capita damnavit. Extat illud græce, latineque post quintam Synodum, ad Mennam inscriptum [3] ; quod deinde Vigilii, ac patriarchalium omnium sedium subscriptione firmatum est, ut testis est Liberatus. Atque hoc anno circiter Christi 537. factum est.

Hanc Origenis damnationem ægre ferens Theodorus Cæsareensis vafrum illud excogitavit [4], ut Imperatorem adduceret ad tria quædam damnanda, quæ in concilio Chalcedonensi approbata videbantur. Primum Theodori Mopsuesteni scripta, qui Origenem acerrime omnium impugnarat. Erant enim ab illo multa impie, et hæretice passim edita, de quibus supra, capite undecimo fuse diximus. Tum [5] Ibæ Edesseni epistolam ad Marim Persam, qua et Cyrillum, ejusque contra Nestorium scripta reprehendebat, et Theodorum Mopsuestenum magnis laudibus ornabat ; ac decessorem suum Rabbulam Edessenum suggillabat, quod eidem Theodoro publice anathema dixisset. De quo tamen synodus Chalcedonensis pronuntiavit [6], ipsum catholicum videri ; eumque ab Dioscoro, et latrocinali apud Ephesum conventiculo depositum in integrum restituit, atque inter episcopos assidere jussit. Tertio Theodoreti adversus Cyrillum commentarios, quibus anathematismos illius confutarat.

Hæc sunt celeberrima illa tria capitula, quæ Theodorus Cæsareensis cum Acephalis suis damnari magnopere optabat, ut lata contra hæc sententia pro aliquo præjudicio valeret in Chalcedonense concilium quod, Iba et Theodoreto ab suspicione hæresis absolutis, nihil de eorum scriptis caverat ; adeoque Theodoreti et Ibæ contra Cyrillum lucubrationes, et in hujus epistola, Theodori Mopsuesteni commendationem, quodque consequens putabant, libros, et dogmata comprobasse videretur. Ex quo Ephesinæ synodi œcumenicæ imminutam esse auctoritatem querebantur Eutychiani synodi Chalcedonensis inimici.

VIII. Quocirca cum adversus Acephalos edictum meditaretur Imperator, per Theodoram, ejusdem sectæ, conjugem ipsius egit Theodorus Cæsareensis, ut tria illa potius capitula condemnaret : quæ in Chalcedonensi synodo Acephalos potissimum offendebant. Hoc enim pacto statim illos ad concordiam esse redituros asserebat. Facile id Justiniano persuasum est ad talia tentanda præcipiti, et pacis ac concordiæ in Ecclesia restituendæ cupido [7]. Fit ab illo statim edictum contra capitula tria, scribente Theodoro Cæsareensi, et a patriarchis sedium quatuor, Zoilo Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, Petro Hierosolymitano, ac Menna Constantinopolitano, ingratiis ac minis consensum, et subscriptionem exprimit. Mennam quidem Facundus refert, antequam subscriberet, stipulatum esse, sibi chirographum redditum iri, si hæc Romanus episcopus non

[1] Cap. 23. — [2] Lib. 4. cap. 38. — [3] Tom. 4. Conc. p. 316. — [4] Liberat. cap. 24.

[5] Extat in Act. Chal. Conc. Act. 10. p. 389. — [6] Ead. Act. — [7] Liberat. c. 24. l. 4. c. 4. p. 170. et seq.

probaret, idque jurejurando promissum illi fuisse. Ita anno Christi 546. publicata est ab Imperatore trium capitulorum damnatio edicto illo, quod ad universam catholicam Ecclesiam inscriptum græce, ac latine in Chronico Alexandrino legitur, et in appendice quintæ Synodi, ac tredecim illi anathematismos subjunxit [1].

Verum quia nihil absque auctoritate Romanæ, et apostolicæ Sedis ageretur, Vigilium papam Roma Constantinopolim eodem anno litteris accivit Imperator. Atque ille statim in Siciliam profectus est, indictione nona, post Basilii consulatum anno 5. ut Marcellini supplementum adstruit, hoc est Christi illo ipso 546. Idemque prodit, anno sequente Vigilium 8. cal. Feb. Constantinopolim ingressum fuisse. Quem Theophanes promisisse ait Imperatori se Ecclesiæ concordiam procuraturum, et tria damnaturum capitula. Verum alia omnia mox instituisse facere. Ac [2] cum ex itinere Mennæ scripsisset, ut capitulorum trium damnationem revocaret; ubi Constantinopolim venit, eumdem illum mandata exequi detrectantem a communione suspendit mensibus quatuor [3]. Ob id commoto Imperatore, Vigilius iram ejus veritus ad altare sancti Sergii martyris confugit. « (1) Erat enim gravis, ait Theophanes, et procero corpore. »

Addit idem Theophanes, et post eum Nicephorus, Mennam vicissim in Vigilium sententiam dixisse. Verum Theodora ambos invicem reconciliavit Junii 29. Justinianus vim omnem adhibuit, ut ab Vigilio damnationem extorqueret trium capitulorum. Sed nihil promovit.

IX. Anno 548. Justiniani secundo et vicesimo, quo Theodora imperatrix obiit Junio mense [4], rursum majore violentia in hoc Justinianus incubuit, ut ab Vigilio capitula tria damnarentur, ac miris eum modis vexavit; quod testantur Italiæ clerici in epistola ad legatos Francorum Constantinopolim proficiscentes [5]. Pontifex conventum habuit episcoporum 70. quorum sententias cum rogaret, fervente conflictu, unumquemque quid sentiret, scripto declarare jussit [6]. Inde decretum fecit, quod *Judicatum* vocavit : in quo tria capitula damnavit, *salva synodi Chalcedonensis reverentia;* atque hoc ad Mennam directum Sabbato sancto protulit [7]. Quo facto Afros, Illyrios, et Dalmatas, aliosque trium capitulorum defensores alienavit, imprimisque Facundum Hermianensem Africanum episcopum, qui luculento opere in libros duodecim partito illorum propugnationem suscepit ; addito etiam singulari alio contra Mocianum.

Quin etiam [8] Rusticus, et Sebastianus Ecclesiæ Romanæ diaconi ab Vigilio deficientes, trium capitulorum patrocinio sumpto, *Judicatum* oppugnant, eumque tanquam prævaricatorem, et Chalcedonensis synodi violatorem passim traducunt. Quos ideo Pontifex anno sequenti, id est Christi 550. cum aliis quibusdam depositionis sententia multavit, quæ extat in septima collatione quintæ Synodi. Hic ille videtur esse Rusticus, cujus liber contra Acephalos editus est tomo quarto Bibliothecæ Patrum.

X. Justinianus interim priore Vigilii contra capitula tria decreto minime contentus [9], quod clausulam hanc adhibuisset, *Salva synodi Chalcedonensis reverentia*, apud eum institit, ut absolute, ac sine ulla mentione Concilii illa ipsa proscriberet. Quo renuente, postulanteque, ut ex omnibus provinciis episcoporum concilium cogeret, assensus est Imperator, et episcopos undique litteris evocavit. Sed Illyricianorum nullus adfuit, pauci ex Africa venerunt. Vigilius *Judicatum* suum, quod Italiæ clerici *Constitutum* vocant, recepit, tum etiam *græcorum episcoporum manus*, id est chirographa, quibus eadem capitula damnaverant, ut de integro causæ totius disceptatio fieret. Adjecit et excommunicationis sententiam in eos, qui « ante universalis concilii tractatum de istis capitulis aliquid fecissent, aut facientibus acquievissent. » Interim Africani episcopi ab Imperatore varie tentati, et quod illi obsequi nollent, crudeliter habiti, vexatique sunt; nonnulli in exilium missi.

Quo tempore, jussu Imperatoris, qui ultra modum, et ardentius quam tantam majestatem decebat, in eo perseverabat, quod semel destinaverat, Mopsuestiæ in Cilicia secunda, provincialis est habita synodus, in qua inquisitum est, utrum Theodori ejus urbis episcopi nomen e diptychis recitatum aliquando fuisset, ac tum e diptychis, tum seniorum testificatione compertum fuit, nunquam esse recitatum; sed pro eo Cyrilli nomen positum. (Quod

(1) Theoph. Βαρὺς ὢν, καὶ μέγας τῷ σώματι. .

[1] Tom. 4. Concil. p. 334. — [2] Fac. l. 4. cap. 3. — [3] Theoph. Nicephor. l. 17. c. 26. — [4] Theo. — [5] Tom. 1. Concil. Gall. pag. 294. — [6] Facund. contra Mocia. p. 572. et in Præfat. Oper. totius. — [7] Epist. Vigil. contra Rust. Sebast. Coll. 7. Syn. 5. Tom. 4. Concil. p. 282. — [8] Vigil. ep. con. Faust. et Sebast. Tom. 4. Concil. p. 282. Vide et alias ib. epist. Vig. — [9] Ep. Cler. Ital. ad legat Fran. Tom. 1. Concil. Gall. pag. 294.

sic intelligi par est, ut erasum fuerit ex albo catholicorum antistitum, postquam hæreses illius innotuerunt.) Mox acta synodi istius ad Imperatorem missa sunt, eaque post in quinta synodo lecta, quæ in hujus collatione quinta continentur. Hæc anno sunt gesta 550.

XI. Justinianus longioris moræ tædio, et Theodori Cæsariensis importunitate victus [1], contra datam Vigilio fidem, adversus tria capitula edictum publice proposuit anno 551. Cui Vigilius reclamans Imperatoris iram in sese concitavit, ac sibi metuens ad S. Petri basilicam confugit Augusto mense. Tum nonis Septembris in Theodorum Cæsareensem, trium capitulorum contra interdictum suum damnatorem, et imperatorii auctorem edicti excommunicationis, ac depositionis sententiam tulit, ex synodo episcoporum tredecim, quos illic coegerat: Mennam vero, et ceteros episcopos a communione suspendit, donec resipiscerent. Hæc sententia edita est 19. cal. Septemb. anno Justiniani 25. post consulatum Basilii 2. hoc est Christi 551. Sed ea non statim publicata, verum pio cuidam viro interim tradita est [2].

Justinianus ira percitus prætorem cum militari manu ad Vigilium mittit [3]. Qui columnas altaris amplexus, ab militibus capillis, et barba, pedibusque correptus, ac violenter abstractus est, diaconis et clericis simili immanitate comprehensis, et ejectis. Quo impetu columnæ aliquot altaris effractæ sunt, et altare ipsum cecidit. Hoc miserando spectaculo commotus populus, concursu facto, infestis vocibus, ac stridoribus prætorem absterruit, et cum militibus suis in fugam conjecit. Post accepto ab Imperatore sacramento, neminem vim illi deinceps facturum, e basilica sunt egressi. Sed paulo post recrudescente persecutione, clam Vigilius Chalcedonem aufugit, et in S. Euphemiæ basilicam se recepit.

XII. Anno sequente [4], qui fuit Christi 552. Justinianus ad Vigilium in S. Euphemiæ basilica commorantem honorificam legationem decernit virorum principum, in quibus erat Belisarius, qui illum hortarentur, ut fide interposita Constantinopolim rediret. Quod, nisi edicta tollerentur, Vigilius renuit facere. Id 5. cal. Feb. Dominico die accidit. Inde prid. cal. Feb. iterum missus ad eum Petrus referendarius est cum charta quadam conviciis referta. Vigilius sententiam anno superiore latam in Theodorum, Mennam, aliosque protulit, et encyclicam de suis calamitatibus epistolam scripsit.

Secundum hæc Justinianus Pontificis constantia superatus edicta sua sustulit [5]. Mennas, Theodorus, aliique, libellis fidei ac pœnitentiæ oblatis, ab Vigilio in gratiam recepti sunt. Ipse Constantinopolim revertit.

Mennas subinde moritur, eique successor datur Eutychius monachus Amasenus, qui commodum ad Synodum quintam vocatus advenerat [6]. Hinc [7] in ipso die Theophaniorum anno 553. cum aliis quibusdam, libellos obtulit Vigilio, et in ejus potestate fuit; atque ita in communionem receptus est.

XIII. Anno eodem 553. quinta Synodus Constantinopoli haberi cœpta est [8] super tribus capitulis 4. non. Maias. Ad hanc Vigilius sæpius invitatus adesse noluit, causatus occidentalium episcoporum paucitatem, cum frequentes ex orientalibus Ecclesiis convenissent. Verum Imperatoris rogatu pridie id. Maias *Constitutum* fecit (ita enim nominatur) in quo quid de tribus capitulis sentiret, exposuit. Ibi damnatis sexaginta capitibus, quæ de Theodori Mopsuesteni libris excerpta fuerant, nihilominus adversus Theodorum ipsum, Theodoretum, et Ibam decerni aliquid vetuit. Cui decreto alii subscripserunt Africani, et Illyriciani episcopi, qui ad synodum acciti, venire detrectarunt. Nihil ea re absterriti Græci synodum absolvunt, collationibus octo habitis. In postrema [9], quæ 4. nonas Junias celebrata est, Theodorus cum libris suis, necnon Theodoreti contra Cyrillum, et pro Theodoro, ac Nestorio scripta (ut refert Evagrius [10]) una cum Ibæ epistola damnationi subjiciuntur. Quin etiam [11] Origenes, Didymus, et Evagrius, in eadem synodo condemnati sunt. Porro episcopos in ea convenisse 160. ait Mansuetus episcopus Mediolanensis in epistola ad Constantinum Pogonatum, quæ est in sexta Synodo.

Scribit Evagrius historicus, ante omnia quæsitum esse in illa synodo, utrum mortuos anathemate plectere fas esset, ac tum Eutychium Amaseni episcopi apocrisiarium respondisse, id vero licere exemplo Josiæ, qui idolo-

[1] Ep. Cler. It. to. 1. Concil. Gall. p. 295. et Vigil. in Damn. Theodor. to. 4. Concil. p. 170. et ejusdem Encyc. quæ est ep. 15. p. 169. — [2] Encycl. Vig. p. 170. — [3] Ep. Cler. It. ad leg. Gall. — [4] Vig. Encyc. — [5] Vigil. Constit. tom. 4. Concil. p. 172. — [6] Eust. in vita Eutyc. apud Sur. 8. Apr. — [7] Constit. Vig. — [8] Syn. V. Constit. Tom. 4. Concil. Leont. de sect. Act. 6. Ev. l. 4. c. 38. — [9] Extat tom. 4. Concil. p. 172. — [10] Lib. 4. cap. 38. et Cedr. — [11] Ev. ib. Sophr. in ep. quæ est in Act. 11. Syn. 6. p. 278. Cyr. in vita S. Sab. et ipsa Syn. 6. in Decreto quod est Act. 18.

rum sacerdotes non vivos tantum jugulari, sed eorum insuper, qui olim mortui erant, reliquias effodi, ac projici jussit. Qua perspecta viri prudentia, et doctrina, Justinianum, mortuo Menna, Constantinopolitanam illi sedem attribuisse.

XIV. Vigilius, quod synodo assentiri nollet, indigne est habitus, et in custodiam missus, in qua, « modicum ei panis et aquæ » præbitum est, ut in illius vita scribit Anastasius ; « clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium ad diversa metalla incidenda. » Porro dum Narses, re contra Gothos prospere gesta, belli reliquias persequitur, exoratus ab Romanis clericis, ab Imperatore petiit, ut Vigilium, ejusque clericos in exilium deportatos libertati restitueret. Quod demum impetravit, cum ante interrogati qui tum ibi erant e Romano clero, vellentne alium quempiam sibi pontificem optare, plane recusassent. Ita dimissus Vigilius, dum Romam tenderet, in Sicilia calculi morbo est extinctus, anno Christi 554.

Atqui Vigilium quintæ illi synodo subscripsisse, græci auctores perhibent [1]. Quod si verum est, mirum prorsus videtur, neque Pelagium secundum, dum ad episcopos Istriæ ab Ecclesiæ communione scissos, de iis ipsis capitulis, et de quinta Synodo scribit, ullam Vigilii mentionem facere, tanquam ejus auctoritate rata synodus ista fuerit, neque qui Pelagio successit, Gregorium M. tot in epistolis, quas de eodem argumento ad revocandos schismaticos edidit. Sed quidquid de Vigilio statuendum sit, certe Vigilii successores Romani Pontifices synodo illi robur, et auctoritatem œcumenicæ tribuerunt. Qua quidem in synodo nihil contra Chalcedonensis decreta sancitum esse, sed de personis duntaxat disputatum, iidem illi pontifices, Pelagius imprimis secundus, et Gregorius M. sæpius inculcant.

Neque tamen quem ex illa synodo, ac tanta Christiani orbis commotione sibi pollicitus erat Imperator, exitum, fructumque consecutus est [2]. Non enim partium inter se concordia, et pax in Ecclesia constituta est ; sed multo quam ante vehementior extitit, acriorque dissensio; cum ad pristinam hæreticos inter et Catholicos pugnam, et contentionem, novum inter Catholicos ipsos certamen accessit, et schisma difficile, ac molestum. Quippe nec Africani plerique episcopi ; nec Istriæ, Liguriæ, ac Venetiæ, imo neque Tusciæ, atque etiam Hiberniæ facile adduci potuerunt, ut tria capitula repudiarent, ac synodo illi subscriberent, donec Romanorum antistitum assiduo labore, ac vigilantia paulatim incendium illud omne restinctum est. Testantur hoc epistolæ complures Gregorii M. qui multum unus in eo curando morbo laboravit [3]. Perseveravit hoc Istrianorum schisma annos circiter septuaginta [4], et ab Honorio papa restinctum est, qui anno Christi 626. sedere cœpit.

CAPUT NONUMDECIMUM.

De Monotheletarum hæresi. — 1. Ejus initium, et origo ab Heraclio, et Sergio patriarcha. — 2. Cyrus Alexandrinus illius propagator, novem edidit capita ; — 3. quibus Sophronius Hierosolymitanus restitit. — 4. Honorius pacis causa supprimendam hanc quæstionem judicavit. — 5. Ecthesis impia ab Heraclio et Sergio promulgata, et ab Romano Pontifice, atque occidentali Ecclesia damnata. — 7. Maximi monachi cum Pyrrho Monotheleta disputatio, et Typus hæreticus a Constante imperatore publicatus. — 8. Martinus papa typum eumdem, et hæreticos fautores anathemate percellit, ob idque exilio multatus sanctissime moritur : necnon Maximus insigni martyrio afficitur. — 9. Demum sub Constantino Pogonato, generali habita Synodo sexta, hæresis ista damnatur.

I. Eutychianorum, ac Monophysitarum sectæ appendicula fuit Monotheletarum hæresis, quæ unicam in Christo voluntatem, et ἐνέργειαν, id est *actionem* constituit. Cujus imprimis ortum,

[1] Evag. Phot. l. 7. de Synod. apud Eutych. in Pan. Zon. Cedren. — [2] Leon. de sect. Act. 6.

[3] Greg. l. 2. ep. 36. l. 3. ep. 2. 3. 4. 37. l. 4. ep. 64. l. 7. ep. 64. — [4] Baron. ad annum 638.

atque progressionem ex historia repetere oportet, tum ejus arcana, et mysteria perscrutabimur.

Levi ex re, ac propemodum ridicula initium illi esse datum, græci annales perhibent [1]. Heraclius imperator anno imperii vicesimo, Christi 630. dum bello confecto Persico, Orientem peragrans, provincias, et civitates longo intervallo recuperatas constituit, Hierapolim venit. Ibi eum Athanasius quidam adiit patriarcha Jacobitarum (erat hæc Eutychianæ sectæ portio, de qua supra dixi [2]) Syrus genere, et, ut captus est gentis, vafer, et subdolus.

Quocum sermone de fide habito, Imperator inter cetera, se eum patriarcham facturum Antiochenum ostendit, si Chalcedonense concilium approbaret. Hac spe illectus Athanasius, morem illi gessit, ac duas in Christo naturas profiteri cœpit. Tum astute quæstionem illi vicissim posuit, de voluntate, et actione Christi, duplicemne credere oportet, an unicam.

Ad hanc percontationem hæsitans Imperator, Sergium patriarcham Constantinopolitanum per litteras consulit [3]. Qui et ipse Syrus, ac Jacobitis ortus parentibus, atque ejusdem clanculum defensor hæresis, quæ unam in Christo naturam, adeoque voluntatem, et actionem agnoscebat unam; consentaneum errori suo responsum dedit. Antiochus in homilia 130, Athanasii istius meminit, quem et Antiochenam sedem affectare scribit.

II. Sub idem tempus, Cyrus Phasidis, quæ est Lazicæ, sive Colchidis metropolis, episcopus, non *Phaselidis*, ut mendose habet Miscella, ab Heraclio accitus, ad eum venit. Cui cum Imperator epistolam ostendisset, quam ad Arcadium Cypri archiepiscopum, adversus Paulum hæreticorum primatem scripserat, in qua duas operationes fuisse Christi negabat [4], hac novitate percussum se nonnihil addubitasse, ac restitisse, Cyrus ipse refert [5]. Verum ubi Sergii litteras idem asseverantes ab Heraclio accepit, tum vero se ad Sergium scripsisse. Quod etiam Sergius testatur in litteris, quas ad papam Honorium misit. Sed jocus fuit, ac mimus iste colludentium inter se perditorum hæreticorum, ab quibus deceptus Heraclius in fœdissimam impegit hæresim, in quam consentire cum Athanasio Jacobita primarios illos antistites animadvertit.

Paulo post [6], Georgio Alexandrino patriarcha mortuo, in ejus locum Cyrus e Lazica transfertur; ubi cum Theodoro quodam Pharanis episcopo (est hoc Arabiæ oppidum Ægypto vicinum) simili labe contacto communicatis consiliis, robur hæresi illi, et incrementum attulit. Nec longe postea, quam Alexandrinum thronum obtinuit, unius operationis, ac voluntatis publice proposito dogmate, Theodosianos hæreticos Acephalos, quorum ingens erat in illa urbe numerus, ad ineundam concordiam adduxit. Ad quam stabiliendam, novem capita cum anathematismis palam exposuit, in quæ illi facile consenserunt. Horum septimum unam in Christo theandricam operationem asserebat. Extant illa capita in actione 13. sextæ Synodi [7], cum epistola, quam una cum iis misit ad Sergium Cyrus, ubi et concordia illa sancita dicitur quarto die mensis Payni, qui vicesimo nono respondet Maii Romani, indictione 6. qui est annus Christi 633.

III. In Lateranensi synodo Martino Pontifice habita [8], anno, ut postea dicam, 649. in secretario primo, Martinus papa synodum alloquens, affirmavit, « ante annos octodecim, Cyrum unam operationem in Christo divinitatis, et humanitatis in Alexandriæ urbe definientem, ad similitudinem Acephalorum ordinasse capitula numero novem in ambone prædicantem, cum anathemate qui sic non sentiret, impie promulgasse. » Si octodecim annos de sexcentis et quadraginta novem detrahas, reliquus erit annus Christi 631. quo anno, vel sequente Cyrus hæresim suam prædicare cœperit, sub initium aditæ illius sedis; ac postea synodo habita, novem capitula, sive anathematismos, promulgarit, an. 633. cum jam Theodosiani ad Ecclesiæ communionem admissi essent.

Erat tunc Alexandriæ Sophronius monachus, vir peræque doctus, et sanctus [9]. Hic apud Cyrum vehementer institit, ne unam in Christo operationem decerneret, atque ut septimum illud capitulum induceret. Quod cum ab illo non impetraret, Constantinopolim ad Sergium accurrit, ut ejus adversus Cyrum imploraret auctoritatem. Tandem eo deducta res est, ut inter illos conveniret, utriusque supprimendam esse mentionem : ac nec unam, nec duas actiones, aut voluntates esse nominandas. Ita Sergius in epistola ad Honorium papam, quæ actis inserta est Synodi sextæ [10].

[1] Theophanes, Miscel. Cedren. — [2] Cap. 17. § 6. et 7. — [3] Ibid. et Synod. 6. Act. 13. p. 216. in ep. Cyr. ad Serg. — [4] Ib. et in epist. Serg. ad Honor. P. in 6. Sy. 197. — [5] In ep. ad Serg. in 6. Syn. Act. 13.

[6] Theoph. et sup. cit. — [7] Tom. 5. Concil. p. 217. — [8] Tom. 4. Concil. p. 667. — [9] Ep. Sergii ad Honor. in 6. Synod. et Maxen. ad Petr. in Coll. Anastas. p. 40. — [10] Act. 12. pag. 200. Tom. 5. Conc.

IV. Idem porro Sophronius, paulo post, id est anno 633, Hierosolymorum, factus episcopus, celebrata synodo, bene longam epistolam scripsit ad Sergium, quæ lecta, et approbata est in Synodo sexta œcumenica [1], in qua duas operationes distincte adstruit [2]. Quin etiam [3] Romam ad Honorium litteras misit per Stephanum Dorensem episcopum, quibus de nova Monotheletarum hæresi certiorem illum reddidit; pauloque post obiit, anno Heraclii 26. Christi 636.

Eodem, quo Sophronius, anno, scripsit etiam Sergius ad Honorium [4], et ea, quæ ab Cyro, et Sophronio gesta scriptaque fuerant, exposuit; non sine maligna interpretatione mentis eorum, et sententiæ, qui duas operationes asserebant; tanquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias, et confligentes invicem. Quare consultius videri sibi, ut nec una, nec duæ operationes in Christo nominarentur, sed unus duntaxat operans. Ad hæc Honorius respondens [5], illud Sergii consilium probavit, retinendæ concordiæ gratia, alioqui non duas esse voluntates professus in Christo contrarias inter se, sed unam tantummodo, ut pugnam illam, ac discordiam voluntatum intercluderet. De quo postea.

Moritur post hæc Honorius papa anno Christi 638. cui Severinus successit. Sed ejus ordinatio dilata est, quod nondum ab Imperatore, uti mos erat, rata esset habita illius electio. Itaque cessasse dicitur episcopatus ab Anastasio annum unum, menses septem, dies septemdecim. Qua ratione consecratus est anno 640. et eodem obiit, cum post coronationem sedisset menses duos, dies quatuor : sepultusque dicitur 4. non. August.

V. Sub hoc pontifice, Heraclius imperator, auctore Sergio, fidei *Ecthesim*, id est *expositionem*, promulgavit [6], indictione XII. hoc est anno Christi 639. qua unicam Christi operationem, et voluntatem asseveravit quidem [7], sed quasi aliud agendo, cum diserte, ac palam constitueret, ne quis tam unam, quam duas operationes, et voluntates nominaret in Christo; quemadmodum a Sergio, et aliis constitutum esse antea meminimus. De qua re agemus postea. Sergius patriarcha, Constantinopoli habita synodo, ecthesim probavit, eaque publice proposita est [8]. Severini papæ apocrisiarii, qui Constantinopoli tunc erant, ut ab Imperatore electi Pontificis confirmationem impetrarent, variis modis tentati, ut illi assentirentur adduci non potuerunt [9].

Eodem anno, quo hæretica ecthesis prodiit, mortuus est Sergius [10], inque locum illius subrogatus est Pyrrhus Chrysopolitanus monachus, et presbyter, ejusdem cum Sergio particeps hæresis, et Heraclianæ ecthesis propugnator. Interim Severino mortuo, anno exeunte 640. succedit Joannes IV. qui apud Pyrrhum institit, ut *ecthesis* illa, sive charta, publicis in locis suspensa detraheretur, ac damnaretur.

Heraclius [11], ubi comperit ecthesim suam ab occidentali Ecclesia et Romano Pontifice rejectam, invidiam non ferens, scripta ad Joannem papam epistola professus est, non se auctorem illius fuisse, sed Sergium, ex quo ecthesis Sergii appellari cœpit.

VI. Biennio post promulgatam ecthesim [12], obiit Heraclius ex intercute morbo anno Christi 641. Martii 11. imperii 31. Cui successit Constantinus ejus filius, princeps catholicus. Ad hunc Joannes papa apologeticam pro Honorio scripsit epistolam, quæ in Collectaneis Anastasii legitur. Constantino vero post menses quatuor mortuo, non sine veneni suspicione ab noverca Martina dati; cujus particeps consilii Pyrrhus fuisse ferebatur; imperavit Heraclius, qui et Heracleonas, Heraclii F. cum Martina matre. Sed in ordinem subinde redacti sunt, et exilio damnati; naribus Heracleonæ, Martinæ lingua Senatus decreto resectis. Quorum in locum suffectus est imperator Heraclius alter Constantini F. Heraclii, a quo victus est Chosroes, nepos. Quem quidem in imperii societatem accipere Martina genitum Heraclium coegit populus, eumque Constantinum nominavit, ut in Breviario scriptum est a Nicephoro [13], appellari tamen passim Constans solet. Hic avum potius quam patrem æmulatus, Monotheletarum hæresim acerrime propugnavit, ac non minoribus Ecclesiam, quam rempublicam calamitatibus affecit.

Eodem, quo Heraclius senior, et ejus filius Constantinus excesserunt, anno, Pyrrhus seditione populari ob Constantini necem exagita-

[1] Act. 11. p. 158. — [2] Ibid. p. 170. — [3] Syn. Later. Secret. 2. Tom. 4. Concil. p. 673. — [4] Extant litteræ n. 6. Synod. Act. 12. — [5] Ep. Honor. extat in 6. Syn. Act. 12. Tom. 4. Concil. p. 201. — [6] Martin. in Concil. Later. Secret. 1. p. 667. Tom. 4. Conc. — [7] Vide Ecthes. illam ib. Secr. 4. pag. 696.

[8] Synodica Theodori Papæ in Collect. Anast. pag. 35. — [9] Maxim. in epist. ad Thal. in Excerpt. Anast. p. 64. et seq. — [10] Niceph. in Breviar. p. 99. et in Chro. et Theod. Synod. in Excerpt. Anast. — [11] Collat. 5. Max. cum Pyr. in Excerpt. Anast. p. 132. — [12] Niceph. Breviar. p. 83. Theoph. Zon. — [13] Pag. 92.

tus, Constantinopoli profugit, et successorem habuit Paulum hæreticum ex œconomo majoris Ecclesiæ, Octobri mense, indictione 15. ut ait Nicephori Breviarium [1], qui est annus 641.

VII. Anno 642. Joanni IV. papæ successit Theodorus; qui annos sex, menses quinque, dies octodecim sedit. Hic de ecthesi abolenda plurimum laboravit, datis ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum synodicis litteris [2], quibus et Pyrrhi causam examinari jussit. Idem scripsit ad Constantem imperatorem de Pyrrho Romam mittendo ad causam dicendam.

Anno Christi 645. indictione tertia [3], mense Julio, Maximus monachus sanctissimus, et doctissimus, in Africa cum Pyrrho, qui Constantinopoli profugus eo se receperat, celebrem collationem habuit, quam græce primus edidit Baronius in calce tomi Annalium octavi. In ea Pyrrhus convictus veritati manus dedit; ac Romam veniens, Theodoro papæ libellum obtulit, quo damnata hæresi sua, catholicæ fidei subscripsit, atque ita in communionem receptus est. Verum postea, Constantis imperatoris jussu, Olympius exarchus Ravennam excitum Pyrrhum ad resumendam professionem hæresis adduxit; cujus rei gratia Theodorus Pyrrhum deposuit, et anathemate notavit. Eamdem depositionis sententiam tulit in Paulum patriarcham Constantinopolitanum. Quo suadente, Constans imperator edictum promulgavit, quem Typum vocant: in quo, ad sanciendam concordiam, prohibuit ne quis tam unam, quam duas in Christo voluntates, et actiones usurparet. Extat in synodi Lateranensis actis sub Martino celebrati [4].

VIII. Post Theodori papæ obitum, anno Christi 649. creatus est Romæ pontifex Martinus I. qui sedit annos 6. et secundo mense septimi excessit e vita. Hic adversus orientalium hæresim, Romæ Lateranensem coegit synodum episcoporum 105. in qua Heraclii, sive Sergii ecthesim, et typum Constantis, ac præterea fautores hæresis illius, Theodorum Pharanitem, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, et Paulum Constantinopolitanos patriarchas damnavit [5]. Ea synodus inchoata est tertio non. Octob. indict. 8. ac secretariis, sive consultationibus quinque est absoluta; quarum postrema pridie cal. Novemb. est habita.

Quibus commotus Imperator [6], primum Olympio cubiculario, et exarcho mandavit, ut Martinum in typi damnatione perseverantem comprehenderet, ad seque mitteret. Quod cum frustra tentasset, atque etiam spatharius, cui per missarum solemnia Martini interficiendi negotium datum erat, repente in ipso conatu occæcatus esset, cum Pontifice Olympius in gratiam rediit. Id anno 651. contigit.

Anno vero 653. Theodorus cognomento Calliopas, exarchus, jussu Imperatoris, Martinum vi abductum, Junii 19. die, feria 4. in navem imposuit [7]. Qui in Naxo insula annum integrum detentus, demum anno 654, Septembris 17. die, Constantinopolim perductus est. Quo etiam anno, Paulo patriarcha mortuo, Pyrrhus ei subrogatus, menses quatuor sedem illam obtinuit, atque in hæresi mortuus est. Martinus indigne, ac crudeliter habitus [8], anno 655, Chersonam relegatur, eoque Constantinopoli proficiscitur ipso die Cœnæ Dominicæ, id est Martii 26. pervenit autem idibus Maiis. Ubi et eodem anno, indictione decimaquarta, 16. Septembris obiit, ipso die sanctæ Euphemiæ.

Per idem tempus Maximus monachus ingens orientalis columen Ecclesiæ, gloriosis contra Monotheletarum hæresim perfunctus laboribus, ab hæretico imperatore dirissime vexatus est. Nam diuturno exilio, et squalore maceratur, tandem verberibus concisus est, et lingua, dextraque manu abscissa, in Lazicam deportatus, ibidem beatam animam Deo per martyrium reddidit, anno 665. indictione 5, Augusti die 13, Sabbato, ut ipse prædixerat [9].

IX. Demum [10] Constante imperatore Syracusis in Sicilia, quo se ante annos sex receperat, per insidias occiso anno Christi 668. Constantinus ejus filius, cognomento Pogonatus, id est *Barbatus*, in Augustam dignitatem successit, pius et catholicus princeps. Qui constituta imperii tranquillitate, ad recuperandam Ecclesiæ pacem consilia sua convertit. Itaque [11] concilium generale anno Christi 680. celebratum est Constantinopoli, Agathone Papa: qui legatos tam Romanæ Sedis, quam Synodi, id est diœcesis privatim eidem sedi contributæ nomine ad illud destinavit. Cœptum est Novembris 7. indictione 9. in secreto palatii, qui Trullus vocabatur, et actione octava decima, terminatum anno 681. die 16. Septembris, in-

[1] Pag. 96. — [2] Anast. Collect. p. 47. — [3] Disput. Max. cum Pyr. Conc. Lat. sub Martin. l. Secret. 1. Hist. exilii S. Mart. in Collect. Anast. p. 98. et seq. Anast. in vita Theodori Papæ. Theoph. — [4] Secret. 4. Tom. 4. Concil. p. 706. Meminit et Anast. in Collect. Collat. Max. cum Pyrrh.

[5] Extat Syn. illa Tom. 4. Conc. — [6] Anast. in vita Mart. — [7] Hist. exilii S. Mart. in Collect. Anast. p. 78. — [8] Ibid. — [9] Anastas. in epistola ad Theod. in Collect. Anast. p. 196. et p. 264. — [10] Theophan. Niceph. Breviar. Zonar. — [11] Synod. 6. Tom. 5. Conc.

dictione 10. In eo concilio, quinque prioribus synodis approbatis, Monotheletarum hæresis damnata : decretumque factum est, duas in Christo voluntates, totidemque naturales actiones inesse : et nominatim notati illius principes hæresis. Hæc est Constantinopolitana tertia, sexta ordine post Nicænam, œcumenica synodus, ab Leone II. Romano pontifice probata ; quæ teterrimam illam bestiam variis in Italia præsertim, et Africa [1], sed et in Gallia nostra [2], synodalibus confixam decretis, postrema, eademque lethali plaga confecit. Postremo sciendum est, longe antequam Monotheletæ prodiissent, prælusisse huic hæresi Beronem quemdam ; qui divinitatem in Christo, sic abjectam et exinanitam fuisse dixit, ut ταὐτουργός esset τῇ ἀνθρωπότητι : hoc est *unius et ejusdem operationis* cum humana natura. Contra quem Hippolytus Portuensis episcopus disputavit, cujus fragmenta quædam extant ab Anastasio apocrisiario contra Monotheletas excerpta, quæ in Collectaneis Anastasii bibliothecarii leguntur [3].

CAPUT VIGESIMUM.

1. De Monotheletarum dogmate, quod ex illius sectæ principibus petitur : velut ex Theodoro Pharanita. — 3. Ex Cyro Phasidis, post Alexandriæ præsule : Sergio item, et Pyrrho. — 4. Et Macario Antiocheno. — 5. Primum illius hæresis firmamentum, quod voluntates et actiones multiplicari censebant pro hypostaseon numero. — 6. Alterum, quod voluntates plures inesse non putabant in uno, et eodem, nisi contrarias. — 7. Tertium ex quibusdam Patrum testimoniis arcessebant ; velut ex Gregorio Nysseno, ex quo concludebant, humanitatem esse divinitatis instrumentum ; ideo unam et eamdem esse ambarum actionem. — 8. Deinde ex Dionysio, qui θεανδρικὴν actionem nominavit.

I. Ut ex Eutychianorum, Severitarum, et, ut universe loquar, Monophysitarum stirpe, velut propago quædam, Monotheletarum secta pullulavit : sic horum dogma illius appendicula est ac soboles hæresis, et ex eodem doctrinæ fonte profluxit. Id tum melius intelligetur, cum cujusmodi decreta fuerint illorum, accuratius expositum erit : quod hoc capite faciendum duximus. Ac mihi res inquirenda potissimum, et eruenda videtur ex illorum scriptis, qui principes habiti sunt factionis istius, ac pro talibus notati synodalibus decretis : e quibus præcipui sunt Theodorus episcopus Pharanites, Cyrus Alexandrinus, Sergius, et Pyrrhus Constantinopolitani patriarchæ. Theodori pericopæ quædam lectæ sunt in sexta Synodo [4], actione 13. quæ latinæ itidem auditæ sunt in Lateranensi synodo sub Martino primo [5]. Ex quibus apparet illum existimasse, unam tantummodo in Christo fuisse voluntatem, sive principium humanarum actionum ; cujus organum, et instrumentum fuit anima rationalis, et corpus, corporisque facultates. Ut enim artificis, et instrumenti una, et singularis est operatio, non reipsa solum, sed etiam τῷ λόγῳ, et θεωρίᾳ : quia in instrumento non inest principium εἰδικον, quod *formale* vocant, actionis. Sic actionum Christi unicum, ac proprium, et *vitale*, ut sic loquar, principium penes solam divinitatem fuit ; ut Theodori locus iste demonstrat ex epistola ad Sergium Arsenoitam. « (1) Omnia, *inquit*, quæ scribuntur de Domino Christo, sive de Deo, seu animæ, sive corporis, sive utriusque, animæ, dico, et corporis sint, singulariter, ac indivise agebantur ; incipientes quidem, et, ut sic dicam, de fonte sapientiæ Verbo, et bonitatis, vel virtutis, mediante intellectuali anima, et corpore procedentes, et

(1) THEODOR. in 6. Syn. pag. 220. tom. 5. Conc. et in Lateran. tom. 4. pag. 689. E. 1. Πάντα ὅσα ἱστόρηται περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, εἴτε Θεοῦ, εἴτε ψυχῆς, εἴτε σώματος, ἢ τοῦ συναμφοτέρου, ψυχῆς, λέγω, καὶ σώματος, μοναδικῶς ἅμα, καὶ ἀδιαιρέτως ἐπράττετο· ἀρχόμενα μὲν, καὶ, ὡς εἰπεῖν, πηγάζοντα ἐκ τῆς τοῦ Λόγου σοφίας, καὶ ἀγαθότητος, καὶ δυνάμεως, διὰ μέσης δὲ ψυχῆς νοερᾶς, καὶ σώματος προϊόντα, καὶ διὰ τοῦτο μία ἐνέργεια ὅλου ὡς ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ σωτῆρος ἡμῶν ταῦτα πάντα καὶ εἰσὶ, καὶ ἐλέχθησαν.

[1] Vide tom. 4. Conc. — [2] Audoen. in vita Elig. lib. 1. c. 34. apud Sur. 1. Dec. — [3] Anast. Collect. in fragment. 5. et seq. — [4] Sex. Syn. p. 219. et seq. tom. 5. — [5] Consul. 3. tom. 4. Conc. p. 689.

propterea una operatio totius : sicuti de uno eodemque salvatore nostro hæc omnia existunt, atque dicta sunt. »

II. Mox in eadem epistola subjicit Pharanites Theodorus ; unam omnino eamque divinam, operationem in Christo fuisse, voluntatemque divinam. Tum ita scribit : « (1) Omnia, quæ salutiferæ dispensationis sunt, sive divina, sive humana, deque salvatore nostro Christo dicuntur, initium quidem a divinitate, utpote permissum, et exordium accipiebant ; ministrante autem intellectuali, et rationali anima, ministrabantur a corpore , » tam miracula videlicet, ac divinæ potestatis opera, quam humanæ infirmitatis propria ; velut sunt cibi ac potus appetitio, labor, tristitia. De quibus ita postremo colligit : « (2) Oportet igitur ita sapere, et dicere nos, omnia quæ in incarnatione salvatoris Christi dicuntur esse, unam scire operationem esse ; hujus autem opificem, et creatorem Deum Verbum, organum vero, humanitatem consistere. Ergo quæque velut de Deo, aut humane de ipso dicuntur, omnia una est operatio Verbi divinitatis. » De voluntate quoque diserte asserit ibidem, « (3) unam hanc esse, eamque divinam. »

Quidquid igitur humana in Christo natura vel egit, vel perpessa est hominis proprium ; veluti sunt nutricatus, somnus, fatigatio, tristitia, anxietas, corporis dolor, vulnerum, plagarumque sensus, et alia ejusdemmodi, unam ejusdem Christi operationem fuisse, Theodorus Pharanites aiebat, eamque divinam : quemadmodum et unam divinam voluntatem istorum omnium, ut in superioribus sententiis, et aliis, quas omittimus, docuit.

III. Cyrus ex Lazicæ metropolitano Alexandrinus factus antistes, in anathematismo septimo ex novem illis, quos Alexandriæ ad conciliandos hæreticos edidit, ut capite antecedente dixi [1], postquam professus est naturas in Christo duas perfectas, et distinctas, et in duabus unum et eumdem, ait « (4) hunc ipsum Christum unum, et Filium, tam illa, quæ Deo conveniunt, quam humana, operari unica operatione theandrica (hoc est, ut ad verbum solent vertere, *Deivirili*) secundum S. Dionysium. » Huic Cyri opinioni subscripsit Sergius Constantinopolitanus in epistola, quam ad illum misit [2] ; in qua Patres antiquos unam asseverasse dicit operationem, nec duas ab ullo positas meminisse : tametsi solita κρύψει, ac tergiversatione usus, rem in ancipiti relinquere visus est.

Pyrrhus item Sergii successor in disputatione, quam cum Maximo monacho in Africa suscepit , aperte eamdem tuetur hæresim , « (5) unam esse voluntatem affirmans divinitatis, humanitatisque Christi ; » ita ut unica voluntate tum ante susceptam carnem mundum ex nihilo procreare voluerit , et jam homo factus, cibum, ac somnum appetierit, ceteraque conditionis humanæ propria. Hæc et alia id genus objiciente Maximo, Pyrrhus agnoscit initio disputationis.

IV. Extat Macarii Antiocheni acerrimi, et obstinatissimi Monotheletæ verbosa fidei professio inter acta Synodi sextæ : in qua post alia catholicæ consentanea fidei de naturis duabus in Christo, et una persona ; de ejusdem operatione pergit ita dicere : « (6) Non illum divina secundum Deum, nec humana secundum hominem egisse : verum Deum hominem factum, novam quamdam Deivirilem operationem, eamdemque totam vivificam ostendere. » Quippe unum, et eumdem fuisse divinorum, et humanorum operum effectorem : « (7) adeo ut et carnis propria fuerit passio,

(1) Ibid. Πάντα ὅσα τῆς σωτηριώδους οἰκονομίας εἴτε θεία, εἴτε ἀνθρώπινα περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ ἀνιστόρηται, ἀρχειδῶς μὲν, οἷον εἰπεῖν, ἐκ τοῦ θείου τὴν ἔνδοσιν, καὶ τὴν αἰτίαν ἐλάμβανε, διὰ μέσης δὲ τῆς νοερᾶς καὶ λογικῆς ψυχῆς ὑπουργεῖτο παρὰ τοῦ σώματος, etc.

(2) Ibid. pag. 221. Δέον οὖν οὕτω φρονεῖν τε, καὶ λέγειν ἡμᾶς, πάντα τὰ κατὰ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ ἱστορούμενα εἶναι μίαν γνώσεων ἐνέργειαν· ταύτης δὲ τεχνίτην, καὶ δημιουργὸν τὸν Θεόν· ὄργανον δὲ τὴν ἀνθρωπότητα. Τά τε οὖν ὡς Θεοῦ, τά τε ἀνθρωποπρεπῶς περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πάντα, ἐνέργειά ἐστι τῆς τοῦ Λόγου θεότητος.

(3) Id. Theod. citatus pag. 220. D. Αὐτοῦ γὰρ τὸ θέλημα ἓν ἐστι, καὶ τοῦτο θεῖον.

(4) Cyrus in cap. 7. in sex. Syn. act. 13. p. 218. Καὶ τὸν αὐτὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ Υἱὸν ἐνεργοῦντα τὰ θεοπρεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ, κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον. Vide Later. synod. sub Mart. secret. 3. tom. 4. Conc. pag. 692.

(5) Maxim. in disput. cum Pyr. init. Ἓν θέλημα τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ δεξάσαντες.

(6) Macar. in act. 8. in Syn. 6. pag. 98. Οὐ γὰρ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα, οὐδ' αὖ κατὰ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπινα, ἀλλ' ἐνανθρωπήσας Θεὸς Λόγος καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, καὶ ταύτην ὅλην ζωοποιὸν ἐπιδείκνυται.

(7) Ibid. Ὡς εἶναι τῆς μὲν σαρκὸς τὸ πάθος οὐ κεχωρισμένης δηλονότι ἐκ τῆς θεότητος, εἰ καὶ μὴ θεότητος ἦν τὸ πάσχειν, τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν, εἰ καὶ διὰ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, τουτέστιν ὅλου τοῦ ἡμετέρου φυράματος ταύτην ἐπλήρωσεν ἑνὶ καὶ μόνῳ θείῳ θελήματι. Ὡς οὐκ ὄντος ἐν αὐτῷ καὶ ἄλλου θελήματος, ἢ ἀντιπίπτοντος, καὶ ἀντικειμένου τῷ θείῳ αὐτοῦ,

[1] Parag. 2.

[2] In Syn. 6. p. 194.

quæ tamen a divinitate sejuncta non esset, quamvis passionem non sit experta divinitas: et Dei propria fuerit operatio, quamvis per humanam suam naturam, hoc est totam nostram massam, illam expleverit unica, et sola voluntate divina: cum in eo neutiquam voluntas extiterit alia, vel obsistens, et contraria divinæ ipsius, et potenti illi voluntati. Impossibile est enim in uno, eodemque Christo Deo nostro duas simul, et eodem tempore contrarias, aut etiam similes voluntates subsistere. »

V. Ex iis Macarii verbis, ac ceteris, quæ deinceps pertexit; tum ex aliis ejusdem antesignanis hæresis, atque etiam catholicis doctoribus, qui contra illam scripserunt, perspicuum est, quibus firmamentis, ac verisimilibus argumentis usi sint Monotheletæ ad tam stolidi dogmatis faciendam fidem. Neque enim sine omni ratione sic insanisse videntur, nec venenis dissimulandis fucum nullum, speciemve quæsisse. Duo omnino reperio commenti illius præsidia: quorum unum ratione, alterum auctoritate constat. Ratione usi sunt præcipue duplici. Primum ita disputabant: Actiones, necnon voluntates, hypostasim sequi, non naturam: hoc est ὑποστατικὰ esse θελήματα, non φυσικά: adeoque multiplicari pro numero hypostaseon, non autem naturarum. Cum igitur in Christo, imo Christus ipse, sit unus volens; necessario putabant sequi, unam ipsius esse voluntatem, sive *volitionem*. Utrum vero de actione ipsa volendi potius, quam de naturali ejus principio, et facultate, in illa controversia sermo fuerit utrinque contendentibus: quemadmodum et universe de ἐνεργείαις magis, quam de ἐνεργητικαῖς δύναμεσι: de hoc postea erit accuratius disserendum. Hac argumentatione Pyrrhus imprimis (1) Maximum aggreditur in Africana collatione: hac reliqui omnes causam suam fulcire conati sunt; (2) fieri posse negantes, ut multiplicatis voluntatibus, non multiplicarentur etiam volentes. Quod refellit Maximus non illic solum, sed etiam in aliis opusculis, ut suo loco dicetur: necnon Joannes Damascenus [1], et plerique alii.

VI. Alterum argumentum illorum ejusmodi fuit: non posse voluntates duas in una et eadem inesse persona, nisi contrarias. Ita Pyrrhus in eadem collatione, « (3) Impossibile est, *inquit*, in una persona duas inesse voluntates absque contrarietate. » Atque hæc frequentissime ab hæreticis illis usurpata ratio est; qua et minime male cogitantibus interdum Catholicis illuserunt; tanquam actiones ac voluntates duas non absolute negarent in Christo; a quo tum communem illorum sensum, tum Scripturam, et orthodoxæ fidei regulam abhorrere noverant: sed eatenus solum, ut contrarias, et confligentes invicem detraherent. In quo idem illorum fucus et malitia fuit, atque olim fuerat Arianorum [2]: qui cum Filium ὁμοούσιον, id est *consubstantialem*, prædicari ab Catholicis ægre ferrent, falsa illius interpretatione vocis, invidiam ei facere conabantur, asserentes divisibilem, ac mutabilem sequi inde Patris esse naturam: eo quod defectio quædam substantiæ, ac profluvium voce ista significetur. Quod ut necesse non erat; et mentiebatur qui sic τὸ ὁμοούσιον explicabat Arius: sic Monotheletæ strenue nugati sunt, dum voluntatibus, et actionibus duabus, quas Catholici in Christo statuebant, adjunxere, quam iidem isti detestabantur, pugnam illarum, et discordiam: quasi non possint duæ in una persona voluntates totidem esse naturarum, nisi essent invicem contrariæ. Cujus rei argumentum maxime de Christo capere solebant; in quo si duæ voluntates fuerunt, eædem pugnasse invicem intelliguntur, quando imminentem necem, ac supplicium perpeti una recusabat, quod esse tolerandum altera decreverat. Ita Sergius in epistola ad Honorium, et alii, uti dixi, coryphæi hæresis istius, necnon Macarius Antiochenus, et Stephanus ejus discipulus in sexta Synodo causati sunt, se idcirco voluntates duas in Christo profiteri non posse, quod nulla fuerit in illo dissensio: « (4) neque carnalis voluntas, nec humana aliqua cogitatio. » Vide et Pauli Constantinopolitani episcopi locum, ex ejus ad Theodorum papam epistola, in actione 13. synodi ejusdem [3]. Prorsus impuri isti, similiter

καὶ δυνατῷ ἐκείνῳ θελήματι· ἀδύνατον γὰρ ἐν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν δύο ἅμα, καὶ κατὰ ταὐτὸν ἐναντία, ἢ καὶ ὅμοια ὑφεστάναι θελήματα.

(1) Pyr. Εἰ οὖν εἷς Χριστὸς, ὡς εἷς πάντως καὶ ἤθελεν. Εἰ δὲ ὡς ἤθελεν, ἓν πάντως αὐτοῦ καὶ τὸ θέλημα, καὶ οὐ δύο.

(2) Ibid. Ἀδύνατον, τοῖς θελήμασι μὴ συνεισάγεσθαι τοὺς θέλοντας.

(3) Pyr. ibid. Ἀδύνατόν ἐστιν ἐν ἑνὶ προσώπῳ δύο ἀλλήλοις συνυπάρξαι θελήματα ἄνευ ἐναντιώσεως.

(4) In 6. Syn. act. E. pag. 105. Ἡμεῖς ἀνθρώπινον θέλημα ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ οὐ λέγομεν, θεῖον δὲ εἶναι. Δίχα γὰρ σαρκικῶν θελημάτων, καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, etc.

[1] Lib. 3. c. 15. pag. 232.

[2] Vide lib. 4. de Trin. c. 5. § 7. — [3] Pag. 222.

ut Ariani, ab mortalis fæce corruptelæ vindicari posse vocabula ista non putabant, quibus catholici dogmatis professio continebatur.

VII. Jam quod auctoribus se antiquis Patribus ita sentire dicebant ; quod alterum est illius hæresis firmamentum ; hunc in modum adstruebant ; cujus ex Sergii epistola ad Honorium, et, qui ejus verba transcripsit, Macarii Antiocheni confessione, specimen hic dabimus. « (1) Hanc esse divinorum mentem ac sententiam Patrum » affirmant isti ; « sic asserentium, nunquam intelligente anima præditam Domini carnem, seorsim, ac proprio impulsu, contra nutum uniti ipsi secundum hypostasim Dei Verbi naturalem peregisse motionem : sed quando, qualem, quantamque Deus ipse Verbum volebat. Et ut aperte dicam, quemadmodum corpus nostrum ab intelligente, ac rationali nostra anima regitur, gubernatur, et ordinatur : sic in Christo Domino, tota humana coagmentatio ab ejusdem Verbi divinitate semper, et in omnibus acta et impulsa, divinitus movebatur. » Quod ex Gregorii Nysseni verbis probare nititur : qui Christi perpessiones per humanum corpus operatam esse divinitatem ait : adeo ut Dei ipsius actio sit ; passio vero, carnis. Ita Sergius, et Macarius.

VIII. Cum igitur *homo ille,* sive potius *humanitas* Christi, a divino Verbo ageretur, et ejus impressione, impulsuque moveretur in omnibus, fontem ac principium actionis, non in inferiore natura, sed in motrice hujus, et gubernatrice sola contineri putabant : actionem porro ipsam ab hac manantem, et profusam, sic in illa recipi, ac per ipsam refundi, et administrari ; quemadmodum per instrumentum transit, non ab eo oritur, causæ principalis effectio. Atque uti corpus nostrum instrumentum est animæ nostræ ; nec per se agit ; sed agitur, et movetur, ac vitalem impulsum ab illa, tanquam origine, ac principio accipit, cum sit ex sese, ac suapte vi mortuum et inanimum : sic illi hominem in Christo prorsus ἀθέλητον, et ἀνενέργητον, hoc est *carentem actione, ac voluntate omni* constituebant ; rationali præsertim, et intelligentis propria : cujus stirps, et vitalis, ut sic loquar, facultas, et potentia in divinitate inerat, a qua deinceps in humanitatem, sive εἰς τὸ ἀνθρώπινον σύγκριμα, manabat et profluebat citra principalem vim et facultatem causæ agentis efficientia : non secus ac « (2) ferramentum quid agat nescit : curationem vero, quæ per illud exercetur, novit medicus, » ait Chrysostomus.

Testantur hoc idem Theodori Pharanitæ ex Synodo sexta supra a nobis allata verba [1] ; in quibus unam ait actionem totius esse Christi, quæ ab Verbi divini sapientia, et bonitate, ac virtute profecta, per mediam intelligentem animam, corpusque procedat.

IX. Alterum testimonium, idemque celeberrimum, et in quo fundum hæresis inscitæ, ac velut arcem propugnandæ illius Monotheletæ statuebant, ex Dionysii epistola quarta petitur : ubi Christum ait, « (3) non humano modo propria hominis egisse : sed cum vir esset factus Deus, novam quamdam Deivirilem operationem vivendi genere instituisse. » Ea Dionysii vox perperam ab imperitis, et contentiosis hominibus excepta in eorum perniciem, ac firmamentum cessit nefandissimi erroris. Itaque deinceps nemo ex illo grege, rationem reddidit fidei suæ, quin θεανδρικὴν illam ἐνεργειαν occineret, ac testem citaret, et auctorem Dionysium. Ita Macarius Antiochenus, hæreticus, in actione secunda Synodi sextæ [2]. Ita Cyrus Alexandrinus eodem infectus errore, in anathematismo septimo [3]. Ita Pyrrhus in disputatione cum Maximo : ac ceteri omnes eadem insania perciti, θεανδρικὴν ἐνέργειαν illam sic a Dionysio nominatam interpretati sunt, quod ab sola divinitate, una et simplex actio producta, per humanam naturam, quasi per instrumentum, ac vehiculum, foras erumperet. De quo

(1) SERG. ad Honor. act. 12. sex. Syn. pag. 200. tom. 5. Conc. et Macar. in act. 8. Synod. ejusd. pag. 99. Ἡ δὲ σωτήριος τῶν θεοφόρων πατέρων διδασκαλία ἐναργῶς ἐκπαιδεύει τὸ, μηδέ ποτε τὴν νοερῶς ἐψυχωμένη τοῦ Κυρίου σάρκα κεχωρισμένως, καὶ ἐξ οἰκείας ὁρμῆς, ἐναντίως τῷ νεύματι τοῦ ἡνωμένου αὐτῇ καθ' ὑπόστασιν Θεοῦ Λόγου, τὴν φυσικὴν αὐτῆς πεπονθέναι κίνησιν· ἀλλ' ὁπότε, καὶ εἶαν, καὶ ὅσην αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος ἠβούλετο. Καὶ σαφῶς εἰπεῖν, ὃν τρόπον τὸ ἡμέτερον σῶμα ἡγεμονεύεται, καὶ κοσμεῖται, καὶ τάττεται ὑπὸ τῆς νοερᾶς, καὶ λογικῆς ἡμῶν ψυχῆς· οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὅλον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ σύγκριμα ὑπὸ τῆς αὐτοῦ τοῦ Λόγου θεότητος ἀεί, καὶ ἐν πᾶσιν ἀγόμενον θεοκίνητον ἦν.

(2) CHRYS. hom. in Ps. 3. tom. 8. pag. 2. Ὥσπερ τὸ σίδηρον οὐκ οἶδεν ὁ ἐνεργεῖ, τὴν δὲ διὰ τοῦ σιδήρου θεραπείαν οἶδεν ὁ ἰατρός.

(3) DION. ep. 4. pag. 435. Οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος.

[1] § 2. — [2] Pag. 24. [3] Ibid. Act. 13. p. 218.

Dionysii loco postmodum uberior a nobis instituetur oratio, cum de Christi operatione disputabitur, ubi et de aliis sanctorum, atque orthodoxorum Patrum locis agemus, quibus abusi illi sunt ad hæresim suam adstruendam.

Præter hæc vero etiam alia testimonia corraserunt ex suppositiis libris : velut ex eo, quem Mennas Constantinopolitanus ad Vigilium scripsisse ferebatur : quem pro confícto et pseudepigrapho Synodus sexta damnavit, et proscripsit [1] : cum quidem multum illo usi sint hæretici isti [2]. Tum ex germanis alioqui sanctorum Patrum monimentis sententias aliquot excerpserunt : sed nec integras, nec ex fide, aut ad auctorum sensum explicatas : ut in sexta Synodo palam ostensum est : quod quidem suo loco declarabitur.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quodnam Monotheletarum dogma fuerit. — 1. Unam in Christo voluntatem constituentes variis modis interpretati sunt. — 2. Ab quibus hæreticis propagati sunt. Inter alios a Nestorio ortum accepisse dicuntur : quod valde mirum sit. — 3. Præcipue autem ab Apollinaristis, et Monophysitis. — 4 De ecthesi Heraclii, et typo Constantis ; in quibus veteres constitutum aiunt, unam voluntatem, et unam actionem inesse Christo. — 5. Sed aliter habere videntur. Nam ecthesis nec unam, nec duas operationes dici patitur : voluntatem tamen unam callide profitetur : typus nec operationes, neque voluntates duas, unamve. — 6 Excutiuntur arcana illius hæresis : ex quibus colligitur, unam operationem minus audacter, quam voluntatem unam ab illis prædicatam fuisse, cujus ratio deinceps exponitur, ex *ἐνεργείας* proprietate, — 9. et voluntatis, — 11. De Honorio Romano pontifice ; qui ab hæresis illius suspicione purgatur.

I. Qui adversus Monotheletarum hæresim ab antiquis edita Patribus monimenta legerit, multiplicem et absonam fabulæ ejusdem ab illis explicandæ rationem fuisse comperiet, quam hic paucis, quoniam ita necesse videtur, exponendam censui.

Imprimis illa, quam superiori capite tradidi, communis, et usitata maxime ponenda est ; quæ unam, et simplicem in Christo voluntatem, et actionem constituit. Hanc Macarius Antiochenus in sexta Synodo profitetur ; dum « (1) negat se duas voluntates, aut actiones duas asserere in incarnatione Christi Domini : sed unam voluntatem, et theandricam actionem. » Quam etiam divinam esse duntaxat, idem postea confirmat : ita ut humana nulla voluntas, neque operatio fuerit in Christo. Macarii verba paulo ante descripsimus [3].

Postea Catholicorum disputationibus fracti, et convicti, ne Monophysitarum hæresi, tot synodicis sententiis oppressæ, ac prostratæ affines esse viderentur, atque unam in Christo naturam asserere, « duas fassi sunt operationes ob diversitatem naturarum, sed duas unam propter unitionem, » ut in Anastasii Collectaneis [4] testatur Maximus martyr. Atque hoc Pyrrhus in disputatione cum eodem Maximo declarat hunc in modum. « (2) Quemadmodum ex duabus naturis unum quiddam dicimus esse compositum, ita potest a nobis usurpari ex duabus voluntatibus naturalibus una quædam composita : ut et duas asserentes voluntates, propter naturalem in Christo differentiam naturarum, et unam constituentes, propter summam unionem, de meris vocabulis conflictari inter se desinant. »

Rursus iidem hæretici, nefarii dogmatis invidiam non ferentes, eo confugerunt, ut nec unam voluntatem in Christo, nec duas nominandas putarent ; quod neutrum in Scriptura,

(1) Act. 8. pag. 94. Οὐ λέγω δύο θελήματα ἢ δύο ἐνεργείας ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονόμιας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ἓν θέλημα, καὶ θεανδρικὴν ἐνέργειαν.

(2) Disp. Max. in calce tom. 8. Baron. col. 759. fine. Δυνατὸν δὲ ὥσπερ ἐκ τῶν δύο φύσεων ἕν τι σύνθετον λέγομεν, οὕτω καὶ ἐκ τῶν δύο φυσικῶν θελημάτων ἕν τι σύνθετον λέγειν· ἵνα καὶ δύο λέγοντες θελήματα, διὰ τὴν φυσικὴν τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων διαφοράν, καὶ οἱ ἓν λέγοντες, δι' ἄκραν ἕνωσιν, μηκέτι ψιλῶν λέξεων ἕνεκεν πρὸς ἀλλήλους διαφέρωνται.

[1] Act. 14. p. 232. — [2] Serg. in ep. ad Cyr. Act. 12. Syn. 6. p. 195. 196. Pyrr. in Disp. cum Max.

[3] Cap. antec. § 6. — [4] Pag. 139.

neque in synodis, aut sanctorum Patrum monimentis diserte significaretur. Quod sub ipsum maxime primordium nascentis illius sectæ fecerunt. Ita Sergius Constantinopolitanus [1], qui unus fuit ex conditoribus istius hæresis, Cyro Alexandrino suasit, ut deinceps nec unam, nec duas voluntates exprimi pateretur: quod ad Honorium papam ipse scripsit. Idem continebat decretum Heraclii, sive potius Sergii: quæ appellata est Ecthesis: necnon Constantis, qui nepos fuit Heraclii, Typus: ut supra memini [2], et postea fusius explicabitur. Denique Sergii unius inconstantem, ac versatilem in hæretico suo profitendo dogmate levitatem, erudite prosequitur, et exagitat Maximus martyr in collat. cum Pyrrho; quam varietatem alias explicabimus, cum de libera Christi voluntate catholicam fidem adstruemus.

II. Nunc quos revera auctores habuerint amentiæ suæ stolidi Monotheletæ, et quorum ex hæresibus venena collegerint erroris non magis impii, quam inconsulti, paucis exequemur. Hoc vero difficile non est, si quis recensitas a nobis antea factiones hæreticas percurrat, quæ Incarnationis sinceram rationem inventis conturbarunt suis. Ac plerique tum in Synodo sexta œcumenica, tum in Lateranensi sub Martino primo habita memorantur. Sunt autem isti, Manes [3], Arius [4], Apollinaris, Eutyches, Severus, Theodosius, cum Monophysitarum reliqua secta: et, quod incredibile videatur, etiam Nestorius. Nam priores illos, qui aut nullam aliam, veram quidem, ac solide extantem naturam, præter divinam, Christo tribuebant: aut humanam non ex toto, sed potiore sui parte mutilatam, et intellectu ac ratione carentem: aut hanc in divinam absorptam fuisse dicebant, et in unam coaluisse naturam: hos, inquam, omnes unicam voluntatem, et actionem in Christo constituisse, non valde mirari subdit: hoc enim ex illis opinionibus sequitur, quas in primo libro accurate declaravimus. De Nestorio, singulare prorsus est, quod ipsum tamen illius ex verbis ostendit Agatho Romanus pontifex, in epistola synodica, quam ad Constantinum Pogonatum misit, quæ in sexta Synodo recitata est.

Ea verba sunt hujusmodi, ex libro secundo, quem inscripserat: *Præclare initiationis:* « (1) Inconfusas custodimus naturas, non secundum substantiam, sed voluntatis tantum arbitrio copulatas, propter quod earum unam voluntatem, et operationem, et dominationem statuimus dignitatis æqualitate ostensas. »

Hinc abbates, et monachi orientales in libello, quem synodo Lateranensi sub Martino primo Romæ habitæ contra Monotheletas obtulerunt, asserunt illos cum Severo, et Apollinari, ac Nestorio, et Theodoro, nempe Mopsuesteno, consentire [5].

Maximus vero monachus, idemque martyr, in disputatione cum Pyrrho, Nestorium scribit (2) duas personas Christo, et unam operationem affingere, nimirum σχετικὴν, hoc est *solius habitus, et affectus;* qualem ἕνωσιν, id est *unitionem*, naturarum istarum, imo personarum, esse credebat.

III. Quocirca Monotheletarum error consectarium quoddam fuit, et appendicula hæresis Eutychianæ, sive Apollinaristarum, et unius omnino naturæ defensorum: tametsi duas aperte, ac diserte naturas in Christo profitebantur; ut ex omnibus antesignanorum illius sectæ formulis, ac confessionibus fidei, aliisque scriptis intelligitur, quæ in sexta Synodo citata, et antecedenti a nobis capite commemorata sunt. Vide inter alia Macarii Antiocheni ἔκθεσιν in actione octava synodi illius [6].

Quanquam Martinus papa in Lateranensi synodo, recitatis Theodori Pharanitæ, principis illius hæresis verbis, eumdem accusat, adeoque sectam universam, tanquam veram ac solidam carnem, molemque corporis Incarnationi detraxerint; sola ejus relicta specie, vel, ut Martinus loquitur, phantasmate. Verba Pharanitæ, quæ græce in sexta Synodo recitata sunt, sic habent: « (3) Nam anima nostra

(1) NESTOR. in Agath. ep. quæ est in act. 4. Syn. 6. pag. 53. tom. 4. Conc. Ἀσυγχύτους φυλάττομεν τὰς φύσεις οὐ κατ' οὐσίαν, γνώμῃ δὲ συνημμένας. Διὸ καὶ μίαν αὐτῶν τὴν θέλησιν, ἐνέργειαν τε, καὶ δεσποτείαν ὁρίζομεν ἀξίας ἰσότητι δεικνυμένας.

(2) MAXIM. Καὶ μὴν Νεστόριος, δύο πρόσωπα λέγων, μίαν δογματίζει ἐνέργειαν.

(3) THEOD. Phar. in act. 13. Syn. 6. pag. 221. Ἡ μὲν γὰρ ἡμετέρα ψυχὴ οὐ πέφυκε τοιαύτης δυνάμεως εἶναι, ἵνα τὰς φυσικὰς τοῦ σώματος ἰδιότητας ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ ἑαυτῆς ἀπελαύνῃ. Ἀλλ' οὐδὲ κυρία τοσοῦτον ὤφθη λογικὴ ψυχὴ τοῦ ἰδίου σώματος, ὥστε καὶ τῶν κατ' αὐτὸ, καὶ συμφυῶν αὐτῷ, ὄγκου, καὶ ῥοῆς, καὶ χρώματος ἐπικρατῆσαι, καὶ ἔξω τούτων αὐτὸ καταστῆσαί ποτε. Ἅπερ ἅπαντα κατὰ τὴν εἰκονομίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἱστόρηται, καὶ γεγένηται ἐν τῷ θείῳ, καὶ ζωοποιῷ σώματι. Ἡ γὰρ ἀόγκως, καὶ

[1] In Syn. 6. Act. 12. p. 199.
[2] Cap. 19.
[3] Mart. in Later. Syn. Consul. 20. p. 690. F. 1.
[4] Ibid. p. 676. et in Syn. 6. Act. 18. p. 271. et Agatho in epist. Act. 4. ejusdem Synodi. — [5] In Secret. 62. Syn. Later. p. 676. — [6] Pag. 98. et seq.

non tantam a natura vim habet, ut nativas corporis proprietates ab hoc, vel a seipsa possit expellere : nec adeo in potestate corpus suum rationalis obtinet anima, ut quæ illi insita sunt, et naturalia, velut molem, fluxionem, et colorem, pervincere possit, atque iis ipsum aliquando liberare. Quæ omnia in susceptа natura Salvatoris nostri Jesu Christi narrantur, et facta sunt in divino, ac vivifico corpore. Nam illa citra molem, et, ut ita loquar, incorporaliter absque diremptione processit e vulva, et sepulcro, ac per fores; necnon tanquam supra solum, ita supra mare pedibus ambulabat. » Quibus ex Theodori verbis Martinus papa, illum asserit veram negasse carnis, hominisque substantiam in Christo [1]. « Nam si absque tumore, et incorporaliter ex utero processit, et super dorsum maris deambulavit, hoc ipsum quod deambulalat, et procedebat, ergo phantasma erat : » ac Patrum deinceps auctoritate hæreticum illum refellit. Verum etsi clam, et in sinu Monotheletæ errorem istum alerent, ac foverent, non tamen palam præ se ferebant. Et fieri potest, ut Theodorus ille, cum molem, ac cetera corpori insita Christum ademisse sibi asserit, non proprietates ipsas, sed usum, effectumque proprietatum intellexerit: hoc est, ut philosophorum scholæ loquuntur, *actum secundum*, non *primum*, quo sensu non tam damnanda vox illa foret.

IV. Ut hanc de Monotheletarum hæresi disputationem finiam, duo adhuc explicanda restant : unum, de ambobus edictis totidem imperatorum, quæ in illius sectæ gratiam scripta sunt. Ecthesi, ac Typo : alterum, de Honorio papa, cujus nomini conflata est invidia propter ejusdem erroris suspicionem. Horum prius idcirco propriam, et diligentem animadversionem requirit, quod duæ illæ formulæ adeo perplexis, et obscuris verbis, sententiisque conceptæ sunt, ut quid statuant, et quatenus invicem distent, aut congruant, non sit facile discernere, sed nec satis ea constare videntur, quæ veterum aliqui de illis memoriæ prodiderunt. Ecthesim ab Heraclio promulgatam unam in Christo voluntatem, et operationem decrevisse Martinus primus docuit in allocutione ad Patres synodi Lateranensis habita, his verbis [2] : « Et Cyrus quidem ante hos decem et octo annos, unam operationem in Christo in eadem Alexandriæ urbe definiens, divinitatis ejus, et humanitatis, ad similitudinem Acephalorum hæreticorum ordinando capitula numero novem in ambone prædicans, cum anathemate qui sic non saperet, impie promulgavit. Sergius autem per epistolam propriam ad denominatum Cyrum scriptam, eamdem similiter unam operationem suscipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare. Et non solum hoc, sed etiam post aliquot annos ejusdem Cyri novæ adinventionis, hoc est per nuper duodecimam indictionem elapsam, hæreticam et ipse conscribens ecthesim fidei, sub nomine tunc imperantis Heraclii; unam in eadem salvatoris nostri, secundum impium Apollinarem, voluntatem, et operationem instituit, ex hoc quod dicit imprudenter, sequi operationem voluntatem. »

(1) Maximus vero martyr, initio collationis cum Pyrrho habitæ, « unam in Christo voluntatem per ecthesim promulgatam esse » scribit. Idem porro, in altera collatione, quam Constantinopoli cum principibus habuit [3], dicit ea, quæ Cyrus in novem capitulis Alexandriæ proposuerat, « per ecthesim damnata, et quæ dogmatizaverunt per ecthesim, per Typum irrita statuisse, ac deposuisse semetipsos totiens. » Sed ecthesis verba hic adscribere, ac perpendere satius est, quibus dogma suum exponit.

V. Extat Heraclii ecthesis in secretario quarto synodi Lateranensis sub Martino primo celebratæ [4]. Typus quoque in eodem secretario legitur [5]. In neutro vero edicto decernitur, unam Christi operationem esse. Imo ita potius præcipitur, ne quis vel unam, vel duas profiteatur. Ecthesis, post longam et catholicam explanationem Trinitatis et Incarnationis, « nullo modo concedit alicui ex omnibus unam, vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini incarnatione; sed magis, sicut sanctæ et universales tradiderunt synodi, unum eumdemque filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum confiteri ope-

οἷον εἰπεῖν, ἀσωμάτως ἄνευ διαστολῆς προῆλθεν ἐκ μήτρας, καὶ μνήματος, καὶ θυρῶν. Καὶ ὡς ἐπ' ἐδάφους, τῆς θαλάσσης πεζεύει.

(1) Maxim. Ἓν θέλημα τῆς θεότητος, τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ δοξάσαντες, καὶ μὴ μόνον δοξάσαντες, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ λύμῃ τοῦ παντὸς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας σώματος, διὰ καινῆς ἐκθέσεως τοῦτο προτεθεικότες.

[1] In Later. Syn. Secret. 2. p. 690. et in epist. ad Constant. p. 646. — [2] Secret. 1 p. 667. — [3] In Collect. Anast. p. 126. — [4] Tom. 4. Conc. pag. 696. — [5] Ibid. p. 706.

rari divina, et humana. » Addit subinde rationem, ob quam nec unam, nec duas dici patiatur operationes : « Eo quod unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat, et extraneat quorumdam aures, arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem et duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam sanctorum, et præcipuorum Patrum : sed et sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates, contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saluberrimam passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati, et oppugnantem, et exinde duo contraria volentes introduci : quod impium est, et extraneum Christianici dogmatis. » Postquam autem de ἐνεργείᾳ, id est *operatione*, statuit sic, ut neutri parti præjudicare, sed utraque suppressa, paci et concordiæ cavere videretur; mox de voluntate manifeste virus hæreticum expromit, unam in Christo confitens. « Unde sanctos Patres, *inquit*, in omnibus, et in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur. »

At vero Typus absolute vetat tam voluntatem, quam operationem unam, aut duas nominari; ut « qui sunt catholicæ, et apostolicæ Ecclesiæ non habeant licentiam invicem a præsenti, de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam. »

Igitur ecthesis hoc habet proprium, ut operationem dici unam, duasve prohibeat : voluntatem vero unam aperte confiteatur. Quod sane jure mirandum videtur. Nam et voluntas ipsa quoque est ἐνέργεια, id est *operatio;* quare eadem utriusque ratio est. Quidnam igitur est causæ, cur voluntatem potius unam, quam operationem profiteri ecthesis permiserit ? Antequam respondeo, nonnulla de usu vocum illarum observanda sunt, quem apud sectæ illius principes animadvertimus.

VI. Monotheletarum hæresis prima velut eruptio facta est, uti supra docui [1], anno Heraclii 20. ex Athanasii Jacobitarum antistitis callida sciscitatione, qua illud de Imperatore quæsivit, utrum una Christi operatio profitenda esset, an duæ. Theophanes, Cedrenus, Miscella, aliique passim Annales græci, non minus de voluntatum, quam de actionum numero interrogatum esse produnt Heraclium ab Athanasio, et ab illo Cyrum Lazicæ metropolitanum, ab utroque vero Sergium Constantinopolitanum. Verum ex Cyri, et Sergii epistolis constat, de *operatione* sola nominatim factam esse mentionem. Cyrus Heraclii interrogatione percussus, ut ipse refert, cum expedire non posset, una esset an duæ in Christo ἐνέργειαι, ac duas esse contenderet ex Leonis papæ verbis, ostensas sibi ab Heraclio ait litteras Sergii, quibus percontanti sibi, unam esse tantummodo ἐνέργειαν responderat. Hac de causa scribere se ad illum Cyrus dicit epistolam eam, quæ recitata est in sexta Synodo [2]. Atqui solius ἐνεργείας ibi meminit Cyrus, non *voluntatis*. Apparet ergo de *voluntatibus* supplevisse græcos historicos, quia revera consequens erat ex *operationum* numero, voluntatum *numerus*. Quin et Cyrus ipse [7], postquam Alexandrinus patriarcha factus est, in anathematismo suo septimo, unam θεανδρικὴν ἐνέργειαν, id est *Dei virilem operationem*, fatendam edixit, non *voluntatem*.

VII. Sergius vero in epistola, qua priori a Cyro ad se missæ, antequam Alexandrinum thronum obtineret [3], respondit, quæsitum ab eo de sola ἐνεργείᾳ significat, non de voluntate. Ideo tamen subinde ex supposititio Mennæ Constantinopolitani patriarchæ libello ad Vigilium papam, verba quædam citat, quibus asseritur (1) « una Christi voluntas, et una vivifica operatio. »

Et in epistola ad Honorium papam [4], in qua causæ totius statum, et orientis hæresis illius ac controversiæ seriem refert, de duabus operationibus interrogatum se ab Cyro, necnon ab Sophronio scribit : ac se utique suasisse, ut ab unius, aut duarum operationum appellatione desisterent : quod prior, etsi ab quibusdam Patribus usurpata legitur, novitatis habet ostensionem, tanquam ad naturarum duarum negationem pertineat : posterior vero, duarum operationum, præterquam quod a nullo veterum memorata est, consequens hoc parit, « (2) ut duæ voluntates invicem contrariæ ponantur, ex quo volentes duo, et quidem

(1) Act. 12. Syn. sex. pag. 195. Ἐν ᾧ τὸν ὅμοιον, καὶ αὐτὸν τρόπον ἓν τὸ τοῦ Χριστοῦ θέλημα καὶ μίαν ζωοποιὸν ἐνεργειαν ἐδογματισε.

(2) SERG. ad Honor. pag. 200. Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἕπεσθαι ταύτῃ τὸ καὶ δύο προσθεύειν θελήματα ἐναντίως πρὸς ἄλληλα ἔχοντα, etc. ἔνθεν δύο τοὺς τἀναντία θέλοντας εἰσάγεσθαι, ὅπερ

[1] Cap. 19. § 1. — [2] Act. 13. pag. 215. — [3] Ibid. p. 218. — Act. 12. Syn. sex. p. 194.

[4] Serg. in ep. ad Honor. Act 12. Syn. sex p. 199.

contraria colliguntur, quod est impium : cum impossibile sit, in uno eodemque subjecto duas simul voluntates subsistere. » Ex quibus Sergii verbis liquet, aliter ab eo statutum esse de operatione, quam de voluntate, nec de ambarum unitate, aut numero, ac discrimine par et idem illius fuisse judicium. Siquidem voluntates dici duas nullo modo patitur, operationes vero duas non prorsus condemnat : sed pacis, et concordiæ gratia, et, ut Græci loquuntur, κατ' οἰκονομίαν taceri, ac supprimi jubet, non minus, quam operationem unicam; cujus utique professionem non per sese damnandam arbitratus est.

At Theodorus Pharanites, quem novæ istius hæresis auctorem Martinus papa primus nominat [1], ut et Stephanus Dorensis [2], non solum ἐνέργειαν unam, verum etiam voluntatem unam asserit : ut ex illius verbis cognoscitur, quæ supra descripsimus [3]. Quod ipsum et Paulus Constantinopolitanus patriarcha fecit in epistola ad Theodorum papam [4] : necnon Macarius Antiochenus in sexta damnatus Synodo; et Pyrrhus : quorum dicta capite illo vicesimo reddidimus [5].

VIII. Ex omnibus istis evidens est, Monotheletarum principes, et auctores defugisse nonnunquam apertam confessionem unius operationis in Christo; voluntatis autem unius præ se tulisse : tametsi utrumque ex illorum assertione, ac doctrinæ principiis erat consequens. Hujus tergiversationis manifesta sunt in superioribus argumenta, præsertim in Heraclii ecthesi. Nec dubitandum est, quin mysterii aliquid, et arcani consilii in hac re fuerit : cujus non contemnenda sit inquisitio.

Hoc ut palam faciamus, quod quidem assecutos nos esse confidimus, utriusque vocabuli, ἐνεργείας et θελήματος, consideranda notio est, et usus in communi sermone. Nec nova, vel longa explicatione est opus, quod ad ἐνέργειαν spectat. De hac enim plenissime scripsi in quinto libro de Deo, capite decimo. Ex quo constat ἐνέργειαν appellari, naturalem, et necessariam τῆς οὐσίας, id est *substantiæ* motionem, quæ naturam comitatur, ex eaque statim proficiscitur. Scitum enim illud est græcorum maxime theologorum consensu; velut Maximi, Joannis Damasceni, ac ceterorum, qui Monotheletarum hæresim impugnarunt : naturam esse nullam, aut substantiam, quæ sit ἀνενέργητος.

Itaque naturæ omnis sua est attributa, propria, et οὐσιώδης operatio, quæ eam sequitur. Sic prima viventis actio, et motio, vita est ipsa; quæ vegetabilis animæ functiones continet : sensu præditorum princeps operatio, interioris est sensus agitatio perpetua : intelligentium ἐνέργεια rationis est continuus usus : quæ omnia uberius illic enucleata sunt. Hæc est φυσικὴ ἐνέργεια, quæ scilicet naturæ unicuique convenit, et ei necessario adjungitur. Quanquam aliæ quoque sunt ἐνέργειαι minime necessariæ, quæ ex naturalibus principiis, et facultatibus, non tamen naturaliter, hoc est determinate, et necessario, ac continenter oriuntur : cujusmodi sunt liberæ hominum, ac ratione præditorum actiones. Sed ἐνεργείας vocabulo frequentius prioris generis operatio subjicitur apud græcos theologos, præsertim cum de Christi actione disputatur.

IX. Jam *voluntatis* nomen in his controversiis, quando actionem potius, quam potentiam agendi significat, quod interdum evenit contra atque in ἐνεργείᾳ fieri proxime dictum est, non naturalem, sed liberam arbitrii nostri motionem indicat. Nam licet actiones voluntatis, sive *voluntates*, aliæ sint naturales, et necessariæ; aliæ contingentes, et liberæ : tamen sæpius *voluntatis* nomen, et ab hoc deflexum *voluntarii*, cum absolute, ac simpliciter usurpantur, pro libera sumuntur : ut alibi fusius docui [6]. Sic Augustinus ad Psalmum 131. de Davide in potestate Saulem habente loquens [7] : « Habebat illum in potestate, *inquit*, et non necessitate, sed voluntate pepercerat : » ac passim tam apud profanos, quam apud sacros scriptores *voluntarii* vox non aliud quam liberum sonat, hoc est quod deliberatione, et electione fit.

Græci theologi *voluntatem* bifariam dividunt, hoc est actionem ipsam volendi, quam θέλημα vocant. Aliud θέλημα dicunt esse φυσικὸν, aliud γνωμικόν. Est autem γνώμη Latinis *sententia*, hoc est judicium, quod *practicum* nominant : quod ex consultatione oritur, quando post deliberationem, et ancipitem de optando alterutro cogitationem, ad unum aliquod adhærescimus, idque anteponendum esse decernimus alteri; quo ex judicio sequitur electio. Ita Joannes Damascenus [8]; cujus verba descripsi in libro tertio de Opificio.

Maximus martyr in disputatione cum Pyr-

δυσσεβές. Ἀδύνατον γὰρ ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ ὑπκειμένῳ δύο ἅμα, καὶ κατὰ ταὐτὸν (ἐναντια) ὑφεστάναι θελήματα.

[1] In Later. Syn. Cons. 3. Tom. 4. Conc. pag. 688. — [2] Ib. Cons. 2. p. 672. — [3] Cap. 20 § 2. — [4] Ib. Cons. 13. p. 222. — [5] Sup. c. 20. § 4. et 5. — [6] Tom. 3. lib. 4. de Opif. c. 5. et cap. 11. — [7] August. Tom. 8. p. 624. — [8] Lib. 2. c. 22. vide to. 3. nostrum. c. 5. § 5.

rho, γνώμην definit « (1) voluntatem quodammodo affectam, quæ cum habitudine quadam bonum vel verum vel putatum amplectitur : » tum varias illius vocis significationes numerat, ad viginti octo [1]. Porro in Christo negat fuisse γνώμην, eo quod ibi tantum sit, ubi boni aut mali dubia primo, tum libera est electio, cujusmodi in Christo non fuit, quod et Joanni Damasceno videtur [2].

Jam vero Monotheletæ θέλημα φυσικὸν, id est *voluntatem naturalem*, dici nullo modo ferebant, eique Pyrrhus acerrime refragatur in disputatione cum Maximo [3] ; ne si naturalis esset, esset item necessaria [4]. Proinde [5] θέλημα in Christo nonnisi γνωμικὸν admittebant, quod et ὑποστατικὸν, id est *personale* esse dicebant. Ex quo consequens fit unam tantummodo voluntatem in illo extitisse : quia si duæ forent, necesse sit eas mutuo sibi esse contrarias, adeoque alteram bonam, alteram malam, quoniam hæc est τῆς γνώμης conditio.

X. Hinc apparet, cur iidem hæretici ἐνέργειαν unam plerumque diffidenter, ac timide professi sint, nimirum ne naturas duas inficiari viderentur ; eo quod ἐνέργεια est φυσικὴ, atque idcirco pro naturarum numero multiplicatur : θέλημά vero unicum esse, apertius, et constantius docuerint : rati plausibilius hoc ipso dogma suum fore, cum qui illud audirent, nihil eos putarent aliud velle, quam unam, id est consentientem, et concordem fuisse naturæ utriusque voluntatem ; nec humanam ab divina discrepasse. Hinc etiam duarum voluntatum assertores Catholicos traducere solebant, tanquam pugnæ illius voluntatum in Christo, ac dissidii defensores. Deinde quia τὸ γνωμικὸν θέλημα, hypostasis proprium est, (quippe velle simpliciter naturæ proprietas est ; hoc autem vel illo modo velle, personæ est, uti Maximus docet [6],) cum una sit hypostasis in Christo, consequens hoc esse videbant, unicam esse voluntatem. Atque hoc plenius exponendum erit postea, cum de Christi voluntate ac libertate disputabimus.

XI. Superest ut de Honorio Romano pontifice dicamus, qui inter Monotheletarum principes in sexta Synodo notatus, et damnatus legitur. Non ero longior in illius causa disceptanda ; quod eam plerique catholici, et eruditi viri accurate susceperint : ac præsertim Baronius in Annalibus [7], aliique plures, qui inustam illius nomini suspicionem hæresis strenue depulerunt. Itaque pauca de hoc argumento libabimus. Cum Sergius Constantinopolitanus antistes, uti supra memini [8], de dissidio recens exorto Cyrum inter et Sophronium, super operatione Christi, retulisset ad Honorium papam, itaque significasset, duabus in Christo positis operationibus, voluntates quoque poni duas, contrarias invicem, et repugnantes : se vero concordiæ gratia censuisse, nec unam, nec duas actiones nominandas ; sed unum duntaxat operantem ; Honorius ad ea rescribens [9], judicium illius, ac sententiam laudavit, et ita faciendum omnino decrevit. Unam porro voluntatem in Christo confessus est, et eam dicti sui rationem attulit ; « (2) quod a divinitate natura nostra est assumpta, non culpa : nimirum natura ejusmodi, qualis ante peccatum condita est, non quæ post transgressionem depravata est. » Quocirca Honorius duas voluntates haud absolute Christo denegavit : sed tantummodo contrarias, cujusmodi in nobis ex corrupto naturæ statu reperiuntur. Etenim hunc de duabus voluntatibus sermonem ad Sergii, cujus epistolæ respondebat, mentem accommodavit. At iste non simpliciter duas voluntates esse colligebat ex eo, quod Christo duæ tribuuntur operationes : sed duas contrarias. Ita enim Catholicorum sententiam invidiose solebant exponere Monotheletæ, quasi non aliter divinæ voluntati Christi humana possit adjungi, quam ut hæc ipsa carnalis, peccatrixque sit. Quemadmodum Macarius Antiochenus obstinatissimus hæresis illius defensor demonstrat : (3) qui humana caruisse voluntate Christum hoc argumento probat, quia carnalibus voluntatibus, et cogitationibus humanis caruit, (peccato scilicet infectis, et ab recta ratione dissidentibus.) Hoc modo Catholici complures sancti et eruditi viri, qui per illud tempus floruerunt, Honorium excusant :

(1) Max. pag. 769. fine, in calce tom. 8. Ann. Baron. Οὐκοῦν ἡ γνώμη οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ποιὰ θέλησις σχετικῶς πως τ. ὄντος, τ. νομιζομένου ἀγαθοῦ ἀντεχομένη.

(2) Honor. Ὅθεν καὶ ἓν θέλημα ὁμολογοῦμεν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐπειδὴ προδήλως ὑπὸ τῆς θεότητος προσελήφθη ἡ ἡμετέρα φύσις, οὐχ ἁμαρτία ἐν ἐκείνῃ· δηλαδὴ ἡ φύσις ἡ πρὸ τῆς ἁμαρτίας κτισθεῖσα οὐχ ἥ τις μετὰ τὴν παράβασιν ἐφθάρη.

(3) Macar. act. 8. sex. Syn. pag. 105. Ἡμεῖς ἀνθρώπινον θέλημα ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ οὐ λέγομεν, θεῖον δὲ ναί. Δίχα γὰρ σαρκικῶν θελημάτων, καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, etc.

[1] Max. in disp. p. 771. — [2] Lib. 3. cap. 14. p. 122. — [3] Pag. 763. tom. 8. Baron. — [4] Ibid. p. 759. — [5] Ibid. p. 767.

[6] Apud Euth. Pan. Tit. 18. — [7] Ad annum 633. et 681. — [8] Cap. 19. § 4. — [9] Hon. in Act. 13. Syn. sex. p. 203.

ut Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho : et Joannes VI.[1] qui paulo post mortem Honorii, Romanam sedem tenuit, in epistola, quam in ejus defensionem scripsit ad Constantinum imperatorem Heraclii filium, eodem quo Heraclius mortuus est anno.

XII. Hic vero Monotheletarum fraus est animadvertenda, qui ambiguo sensu voluntates illas, quas duas negabant in Christo fuisse, sumpserunt. Etenim fuit hæc illorum mens, ut in Christo nonnisi divinam inesse, humanam deesse voluntatem docerent. Quod hac ratione sunt probare conati. Si enim duæ voluntates essent, eas inter se contrarias fore dicebant : idque hominum exemplo monstrabant, in quibus innata est, et domestica pugna, quam agnoscit in se, deploratque Paulus apostolus ad Romanos scribens, capite septimo. Hanc autem non alia de causa fieri in nobis asserebant, nisi quod diversæ sunt voluntates, carnales videlicet, ac spiritales : eo quod [2] *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Quo ex fonte peccati labes, et corruptela nascitur. Cum igitur constare hoc inter Christianos intelligerent, Christum Dominum non modo non peccasse, sed ne peccare quidem potuisse, ut peccati aditus omnes obstruerent, tam operationum, quam voluntatum diversitatem auferre se dicebant, ne repugnantiam inducerent. Ita Sergius in epistola ad Honorium papam argumentatur; ubi duas se negare ait operationes, quod « (1) ex iis consequens sit duas agnoscere voluntates inter se contrarias : tanquam Deo Verbo volente salutarem impleri passionem : humana vero, quæ in ipso inerat, natura illius obsistente, ac repugnante voluntati : indidemque contraria volentes induci duos : quod est impium. Non enim fieri potest in uno et eodem subjecto duas simul, et circa idem voluntates subsistere. » Verum hæreticus iste subdole controversiæ statum alio transtulit, et voluntates illas duas, quarum invidiosam repugnantiam ad dogma suum probandum accommodavit, non ejusdem cum iis generis constituit, quas in suo dogmate præferebat. Quippe duæ voluntates illæ, quas detrahere Christo volebat, humana sunt et divina; ex quibus hanc solam relinquebat; quas autem in exemplum attulit tam hominibus innatas, vereque inter se pugnantes, quam in Christo non reipsa, sed in speciem duntaxat contrarias, eæ non humana et divina, sed humanæ sunt ambæ, nimirum superioris animæ partis, et inferioris; quarum hæc carnis, illa spiritus appellari solet. Etenim duæ istæ vere inter se confligunt in nobis, et quidem acerrime, ut [3] *non quæ volumus illa faciamus.* In Christo vero non erant contrariæ : ut suo loco declarabimus, cum agemus de duplici voluntate Christi.

XIII. Quamobrem mirum videri nemini debet, si Honorius fraudis illius, et hæreticæ calliditatis ignarus, ad illa, quæ in epistola sua, et quæstione posuerat Sergius, simplici ac bona fide responderit; et eo sensu duas in Christo negaverit inesse voluntates, quo ab Sophronio, aliisque Catholicis asseverari, falso et calumniose ille narrabat. Itaque totus in hoc incumbit Honorius, ut ab Christo vitiatam, et Adami labe corruptam minime assumptam esse naturam approbet, sed incorruptam, et integram; quæ vacua sit concupiscentiæ morbis, et motibus spiritui, ac rationi contrariis, quæ sunt discordes illæ, et certantes contra se invicem voluntates. Vide Honorii epistolam priorem ad Sergium [4].

Hujusmodi fuisse mentem Honorii egregie demonstrat Joannes IV. in epistola ad Constantinum imperatorem; ubi hæc inter alia scribit [5] : « Et idcirco, *inquit*, unam voluntatem, secundum primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ Dominus noster Jesus Christus habere dignatus est, non duas contrarias; quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti, etc. Quapropter et nos, qui per prævaricationem, et peccatum illius nascimur, duas contrarias habere voluntates dignoscimur : duas autem dico, mentis et carnis, invicem reluctantes. » Tum paulo post [6] : « Ergo unus et solus est sine peccato mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus, et natus est in dispensatione, itaque sanctæ carnis suæ duas nunquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius, etc.

(1) SERG. in Syn. act. 12. pag. 200. Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἔπεσθαι ταύτῃ τὸ καὶ δύο πρεσβεύειν θελήματα ἐναντίως πρὸς ἄλληλα ἔχοντα· ὡς τοῦ μὲν Θεοῦ Λόγου τὸ σωτήριον θέλοντος ἐκπληρωθῆναι πάθος, τῆς δὲ κατ' αὐτὸν ἀνθρωπότητος ἀντιπτούσης τῷ αὐτοῦ θελήματι, καὶ ἐναντιουμένης, καὶ ἔνθεν δύο τοὺς τἀναντία θέλοντας εἰσάγεσθαι, ὅπερ δυσσεβές. Ἀδύνατον γὰρ ἑνὶ, καὶ τῷ αὐτῷ ὑποκειμένῳ δύο ἅμα, καὶ κατὰ ταὐτὸν ὑφεστάναι θελήματα.

[1] In Collect. Anast. p. 14. — [2] Gal. 5. 17. — [3] Gal. 5. 17. — [4] In 6. Synod. Act. 12. p. 203. — [5] Joan. Papa in Collect. Anast. p. 15. — [6] Ibid. p. 17.

Unde scientes quod nullum in eo, cum nasceretur, et conversaretur, esset omnino peccatum; decenter dicimus, et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctæ ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis prædicamus; secundum quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur, quia in salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. »

XIV. Idem fere Maximus martyr de Honorio testatur in epistola ad Marinum [1], idque Joannis abbatis auctoritate confirmat [2], qui jussu Honorii papæ epistolam illam latine dictaverat : quod uberius exponit in disputatione cum Pyrrho [3]. Quare, uti tam Maximus utrobique declarat, quam Joannes IV. de sola voluntate humanæ naturæ locutus est Honorius, cum eam in Christo fuisse singularem asseruit; quod ad quæstionem præcise responderet, et ibi, ubi morbus erat, remedium adhibendum putaret; de divina vero voluntate tacuit, quia nulla de ea controversia restabat; quæ in Chalcedonensi concilio perempta penitus fuerat, ubi constituta est naturæ duplicis, integræ, et sine ulla confusione manentis professio, cujusmodi distinctas operationes, et voluntates necessario consequentes habet.

Jam vero quæ ad purgandum Honorium pertinent, quatenus in sexta, et septima Synodo, aliisque perstrictus, ac pro hæretico damnatus videtur, accuratissime disputavit Baronius in Annalibus [4], ac certas exposuit rationes, propter quas inter proscriptos illis in synodis hæreticos nomen Honorii resederit. Quare verbum de iis non amplius addam; ne supervacaneam perfecta jam in re operam ostentare videar.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De hæresi Feliciana, quæ Nestorianæ propago fuit. — 1. Quinam Felix et Elipandus fuerint. — 2. A quibus illa confutata. De Francofurtensi synodo. — 3. Exponitur hæresis ista Felicis. — 4. Necnon Elipandi.

I. Post Nestorii vel extinctam, vel compressam hæresim, quædam ejus semina longo intervallo pullularunt in Hispaniis, auctoribus episcopis duobus : qui Christum Deum hominemque confessi, totidem, quot naturæ sunt, in eo filios inesse docuerunt; alterum naturalem, qui est Deus, et Verbum : alterum adoptivum, qui est homo. Cujus hæresis τὰ ἱστορούμενα hoc loco referam. Felix et Elipandus, regnante in Galliis Carolo magno, Romæ vero Hadriano primo sedente, eam pestem in Hispaniam intulerunt. Horum prior Orgellitanus erat episcopus; alter vero Toletanus, de quibus ita scribit Eginhardus [5] in Annalibus ad annum Christi 792 : « Orgellis (hanc Urgellam alii nominant) est civitas in Pyrenæi montis jugo sita : cujus episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti episcopo per litteras consultus, quid de humanitate salvatoris Dei, et Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum quod homo est, proprius, an adoptivus Dei filius credendus esset, ac dicendus; valde incaute, atque inconsiderate, et contra antiquam catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris pertinacissime pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad palatium regis, qui tunc apud Reginum (Ratisbona vulgo dicitur) Bajoariæ civitatem, in qua et hyemaverat, residebat. Ubi congregato episcoporum concilio auditus est, et errasse convictus ad præsentiam Hadriani pontificis Romam missus : ubi etiam coram ipso in basilica beati Petri apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. Quo facto ad civitatem suam reversus est. »

Hos ambos episcopos scribit Jonas Aurelia-

[1] Quæ est in Anast. Collect. p. 26. — [2] Ibid. p. 33. [3] Pag. 695. — [4] Ad ann. 633. — [5] Tom. 1. Hist. Gall. p. 246.

nensis episcopus [1] partitis operis diversas sibi provincias sumpsisse, quas erroribus suis imbuerent, ut apostolorum in eo sequerentur exemplum. Elipandum itaque Astures et Callaicos obivisse : Felicem vero, Septimaniam : et eumdem per Gallias, et Germaniam hæresim suam disseminasse, quanto in ipso fuit; sed nullum ibi successum habuisse; quod in illis regionibus doctrinarum cultus, maxime sacrarum, impendio floreret, Carolo id agente rege, qui Magni cognomen adeptus est.

II. Hujus auctoritate principis, ac studio hæresis illa, statim ac proferri cœpit, in disquisitionem adducta sæpiusque damnata est, et elisa.

Primum in Italia [2], Paulino Aquileiæ patriarcha præside, Forojuliensis habita est synodus anno Christi 791. in qua decretum est, Christum proprium esse Dei filium, non adoptivum; nec duos in illo filios inesse, qua professione nova, ut apparet, sed nondum appellatis auctoribus, hæresis est proscripta. Eadem vero anno sequenti, Christi 792. ut Annales Francorum referunt [3], in Germania primum in judicium est vocata Ratisbonæ coram Carolo M. ubi, synodo congregata, convictus Felix, errore agnito, Romam ad Hadrianum pontificem ire jussus est, eoque deductus ab Angilberto abbate iterum auditus est ab Hadriano, et coram eo suam damnavit hæresim.

Biennio post, cum Elipandus eamdem erroris pravitatem tueri, ac propagare pergeret, ac Felicem ad illius resumendum patrocinium impulisset, quin etiam ad Carolum regem pro ea scripsisset epistolam, hic omnibus ex suæ ditionis provinciis episcopos, et eruditionis fama celebres viros Francofurtum ad Synodum accivit. Ferunt hac occasione vocatum e Britannia in Gallias advenisse primitus Flaccum Albinum Alchuinum : quem propter eximiam, ut illis temporibus, doctrinam inter carissimos deinceps habuit. Celebrata est Francofurti synodus [4] anno Christi 794. in qua lecta est Elipandi Toletani epistola, necnon Hadriani papæ ad Gallæciæ, et Hispaniarum episcopos; tum liber sacrosyllabus Paulini Aquileiensis contra Felicis, et Elipandi hæresim, quæ unanimi consensu omnium in illo concilio damnata est. Scripsit et Carolus rex luculentam ad Hispanos contra eamdem hæresim epistolam, quam cum Hadriani, et Paulini, necnon synodi totius epistolis ad illos destinavit.

Extant duorum Hispanorum nomine, Etherii episcopi Uxamensis, et Beati presbyteri, libri duo scripti adversus Elipandum; qui et ex Hispania profecti dicuntur ad synodum legati ab Catholicis missi; quemadmodum et Romani Pontificis legati interfuere duo, Theophylactus, et Stephanus episcopi. Felicem in ea synodo damnatum scribit Ado Viennensis, et Lugdunum in perpetuum relegatum, ibidem obstinatum in hæresi mortuum esse.

Agobardus certe Lugdunensis episcopus in libro adversus dogma Felicis, refert post obitum illius inventam a se quamdam esse « schedulam ab eo editam sub specie interrogationis, et responsionis : quam cum legentes consideraremus, *inquit*, inspeximus hominem diligenter, et fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, pravitatem omnem dogmatis sui, in qua tum fuerat detectus, et convictus, et propter quam ab honore episcopatus depositus. » Ac subinde nonnullos ait « admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putare cuncta quæ dixit, nescientes quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. » Albinus quoque Flaccus in epistola ad Elipandum [5], Felicem vocat « virum religiosæ vitæ præcipuum, et sanctitate spectabili. »

III. Hujus hæresis hæc summa fuit, quam ex ejus epistolis idem Alchuvinus exponit [6], « Christum propter assumptionem, adoptivum esse filium, minus, *inquit*, considerantem, non omnem assumptionem, adoptionem esse, licet omnis adoptio quædam sit assumptio. » Item [7], « Christum, qui ex Virgine natus est, verum non esse Deum, sed nuncupativum. » Præterea [8] : « quod sit per omnia æqualis nobis, nisi tantummodo, quod sine peccato natus est. » Tum vero [9] « baptismo indiguisse » dicebat, « volens, ut videtur, eum in baptismo adoptari in filium, sicut et nos. » Quem illius errorem fusius exponit in libro secundo adversus eumdem Felicem. Ubi sic eum sensisse refert [10]. Quemadmodum nos duplici quodam modo generatione nascimur : una secundum carnem, ex Adamo : altera spiritali, ex aqua, et Spiritu sancto; sine qua posteriori « nemo gratiam adoptionis consequi valet; » ita Christum primam ex Virgine generationem secundum carnem habuisse : secundam vero spiritalem, quæ per adoptionem fit.

[1] Init. lib. 1. de cultu imag. — [2] Tom. 6. Conc. p. 156. — [3] Tom. 1. Hist. Franc. p. 37. et 57. et 77. et 538. — [4] Ibid. Ann. Franc. et Ado Chron.

[5] Alch. col. 902. — [6] Ibid. — [7] Ibid. 903. D. — [8] Ibid. 904. C. — [9] Ibid. D. — [10] Lib. 2. cont. Fel. 816. E.

Præterea scribit Agobardus in eo, quem citavimus, libro adversus Felicem, hunc hæreticum docuisse, Christum revera aliqua nescisse: velut Lazari sepulcrum, diem judicii, et alia id genus de quibus tanquam ignarus interrogasse legitur. Quæ cum palam affirmaret, ad eum se accessisse refert Agobardus, et redarguisse; ideo ut emendaturum se illa ipsa polliceretur. Post mortem vero ejus cognovisse se ait hæc ab illo fuisse dicta: « Deum Dei Patris filium nullatenus dici debere passum, aut crucifixum: sed ab eo hominem assumptum; hoc nitentem exemplo Isaac, qui a patre ductus ad immolandum, non ipse, sed aries pro eo est immolatus: tanquam in Isaac figuratus sit filius Dei, et in ariete filius hominis. »

IV. Quod ad Elipandum spectat, eadem hujus fuisse videtur opinio, quam Etherius Examensis episcopus ex ejus dictis in unum symbolum collegit. Non enim Elipandus ipse composuit; ut Vasquez arbitratus est[1]. Verum Etherius se ex epistola, quam ad Fidelem abbatem scripserat Elipandus, concinnasse testatur[2]. « Quæ ipsa verba, *inquit*, fidei suæ nobis incognita in unum copulavimus: et quo facilius agnoscerentur, more symboli brevi compendio in pagina compegimus. » Ad eumdem scripsit Albinus Flaccus epistolam, sane moderatam, et officii, humanitatisque plenam, qua illum ad sinceræ fidei professionem revocare conatus est. Cui Elipandus superbissime, ac procacissime respondit. Extat utraque inter Alcuvini opera.

Hinc evidens est, cujusmodi Elipandi sententia fuerit, non alia scilicet, quam Felicis, quo, ut supra dixi, magistro impietatis est usus, Christum, qua homo est, non naturalem esse Dei filium, sed adoptivum asserebat: ita ut duos in eodem filios discerneret. Ex quo Nestorii consequens est hæresis, qui naturas duas sic ex catholicæ regula fidei profitebatur, in una persona consociatas, ut reipsa totidem, quot naturæ sunt, personas inesse crederet. Agobardus certe, cui notus apprime Felix Urgellitanus fuit, affirmat hunc Nestorii dogma secutum fuisse, « et dum timet permistionem Eutychetis incurrere, corruisse in divisionem Nestorii. »

Hactenus antiquiores hæreses, ac scitu digniores, quæ ad Incarnationem spectant, percensere, atque enarrare voluimus. Quarum nonnullas propemodum exoletas, tum superiore seculo, tum hoc nostro, complures instaurare conati sunt: quos numerando complecti, nedum accuratius illorum dogmata persequi, infiniti sit et ingrati laboris: fortassis etiam supervacanei; quod in promptu sint virorum doctissimorum commentarii, qui in hoc argumento magna cum laude versati sunt: unde repetere illa quisque poterit, quæ consulto hic a nobis prætermissa sunt; maxime recentiorum hæreticorum flagitia, et portenta verius, quam nomina. Quanquam in sequentium librorum disputationibus sparsim pleraque commemoravimus, velut Ubiquistas in libro decimo: et Nestorii fautores redivivos in sexto: et si quæ hæreses aliæ in stilum nostrum inciderunt. Nam de novis Paulianistis, sive Photinianis, quæ hoc loco dicenda erant, occupavit tertius de Trinitate liber, qui totus in illos confutandos insumptus est. Itaque præcipuarum, quas hoc libro comprehendimus, hæresum historia contenti, ad evolvenda in sequentibus tanti mysterii arcana Deo aspirante pergamus.

[1] In 3. par. tom. 1. Disp. 89. c. 1. § 3.

[2] Tom. 4. Bibl. PP. 484.

EDITORIS ADNOTATIO

AD CAPUT II. LIBRI I. DE INCARNATIONE

DE EBIONITIS, NAZARÆIS, ET DOCETIS.

Ebionitismus una fuit et quidem præcipua e sectis judaizantium, nempe Judæo-Christianorum, qui postquam in Jesum credidissent, legi Mosaicæ nihilominus addicti, vetera legalia sedulo servabant. Duplex ab initio judaizantium classis discernitur. Alii, duce Jacobo apostolo, primoque Hierosolymorum episcopo, legem custodiunt, pietatis quidem animo, non autem legalia adhuc ad salutem esse necessaria docentes, neque jugum legis Mosaicæ gentilibus ad Christum conversis imponere præsumentes. Alii vero necessarium, imo et sufficiens justificationis principium in legalibus reponunt, eaque proinde ab omnibus, ipsis etiam gentilibus, observanda urgent. Hi sunt quos in cunctis fere epistolis Paulus redarguit et confutat; hi sunt qui Petrum, eo quod Cornelium incircumcisum baptizasset, reprehenderunt; ac deinceps Ecclesiam Antiochensem conturbarunt, dicentes : *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* (Act. 15. 1.) Hi sunt qui concilii Hierosolymitani judicio reprobati, errores suos per Ecclesias Asiæ Minoris et Græciæ disseminare, Paulumque calumniis et aliis vexationibus lacessere non destiterunt.

Duplex illud judaizantium genus apud Justinum haud obscure innuitur. Tryphoni etenim Judæo sciscitanti, an is salvabitur qui Jesum esse Christum agnoscens, eique credens et obediens, instituta Mosaica observare voluerit, respondet Justinus : « Ut mihi quidem videtur, o Trypho, hominem ejusmodi salvum dico futurum; si modo ceteris hominibus, id est, iis qui ex gentibus per Christum ab errore circumcisi sunt, omnino persuadere non conatur, ut eadem ac ipse observent, salutem eos negans adepturos, nisi hæc custodiant, etc. » Objicit autem Trypho : « Cur dixisti, *Ut mihi quidem videtur, talis salvus erit*, nisi quia sunt qui tales negent salvos futuros ? » Reponit Justinus : « Sunt, inquam, o Trypho ; quique cum eis nec sermonis, nec hospitii communione conjungi audeant; quibus ego non assentior. Sed si ob animi infirmitatem etiam quæcumque nunc possunt ex iis quæ a Mose propter duritiam cordis populi instituta novimus, cum spe in hunc Christum, et æternorum ac naturalium justitiæ et pietatis præceptorum observatione conjungere voluerint; modo cum Christianis et fidelibus vivere non recusent, nec iis, ut jam dixi, suadeant, ut similiter ac ipsi circumcidantur, aut sabbata et alia ejusmodi custodiant, eos suscipiendos esse, et cum iis omnium rerum communionem, ut cum hominibus eodem modo affectis et fratribus, tenendam esse censeo. Sin autem, Trypho, qui ex vestro genere in hunc Christum sese dicunt credere, eos qui ex gentibus in hunc Christum credunt, omnino secundum legem per Moysen institutam cogant vivere, aut ejusmodi consuetudine cum eis conjungi nolint, non sane hos etiam similiter probaverim. » (Dialog. n. 47.) Sensit ergo Justinus, contra multorum, ætate sua, sententiam, legalia judaica, licet mortua, nondum tamen esse mortifera, modo ex pietate, non autem tanquam præcepta, aut ad salutem necessaria, observarentur.

Rigidiores e judaizantibus, ii scilicet qui vim legis Mosaicæ in perpetuum obligantem profitebantur, proprio nomine vocati sunt Ebionitæ; ceteri vero molliores, Nazaræi.

Ebionitæ sic appellati sunt, sive, ut quibusdam placet, ex Ebione quodam, quem tradit Philastrius Cerinthi discipulum fuisse, sive, quod verisimilius a plerisque judicatur, quia pauperem se agere vitam gloriabantur, e voce hebraica *ebionim*, quæ idem sonat ac pauperes. Nomen istud fuisse videtur omnibus Judæo-Christianis commune, qui, ex Hierosolymis, ante obsessam a Romanis urbem, trans Jordanem migrarunt. Multi autem ex eis, judaico magis quam Christiano spiritu afflati se Essenis, easdem regiones incolentibus, adjunxerunt, ac pro hæreticis, ab Ecclesia separatis, secundo seculo, habiti sunt, ut ex Irenæo constat. Quibus nomen Ebionitarum singulariter attributum est, sive illud sibi vindicaverint, sive a Christianis impositum habuerint.

« Qui dicuntur Ebionæi, inquit Iræneus, consentiunt quidem mundum a Deo factum; ea autem quæ sunt erga Dominum, similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Solo autem eo, quod est secundum Matthæum, Evangelio utuntur, et apostolum Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes. Quæ sunt autem prophetica curiosius exponere nituntur, et circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus, quæ sunt secundum legem,

et judaico charactere vitæ, uti et Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei. » (I. 26. 2.) Et in alio loco : « Eadem autem dicimus iterum et his qui Paulum apostolum non cognoscunt, etc. Qui igitur non recipiunt eum, qui sit electus a Deo ad hoc, ut fiducialiter portet nomen ejus, quod sit missus ad quas prædiximus gentes, electionem Domini contemnunt, et seipsos segregant ab apostolorum conventu. » (III. 15. 1.) Cum Irenæo concordant Hippolytus, (Philosophumena, edit. Miller, 257.) Origenes, (contra Cels. 65.) Euseb. (Hist. eccl. III. 27.) etc. Ex eorum testimoniis colliguntur Ebionitarum errores, qui ad tria capita, nempe de justificatione, de Christi officio, de ejusdem persona et dignitate, revocantur.

De justificatione. Nullam aliam dicunt esse justitiam, præter eam quæ ex Lege est, quæ scilicet in observatione legis Mosaicæ consistit, cujus proinde lex est manetque in perpetuum radix , principium atque mensura.

De officio Christi. Non ex meritis et satisfactionibus Christi, sed ex operibus Legis homo fit Deo acceptus, et hæres vitæ æternæ. Christus igitur jam non salutis auctor, hominis lapsi reparator, mediatorque inter Deum et hominem ; jam non est via, qua sola patet aditus ad Patrem; nec aliud a Deo mandatum, nisi legem instaurandi ac prædicandi, implendum accepit.

De persona et dignitate Christi non altiora quam de ejus officio judaizantes sapere debuerunt. Præfato enim muneri obeundo necessaria non erat persona divina humanam naturam assumens, Ebionitæ igitur in Jesu Nazareno Messiam quidem a prophetis prænuntiatum agnoscebant, non autem Deum incarnatum, cultu latriæ adorandum, merum vero hominem et insignem prophetam, Spiritu sancto afflatum, cujus plenitudinem, in ipsa conceptione, juxta quosdam, in baptismo ad Jordanem, juxta alios, acceperat. Qui primo in adventu humilis venit, in secundo autem ad congregandas tribus Israel, regnumque judaicum instaurandum gloriosus apparebit. Ebionitæ enim vanis Chiliastarum deliriis illudebantur , imo Chiliasmus habendus est geminus Ebionismi fœtus.

Duplex iterum statuendum est Ebionitarum genus: alii, de quibus, loco supra relato, loquitur Irenæus, monotheismo judaico stricte adhærebant ; alii zelum legis cum placitis Gnosticorum consociabant. Horum prima in epistolis B. Pauli vestigia deprehenduntur. Pseudosapientes, quorum Apostolus vaniloquium sugillat, eosdem spargebant errores, qui deinceps præcipua fuerunt Gnosticorum dogmata, dualismum, scilicet, ac emanatismum. Prohibebant enim nubere, et abstinebant a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. (1. Tim 4. 3. et 4.) Materiam igitur substantialiter esse malam, aut mali principii effectum opinabantur; quos arguit Apostolus, dicens omnem creaturam Dei esse bonam, nihilque rejiciendum esse, quod cum gratiarum actione percipitur. Aliunde, genealogiæ illæ interminatæ (1. Tim. 1. 4. Tit. 3. 9.) et angelologiæ (Coloss. 2. 18.) emanatismum manifeste redolent. Hos vero Gnosticorum præcursores e judaizantibus prodiisse testatur Apostolus, dum vana eorum systemata *judaicas fabulas* appellat, (Tit. 1. 14.) eosque irridet qui volentes esse *legis doctores*, non intelligunt , neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, (1. Tim. 1. 6.) qui etiam judicare fideles præsumunt *in cibo, in potu, in parte diei festi, aut in neomeniis Sabbatorum*. (Coloss. 2. 17.)

Gnostici in his duobus consentiebant : 1° duo principia ab æterno coexistentia, Deum scilicet ac materiam, ponentes, (si tamen Valentinianos excipias;) 2° *Æoni* inferiori, quem vocabant demiurgum, mundi formationem, humani generis, ac potissimum populi Judaici gubernationem, legisque Mosaicæ promulgationem adscribentes. De demiurgo autem ejusque officiis et operibus diversa sentiebant. Juxta Gnosticos Alexandrinos, Philonis doctrina plus minusve imbutos, demiurgus, mundi hujus visibilis formator, Judæorumque legislator, a summo et incomprehensibili Deo longe distat, imo, illum ignorat, in se tamen divinas ideas, aut saltem divinarum idearum adumbrationes inconscius gerit, quas in materia, non sine multarum imperfectionum admixtione signavit. Lex Mosaica, Judæis a demiurgo data, quamtumvis imperfecta , bona tamen fuit, meliorisque status per Christum instaurandi præparatio. Si vero audiantur e schola syria Gnostici, demiurgus, supremo Deo infensissimus, totus in maligno positus est ; increati luminis radios in tenebras delapsos, divinæque semina vitæ undequaque dispersa corporeis vinculis coercere, crassaque materiæ mole intercludere satagit. Imo veterem legem ob hunc finem dedit, ut homines ignorantiæ tenebris involutos, verique numinis nescios detineret.

Theosophi, sive Gnostici judaizantes, quorum agmen ducit Cerinthus, quibusque annumerandi sunt Carpocrates, et anonymus Homiliarum pseudoclementinarum auctor, Gnosticorum Alexandrinorum magis quam Syriorum discipuli habendi sunt. In neganda Christi divinitate concordes, nonnihil ab invicem in assignandis ejus titulis et officiis dissentiunt. Docent tamen fere omnes unum ex æonibus, nempe Spiritum sanctum, in Jesum Nazarenum esse delapsum, in eo per aliquod tempus mansisse, eique veram supremi Dei notionem infudisse. Jesum igitur Moyse præstantiorem, et revelationem Christianam veteri lege perfectiorem æstimant. His autem positis, quomodo legi Mosaicæ vim perpetuo obligantem vindicarent, id sane conceptu difficillimum, imo et ceteris eorum placitis repugnans videtur. Animadvertendum tamen est quod non totam legem, sed nonnulla tantum legis præcepta, puta, circumcisionem, observanda censerent, et aliunde spiritualem judaismum, repudiato crassiori, nempe litterali, se colere profiterentur.

Ebionitæ theosophi paulatim ad impuras Gnosticorum sectas declinaverunt ; alii vero legi Mosaicæ strictius addicti ad Judaismum, a quo nonnisi specie tenus deflexerant, reversi sunt, ita ut quinto circiter mediante seculo prorsus oblivioni traderentur.

De Nazaræis pauca nobis addenda supersunt. Nazaræorum nomen, prius Christianis omnibus

commune, in decursu temporum ad designandum quoddam judaizantium genus usurpatum est, et in hoc sensu apud Augustinum, Hieronymum, Theodoretum, et Epiphanium legitur. Augustinus eos numero pauciores, ætate sua, fuisse testatur. Quomodo ab Ebionitis discreparent, sequentibus effatis declarabitur.

1° Vetera legalia, circumcisionem, Sabbatum, etc. custodiebant, unde, ait Hieronymus, « dum volunt et Judæi esse et Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani. » (Epist. 112. ad. August. c. 13.)

2° Legem a Judæo-Christianis quidem, non autem a gentilibus ad Christum conversis, observandam denuntiabant. « Audiant Ebionitarum socii, (id est Nazaræi,) qui Judæis tantum et de stirpe Israelitici generis hæc custodienda decernunt. » (In Isaiam 1. 12.)

3° Paulum, ab Ebionitis constanter reprobatum, diligebant, ac tanquam Christi apostolum ad gentium conversionem a Deo electum venerabantur.

4° Nazaræi, ante completam in canone universaliter recepto, librorum novi Testamenti collectionem, extra Ecclesiam catholicam constituti, unum e quatuor Evangeliis, nempe, juxta Epiphanium, Evangelium S. Matthæi, agnoscebant. Loca vero ab Hieronymo, qui Evangelium Nazaræorum conscripserat, citata, cum Evangelio Matthæi, prout nunc habetur, non concordant. Liber ille quo utebantur Nazaræi fuit quidem Evangelium Matthæi, sed diversimode a variis Judæo-Christianorum sectis interpolatum, duplicique titulo, nempe, *juxta Hebræos*, quandoque etiam *duodecim Apostolorum* inscriptum.

5° Quid vero de persona et dignitate Christi senserint, non satis constat. Certum est christologiam Nazaræorum Ebionitismo longe præstantiorem fuisse, eosque altiora de humanitate Christi dogmata tenuisse. « Credunt, inquit Hieronymus, in Christum, filium Dei, natum de virgine Maria, et eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus est, et resurrexit, in quem et nos credimus. » (Epist. 74. ad. August.) Consonat Epiphanius (Hæres. 29. 7.) Eos autem Verbum incarnatum, Patri coæternum et consubstantiale, naturæ humanæ in Christo Jesu hypostatice unitum haud agnovisse verisimillimum a plerisque eruditis judicatur.

Dum Ebionitæ judaizantes Christum mere humanum terrenumque prædicant, alii in extremum e diametro oppositum delapsi, divinam in Christo naturam, humana repudiata, solam confitentur. Qui communi Docetarum vocabulo appellantur. Docetismus non unam aut homogeneam sibique cohærentem et a qualibet alia diversam hæresim, bene vero satis confusam inter se discrepantium, imo sibi invicem in multis contradicentium systematum congeriem significat. Dicuntur Docetæ non solummodo qui somniant Christum phantasticam duntaxat carnis nostræ similitudinem gessisse, aut e cœlo corpus sidereum attulisse, verum illi omnes qui, quacumque de causa, incarnationem mere apparentem admittunt, ac Verbum specie quidem, non re hominem esse factum affirmant. Merito igitur inter Docetas a veteribus scriptoribus computati sunt, tum Eutychiani dicentes naturam humanam ita in divinam transiisse, ut quasi absorpta extinctaque penitus evanuerit, sive etiam Apollinaristæ qui viam Eutychianis patefecerunt. Nestorius ab Ebionitis simul et Docetis procedit : ab Ebionitis, tollendo Christi divinitatem, siquidem Christum hominem Verbo unione tantum morali, qualis in ceteris sanctis virisinvenitur, conjunctum declarat; a Docetis, dum Verbum realiter incarnatum esse inficiatur.

Docetismus e dualismo suam trahit originem, et in idealismum resolvitur. Posito enim Gnosticorum philosophemate de duplici regno, uno spiritali et bono, altero materiali et essentialiter malo, mysterium Incarnationis manifestam involvit repugnantiam. Quæ enim societas lucis ad tenebras, et quomodo Christus, e regno luminis prosiliens, reale cum materia commercium, veramque cum malo principio unionem inire potuerit? Inde autem ulteriora profluunt consectaria. Repudiato etenim et a Christi persona abjudicato terrestri ac visibili elemento, pari ratione repudianda sunt visibilis Ecclesia, nec non visibilia sanctificationis instrumenta, v. g. sacramenta, externus Dei cultus, externaque fidei prædicatio ; proinde Christiana religio in merum idealismum evanescit, amplissimaque ad indifferentismum, sive practicum, sive speculativum, via sternitur. Docetis igitur annumerandi sunt hodierni rationalistæ, dum falsa spiritualismi specie delusi, Christum, ut aiunt, historicum negant, solum Christum idealem, ideoque Christianismum mere internum agnoscunt. (Editor.)

LIBER SECUNDUS.

QUI EST DE CAUSIS INCARNATI VERBI, MAXIME DE EA QUAM FINALEM VOCANT.

CAPUT PRIMUM.

De præcipuis nominibus, quibus hoc mysterium ab antiquis theologis exprimitur. De *οἰκονομίᾳ*, *προσλήψει*, sive *ἀναλήψει*, et similium usu. Item *σάρκωσις*, *ἐνσωμάτωσις*, *ἐπιφάνεια*, etc.

I. Quod præclare summus vir Maximus martyr in disputatione contra Pyrrhum usurpavit; « (1) dicere aliquid, nec ejus, quod dicitur, varias significationes discernere, nihil aliud est, quam confundere. » Etenim nomina sunt latentium indicia rerum, et naturis earum, proprietatibusve significandis, si non ab natura constituta, hac certe præeunte, ac monstrante, ab hominibus excogitata sunt. Nec absurde (quod ad rem ipsam attinet: nam de voce ac sono forte quispiam ambigat) apud Platonem Socrates græcum vocabulum ὄνομα, quod est *nomen*, « (2) ab ejus, quod est, inquisitione » derivatum existimat. Ea me res adduxit, ut interiorem mysterii illius notitiam ab nominum, quibus illud explicare solent veteres theologi, perbrevi tractatione inchoandam ducerem.

Præcipuo sunt in usu apud græcos Patres Incarnationis vocabula ista, οἰκονομία, συγκατάβασις, πρόσληψις, ἀνάληψις, σάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, φανέρωσις, ἐπιφάνεια, ἐπίβασις εἰς σῶμα, παρουσία, ἐπιδημία, διὰ σαρκὸς ἐνδημησις, θεοφάνεια, λόγωσις, θέωσις, ἕνωσις, κρᾶσις, ἀνάκρασις, μίξις, σύνευδος, ἐνδύσασθαι τὴν σάρκα. Apud Latinos, *susceptio*, *assumptio*, *incarnatio*, *inhumanatio*, *incorporatio*, *fœderatio*, *commixtio*, *conventio*, *conversio*, *œconomia*, *attemperatio*, qua postrema voce usus est Ambrosius in libello de Paschate, capite quarto, ubi ait, « humanæ carnis ad Deum attemperatam esse substantiam. »

II. De his singillatim agendum, et in eorum usu quædam adnotanda sunt, quæ ad disputationem hanc illustrandam aliquid videntur posse conferre. Græcorum nominum longe usitatissimum est, οἰκονομία, quam passim adhibent: ut Tertullianus libro contra Praxeam, capite 23.

Sic Athanasius « (3) dispensationem Verbi secundum hominem » vocat. Et paulo post, « (4) humanam dispensationem. » Clemens Alexandrinus « (5) talarem pontificis vestem prophetice significasse » dicit « dispensationem, quæ in carne facta est. » Ac nonnunquam absolute τὴν οἰκονομίαν, *Incarnationem* nominant; ut Basilius [1]. Alias quibusdam additis: ut τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐνανθρωπήσεως, *dispensationem hominis assumpti*, vel *inhumanationis* (ut mox dicam) idem Basilius appellat [2]. Aut [3] τὴν μετὰ σαρκὸς οἰκονομίαν, ut Cyrillus; vel τὴν κατὰ σάρκα, ut Clemens Alexandrinus. Sæpissime τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν.

Anastasius sinaita in Ὁδηγῷ, capite secundo, τὸ οἰκονομικῶς, id est, *quod in Christo ex dispensatione factum est*, trifariam usurpari scribit: (6) primo quod ad *œconomiam*, id est

(1) Maximus disputat. cont. Pyrrhum. Τὸ λέγειν τι, καὶ μὴ προδιαστέλλεσθαι τοῦ λεγομένου τὰ σημαινόμενα, ἐστι συγχεῖν.

(2) Plato, Crat. Ὄνομα ἀπὸ τοῦ ὂν ιαίεσθαι, ὅτι ἐστὶ τοῦ ὄντος ζήτημα.

(3) Athan. orat. 3. pag. 192. Οὐκοῦν περὶ τῆς κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας τοῦ Λόγου γράφων ὁ Παῦλος, etc.

(4) Ibid. pag. 194. Ἡ ἀνθρωπίνη οἰκονομία.

(5) Lib. 5. Str. pag. 412. Φασὶ δὲ καὶ τὸ ἔνδυμα τὸ ποδήρη, τὴν κατὰ σάρκα προφητεύειν οἰκονομίαν.

(6) Anastasius pag. 68. Τὸ οἰκονομικῶς ἐπὶ Χριστοῦ κατὰ τρεῖς νοεῖσθαι δύναται τρόπους· τοῦτ' ἔστιν ἢ ὡς χάριν τῆς οἰκονομίας.

[1] Lib. 1. con. Eun. pag. 14. Theod. 5. con. hær. cap. 11. Dam. l. 3. c. 1. Anast. Οδη. pag. 68.

[2] Hom. in Psal. 44. p. 259. — [3] Cyr. lib. de Incarn. tom. 5. pag. 801.

incarnationem Christi pertinet, et cum ea connexum est, et consequens. Sic enim intelligendum est illud Anastasii : non ut eruditissimus interpres vertit, *quod œconomiæ, et dispensationis gratia :* ut cum ubera matris suxisse, crevisse, dormisse, aut esuriisse dicitur. « (1) Hoc enim, *inquit*, omne secundum naturam carnis œconomiæ illius accipiendum est.» Quæ verba demonstrant, Incarnationem ibi intelligendam esse. Secundo οἰκονομικῶς fit, quod κατὰ συγκατάβασιν geritur; hoc est, *accommodatione quadam, et decessione de jure suo ;* quando propter aliorum salutem aliqua res agitur, quæ alioqui fieri non debebat : ut cum Paulus Timotheum circumcidit, Judæorum conciliandorum gratia [1]. Ita etiam Christus ipse circumcisus est οἰκονομικῶς, ne legem solveret.

III Tertio demum οἰκονομικῶς aliquid factum dicitur, quod non propter se, sed alterius significandi, vel efficiendi causa suscipitur : velut cum ficum grossos nullas habentem arefecit [2], aut ambulans supra mare ad discipulos venit [3]. Hæc Anastasius : qui et refert (2) hæreticos, iis omissis modis, ad hunc unum adhærescere, ut οἰκονομικῶς fieri putent, quod fit specie tenus, et apparet, non autem est reipsa.

Ex illis tribus significationibus secunda maxime locum habet, cum οἰκονομία de Christi perpessione, et hujusmodi ceteris dicitur, quæ sola voluntate, et benignitate ad hominum utilitatem, et exemplum, non ex assumptæ naturæ proprietate, sive, ut Græci loquuntur, ἀκολουθίᾳ, fecit, aut sustinuit. Ita Clemens Alexandrinus passionem Christi vocat « (3) salutarem œconomiam, » cujus figuram Isaacum ait fuisse in sacrificium delectum. Et Athanasius Apollinarem scribit « (4) œconomiam passionis » putasse « nihil præter externam habuisse speciem. » Idemque mox « (5) œconomiam passionis, et mortis, ac resurrectionis » appellat.

Est enim οἰκονομία provida quædam rei alicujus administratio, ac gestio, ex occulto consilio profecta, quod ad utilitatem, et commodum spectat eorum, quibus ea re consulitur ; quemadmodum pati voluit Christus, idque per ipsos suos inimicos Satanam, et Judæos, quid agerent, ac quorsum istud fieret ignorantes ordinavit, ac perfecit. Plerumque vero indulgentiam significat, et liberalem ac beneficam providentiam : quæ in Christo, ejusque vita, passione, ac morte potissimum eluxit : in quibus [4] *apparuit benignitas, et humanitas salvatoris nostri Dei.*

IV. Quocirca οἰκονομίας vocabulum totum illud complectitur, quod est proprium inferioris in Christo substantiæ ; hoc est, tam naturam ipsam hominis, quam ejus functiones, et quæ illam consequuntur proprietates omnes.

Hinc Joannes Damascenus [5] ait Verbum οὐ φαντάσαι τὴν οἰκονομίαν, hoc est nec humanam naturam assumpsisse specie tenus, nec quæ illi consentanea deinde gessit, aut pertulit, ficte adumbrateque transegisse. Eodemque spectat, quod alibi adnotavimus [6], quæcumque de Christo disputantur, ea bifariam partiri solitos esse græcos theologos, in θεολογίαν, et οἰκονομίαν: quarum prior ea comprehendit, quæ ad divinitatem : posterior, quæ ad humanam naturam.

Ita Theodoretus Eranistam introducit asseverantem, « (6) ab Scriptura dici nonnulla theologice ; quædam vero œconomice. » Cui subjicit Orthodoxus, etiam in veteri Testamento multa dici *œconomice* : velut cum inambulasse Deus legitur [7], aut [8] *descendisse*, ut videret an verus esset clamor ille, qui Sodomis ad se pervenerat. Verum latum esse discrimen τῶν οἰκονομιῶν in utroque Testamento, respondet Eranistes, (7) quod in veteri verborum tantum, in novo rerum sit œconomia : ut appareat οἰκονομίαν vocari quidquid submittendo se, et ad usum captumque nostræ imbecillitatis accommodando, majestas illa fecit aut dixit.

V. Huic affinis est illa notio vocis ejusdem

(1) Ibid. Τοῦτ' ἔστι κατὰ τὴν φύσιν τῆς σαρκὸς τῆς οἰκονόμίας αὐτοῦ.

(2) Ibid. Οἱ οὖν αἱρετικοὶ ἀφέντες τὸ κατ' αὐτοὺς τοὺς τρόπους νοεῖν τὸ οἰκονομικὸν, οἰκονομικὸν τὸ ἐν φαντασίᾳ, καὶ δοκήσει γινόμενον λέγουσι.

(3) Strom. 1. pag. 268. Τόν τε Ἰσαὰκ ὡς καθωσιωμένον ἱερεῖον, ἀλληγορήσας ἐξελέξατο ἑαυτῷ, τύπον ἐσόμενον ἡμῖν οἰκονομίας σωτηρίου.

(4) Athan. lib. de Incarn. pag. 479. Ἡ δόκησιν τὴν οἰκονομίαν τοῦ πάθους ὑπολαμβάνουσι.

(5) Ἡ τὴν οἰκονομίαν τοῦ πάθους, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τῆς ἀναστάσεως ὡς δόκησιν νομίζειν.

(6) Theod. dial. 2. pag. 74. Εἴποιμ' ἂν, ὡς τὰ μὲν θεολογικῶς, τὰ δὲ οἰκονομικῶς ἡ θεία λέγει γραφή.

Mox. Ὡς κἂν τῇ παλαιᾷ οἰκονομικῶς ἡ θεία γραφὴ λέγει πολλά.

(7) Ibid. Ὡς πολλὴ τῶν οἰκονομιῶν ἡ διαφορά. Ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ, λόγων τοιούτων οἰκονομία, ἐνταῦθα δὲ καὶ πραγμάτων.

[1] Act. 16. — [2] Matt. 21. — [3] Marc. 6. — [4] Tit. 3. 4. — [5] Lib. 3. cap. 2.

[6] In Procl. 8. tom. 1. cap. 1. — [7] Gen. 3. — [8] Gen. 18.

τῆς οἰκονομίας, qua pro Eucharistiæ sanctissimo sacramento, et sacrificio sumitur. Sic enim Eusebius « (1) Symbola divinæ œconomiæ Christum *ait* discipulis tradidisse suis, » cum de sacramento illo agit. Chrysostomus in libro de compunctione ad Demetrium monachum queritur monachos, « (2) Si quis ad œconomiam eos invitaverit, nihil prius interrogare consuevisse, quam utrum quietis aliquid, et solatii qui eos vocavit præstare possit. » Ubi οἰκονομίαν suspicor appellari λατρείαν, id est sacram aliquam, et sacerdotalem functionem, aut certe clericorum propriam. Ut hodieque Græci liturgias celebrant minus magisve solemnes pro sacerdotum συλλειτουργῶν numero, quem ad id taxare solent. Ad hujusmodi ergo sacra ministeria evocari solere monachos, indicat iste Chrysostomi locus.

Apud Epiphanium [1] observabamus olim, λατρείαν τῆς οἰκονομίας nominari incruentum Missæ sacrificium, vel οἰκονομίαν τῆς λατρείας, quod in eo commemoratio Passionis, quæ οἰκονομία vocari consuevit, proprie ex divina institutione peragitur, ut non male illaudatus alioquin auctor in sexta Synodo actione 8. disserit [2].

Hæc prima est Incarnationis appellatio, quam et latine Hieronymus expressit in epistola ad Pammachium, cum ait [3], « Apollinarem dimidiatam Christi introduxisse œconomiam, » hoc est *Incarnationem*, vel *assumptam naturam*.

VI. Proxima est illi, significationeque germana vox συγκατάβασις, quæ demissionem sui, ac de jure suo decessionem indicat; cum is qui eminet, ac superior est, ad inferiorem, et imbecilliorem se accommodat: « (3) Ut cum Dei virtus, Verbum ipsum, ac Dominus omnium, ad humanam se imbecillitatem demittens, apparuit in terra, » ait Athanasius; quam etiam κατάβασιν, id est *descensum* vocat Joannes Damascenus [4].

Sequuntur nomina illa, quæ ab verbo λαβεῖν, quod est *accipere*, ducuntur: ut λῆψις, id est *sumptio*, vel *acceptio*, quo usus est Cyrillus in secundo contra Nestorium [5], ubi et hanc συνάφειαν interpretatur, id est *conjunctionem*. Ea vox usurpata est ab Apostolo in epistola ad Philippenses; (4) *Semetipsum*, inquit, *exinanivit*, *formam servi accipiens*: ut observat Vigilius in libro 4. contra Eutychen. Ubi et hæreticos illos Monophysitas ait verbum istud effugisse, quod apertius, quam causæ eorum expediret, naturarum in Christo discrimen ostenderet [6]: « Dixisti enim, *inquit*, ex Adam formam servi habuisse, licet nolueris dicere accepisse, quod Apostolus ait, etc. Sed quid ad nos, si verbum refugeris, cujus sensum vitare non potuisti? Quod ergo ex altero est illi, non erat ipsius prius quam id acciperet. Nemo enim ab altero mutuatur, quod in seipso habere dignoscitur. Unde apparet Dei verbum sic incarnatum, ut ex nobis quæ nostra sunt, acciperet, non ut suam naturam in carnem mutaret: ac sic in eo duplex erit natura: Verbi scilicet, quæ mutata non est; et carnis, quæ ex Adam servo ejus accepta est. » Hunc locum adscripsimus ideo, ut quid illa *sumendi*, *accipiendique* proprietas ad mysterii hujus enarrationem conferret, theologus notaret. Non enim defuerunt, qui hujusmodi voces abjudicarent, tanquam Nestorianæ hæresi servientes, quod in compositis ejusdem notionis et radicis Cyrillus instituit, προσλήψει, et ἀναλήψει.

VII. Etenim in Anathematismo octavo, cum anathema dixisset ei, « (5) qui assereret, assumptum hominem una cum Dei verbo adorandum: » postea in refutatione Theodoreti, « (6) non assumptum esse hominem » dixit « a Deo Verbo, et quadam habitudine copulatum; sed illum potius hominem esse factum. » Videlicet cavebat, ne quis hominem merum jam in matris utero formatum, assumptum a Verbo fuisse crederet, ex recenti Nestorii dogmate.

Quod in epistola ad Joannem Antiochenum

(1) EUSEB. lib. 8. de Dem. evang. pag. 236. Πάλιν γὰρ αὐτὸς τὰ σύμβολα τῆς ἐνθέου οἰκονομίας τοῖς αὐτοῦ παρεδίδου μαθηταῖς.

(2) CHRYS. tom. 6. pag. 145. Τῶν γὰρ μοναχῶν ὡς ἐπὶ πολὺ πάντων ταῦτα εὐθέως πρῶτον ἀκούσῃ τὰ ῥήματα, εἴ ποτε αὐτοὺς εἰς οἰκονομίαν τινὰ παρακαλέσεις ἐλθεῖν, ἐρωτῶντων, εἴ γε ἀνάπαυσίν ἐστιν εὑρεῖν, καὶ εἴ γε δύναται ἀναπαῦσαι ὁ καλῶν.

(3) ATHAN. lib. de Incarn. pag. 74. Ὅτε ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις ὁ Λόγος ὁ πάντων καὶ τούτων δεσπότης διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀσθένειαν συγκατάβας ἐπὶ γῆς ἐφάνη.

(4) PHIL. 2. 7. Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε; μορφὴν δούλου λαβών.

(5) CYR. anath. 8. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ, etc.

(6) Id. in refut. Theod. tom. 6. p. 226. Οὐκ ἄνθρωπον ἀνειλῆφθαί φαμεν παρὰ τοῦ Θεοῦ Λόγου, συνῆφθαί τε καὶ κατὰ σχέσιν αὐτῷ τὴν θύραθεν ἐπινοουμένην. Ἄνθρωπον δὲ μᾶλλον αὐτὸν γενέσθαι διεριζόμεθα.

[1] In Animad. ad Exposit. fid. n. 22. — [2] Mác. Antioch. pag. 99. — [3] Epist. 65. col. 709. — [4] Lib. 3. c. 1. — [5] Tom. 6. p. 59. — [6] Vig. lib. 4. tom. 4. Bibl. PP. col. 513.

demonstrat his verbis : « (1) Non hominem alium sibi conjunxit, ut quibusdam visum est, sed idem revera factus est homo. »

Ita (2) Felix Romanus episcopus et martyr, citatus in Ephesina synodo, actione prima, « non hominem assumpsisse Dei Filium *ait*, ut sit alter ab ipso. » Tum Cyrillus in epistola priore ad Successum : « (3) Factus est, *inquit*, homo, non hominem assumpsit, ut Nestorio videtur. »

Verum ἀνάληψιν, et πρόσληψιν non raro in hoc negotio veteres adhibuerunt, Gregorius Nyssenus in Antirrhetico libro adversus Apollinarem, citatus ab Euthymio in Panoplia, « (4) humanam naturam unum cum Deo per assumptionem esse factam » asseverat ; Gregorius Nazianzenus apud Theodoretum dialogo secundo [1].

Sed nimirum qui hoc vocabuli genus improbasse videntur, non tam ipsum per sese, quam cum nomine conjunctum ἀνθρώπου, id est *hominis*, abjudicarunt, dici oportere negantes *assumptum hominem;* quoniam ista locutio jam conceptum, et formatum, absolutumque hominem, cum Deo cunjunctum fuisse significat : quod non est ita. « Non enim hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere jam incipientem Deus assumpsit, (ait Ferrandus in epistola ad Severum [2]) sed omnino antequam Maria aliquid conciperet, Deus assumpsit ex ea, quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem, ex ipsa assumptione conceptus, et natus. »

VIII. Et alioqui plerique tum ἀνάληψιν, tum πρόσληψιν, ut et Latini, *assumptionem*, ac similes voces, ad Incarnationem adhibuerunt, præsertim iis vocabulis adjunctis, quæ naturam ipsam hominis, sive, ut loqui solent, *humanitatem* potius, quam hominem significant, hoc est *abstractum*, non *concretum*, quod item usurpatur in scholis. Cujusmodi nomina sunt *forma*, *caro*, *corpus*, *templum*. Itaque (5) *Templum assumptum* dixit Cyrillus ab Ephræmio citatus apud Photium : et πρόσληψιν τῆς σαρκὸς, id est *carnis assumptionem*, Athanasius [3] : nec non, « (6) aliquid ad patiendum, et ad resurgendum idoneum assumere » idem dixit. Et Irenæus libro tertio capite 18. τὴν ἔνσαρκον ἀνάληψιν, ab Theodoreto productus in medio dialogo secundo.

Hinc etiam τὴν πρόσληψιν absolute carnem, aut naturam assumptam nominat Gregorius Nazianzenus [4] : et (7) *assumptionem divinitate perunctam*, in oratione 42. Alias τὸ πρόσλημμα vocant græci Patres, ut est apud Euthymium in Panoplia in calce tituli septimi, ubi ait « (8) Verbum hypostasim fuisse ei quod assumptum est. » Gregorius quoque Nyssenus, in libro Antirrhetico adversus Apollinarem ab eodem citatus Euthymio ita loquitur : « (9) Indecorum esse ait Apollinaris, humanam mentem in eo cogitare, quod Unigenitus assumpsit. » Tum cognominis Nazianzenus, « (10) quod a Verbo assumptum non est, id salutem consequi « negat, nempe humanam naturam, sive carnem. Ut Basilius Epistola 65. προσλαμβάνεσθαι τὴν σάρκα dicit [5]. Denique Apostolus ipse verbo ἐπιλαμβάνεσθαι usus est, quod *apprehendere* vertit interpres latinus. (11) *Nusquam enim Angelos apprehendit : sed semen Abrahæ apprehendit.*

Quocirca non simpliciter *sumendi*, vel *assumendi* vocabulum ab antiquis illis repudiatum videtur : sed eatenus solum, ut ne homo assumptus diceretur. Maxentius Dialogo primo [6], « Ego, *inquit*, a Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo. Sed Deum sine diminutione divinitatis suæ factum hominem fateor, ne, si susceptum a Deo hominem dixero, duas

(1) Cyr. ad Joan. in epist. tom. 5. par. 2. p. 195. Καὶ οὐκ ἄνθρωπον ἄλλον συνάψας ἑαυτῷ, καθὰ φρονεῖν ἔδοξέ τισιν, ἀλλ' αὐτόχρημα γενόμενος ἄνθρωπος.

(2) Eph. conc. pag. 268. Οὐκ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἀναληφθεὶς, ἵν' ἕτερος ᾖ παρ' ἐκεῖνον.

(3) Cyr. epist. 1. ad Sucess. pag. 139. Οὐκοῦν γέγονεν ἄνθρωπος, οὐκ ἄνθρωπον ἀνέλαβεν, ὡς Νεστορίῳ δοκεῖ.

(4) Greg. Nyssen. apud Euthym. tit. 13. latinæ edit. pag. 528. Ἓν πρὸς ἐκεῖνον διὰ τῆς ἀναλήψεως γέγονεν.

(5) Ephræm. apud Phot. cod. 229. pag. 421. Ὡς πάντας φοροῦνται διὰ τοῦ ἑνὸς ἀναληφθέντος ναοῦ.

(6) Athan. lib. de salut. adv. Christi p. 501. Παθητικὸν, ἢ ἀνάστασιν ἐπιδεχόμενον ἐν ἑαυτῷ προσλαβόμενος.

(7) Nazianz. orat. 42. pag. 685. B. Τὴν πρόσληψιν χρισθεῖσαν θεότητι.

(8) Euth. ex antiquis PP. Διότι αὐτὸς γέγονεν ὑπόστασις τῷ προσλήμματι.

(9) Euth. in tit. 13. latinæ ed. pag. 527. Ἀπρεπές φήσιν, ἀνθρώπινον νοῦν περὶ τὸ πρόσλημμα τοῦ μονογενοῦς ἐννοεῖν. Theophan. hom. 28. pag. 215. B.

(10) Nazianz in ep. 1. ad Cledon. Τὸ γὰρ παρ' αὐτοῦ μὴ προσληφθὲν, οὐ σώζεται.

(11) Hebr. 2. 16. Οὐ γὰρ δήπου Ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται· ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται.

[1] Pag. 98. — [2] Tom. 3. Bibl. PP. col. 336. — [3] Orat. p. 196. et Cyrill. ad Anath. 2. cont. Theod. et epist. 2. ad Suc. p. 148. — [4] Orat. 42. pag. 682. A. et Damasc. l. 3. c. 12. — [5] Pag. 852. — [6] Maxent. tom. 4. Bibl. 470.

videar in Filio Dei prædicare personas : quia etsi susceptor sanctorum, atque fidelium Deus dicitur, etc. Melius ergo est susceptam a Deo naturam humanam, quam susceptum hominem dicere. » Quanquam haud pauci etiam hoc loquendi modo sunt usi, ut postea constabit. Interim Prudentius in medium prodibit, qui in Apotheosi scribit sic,

Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est :
Et totum redimit, quem sumpserat.

Et Augustinus [1], « homine assumpto, non Deo consumpto, « peractum hoc mysterium scribit. Ambrosius quoque [2] *hominis susceptionem* dixit, ut et *corporis*. Sic Justinus martyr in calce Paræneticì ad gentes, Verbum Dei *assumpsisse hominem* ait. « (1) Qui cum esset, *inquit*, Dei verbum virtute inseparabile, hominem assumpsit, qui ad imaginem, et similitudinem Dei fictus est. »

IX. Egregia de vocabuli τῆς ἀναλήψεως usu est Epiphanii observatio in hæresi Dimœritarum, quo nomine Apollinaristas designat. Hos vero redarguit, quod dici nollent, « (2) Verbum assumpsisse perfectum hominem : » eo quod de meris hominibus ea vox in sacris litteris usurpetur : ut est illud [3], *Suscipiens mansuetos Dominus*. Sed occurrit Epiphanius, ac negat pravitatis quidquam subesse locutioni isti, si dicatur Dominus assumpsisse carnem : quamvis ὁμωνύμως hoc vocabulum in usum adhibeatur. Cujus quidem vim explicat sic, ut sit idem, atque « (3) In seipsum formavit assumendo propriam humanitatem. »

Porro locus ille Apollinaris hæretici ab Leontio Byzantino descriptus est ex professione quadam fidei ab illo edita, quæ subjecta est libello de fraudibus Apollinaristarum. Qua in professione hæresis suæ virus aperte prodit, asserens non esse perfectas in Christo naturas duas, nec hominem post Patrem ante Spiritum in divinis laudibus esse collocandum. Nimirum impurus hæresiarcha non patiebatur Patri subnecti Christum, sive personam illam, quæ Deus pariter esset atque homo [4]. « Quamobrem anathematizamus, *inquit*, eos, qui hominem ponunt in divinis laudibus cum Deo et Filio, ante Spiritum sanctum. Hominem vero totum assumptum a Deo ad salutem dicimus esse unumquemque nostrum, qui sanctificati sumus. » Assumptum igitur hominem esse dici non ferebat Apollinaris, quod ea locutione homo quispiam e vulgo significetur.

Verum Eulogius Alexandrinus apud Photium præclare animadvertit, quanam cautione, citra dispendium catholicæ fidei, vox illa ab Cyrillo alias repudiata, alias adhibita fuerit. Nam in libro Thesaurorum scripsit, « (4) Divinum Verbum pro nobis factum pontificem, velut talarem quamdam vestem assumpsisse hominem ex Maria, sive templum. » At in priore ad Successum epistola eamdem illam vocem repudiavit, cujus græca paulo ante retulimus [5]. Hoc vero in posteriore loco notat Eulogius, ostendisse Cyrillum, qua de causa uti vocabulo isto noluerit, cum addidit ; « quemadmodum Nestorio videtur. »

Nempe verendum esse, ne quis sic assumptum esse hominem intelligat, quomodo Nestorius existimabat, et consequens esse putabat Apollinaris : hoc est perfecte subsistentem ex sese. Qua falsa interpretatione sublata, utilem eamdem esse vocem Catholici crediderunt, et vero frequenti usu detriverunt, ad repellendam Apollinaris, et Eutychis calumniam, ut jam observavimus : quo videlicet perfecta hominis natura a Verbo suscepta significetur. « Si enim non est conversus in carnem, ait Vigilius [6], et factus est homo permanens Deus, hoc ipsum quod factus est homo, quia immutatio dici non potest, assumptio dicatur necesse est. »

Quocirca non parum confert ad offensionem tollendam illius Evangelici dicti, *Et Verbum caro factum est*, in quod impegerunt paulo ante commemorati hæretici ; ut ne Verbum ipsum carnem factum, id est conversum in carnem, et quidem inanimam, ex illorum falsa

(1) JUST. pag. 28. vers. 24. Ὃς τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων Λόγος ἀχώριστος δυνάμει, τὸν κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ πλασθέντα ἀναλαβὼν ἄνθρωπον, etc.

(2) EPIPH. hær. 77. § 19. pag. 1013. Τελείαν οὐ βούλεται λέγειν τὴν ἔνσαρκον Χριστοῦ παρουσίαν. Ἀλλὰ καὶ τὴν σωτηρίαν ἀποκρούεται τινῶν, φόβον ἐμποιῶν καὶ λέγων, ὅτι οὐ δεῖ τέλειον ἄνθρωπον ἀνειλῆφθαι λέγειν.

(3) Ibid. Ἀνέλαβεν ἢ ἔλαβεν ἢ ἀνεπλάσατο εἰς ἑαυτὸν τὴν ἰδίαν ἐνανθρώπησιν.

(4) EULOG. apud Phot. cod. 230. pag. 446. et 452. ex CYR. Τὸν θεῖον Λόγον ὑπὲρ ἡμῶν ἀρχιερέα γεγονότα, ὥσπερ τινὰ ποδήρη, τὸν ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον, ἢ τὸν ναὸν ἀναλαβεῖν.

[1] Aug. 11. de Civit. cap. 2. — [2] Ambr. lib. 5. de Fide c. 5. — [3] Psal. 146. 6.

[4] Apolog. apud Leont. to. 4. Par. 2. Bibl. PP. col. 1041. — [5] § 7. — [6] Vigil. lib. 4. cont. Eut. to. 4. Bibl. col. 511. E.

opinione suspicemur. Quod ipsum a Chrysostomo declaratur, cum sic scribit : « (1) Factum est dixit ; non mutationem substantiæ, absit ; sed veræ carnis assumptionem volens exprimere. »

X. Propius ad mysterii naturam et proprietatem accedit nomen τῆς σαρκώσεώς, quæ in latinis est *Incarnatio.* Quo vocabulo usus est antiquus scriptor Irenæus libro tertio, capite 21. ab Theodoreto laudatus in dialogo 1. Tum Hippolitus in opusculo primo contra Beronem : necnon synodus Nicæna in fidei formula ; ac passim veteres. Justinus pro eo dixit [1] σαρκοποιηθέντα Λόγον, *Verbum carnem factum :* et [2] σαρκοποιηθέντα Ἰησοῦν.

Magno itidem in usu fuit vox ista τῆς σαρκώσεως apud theologos, ex quo de Cyrilli sententia illa conflictari cœperunt, qua φύσιν μίαν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην dixerat, hoc est *naturam unam Verbi incarnatam,* de qua postmodum agemus. Joannes Damascenus [3] de iisdem Cyrilli verbis disputans observat, hoc quod dicitur σαρκοῦσθαι, id est *incarnari,* idem esse atque ἡνῶσθαι σαρκὶ, *copulari cum carne.*

Huic nomini passim annecti solet alterum τῆς ἐνανθρωπήσεως ; quam Ambrosius [4] *hominis susceptionem : inhumanationem*, non sine præfatione veniæ propter novitatem, Facundus appellat [5], et utile hoc nomen esse demonstrat ad excludendam Apollinaris hæresim, et eorum omnium, qui non integram hominis naturam assumptam a Verbo esse credebant ; adeoque verum, ac perfectum hominem negabant esse Christum. « Non enim refugio Verbum, *inquit*, quod a me fidei ratio, atque utilitas flagitat, adversus eos, qui non hominem totum, id est carnem, et animam rationalem, sed solam carnem ; aut carnem tantum, et animam sine ratione, suscepisse dicunt Filium Dei. » Nam Apollinaris σάρκωσιν libenter nominabat, tanquam solius carnis susceptionem. Quare, uti dixi, sæpe vocem utramque connectunt, σάρκωσιν, et ἐνανθρώπησιν.

XI. Luculentus est Epiphanii locus in Ebionitarum hæresi, ubi Incarnationem, *carnalem* vocat *inhumanationem, et œconomiam.* « (2) In utero Mariæ Virginis, *ait*, legitimo tempore permansit, quanto gestari solent infantes ; donec ex utero virgineo perfecte carnalem inhumanationem, et œconomiam dispensasset. »

Alias ἐνσωμάτωσιν appellant, quam latine vertit Gaudentius [6], et Ambrosius [7], *incorporationem*, et *corporis susceptionem.* Origenes libro sexto contra Celsum, (3) *Incorporationis œconomiam* dixit. Athanasius eadem usus est voce in libro de Incarnatione [8] : et alibi [9] ἐνσώματον παρουσίαν : vel (4) ἔνσαρκον vocat, et [10] σωματικὴν. Tertullianus libro de carne Christi capite 6. corporandi usus est voce. Ἐνσωμάτωσιν quoque τοῦ Λόγου, *incorporationem Verbi*, Basilius, sub initium homiliæ in Psalmum 29. Ad hæc ἐπίβασιν τοῦ Λόγου εἰς σῶμα nuncupat Athanasius [11], id est adventum in corpus.

Item ἐνδημίαν alii vocant, ut Epiphanius [12], et ἐπιδημίαν, id est *præsentiam.* Athanasius [13], et Basilius [14], τὴν ἐν σαρκὶ ἐπιδημίαν. Tum [15] ἐνδύσασθαι τὴν σάρκα, *induisse carnem*, dicitur ab eodem Athanasio. Trita sunt ad eamdem notionem vocabula τῆς ἐπιφανείας, θεοφανείας, φανερώσεως, quæ *apparitionem* significant. Athanasius [16] τὴν θείαν τοῦ Λόγου πρὸς ἡμᾶς ἐπιφάνειαν dixit, hoc est *adventum*, et [17] σωματικὴν ἐπιφάνειαν, *corporeum adventum.* Eusebius [18] τὴν ἔνσαρκον. Rursus Athanasius [19] τὰ θεοφάνια τοῦ Λόγου.

XII. Gregorius Nazianzenus Oratione 38. voces hujusmodi de natali Christi intellexit. Sic enim inscribit : (5) *In Theophania, sive Christi natalem*, ab eo quod nunc apparuit in carne Deus, ac revelatus est. Ideo in Glossario veteri græcolatino, legitur Ἐπιφάνεια τὸ φαινόμενον, *Revelatio.* Omnino natalem Christi diem, τὰ Ἐπιφάνια, vel τὰ Θεοφάνια, hoc est τὰ γενέθλια, antiqui vocare soliti : ut luculenter ibidem

(1) Chrys. hom. 11. in Joan. pag. 598. vers. 26. Τὸ ἐγένετο τέθεικεν, οὐ μεταβολὴν οὐσίας, ἄπαγε, ἀλλὰ σαρκὸς ἀληθινῆς ἀνάληψιν παραστῆσαι βουλόμενος.

(2) Epiph. hær. 10. § 27. Καὶ ἐν μήτρᾳ παρθένου Μαρίας τὸν χρόνον τῶν ἐγκυμονουμένων παίδων παραμεμενηκότα, ἕως τελείως ἀπὸ τῆς παρθενικῆς μήτρας τὴν ἔνσαρκον ἐνανθρώπησιν, καὶ οἰκονομίαν οἰκονομήσῃ.

(3) Orig. 6. cont. Cel. pag. 339. Ἡ κατὰ τὴν ἐνσωμάτωσιν οἰκονομία.

(4) Ath. orat. 3. pag. 190. Ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ οἰκονομίᾳ, καὶ τῇ ἐνσάρκῳ παρουσίᾳ. Et orat. 4. p. 277. Epiph. pag. 47. et 51. et hær. 77. § 1.

(5) Nazianz. Εἰς τὰ θεοφάνια, εἴ τε οὖν γένεθλια τοῦ σωτῆρος.

[1] Apol. 2. p. 57. ver. 41. — [2] Ib p. 77. — [3] Lib. 3. cap. 11. — [4] Amb. lib. 5. de fide. — [5] Lib. 9. p 290. — [6] Gaud. Sermon. 2. tom. 2. Bibl. col. 16. Ambr. lib. 1. de Virgin. tom. 4. col. 464. — [7] Lib. 5. de fide c. 5. — [8] Pag. 40. — [9] Orat. 3. pag. 237.

[10] Athanas. Orat. 3. p. 193. — [11] Lib. de Inc. p. 37. — [12] Pag. 47. lib. prim. — [13] Athanas. lib. de Sal. adven. p. 502. — [14] Epist. 65. p. 852. et in Psalm. 48. pag. 280. — [15] Athan. Orat. 3. p. 192. — [16] Init. lib. de Incarn. p. 37. et p. 39. et 80. — [17] Ib. p. 52. — [18] Lib. 1. Hist. c. 5. — [19] Ath. de Inc. p. 74.

Gregorius adnotavit. « (1) Apparuit enim, *inquit*, Deus per nativitatem hominibus. » Quam et mox ἐπιδημίαν Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους appellat. Huic et Basilius adstipulatur in homilia de humana Christi navitate [1], quem diem, et natalem Christi, et magorum adoratione solemnem fuisse demonstrat. Quamobrem Epiphaniorum festum pro Natali die ex illorum opinione cessit, qui natum asserebant Dominum Januarii sexto die; sive media nocte, quæ interjecta fuit inter quintum et sextum : ut Gobarus apud Photium refert [2]. Quæ fuit Epiphanii sententia, adeoque Cypriorum, et Ægyptiorum : ut ex Hæresi 51. constat [3] : ad quem locum plura in Animadversionibus observavimus. Meminit et Cassianus collatione 10. capite secundo. Denique ἡ ἐπιφάνεια, vel Θεοφάνεια apud elegantes scriptores, insigne aliquod divinæ præsentiæ argumentum significat, ac præsens auxilium, sive opus, quo numinis præsentia demonstratur. Et Cassianus libro secundo de Incarnatione capite quarto Scripturæ consuetudinem observat, « quæ in omnibus visionibus sacris hoc utendum vel maxime verbo existimavit, ut apparuisse hæc diceret, quæ insolita claritate fulgerent. » Cujusmodi sane ἡ ἔνσαρκος παρουσία, hoc est sive incarnatio ipsa, sive ortus et nativitas Christi fuit. Quæ propterea ἐπιφάνεια dicta est. Sed et φανέρωσις ab Athanasio [4].

De reliquis vocabulis, quæ non tam Incarnationem ipsam, quam naturarum inter se conjunctionem, sive *unitionem* exprimunt, ut sunt ἕνωσις, κρᾶσις, μίξις, hoc est *unio*, *commistio* [5], *fœderatio*, et similia, dicendi locus erit cum unionis modum explicabimus.

CAPUT SECUNDUM.

Explicatur summa catholicæ de Incarnationis mysterio fidei, ac professionis : quod velut fundamentum jacitur insequentium disputationum.

I. Ut qui ingens aliquod ædificium molitur, ante omnia solum explorare, et in eo fundamenta jacere solet, uti firmo, ac stabili nixa loco reliqua deinceps structura consurgat : ita nos theologica de Incarnatione dogmata tradituri, ab accurata, et enucleata fidei professione, quæ disputationum hujusmodi fundamentum esse debet, auspicari statuimus : et in ea velut semina quædam jacere, ac designare futurarum inquisitionum, ut ne temere, et extra legitimos terminos opera nostra divagetur. Eam nos vero catholici decreti formulam triplici ex fidei regula conficiemus, Scriptura, Synodis œcumenicis, et ecclesiasticis Doctoribus; perpaucis his quidem, et illis adeo solis, quorum ad istud ipsum Incarnationis explicandum mysterium, iisdem ab synodis nominatim adscitam, et earum judicio ratam, et constitutam auctoritatem esse meminimus.

Quod quidem in præsenti nos argumento eo libentius facimus, quod hoc esse constat omnium, quæ in hac divina scientia tractantur, longe creberrimis et contentiosissimis implicatum quæstionibus; ac plures in sectas, et hæreses scissam esse fidei adversam catholicæ professionem hoc in genere, quam in quovis alio, de quo vel actum est a nobis hactenus; vel postmodum sumus acturi.

II. Quo diligentior adhibenda cautio est, ut inter tot errorum flexus ac diverticula, rectum iter insistamus. Etenim quod de hoc ipso negotio disputans vere scripsit Leo papa [6], « Non in solo opere virtutis, aut in sola observantia mandatorum; sed etiam in tramite fidei, angusta, et ardua via est, quæ ducit ad vitam : et magni laboris est, magnique discriminis inter dubias imperitorum opiniones, et verisimiles falsitates per unam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare; et cum undique se laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere. »

Vigilius quoque adversus Eutychen scriptu-

(1) Nazianz. ibid. pag. 614. Ἐφάνη γὰρ Θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως.

[1] Basil. tom. 7. Hom. 25. pag. 593. — [2] Phot. cod. 232. p. 470. — [3] Num. 24. — [4] Lib. de Incarnat. p. 37. — [5] Novat. de Trinit. c. 13. — [6] Serm. 5. de Nativ.

rus, illud idem, quod nos hoc loco facimus, admonet [1] : « Hanc lethalem, et mortiferam pravi dogmatis pestem, sic insidiarum suarum ancipites laqueos dextra, lævaque tetendisse, ut super angustum, et nimis arduum commeantibus itineris callem reliquerit. Si enim paululum in utramque partem nutantia volueris inferre vestigia, illico capieris. Quippe inter Nestorii sacrilegum dogma, et Eutychis nefariam, et detestabilem sectam, ita serpentinæ grassationis sese calliditas temperavit, ut utrumque sine utriusque periculo plerique vitare non possint : dum si quis Nestorii perfidiam damnat, Eutychetis putatur errori succumbere : rursum dum Eutychianæ hæresis impietatem destruit, Nestorii arguitur dogma erigere. »

III. Igitur catholicam fidei, ac dogmatis illius formulam ante omnia triplici ex illo, quem diximus, fonte ducemus ; ac quod ad Patres spectat, eos præsertim adhibebimus, quos ex Chalcedonensi [2], quinta Synodus in auctoritatem assumptos nominatim percensuit [3] : ubi et synodi quoque commemorantur, ex quibus ratio mysterii illius arcessitur. Cum enim visum esset in Chalcedonensi concilio, decretum quoddam fidei super incarnationis Dominicæ catholica professione condere, jussi sunt episcopi singuli sententiam suam scripto tradere : cujusmodi moderandam, ac dirigendam esse, judices ac senatores significant, « (1) secundum Nicæni concilii, et Constantinopolitani ἔκθεσιν, id est expositionem fidei : necnon ex canonicis epistolis, et expositionibus sanctorum Patrum Gregorii, Basilii, Hilarii, Athanasii, Ambrosii, et canonicis duabus epistolis Cyrilli, quæ in Ephesino primo concilio vulgatæ atque firmatæ sunt. » His additur et Leonis ad Flavianum epistola ; in qua fidei illius robur ab Ecclesia catholica constitutum deinceps fuit, ac velut tessera, qua ab hæreticis secernebantur. Porro epistolæ duæ Cyrilli canonicæ sunt, quas ad Nestorium scripsit, quæ inter acta Ephesini concilii relatæ fuerant [4], et summam catholici de Incarnatione dogmatis continent. Ac secundæ duodecim anathematismos subjecit Cyrillus, quibus eamdem Incarnationis fidem complexus est. Quemadmodum postea Synodus quinta ὅρους, id est *definitiones fidei*, aliquot anathematismis comprehendit [5] : quarum testimonio usus est Agatho papa in epistola synodica, quæ in sexta Synodo lecta est, et approbata [6]. Præter hos adjicit etiam quinta Synodus [7], Augustinum, Theophilum, Joannem Chrysostomum, et Proclum : atque « illos omnes sequi se profitetur in iis, quæ de recta fide, et damnatione hæreticorum exposuerunt. » Quare ab iis maxime, post sacros libros, et œcumenica concilia, confitendæ Incarnationis vera, et catholica sumenda regula est, et a nobis explicanda.

IV. Ea credere nos docet [8] *in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* « Quibus tribus sententiis, ait Leo, omnium fere hæreticorum machinæ destruuntur. » Etenim cum Dei Filius Verbum sit, quod [9] *in principio erat apud Deum, et Deus erat :* hoc est [10] « consempiternum, et in nullo a Patre differens, » idemque *conceptus de Spiritu sancto, et de Maria virgine natus* dicatur : ac *Verbum caro factum :* idem profecto Deus est de Deo genitus ab æterno ; et homo ex homine, Maria virgine, natus in tempore. Non enim alius, quam qui a Deo Patre genitus esse memoratur, et Unigenitus et substantia Patris, *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri, caro factus* dicitur ab Evangelista, et ab œcumenicarum synodorum Patribus. Idem, inquam, ille, *per quem omnia facta sunt, propter nostram salutem descendit de cœlis ; et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, et homo factus est :* ut ex Nicæni concilii auctoritate Cyrillus argumentatur [11]. Idem enim ille, qui [12] *in forma Dei erat, semetipsum exinanivit, et formam servi accepit, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

V. Ergo hic ipse Deus, ac Dei filius, caro factus, id est incarnatus, quod σαρκωθῆναι vocant œcumenicæ synodi : hoc est (2) in utero Vir-

(1) Chal. Syn. pag. 288. Κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἐν Νικαίᾳ ἁγίων πατέρων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ, καὶ κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα, τῶν μετὰ ταῦτα, καὶ κατὰ τὰς Κανονικὰς ἐπιστολὰς, καὶ ἐκθέσεις τῶν ἁγιωτάτων πατέρων, Γρηγορίου, Βασιλείου, Ἱλαρίου, Ἀθανασίου, Ἀμβροσίου, καὶ τὰς Κυρίλλου δύο κανονικὰς ἐπιστολὰς, τὰς ἐν τῇ κατ' Ἔφεσον πρώτῃ συνόδῳ δημοσιευθείσας, καὶ βεβαιωθείσας.

(2) Pet. Alex. cit. par. 2. Eph. syn. act. 1. pag. 266. Σημαίνει γὰρ αὐτὸν γεννώμενον ἐν μήτρᾳ, καὶ σάρκα γενόμενον.

[1] Vigil. l. 1. tom. 4. Bibl. PP. col. 493. Vide et lib. 2. col. 501. — [2] Act. 4. p. 288. et seq. — [3] Coll. 6. pag. 275. — [4] Par. 1. cap. 8. p. 163. prima incipit Καταφλυαροῦσί τινες. et secunda c. 26. p. 206. — [5] Coll. 8. p. 291. — [6] Act. 4. p. 43.

[7] Coll. 3. p. 218. vide l. nostrum 7. de Trin. c. 8. § 1. — [8] Leo. ep. 10. c. 2. ex symb. vulgari, et Nicæno. Constit. etc — [9] Joan. 1. — [10] Leo. ib. — [11] Cyr. in ep. priore ad Nestor. quæ est in Act. Eph. Synod. p. 164. — [12] Phil. 26.

ginis genitus est, et caro esse, sive homo cœpit: ut Petrus Alexandrinus ait in Ephesina citatus synodo. Hinc et Cyrillus in primo anathematismo, (1) σαρκικῶς, id est *carnaliter factum esse* scribit : non ut in carnem, hominemve transierit, sed ut Deus permanens, carni conjunctus fuerit [1], ac vere homo factus ex Maria, de qua corpus accepit [2] : « Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis, ait sanctus Leo [3] ; quæ ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. »

Unitus est Deus carni, sive homini, unione illa, quæ καθ' ὑπόστασιν a Græcis vocatur : hoc est *secundum substantiam*, vel *substantialiter ;* ut Dionysius exiguus interpretatur : quam et ἕνωσιν φυσικὴν appellat idem Cyrillus in anathematismo tertio : *naturalem unitatem* Dionysius : ut non σχετικὴ, id est (2) *solius affectionis*, vel *habitudinis* intelligatur, *ex communione dignitatis, et auctoritatis, aut potestatis*, sed ex qua unum aliquid per se, sive una hypostasis, et persona coalescat. « (3) Non enim hominem a divinitate secernimus ; sed unum, et eumdem profitemur : qui antea non erat homo, sed Deus, et Filius unigenitus, qui seculis omnibus anterior est, a corpore, ac rebus corporeis omnibus purus, ac secretus, in fine etiam homo factus est. »

Neque vero dimidiatum hominem, sed integrum assumpsit, ex vera carne, ac vera constantem anima : ut toti homini salutem afferret. « (4) Quod enim assumptum non est, id curationis est expers, » ex celebri illo Gregorii Nazianzeni dicto : « Quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. » Quod Fulgentius in libro primo, c. 10. ad Trasimundum explicat sic : « Hoc enim Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit ; et illam Deus Dei filius naturam fecit participem salutis æternæ, quam sibi conjunxit in unitate personæ. » Quippe symbola omnia ab œcumenicis edita synodis, filium Dei, ac Deum verbum ἐνανθρωπῆσαι, id est *hominem esse factum*, constanter asserunt. Non est autem homo, cui pars aliqua deest, sine qua constare homo non potest.

VI. Quod Chalcedonensis synodus in fidei Definitione disertius asseverat, « (5) Sequentes, *ait*, sanctos Patres, unum, et eumdem confiteri filium, Dominum nostrum Jesum Christum consentientes omnes docemus, perfectum eumdem in divinitate, et perfectum eumdem in humanitate, Deum revera, et hominem revera eumdem, ex anima rationali, et corpore : consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato. » Quæ Athanasii symbolum eadem expressit sententia : *Perfectus*, inquit, *Deus, et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.*

Ita porro duæ inter se convenere naturæ, ut post unitionem duæ nihilominus perseveraverint, salvis suis proprietatibus invicem distinctæ. « Salva, inquit Leo [4], proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, etc. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura : et sicut formam servi, Dei forma non adimit : ita formam Dei, servi forma non minuit. »

Chalcedonense concilium, « (6) Ex duabus, *inquit*, naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; ita ut nusquam naturarum differentia unione tollatur; sed proprietas magis naturæ utriusque

(1) Cyr. Γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον. Ita et Amphil. cit. ab eod. ad Anath. 2. pag. 446. Eph. conc.

(2) Cyr. anath. 3. Μόνη συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίᾳ, ἢ δυναστίᾳ, καὶ οὐχὶ μᾶλλον συνόδῳ τῇ κατὰ ἕνωσιν φυσικήν.

(3) Naz. orat. 1. ad Cledon. pag. 738. Οὐδὲ γὰρ τὸν ἄνθρωπον χωρίζομεν τῆς θεότητος, ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν δογματίζομεν, πρότερον μὲν οὐχ ἄνθρωπον, ἀλλὰ Θεὸν, καὶ Υἱὸν, μονογενῆ προαιώνιον, ἀμιγῆ σώματος, καὶ τῶν ὅσα σώματος, ἐπὶ τέλει δὲ καὶ ἄνθρωπον.

(4) Ibid. pag. 740. Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον. Ὃ δὲ ἥνωται τῷ Θεῷ, τοῦτο καὶ σώζεται.

(5) Chalc. conc. par. 2. act. pag. 340. Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν Υἱὸν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς, καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας.

(6) Chalc. conc. ib. Ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον, ἢ διαιρούμενον· ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν καὶ μονογενῆ Θεὸν Λόγον, Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν.

[1] Cyr. in Expl. Anath. cont. Orient. — [2] Ath. ad Epict. cit. in Ephes. Synod. p. 267.

[3] Ep. 10. cap. 2. — [4] Leo. ep. 10. c. 3. et Ser. 1. de Nativit.

servetur, et in unam personam, et hypostasim concurrat; non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, et eumdem filium, et unigenitum Deum verbum Dominum Jesum Christum. » Vide quæ Euthymius in Panoplia in calce tituli 15. de Chalcedonensi formula fidei contra hæreticos notavit.

VII. « Suscepit quod meum est, ait Ambrosius [1], ut impertiret quod suum est. Suscepit non ut confunderet, sed ut repleret. » Hanc duarum naturarum distinctionem Græci exprimere volentes, non solum ex duabus naturis constare Christum, sed etiam in duabus; et duas esse naturas asserunt, ac voces illas usurpant [2] ex Nazianzeno Gregorio, ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἅπερ ἐστὶ : *ex quibus, in quibus, et quæ est Christus :* ut non solum ex duabus naturis coaluisse Christi personam significent; sed etiam in duabus perseverare, nulla ambarum confusione facta.

« Nonnulli enim aliud Dei verbum, aliud Dei filium crediderunt, (verba sunt Ambrosii [3],) cum ipsum, qui in principio erat Verbum, apud Deum Patrem, in sua propria venisse Evangelista testetur, etc. Emergunt et alii, qui carnem Domini dicant, et divinitatem unius esse naturæ. » Contra utrosque præmuniens nos catholica professio [4], « Christum esse Dei filium » asserit, « sempiternum ex Patre, et natum ex Virgine. Quem quasi gigantem sanctus David propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ unius sit consors divinitatis, et corporis. » Quod ipsum Nicæni concilii Patres docuisse idem confirmat Ambrosius [5]. « Non enim carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Patre esse dixerunt : et Verbum quidem ex paterna processisse substantia : carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. »

VIII. Unio itaque, ut ait Cyrillus, « (1) ambas sine ulla confusione naturas conservat. » Quo fit « ut iisdem naturis permanentibus, ex quibus, vel in quibus unus atque idem verus homo Deus, et Deus homo verus existit, idem semper homo Deus verus, et Deus homo verus permaneat, » ut ait Gelasius [6]. Quia « utrumque unus, et unus in utroque, » Ambrosio teste [7]. « Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine : sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. » « Regula est enim fidei catholicæ, ut scribit Vigilius [8], unum eumdemque Dominum Jesum Christum sicut verum Deum, ita verum hominem confiteri, unum esse ex utroque, non duos in utrumque, ipsum sine tempore natum de Patre, ipsum ex tempore natum de Virgine. »

Luculenter hoc Ephesina synodus [9], ac post eam Leo papa [10], et Theodoretus [11] ex Ambrosii loco illo confirmant, qui est in libro secundo de Fide, capite quinto. « Servemus distinctionem divinitatis, et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus, loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est : quasi homo, dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. »

IX. Hinc anathema dicit Gregorius Nazianzenus in epistola prima ad Cledonium, ei, « (2) qui duos introducit filios, unum ex Deo patre; alterum ex matre; et non unum, et eumdem. » Et Cyrillus eamdem notam subscribit illi, « (3) qui in uno Christo dividit hypostases post unionem : » « (4) et qui duabus personis, vel subsistentiis decernat eas voces, quæ tam in evangelicis, quam apostolicis litteris continentur; vel etiam eas, quæ de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso, et aliquas quidem ex his tanquam homini præter Dei Verbum specialiter intelligat, applicandas crediderit, aliquas vero tanquam Deo dignas soli Verbo Dei Patris deputaverit, » ut interpretatur Dionysius exiguus. Ab hoc fonte illa, quæ dicitur, proprietatum communio manavit : qua uni et eidem personæ ita quæ sunt ambarum naturarum propria tribuuntur, ut quæ ex singulis *concreta*, ut

(1) Cyril. apud Euth. in Panop. tit. 15. pag. 633. lat. ed. Ἡ ἄῤῥητος ἕνωσις παρὰ τῶν ὀρθῶς προνοούντων ὁμολογουμένη ἀμφοτέρας ἀσυγχύτως σώζει τὰς φύσεις.

(2) Greg. Nazianz. cit. in Eph. syn. pag. 271. Εἴ τις εἰσάγει δύο υἱοὺς, ἕνα μὲν τὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς· δεύτερον δὲ, τὸν ἐκ τῆς μητρός· ἀλλ' οὐχὶ ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν.

(3) Cyr. anath. 3. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(4) Id. anath. 4. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι τάς τε ἐν τοῖς Εὐαγγελικοῖς, καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμασι διανέμει φωνὰς, ἢ ἐπὶ Χριστοῦ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ, καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον ἰδικῶς νοουμένου προσάπτει. τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς μόνῳ τῷ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγῳ, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Amb. de Inc. c. 4. — [2] Euth. in Panopl. Titul. 15. 618. et Niceph. l. 18. hist. c. 46. — [3] Ambr. de Incarn. c. 6. — [4] Ibid. c. 5. — [5] Ibid. c. 6.

[6] Gelas. lib. cont. Euth. et Nestor. tom. 4. Bibl. PP. col. 420. — [7] Lib. de Inc. c. 5. — [8] Lib. 3. cont. Eut. col. 525. — [9] Par. 1. c. 4. p. 270. — [10] Ep. 97. cap. 5. — [11] Dial. 2.

loquuntur, *forma* et *notione* fiunt nomina, vel ipsis conveniunt, de se invicem enuntientur. Sic enim dicimus; *Deus est homo, homo est Deus.* Item *Deus est crucifixus: Deus est filius hominis: homo filius Dei.* « Propter hanc unitatem personæ (verba sunt Leonis [1]) in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de cœlo; cum filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus filius Dei crucifixus dicitur, ac sepultus; cum hæc non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ infirmitate sit passus. Unde unigenitum filium Dei crucifixum, et sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli [2], *Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* »

X. Neque vero sic humanam naturam ex utero, et in utero Virginis Verbum Deus assumpsit, ut ante vel puncto aliquo temporis homo extiterit, quam Deo copulatus, ac Deus idem esset, et homo. « (1) Non enim primum communis homo genitus ex B. Virgine, ait Cyrillus, atque ita postmodum Verbum in eum illapsum est. Sed ex ipso unitus utero generationem subiisse carnalem dicitur : utpote generationem carnis suæ tanquam propriam vindicans. » « Nempe ex quo homo esse cœpit, ut scribit Augustinus [3], non aliud cœpit homo esse quam Dei filius, et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod ipso suscepto caro factum est, utique Deus. » Quod Gregorius Nazianz. peræque profitetur [4]. Propterea « (2) non Deifer homo ; sed Deus potius ex rei veritate dicitur, » auctore Cyrillo, « atque unus, et natura filius. » Natura, inquam, id est naturalis filius Christus fuit, non adoptivus : neque duo filii invicem juncti fuerunt. Quod pluribus Cyrillus approbat in libro peculiari, quem de uno Christo edidit [5]: et Gregorius Nyssenus in libro contra Apollinarem [6].

Hinc etiam « (3) assumptus homo non coadorari cum Deo Verbo » dicitur : « sed unica adoratione colendus est Emmanuel, » uti Cyrillus in anathematismo octavo docuit; et quinta Synodus in anathematismo nono [7].

XI. Quocirca Θεοτόκος, id est *Deipara*, vel Dei genitrix vere, ac merito Maria virgo dicitur. « Genuit enim secundum carnem Verbum illud, quod ex Deo Patre natum, caro factum est, » ut ante ex Cyrillo [8] referebamus. Et [9] « Scripturæ dicunt, ait Ambrosius, quia [10] *Virgo in utero accipiet, et pariet filium.* Accepit enim virtutem, et peperit filium, quem et ipsa suscepit. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone declarat, dicens : Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Dei filius. Ex te, inquit, ut secundum hominem quod ex ipsa nasceretur, adverteres. Ex se enim generavit Maria, ut quod generaretur ex ipsa, in eo, salva generationis Dominicæ prærogativa, corporis esset vera natura. » Ita Gregorius Nazianzenus : « (4) Si quis Mariam, *inquit*, Deiparam esse inficiatur, a Deo alienus est. » Et quinta Synodus anathema item dicit, « si quis abusive, et non vere Dei genitricem dicit sanctam, gloriosam semper virginem Mariam, vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, id est Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset. » Quam Θεοτόκου appellationem Ephesina synodus, et Chalcedonensis ratam esse decreverunt. Quippe, ut est in Athanasii symbolo, *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, et homo est ex substantia matris in seculo natus*, etc. *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. Qui licet Deus sit, et homo ; non duo tamen, sed unus est Christus.*

XII. Quamvis autem unus sit, unaque persona, vel hypostasis Christus, et quæ alterutri naturæ congruunt, uni illi personæ tribuantur : retinet tamen harum unaquæque quod proprium est : et idem Christus, pro naturæ cujusque conditione, peculiares, et differentes affectiones, et actiones recipit. « Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, ut scribit Leo [11], et nullum est in hac unitate menda-

(1) Cyr. ep. 1. ad Nest. quæ est in conc. Eph. par. 1. pag. 165. Οὐ γὰρ πρῶτον ἄνθρωπος ἐγεννήθη κοινὸς ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου, εἶθ' οὕτω καταπεφοίτηκεν ἐπ' αὐτὸν ὁ Λόγος. Ἀλλ' ἐξ αὐτῆς μήτρας ἑνωθεὶς ὑπομεῖναι λέγεται γέννησιν σαρκικήν, ὡς τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος.

(2) Cyr. anath. 5. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, καὶ Υἱὸν ἕνα, καὶ φύσει.

(3) Cyr. anath. 8. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ Λόγῳ, etc. καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουήλ, etc.

(4) Nazian. ep. 1. ad Cled. in conc. Eph. pag. 170. Εἴ τις οὐ θεοτόκον τὴν Μαρίαν ὑπολαμβάνει, ἐκτὸς ἐστι τῆς θεότητος.

[1] Leo. Ep. 10. cap. 5. — [2] 2. Cor. 2. — [3] Aug. Ench. c. 35. — [4] Orat. 51. quæ est Ep. 1. ad Cled. p. 738. — [5] Tom. 5. Oper. Cyrill. — [6] Tom. 2. p. 694. — [7] Col. 8. pag. 292. — [8] Anat. 1. — [9] Amb. de Incar. c. 6. col. 293. — [10] Isa. 7. — [11] Leo. ep. 10. cap. 4.

cium, dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo divinitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit; ita caro naturam nostri generis non reliquit.» Quamobrem idem Deus et homo Christus, ut æqualis Patri dicitur secundum divinitatem, non secundum humanitatem; et minor Patre secundum humanitatem, non tamen secundum divinitatem: ita passus, crucifixus, et mortuus est non secundum divinam naturam, sed secundum humanam, vel in carne.

XIII. «(1) Passum, inquit Cyrillus, et resuscitatum ipsum dicimus; non ut Deus Verbum quippiam in natura suapte sit passus, sive plagas, sive clavorum perforationes; sive alia quædam vulnera. Deus enim pati nihil potest, quia corporis est expers. Verum quoniam corpus illud, quod proprium illius factum est, talia passum est, ideo Verbum ipsum pro nobis passum dicitur.» Cui Ambrosius assentitur ita scribens[1]: «Quod enim caro Verbi patiebatur, vel manens in carne Dei Verbum patiebatur carne, sicut scriptum est, Christo in carne passo: in se utique pro corporis assumptione referebat: ut quæ nostra sunt, ipse susciperet, et suis circumvestiret humana.» Postremo Synodus quinta[2]: *Si quis non confitetur*, inquit, *Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, et Dominum gloriæ, et unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.*

Itidem et sacerdotem ac pontificem ipsummet Dei verbum factum esse dicimus, quando carnem suscepit; non autem hominem solum, quasi seorsim ex muliere genitum; ut Cyrillus in anathematismo decimo asserit. Ad extremum, uti naturas in eadem Christi persona duas integras, et perfectas, non tamen separatas, ac divisas confitemur; ita duas actiones, et voluntates, suam cuique tribuentes: quod adversus Monotheletarum hæresim Synodus sexta decrevit.

Hæc summatim libavimus catholicæ de Incarnatione professionis capita, quæ uberius deinceps exponenda, et enucleanda sunt.

CAPUT TERTIUM.

De vocabulis φύσεως, et ὑποστάσεως, *naturæ*, ac *subsistentiæ*, sive *personæ*. Hypostasim sæpe pro natura usurpari, etiam ab Cyrillo, qui ambigue usus est ista voce. Hypostasim ab natura differre, quod modum quemdam existendi præter hanc habeat. De Gelasio scriptore libri contra Nestorium et Eutychem obiter dictum. De hypostasi et οὐσίᾳ rursus accurate disputatum.

I. Vis et ratio Christiani totius, ac theologici dogmatis, quod Incarnationis mysterium complectitur, estque a nobis expositum superiori capite, ad hoc redigi videtur, ut in Christo duo quædam inesse distincta, et ex duobus iis unum effici fateamur. Hoc quod est unum, Græci vocant ὑπόστασιν, et πρόσωπον, Latini *personam*, et græco item nomine *hypostasim*; raro veteres, *suppositum*, recentiores de Schola theologi frequenter appellant; quæ sunt duo, ea φύσεις Græci, nostri *naturas* nominant. Ut autem in confitenda persona, sive hypostasi una, et duabus naturis, sita est fidei catholicæ summa; sic hæreses omnes, quæ hanc fidem oppugnarunt, in amborum illorum constituendo perperam usu, et interpretatione versatæ sunt: adeoque, quod est consequens, in vocibus duabus, quibus illa significantur, con-

(1) Cyr. in epist. priore ad Nest. relata in Eph. syn. par. 1. pag. 165. Οὕτω φαμὲν αὐτὸν καὶ παθεῖν, καὶ ἀναστῆναι οὐχ ὡς τοῦ Θεοῦ Λόγου παθόντος εἰς ἰδίαν φύσιν, ἢ πληγὰς, ἢ διατρήσεις ἥλων, ἤγουν ἕτερα τῶν τραυμάτων. Ἀπαθὲς τὸ θεῖον, ὅτι καὶ ἀσώματον. Ἐπειδὴ δὲ τὸ γεγονὸς αὐτοῦ ἴδιον σῶμα πέπονθε ταῦτα, πάλιν αὐτὸς λέγεται παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν.

[1] Lib. de Incar. c. 5. col. 292.

[2] Coll. 8. Anat. 403

tra quam fas erat, usurpandis. Itaque Joannes Damascenus recte istud observat : « (1) Id unum fraudi hæreticis esse hoc in genere, quod naturam, et hypostasim idem esse persuasum habeant. » Ita Joannes Maxentius in dialogo primo adversus Nestorianos [1], « Nimirum hæc erroris, *inquit*, vestri, et non alia causa est. Nam dum non valetis discernere, quid et inter personam sit, et naturam, idipsum intelligentes naturam esse quod et personam ; imo nullatenus credentes naturam esse posse sine persona, vocabula personæ, naturarumque confunditis ; et duas omnino personas, sicut duas naturas unius filii Dei sine dubio prædicatis. » Quocirca vocum earumdem duarum notio, et proprietas ante omnia diligenter explicata, et notata esse debet.

Quod quidem fieri hoc loco necesse non est, quoniam id jam effectum est in secundo tomo, ubi sacrosanctæ Trinitatis mysterium exposui : ad cujus tractationem, non minus quam Incarnationis, necessaria est ista cognitio. Ibi ergo, tum vocabula declarata sunt omnia, quibus utrobique theologi plurimum utuntur : tum illa præsertim duo, quæ dixi, φύσις, id est *natura*, et ὑπόστασις : quorum ratio, et proprietas, ac differentia, ex græcorum latinorumque Patrum fontibus aliquot est capitibus explicata, ut perpauca sint, quæ hic adjicere possimus.

II. Ut illinc igitur expromam, quod ad institutam disputationem omnino pertinet, φύσιν, sive *naturam*, ibi constituimus [2] idem esse atque οὐσίαν, sive *substantiam*, aut *essentiam*, quæ per se, absoluteque spectatur, nullis particularibus, et individuorum propriis conditionibus affecta, et restricta. Ut si in Petro humanitatem consideres per sese, non ut tali homini, id est Petro convenit : sed generatim, et infinite, qua est substantia ex corpore animaque composita, et rationis particeps : quæ quidem eadem prorsus inest in singulis hominibus, et individuis, quæ eadem continentur specie ; etsi non una numero est in omnibus.

Hypostasis vero ex mente veterum, illa est ipsa natura, sive substantia, qua est singularis, per seque subsistit, certis definita proprietatibus, quæ communitatem illam speciei determinant, et uni cuipiam accommodant. Quemadmodum rhetores quæstionem aliam constituunt generalem, quam θέσιν vocant, quæ universum genus complectitur ; ut est hæc, sitne fortis animi mortem contemnere ? aliam propriis personis, ac temporibus affixam : velut, sitne Cato laudandus, qui sibi mortem consciverit, ne in potestatem veniret inimici. Propterea Græci ad unum omnes οὐσίαν, sive *naturam*, dicunt ipsam esse speciem infimam, quæ sola in definitione ponitur, tum hominis universe, tum cujuslibet individui. Hypostasim vero, esse individuum ipsum, vel naturam, qua singularis est, et existit una numero. Præterea [3] personam, sive hypostasim, iisdem auctoribus, asseveravimus nihil ad naturam absolute spectatam aliud addere, præter id quod nominant, τρόπον τῆς ὑπάρξεως, id est *modum existendi*, de quibus omnibus copiosam habes illo in libro disputationem, quam utile sit relegere.

II. Illud vero potissimum animo repetendum est, etsi φύσις et ὑπόστασις hoc modo differant, interdum tamen promiscue accipi. Primum enim [4] antiqui fere omnes ante Nicænum concilium, et aliquanto post, usque ad Basilii tempora, ὑπόστασιν haud aliter, quam pro φύσει, et natura sumpserunt : raro, vel nunquam pro *persona*. Deinde post etiam nonnulli invicem confuderunt : ac vel Alexandrinus ipse Cyrillus [5] : cujus sententiæ aliquot allatæ sunt a nobis, in quibus φύσιν et ὑπόστασιν promiscue videtur accipere ; quemadmodum et Euthymius ibidem citatus agnoscit. Quanquam negat Anastasius [6] Cyrillum eas voces in eadem usurpasse significatione, sed non probat. Etenim evidentiora sunt, quæ attuli, testimonia illius, quam ut inficiari liceat. Nimirum ὑπόστασις interdum est simplex ὕπαρξις, id est *extantia* rei, quæ vere est, non specie, vel opinione sola : ut ibidem adnotavi [7]. Qua ratione duæ ut naturæ, sic hypostases erunt in Christo.

IV. Rusticus item diaconus in disputatione contra Acephalos [8], quod græce est ὑπόστασις, hoc latine *subsistentiam* appellans, demonstrat ambigue vocem hanc accipi ; et interdum personam significare ; alias substantiam : idque Ephesinæ synodi auctoritate confirmat, cujus in acta, et commentarios redacta sunt tam Cyrilli, quam Gregorii Nazianzeni loca quædam, in quibus *subsistentia* modo personam, modo *substantiam* significat, hoc est ὑπόστασιν et οὐσίαν. Nam Gregorius in epistola priore ad Cle-

(1) Damasc. lib. 3. cap. 3. pag. 172. Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ ποιοῦν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην, τὸ ταὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν.

[1] Maxent. tom. 4. col. 470. D. — [2] Tom. 2. de Trinit. lib. 4. c. 2. — [3] Vide c. 7. lib. 4. — [4] Vide l. 4. de Trin. § 5. et seq. — [5] Lib. eod. c. 2. § 10. et 11. — [6] Anast. in Ὁδηγῷ. c. 10. pag. 170. et 172. — [7] Lib. 4. c. 3. § 5. de Trin. — [8] Tom. 4. Bibl. col. 812.

donium, « (1) alium et alium *ait* in Trinitate dici, ut non subsistentias confundamus : non autem, aliud et aliud : quod tria unum, et idem sunt in divinitate. » Cyrillus vero *subsistentiam* alias pro persona, alias pro natura perspicue sumpsit. Ex quo ita Rusticus concludit[1] : « Commune igitur diversarum id nomen est rerum ; et interdum personam significat, nonnunquam vero naturam. Unam igitur subsistentiam dicimus Domini Christi ; subsistens est enim persona ejus : non vero abominamur et duas dicere, quando et pro naturarum nomine pie hoc quis assumere vult sub omni cautela. Subsistunt enim duæ naturæ. » Quibus postremis verbis rationem hanc indicat, cur *subsistentia* vel *hypostasis* naturam interdum significat, quod ambæ in Christo naturæ subsistunt. Atqui non videtur hoc consequens. Etenim si ab eo, quod est *persona*, dici fas esset *personari*, recte hoc usurpare possemus naturas duas *personari*, nemo tamen inde colligeret, *personam* pro *natura* sumi : cum hic utrobique verus, et genuinus sit sensus, utramque naturam in *personali proprietate*, sed communi, non cujusque propria et distincta, subsistere. Hanc eamdem hypostaseos duplicem significationem apud Cyrillum agnoscebat, etiam Severus hæresiarcha: ut Anastasius Sinaita refert[2] : nec tamen, ut diximus, ei assentitur. Sed omnino fatendum est : neque ex eo putandum sublevari Monophysitarum hæresim ; cum minime sit obscura aliis ex locis et sententiis, de duabus naturis opinio Cyrilli, ut postea videbimus.

V. Sic nomen φύσεως bifariam acceptum a Patribus fuisse in eodem libro docuimus[3], atque ab ipso adeo Cyrillo, ut et naturam significet, et hypostasim, sive personam. Cujus exempla, præter ea, quæ jam illic commemorata sunt, quædam hoc loco reddam. In epistola secunda ad Successum ait, « (2) In Christo animadverti naturarum, sive hypostaseon differentiam. Non enim idem sunt naturali qualitate divinitas, et humanitas. » Item in anathematismo secundo cum dixisset, « (3) Verbum secundum hypostasim unitum esse carni ; et unum esse Christum cum carne propria, » Theodoretus hoc adversus illum opposuit, genus hoc *unitionis* ignotum esse, ac naturarum commistionem, et confusionem indicare. Cyrillus vero in illius refutatione declarat, unionem hanc secundum hypostasim sic se intelligere, « (4) ut Verbi natura, sive hypostasis, quod est ipsum Verbum, natura, et ex rei veritate, cum humana natura copulata fuerit. » Illa vero anathematismi Dionysius exiguus haud satis accurate in latinum vertit, *Si quis non confitetur carne substantialiter unum esse Verbum Patris.* Scriberet potius, *cum carne substantialiter unitum esse.* Manifeste *hypostasim* pro *natura* sumpsit Cyrillus.

VI. Præterea Cyrillus in anathematismo tertio damnat eum, « (5) qui post unitionem dividit hypostases, » vel, ut Dionysius reddidit, *substantias.* Contra quem scribens Theodoretus, peræque hypostasim cum φύσει confundit. « (6) Duas, *inquit,* unitas hypostases, sive naturas dicere, neutiquam absurdum est ; sed causam habet consentaneam : » quoniam natura quælibet suas proprietates retinet, ut in homine corpus et anima. Cyrillus vero vicissim illum refellens, (7) *unitas esse* affirmat *hypostases.* Et tamen anathematismo sequente, duas esse negat hypostases. Verum addidit *personarum* nomen. « (8) Si quis, *ait*, duabus personis, vel hypostasibus eas voces partiendo tribuit, quæ in evangeliis, et apostolicis scripturis passim occurrunt. » Ut appareat Cyrillum, cum et ab aliis usurpari sciret, et usurparet ipse vocabulum τῆς ὑποστάσεως alias pro οὐσίᾳ sive essentia, aut natura ; alias pro subsistentia, vel persona ; ne quis ambiguitate falleretur, ibi *personarum* vocem addidisse, ubi posteriori significatione sumitur hyposta-

(1) Naz. orat. 51. pag. 739. Ἐκεῖ μὲν γὰρ ἄλλος, καὶ ἄλλος, ἵνα μὴ τὰς ὑποστάσεις συγχέωμεν, οὐκ ἄλλο δὲ, καὶ ἄλλο. Ἓν γὰρ τὰ τρία, καὶ ταὐτὸν τῇ θεότητι.

(2) Cyril. in epist. tom. 5. par. 2. pag. 147. Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ μόνον νοηθείη ἂν ἡ τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορά. Οὐ γάρ που ταὐτὸν ποιότητι φυσικῇ θεότης, καὶ ἀνθρωπότης.

(3) Cyr. anath. 2. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἕνα τε εἶναι Χριστὸν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκός.

(4) Cyr. ad eumd. anath. con. Th. pag. 209. tom. 5. Τοῦ καθ' ὑπόστασιν οὐδὲν ἕτερον ἀποφαίνοντος, πλὴν ὅτι μόνον ἡ τοῦ Λόγου φύσις, ἤγουν ἡ ὑπόστασις, ὅ ἐστιν αὐτὸς ὁ Λόγος, ἀνθρωπείᾳ φύσει κατ' ἀλήθειαν ἑνωθείς, etc.

(5) Id. anath. 3. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(6) Theodor. in Refut. pag. 210. tom. 5. Cyr. Δύο δὲ τὰς ἑνωθείσας ὑποστάσεις, εἴτουν φύσεις λέγειν, οὐκ ἄτοπον, ἀλλὰ κατ' αἰτίαν ἀκολουθον.

(7) Cyr. ibid. pag. 213. Ὥστε κἂν νοῶμεν ἡνῶσθαι τὰς ὑποστάσεις, etc.

(8) Id. anath. 4. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι τάς τε ἐν Εὐαγγελικοῖς, καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνάς, etc.

[1] Rust. col. 813. — [2] Cap. 8. ὁδηγ. p. 172.

[3] Lib. 4. de Trinit. c. 2. § 1. et seq.

sis. Sic enim apud Latinos *substantiæ* nomen eadem varietate censetur; uti libro quarto de Trinitate, capite tertio monuimus. Sane Dionysius in latina versione anathematismorum Cyrilli, ὑποστάσεως vocabulum *substantiam* alias interpretatur, ut in secundo et tertio; interdum, *subsistentiam*, ut in quarto.

VII. Nihilominus multa sunt in illis Cyrilli verbis admiratione, et attentione digna, de quibus post agendum erit. Sed illud imprimis quod tanto post tempore, quam de τῆς ὑποστάσεως notione inter Catholicos convenerat, ac contra communem, adeoque amborum etiam ipsorum usum, vocem illam tam ancipiti significatione sumpserint Cyrillus, et Theodoretus. Jamdudum enim [1], Basilio præsertim auctore, illud invaluerat, ut ὑπόστασις a natura discerneretur, ac tres in Deo hypostases, una φύσις esse diceretur. Sane ex hac multiplici, ac dispari eorumdem potestate nominum, et usurpatione, pleræque per illa tempora hæreses occasionem sumpserunt; ut postea constabit. Vide Maronis Edesseni Nestoriani, injustam licet querelam de Cyrillo apud Anastasium Sinaitam [2].

Facundus Hermianensis, libro 11. Cyrilli quædam loca profert, in quibus subsistentias duas, id est hypostases, agnoscit in Christo. Velut in Scholiis, ex eo quod in arca Mosaica auro lignum erat obductum; quæ erat figura Christi : « naturas duas, sive hypostases inconfusas mansisse » colligit. « (1) Quod autem naturæ, sive subsistentiæ, inconfusæ manserint, ait ex Cyrillo Facundus, hinc scimus. Aurum enim superpositum ligno mansit id quod erat, etc. » Item ex epistola ejusdem Cyrilli ad Acacium, Facundus verba illa refert, in quibus φύσεων, sive ὑποστάσεων, hoc est, ut idem interpretatur, *naturarum*, vel *subsistentiarum* differentiam adstruit. Quod si pro *subsistentiis*, *substantias* poneret, non minus rem in ambiguo relinqueret. Siquidem *substantiæ* vox pro *persona* sæpe sumitur a Latinis; ut in quarto de Trinitate libro meminimus [3]. Nihilominus pro natura potissimum uti caperetur, usus evicit.

VIII. Gelasius in libro contra Eutychem et Nestorium [4], Eutychianos redarguens, qui abhorrebant a *naturæ* vocabulo, stulte illos facere dicit : « Cum utique nulla res sit, quæ non propriam possit habere substantiam : substantia vero nulla sit, quæ non natura dicatur. Nam remove naturam cujuslibet subsistentiæ, tolles etiam sine dubitatione substantiam : sublata substantia, pariter res quælibet illa tollitur. »

Hic ille est Gelasius, qui Romanus pontifex vulgo inscribitur : quem alii Cæsariensem illum Gelasium, cujus meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, fuisse suspicantur : alii Cyzicenum illum Nicænæ scriptorem historiæ. Sed neutris assentior. Quisquis ille est, latine profecto scripsit; et quidem terse, ac diserte. In quo minime est audiendus Melchior Canus, in libro sexto de Locis, capite octavo [5] : qui propterea negat se Gelasio Cæsariensi opus illud tribuere, « quod purum et politum sermonem dicit eum Hieronymus habuisse; qualem in hoc libello equidem non agnosco. Nisi bono, et eleganti auctori contigit malus, et impurus interpres. » Mirum ita pronuntiasse de Gelasio isto, qui utrumque illum legisset. Nam commode sane, ac pure loquitur : ut ecclesiastico scriptori, et quidem seculi istius, convenit.

IX. Postremo ad illorum vocabulorum proprietatem accuratius intelligendam, libet ex Theoriano in dialogo adversus Armenos quædam hic adnotare, quæ in quarto de Trinitate haud satis expressimus.

« (2) Οὐσίαν, id est substantiam, ita definisse sanctos Patres, » ait Theorianus : « Substantia est primo, ac proprie quidquid per se subsistens est, et non in altero habet esse. Quid est autem per se subsistens? Quod per se est, et non propter aliud : neque in altero habet esse, hoc est, quod non indiget aliquo alio extra se, ut existat. » Exempli gratia, color, puta niger, aut albus, et id genus alia per se esse nequeunt, et sine corpore, quod ea recipit. Ideo non dicimus colorem esse substantiam. Porro corpus ipsum, in quo inest color, non indiget colore, ut corpus sit. Itaque mutatis coloribus, corpus ipsum non mutatur. Nam ex albo fit nigrum, et ex nigro flavum, aut alio colore affectum; ipsum vero manet id quod est.

(1) CYR. in Scho. tom. 5. p. 785. Ὅτι καὶ σύγχυτοι μεμενήκασιν αἱ φύσεις, ἤγουν ὑποστάσεις, ἐντεῦθεν εἰσόμεθα. Τὸ γάρ τοι χρυσίον ἐπληλειμμένον τῷ ξύλῳ μεμένηκεν ὅπερ ἦν.

(2) THEOR. tom. 11. bib. pag. 442. C. Οὐσία ἐστὶ πρώτως τε, καὶ κυρίως πᾶν ὅ, τι περ αὐθυπόστατον ὑπάρχει, καὶ μὴ ἐν ἑτέρῳ ἔχει τὸ εἶναι. Τὸ δέ ἐστιν αὐθυπόστατον, ὃ καθ' ἑαυτό ἐστι, καὶ οὐ δι' ἄλλο, οὔτ' ἐν ἑτέρῳ ἔχει τὸ εἶναι. Τουτέστιν, ὃ μὴ χρῄζει τινὸς ἄλλου ἔξωθεν αὐτοῦ εἰς τὸ ὑπάρχειν.

[1] Vide l. 4. de Trin. c. 1. parag. 14. et 15. — [2] Anastas. in ὁδηγῷ cap. 22. p. 346. et p. 499. — [3] Cap. 3. § 5. et seq. — [4] Tom. 1. Bibl. PP. col. 420. et 421. — [5] Canus 6. de locis c. 8. ad 9. arg.

Rursus color est corporis gratia, ut ipsum coloret : corpus vero non est propter colorem, sed propter se. Item color in corpore habet esse : non autem in colore corpus, sed in se habet esse. Ideo corpus appellamus οὐσίαν, quia per se subsistit, et in se non in altero habet esse.

Jam φύσις, id est *natura*, est principium motus et quietis illorum quæ percensuimus, in quibus primis existit, et non ex accidenti. Sicut terra movetur dum germina profert, et animantes parit : quiescit, dum immobilis in sede sua consistit, « (1) Hujus ergo quietis, et motionis principium, quod substantive inest terræ, non autem aliqua ex causa velut extrinsecus accidit, naturam nominamus. » Quam quidem vocem τῆς φύσεως derivari ait ab eo, quod est πεφυκέναι, hoc est *natum*, vel *natura comparatum esse :* ac tam οὐσίαν, quam φύσιν significare ait ὕπαρξιν, hoc est *extantiam*. Jam vero ὑπόστασιν definit (2) *rem subsistentem, et substantivam, in qua accidentium congeries, tanquam in uno subjecto, reipsa, et actu subsistit.* Ut sit οὐσία, *res ipsa quæ est, et ens dicitur : hypostasis vero tam ipsa res, quam quæ in ea tanquam ex accidenti convenientia spectantur:* πρόσωπον denique, id est persona, est substantia, vel hypostasis, quatenus certam actionem et gestionem habet, qua ab aliis secernitur, de quo plura in quarto de Trinitate libro disputavimus [1], ubi et Theoriani verba posuimus.

Boetius item in libro de Duabus naturis, « Natura, *inquit*, per se motus principium. Motus principium dixi, hoc est, quoniam corpus omne habet proprium motum ; ut ignis sursum, terra deorsum. Item quod per se principium motus naturam esse proposui, et non per accidens, tale est : quoniam lectum quoque ligneum deorsum quoque ferri necesse est : sed deorsum per accidens fertur. Idcirco enim, quia lignum est, quod est terra, pondere, et gravitate deducitur. Non enim quia lectus est, deorsum vadit, sed quia terra est ; id est, quia terræ contigit, ut lectus esset. » Unde fit, ut lignum naturaliter « esse dicamus, lectum vero artificialiter. » Rursus aliter naturam definit, ut sit, *unamquamque rem informans specifica differentia.*

X. De hypostasi, et persona fusissimam habes narrationem apud Suidam ; quam ex variis auctorum sententiis concinnatam arbitror, velut miscellam quamdam χρηστομάθειαν ; cujus particulas fere omnes ex suis auctoribus selectas in quarto libro de Trinitate, aliisque proposuimus, et enodavimus. Nunc autem, quatenus ad Incarnationis mysterium ista pertinent, carptim ex eodem Suida præcipua quæque libanda sunt, et paucis enucleanda, imo vero castiganda sunt ; nam hoc eorum pleraque merentur. Scribit ergo Suidas « (3) ὑπόστασιν ex ecclesiastica, et apostolica traditione, esse personam, vel characterem, ut loquitur Apostolus [2], cum ait Filium esse splendorem, gloriam, et characterem, id est figuram substantiæ Dei Patris ; hoc est personam consubstantialem characteri, et hypostasi Patris. » In his duo sunt minime probanda. Alterum, quod ὑπόστασιν ex apostolica traditione idem esse dicit, quod personam, sive proprietatem. Alterum, est interpretatio loci illius ex capite primo epistolæ ad Hebræos.

Imprimis falsum hoc esse dico, τῆς ὑποσιάσεως notionem illam ab apostolis acceptam fuisse. Id si esset, nemo non eam veterum esset amplexus ; ac religioni duxissent omnes, ab illa vel levissime desciscere. Denique quod puto mihi concessurum quemlibet prudentem, antiquior usus istius esset vocabuli ,in illa significatione, qua pro persona, et eo, quod proprium est in Trinitate sumitur, quam ut naturam, et essentiam designat ; ut a plerisque usurpatum esse nemo prorsus ignorat. Atqui contra sese res habet. Prius enim, et ab antiquioribus Ecclesiæ magistris adhibita vox est illa ad οὐσίαν declarandam, quam ad personam : ut late in quarto libro de Trinitate demonstratum est [3] : et in sexto hujus operis iterum ostendam. Etenim neque ante Nicæni concilii tempus, nec annis postmodum aliquot, neque, quod caput est, ab ipsomet Nicæno concilio

(1) THEOR. ibid. pag. 443. A. Τὴν οὖν ἀρχὴν τῆς τοιαύτης ἠρεμίας τε, καὶ κινήσεως οὐσιωδῶς τῇ γῇ ἐναπάρχουσαν, οὐκ ἐκ τινὸς δὲ αἰτίας αὐτῇ γενομένην φύσιν καλοῦμεν.

(2) Ibid. Ὑπόστασις δέ ἐστι πρᾶγμα ὑφεστὼς τε, καὶ οὐσιῶδες, ἐν ᾧ τὸ τῶν συμβεβηκότων ἄθροισμα, ὡς ἐν ἑνὶ ὑποκειμένῳ πράγματι, καὶ ἐνεργείᾳ ὑφέστηκεν. Ἔστιν οὖν ἡ οὐσία αὐτὸ τὸ ὂν πρᾶγμα. Ἡ δὲ ὑπόστασις, καὶ αὐτὸ τὸ ὄν, καὶ τὰ τούτῳ ὡς κατὰ συμβεβηκὸς ἐπιθεωρούμενα.

(3) SUID. Ὑπόστασις κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν, καὶ Ἀποστολικὴν παράδοσιν τὸ πρόσωπον, ἤγουν ὁ χαρακτὴρ, ὡς φησιν ὁ Ἀπόστολος, τὸν Υἱὸν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Τουτέστι πρόσωπον ὁμοούσιον τοῦ χαρακτῆρος, καὶ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρός.

[1] Cap. 2. § 10. — [2] Heb. 1.

[3] Cap. 1. et seq.

aliter ὑπόστασις accepta est, quam pro φύσει, et οὐσίᾳ: vel ab Athanasio, qui et Nicæno concilio interfuit, et ejus intimos sensus accurate perspectos habuit. Qui quidem in Alexandrina synodo [1], quæ post Constantii obitum, Juliano imperante, celebrata est, anno Christi 362. decreti illius auctor fuit; ut cuivis liberum esset unam hypostasim, hoc est *essentiam*, in tribus, vel tres hypostases, id est subsistentes tres, in una essentia et οὐσίᾳ profiteri, dummodo de re illis subjecta vocibus, et inter se, et cum Nicæno concilio consentirent, atque ab Ariana perfidia discreparent. Post id tempus paulatim obtinuit, uti tres hypostases usurparentur, pro personis totidem: maxime apud orientales, hoc est Antiochenæ sedi attributas Ecclesias. Nam Alexandrini, Athanasii sui imitatione, veterem hypostaseos notionem aliquanto postea retinuerunt: ut in sexto libro hujus operis plenius exponam. Non est autem facile unum aliquod, certumque nomen expromere, in quo vetustissimi theologi quasi ex pacto convenerint, ut hoc sciscitantibus quid tres essent, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus in eadem essentia, responderent: ut nos hodie personam vel hypostasim habemus, cum ad similem interrogationem profitemur tres esse personas, vel hypostases. Quare tres nominatim appellare contenti, unam addebant trium οὐσίαν, aut etiam hypostasim. Sed hæc melius ex quarto nostro libro de Trinitate intelligi possunt, in quo veteres percensuimus, qui vocabulis illis usi sunt; et quam notionem iisdem subjecerint enucleate monstravimus.

XI. De Apostoli vero loco illo, qui est in epistolæ ad Hebræos capite primo, satis superque disputavimus in sexto de Trinitate, capite sexto. Ex quo perspicuum fit, quantum vel Suidas, vel quisquis ille est, unde verba ista corrasit, ab vero sensu illius abscesserit, cum χαρακτῆρα, id est *figuram hypostasis paternæ*, *personam* interpretatur *consubstantialem figuræ et hypostasi paternæ*. Hic χαρακτῆρα idem vult esse ac ὑπόστασιν, et πρόσωπον, ex quo absurdissimus sequitur sensus, ut dicatur *filius esse hypostasis hypostaseos paternæ*: vel *persona personæ illius*. Nam si *figura*, quæ græce est χαρακτὴρ, idem est ac persona vel hypostasis, si pro vocabulo χαρακτὴρ, ὑπόστασιν, vel personam posueris, inepta illa sequetur, et impia sententia. Prorsus itaque falsum est, χαρακτῆρα in illo loco Apostoli significare τὴν ὑπόστασιν, aut *personam*: multoque verius est, idipsum designare, quod latinus noster interpres vertendo reddidit, *figuram*, hoc est *imaginem* naturæ in Patre subsistentis. De quo vide caput sextum libri nostri de Trinitate sexti.

Nonnunquam vox χαρακτὴρ notam personarum διακριτικὴν significat: quam *proprietatem personalem* vulgo nominant, utalibi docuimus [2], et hoc accepta modo re idem est cum persona, vel hypostasi: sed notione differt. Est enim velut *forma* quædam *relativa* personam constituens, nec ad illum Apostoli locum potest accommodari ista significatio.

XII. Rursus idem Suidas, « (1) Naturam *ait* esse dominam, et causam, ac productricem suarum hypostaseon, propterea que dicta ὑποστάσεις, quod naturæ substant velut ipsarum fonti. » Verum hæc loquendi formula prorsus abhorret ab usu theologorum; nec recte dici posse videtur, naturam divinam esse dominam, vel causam hypostaseon, personarumque divinarum, aut earum γεννητικὴν. Nisi vero quispiam loqui sic audeat, Patrem ab essentia divina gigni; vel Spiritum sanctum; ut de Filio taceam, qui tametsi *ex essentia* gignitur, non ita tamen, ut essentia ipsa Filium gignat: sive ut sit principium quod gignit: sed ut sit quo, vel ex quo gignitur, hoc est gignendo transfunditur. Sed nec ὑποστάσεις dicuntur quia subsunt, vel substant essentiæ; sed quia proprietatibus omnibus, et attributis, sive formis velut accidentibus (si ita loqui fas est, quod aliter capere non possumus) sunt subjectæ, quemadmodum substantiæ dicuntur, quia substant non naturis, sed accidentibus.

Pergit Suidas, et ad Incarnationis negotium delapsus animadvertit, « (2) Sanctam Christi carnem non vocari personam, sed usiam, id est substantiam: ut hoc significemus, totam ab illo nostram assumptam fuisse naturam. Si enim hypostasim illam nominemus, eo redacti videbimur, ut unum quempiam hominem assumpsisse Christum, et servasse dicamus. Itaque non appellatur hypostasis, quatenus a

(1) SUID. ibid. Ἡ οὖν φύσις κυρία ἐστὶ, καὶ αἰτία, καὶ γεννητικὴ τῶν ἐν αὐτῇ ὑποστάσεων· καὶ διὰ τοῦτο ὑποστάσεις λέγονται· ὡς ὑπὸ τὴν φύσιν ἱστάμεναι τὴν αὐτῶν πηγήν.

(2) Ibid. Τὴν ἁγίαν σάρκα τοῦ Χριστοῦ οὐ λέγομεν πρόσωπον, ἀλλ' οὐσίαν, ἵνα σημαίνωμεν ὅτι ὅλην τὴν φύσιν ἡμῶν ἀνέλαβεν. Εἰ γὰρ εἴπωμεν αὐτὴν ὑπόστασιν, ἕνα τινὰ ἄνθρωπον εὑρισκόμεθα λέγοντες ὅτι ἀνέλαβεν, καὶ ἔσωσεν ὁ Χριστός. Πλὴν οὐ λέγεται ὑπόστασις, ἐφ' ὅσον ἀχώριστός ἐστι τοῦ Θεοῦ Λόγου ἡ σάρξ. Ὑπόστασις γὰρ τὸ κεχωρισμένον πρόσωπον λέγεται. Ἐνυπόστατον μέντοι αὐτὴν λέγομεν, οὐ μὴν ὑπόστασιν.

[1] Vide tom. 2. lib. 4. c. 4.

[2] In Præf. lib. 4. de Trin.

Deo Verbo separari caro non potest. Est enim hypostasis persona separata. Porro dicitur caro Christi ἐνυπόστατος, id est in aliquo subsistens, non tamen hypostasis. »

Hæc sunt illis consentanea, quæ ex græcorum theologorum placitis in quarto de Trinitate disputavimus, et in quinto hujus operis libro, capite quinto non sine auctario resumemus. Hypostasis, ex Græcorum sententia, substantia est singularis, et individua, qua individua est, et singularis, hoc est omnibus affecta, determinataque proprietatibus, quæ in alteram perinde singularem non cadunt. Harum proprietatum una est, et quidem primaria, ὁ τρόπος τῆς ὑπάρξεως, id est modus existendi, quo substantia particularis per se subsistit, qualibet alia divulsa, ita ut cum nulla altera in compositionem venire possit alicujus tertii, quod per se proprieque sit unum, hoc est ἑνότητι φυσικῇ, sive ἀληθινῇ, ut eam Cyrillus nominat: naturali, ac vera unitione, non σχετικῇ, et *morali*. Vide Eliam Cretensem in scholiis ad orationem 23. Gregorii Nazianzeni[1]: ubi tum ex aliis characteristicis proprietatibus hypostases constare dicit, tum « ex ea multo magis, quod altera in altera non sit, verum separatim. Quo etiam fit, ut duo, et tres, et plures homines dicantur. » Talem hominis substantiam neutiquam Deus assumpsit. Ideo *naturam universalem* a græcis Patribus adscivisse dicitur, quoniam ea sibi duntaxat adjunxit, quæ sunt οὐσιώδη, et omnibus ejusdem speciei singularibus convenire possunt; corpus, animam, ac naturales utriusque dotes, et affectiones, quod passim usurpare solent iidem græci Patres, nempe quæ « (1) labe ac reprehensione carent, nec ad peccatum impellunt. »

Porro ὑποστατικὴ differentia sic a Suida definitur: « (2) Est ratio, secundum quam diversitas illa, quæ fit ex congerie proprietatum communium in substantia consideratarum, numero aliud ab alio dirimens, individua multiplicat. » Nam quælibet ex illis proprietatibus separatim sumpta pluribus convenire potest. Sed omnes acervatim collectæ in unam duntaxat competunt. Ita Porphyrius, ex eoque græci theologi.

Denique ex eodem Suida notabis naturam hominis in Christo appellari ἐνυπόστατον, non tamen ὑπόστασιν. Horum enim vocabulorum prius τὸ ἐνύπαρκτον interpretatur, *quod inest revera*. Sicut τὸ ἀνυπόστατον, τὸ μὴ ἔχον ὕπαρξιν, quod non extat, nedum subsistit. De his nominibus fuse diximus[2] in quarto de Trinitate. Unde illud præterea repetendum, τὸ ἐνυπόστατον, et ὑπόστασιν, et οὐσιαν ab antiquioribus promiscue accipi solere.

XIII. In epistola synodi Antiochenæ ad Paulum Samosatenum, filium Dei Patres asseverant « (3) ante secula extitisse, non sola præscientia, sed substantia, et hypostasi Deum, Deique filium. » Et interjectis aliquot, per eumdem Filium « (4) omnia procreata fuisse » dicunt « a Patre, non tanquam per instrumentum, vel tanquam per scientiam non per se subsistentem. » Ἀνυπόστατον vocat quod per se, ac perfecte non existit. Alioqui, ut a Suida notatum est, pro eo sumitur, quod fictum, et commentitium est, nec in natura rerum existit; ut sit idem ὑπόστασις, quod τὸ ὄν, vel οὐσία. Sic Origenes primo libro contra Celsum, deos, qui ab gentilibus adorantur, nihil esse præter inania figmenta, nec extantiam habere docens, « (5) Ostendat, inquit de Celso loquens, substantiam, et essentiam Mnemosynes Musas ex Jove parientis, vel Themidis Horas: vel Gratias semper nudas in essentia subsistere posse demonstret. At non poterit Græcorum figmenta, quæ corporata esse videntur, ex rebus ipsis deos approbare. » Non potest expressius vis et notio τῆς ὑποστάσεως indicari, quam hoc loco factum est ab Origene: qui ὑπόστασιν et οὐσίαν pro eodem usurpavit: ut et Nicæna postea synodus, ut alibi demonstravimus[3]. Sic ὑπόστασιν Dei pro *essentia* Cyrillus Hierosolymitanus accepit, cum ait « (6) comprehendi non posse

(1) GREG. Nyss. lib. de Perf. Πάθη τὰ εἰς ἁμαρτίαν ἐκκαλούμενα.

HIPPOL. opusc. 1. cont. Beron. Τὰ ἀναμάρτητα πάθη.

DAMASC. lib. 3. cap. 20. Τὰ ἀδιάβλητα πάθη.

(2) SUID. ibid. Ὑποστατικὴ δὲ διαφορὰ τυγχάνει, Λόγος καθ' ὃν ἡ κατὰ ἄθροισμα τῶν θεωρουμένων ἰδιωμάτων κοινῶν τῆς οὐσίας ἑτερότης τέμνουσα κατὰ ἀριθμὸν ἄλλο ἀπ' ἄλλου, τὴν τῶν ἀτόμων ποιεῖται πλῆθύν.

(3) Synod. Antioch. tom. 11. Conc. 302. E. Πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ, καὶ ὑποστάσει Θεὸν, Θεοῦ Υἱόν.

(4) Ibid. pag. 303. D. Δι' οὗ ὁ Πατὴρ πάντα πεποίηκεν οὐχ ὡς δι' ὀργάνου. Οὐδ' ὡς δι' ἐπιστήμης ἀνυποστάτου.

(5) ORIG. 1. con. Cel. pag. 17. Δεικνύτω τοίνυν ὑπόστασιν, καὶ οὐσίαν Μνημοσύνης γεννώσης ἀπὸ Διὸς τὰς Μούσας· ἢ Θέμιδος τὰς Ὥρας· ἢ τὰς Χάριτας ἀεὶ γυμνὰς παραστησάτω δύνασθαι κατ' οὐσίαν ὑφεστηκέναι. Ἀλλ' οὐ δυνήσεται τὰ Ἑλλήνων ἀναπλάσματα σωματοποιεῖσθαι δοκοῦντα ἀπὸ τῶν πραγμάτων δεικνῦναι θεούς.

(6) CYR. Cat. 6. pag. 48. Εἰ ἀκατάληπτός ἐστιν ἡ ὑπόστασις ἡ θεία· καὶ τί σὺ περὶ τούτων διηγῇ;

[1] Tom. 2. Greg. col. 837. Num. 28.

[2] Lib. 4. c. 2. § 9. et c. 8. § 10.—[3] Lib. 4. de Trin. c. 1. § 6. et 7.

Dei hypostasim. » Epiphanius quoque ὑπόστασιν carnis Christi nominans, non utique *suppositum* intellexit, sed *substantiam*, id est carnem revera extantem, non adumbratam, et duntaxat apparentem. Memorabilis iste est Epiphanii locus, qui inter alia sanctorum Patrum testimonia in Excerptorum codicem relatus, ac lectus est in sexta Synodo, et communi Patrum suffragio comprobatus ex Epiphanii Panariis, sermone sexagesimo nono contra Ariomanitas; qui in editione nostra Hæresi 69. numero 60. continetur. Quo in loco refert ac dissolvit Epiphanius Arianorum argumentum ex Luca sumptum [1], qui Christo Angelum in horto apparuisse scribit, *qui eum confortaret*. Ex quo hæretici colligebant, minorem Patre secundum substantiam esse Filium. Huic respondet Epiphanius, illam Christi anxietatem, et imbecillitatem, ad quam sublevandam angelorum usus est opera, ad hoc assumptam fuisse, uti verum se hominem, non ficta constantem specie probaret, qualem Marcionistæ, ac Manichæi somniabant. Tum etiam voluntatem in se aliam expressisse, ex qua diceret, *Non mea voluntas fiat* : « (1) nempe ut veram carnis hypostasim ostenderet, » hoc est substantiam, et naturam revera, non sola imagine constantem.

XIV. Nec aliter ὑποστάσεως vocabulum apud Origenem acceperim in octavo libro contra Celsum : ubi Epicureo istud objicienti, Christianos alium quemdam præter summum, colere, venerarique Deum, nempe Christum, respondet ad hunc modum : Si Celsus intellexisset, quid sit illud [2], *Ego et Pater unum sumus* : aut istud [3], *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*, non ita de Christianis judicaturum fuisse : illos alium præterquam summum Deum venerari. Siquidem ita Christus etiam est locutus [4] : *Ego in Patre, et Pater in me est*. Pergit deinde : (2) « Quod si quis ex illis in eam abstrahatur suspicionem, ne ad illorum partes forte transfugiamus, qui Patrem et Filium negant esse duas hypostases, attendat ad id, quod scriptum est [5] : *Erat autem credentium cor, et anima una* : ut hoc contemplari possit, *Ego et Pater unum sumus*. Quocirca unum Deum, ut jam exposuimus, Patrem, ac Filium colimus. » Sed subinde quemadmodum unum interpretetur Deum, sic explicat : « (3) Igitur Patrem veritatis colimus, et Filium veritatis, (imo *veritatem*,) quæ duæ sunt hypostasi res: una vero concordia, et consensu, atque identitate voluntatis. » Animadvertis in his verbis hæreticum venenum, quod ex Origene potissimum Arius postmodum exsuxit : ut græci, ac latini plerique Patres consentiunt : et nos in primo de Trinitate copiose de eo disputavimus [6]. Jam vero ὑπόστασιν ab Origene pro natura et substantia, vel hujus vera, et solida extantia illic accipi, nullus equidem dubito. Hoc enim declarare voluit, Patrem et Filium non unam rem et eamdem esse ; sed duas, ac diversas, quæ perinde consensione voluntatum, et concordia sint unum ; sicut discipulos suos unum esse Christus optabat. Quæ quidem germana sunt illis, et consentanea, quæ de Origenis errore, capite illo quarto primi de Trinitate libri, ex sanctissimis et catholicis Patribus adduximus, et, quod caput est, ex œcumenica sexta Synodo : quæ Origenem tum ob alias impuras, ac detestandas hæreses, tum ob eam præsertim, quæ sacrosanctæ Trinitatis dogma pulsavit, diris est execrata.

Ad extremum, sciri convenit ὑπόστασιν a Dionysio pro persona, non pro essentia sumi. Ut cum in capite secundo libri de ecclesiastica Hierarchia [7] τὴν τρισσὴν ὑπόστασιν τῆς θείας μακαριότητος, id est *triplicem hypostasim*, sive *personam divinæ beatitatis, hoc est substantiæ*, in trina baptismi immersione inclamari dicit. Nec recte latinus interpres a viro docto notatur [8], quod *personas* ibi verterit : tanquam Dionysius ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ sumpserit. Quod secus se habet. Nam et capite primo libri de Divinis nominibus [9], ait τὴν θεαρχίαν, id est *divinum principatum*, sive *divinitatem*, communicasse nobiscum ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων, *in una suarum hypostaseon*. An *in una suarum essentiarum* audebit quispiam vertere ? Rursus τρισυπόστατον μονάδα καὶ ἑνάδα, hoc est monadem, et unitatem in tribus subsistentem dixit in calce

(1) Epiph. hær. 69. num. 60. citat. in 6. Syn. act. 20. pag. 133. E. Ἵνα δείξῃ σαρκὸς ὑπόστασιν ἀληθινήν.

(2) Orig. 8. cont. Cel. pag. 397. Εἰ δέ τις ἐκ τούτων περισπασθήσεται, μή πη αὐτομολῶμεν πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας δύο εἶναι ὑποστάσεις, Πατέρα, καὶ Υἱόν, ἐπιστησάτω τῷ· ἦν δὲ πάντων τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία, καὶ ψυχὴ μία· ἵνα θεωρήσῃ τὸ ἐγὼ, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· ἕνα οὖν Θεὸν, ὡς ἀποδεδώκαμεν, τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν θεραπεύομεν.

(3) Ibid. Θρησκεύομεν οὖν τὸν Πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν Υἱὸν τῆς ἀληθείας (leg. τὴν ἀλήθειαν)· ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταὐτοτητι τοῦ βουλήματος.

[1] Luc. 22. 44. — [2] Joan. 10. 30. — [3] Joan. 17. 22. — [4] Joan. 14. — [5] Act. 4. 32.

[6] Cap. 4. — [7] Pag. 118. — [8] Voss. Disp. 2. de bapt. p. 41. — [9] Pag. 245.

capitis septimi de cœlesti Hierarchia [1]. Et τρισυπόστατον γονιμότητος ἔκφανσιν, *in tribus subsistentis fœcunditatis declarationem*, capite primo de Divinis nominibus, quæ omnia perinde accipienda sunt, ac si dixisset οὐσίαν τρισυπόστατον [2]. Certe ὑπόστασις nullo modo οὐσίαν illic significat.

CAPUT QUARTUM.

De causis quatuor Incarnationis, ac primum de efficiente, quæ est Deus, sive Trinitas, quomodo tres personæ Incarnationem operatæ sint, et tamen solus Filius incarnatus sit. Declaratur hoc variis exemplis : tum ratio propria redditur, quod non in natura, sed in persona Verbi facta sit assumptio naturæ humanæ, ac velut ad genus causæ formalis pertineat.

I. Rei cujuslibet perfecta cognitio causarum est notitia, quibus illa continetur: ut Aristoteli, ceteris assentientibus philosophis, placet [3]. Sunt autem causarum hujusmodi genera quatuor, quorum investigatione absoluta illa rei scientia constare debet: quod idem in Metaphysicis prodit Aristoteles; efficiens, finis, forma, et materia. Totidem itaque in eo, quod contemplandum sumpsimus, Incarnationis mysterio causæ disputandæ sunt, si id perfecte, quoad fas est, nosse nos et explicare delectat. Efficiens illius causa non alia esse potest, quam Deus; qui cujus gratia tam eximium, ac singulare opus edidit, is esse finis effecti operis censetur. Materiæ instar sunt naturæ duæ, quæ admirabili invicem junctione copulatæ sunt. Ea porro duarum conjunctio, sive, ut detrito jam utar vocabulo, *unio*, vel *unitio*, quædam velut Incarnationis est forma, quæ propriam illius rationem complet ac determinat. Nihil enim aliud est divini incarnatio Verbi, quam Dei et hominis in eamdem personam ex Virginis utero facta consociatio : et « persona Christi mixtura est hominis, et Dei, » ut eam definit Augustinus [4] : ex quo, « Christus Jesus Dominus noster existat, ex utroque connexus, et utroque contextus, atque concretus, et in eadem utriusque substantiæ concordia mutui ad invicem fœderis confibulatione sociatus homo, et Deus; » ut Novatianus scribit [5]. Quocirca in illis quatuor enucleandis deinceps elaborabimus.

II. Ut ab efficiente causa sumatur initium, quam quidem ipsum Deum esse, nemo theologus dubitet : inest peculiaris quædam hoc in mysterio minimæ dubiæ rei enarrandæ difficultas, et obscuritas. Etenim cum Deus nihil aliud sit, quam Pater, Filius, et Spiritus S. sive personæ tres ; quando Deum auctorem, et effectorem esse dicimus Incarnationis, tres illas intelligimus effectrices fuisse personas. « Tota invisibiliter Trinitas (ait Hildephonsus beatam Virginem compellans) conceptionem operabitur in te; sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te; » quod difficile est animo percipere. Nam consequens videtur tres easdem assumpsisse hominem, et incarnatas fuisse.

In libro de Trinitate quarto capite 15. copiose hoc a nobis expositum est, unam et eamdem esse trium divinarum personarum actionem, et efficientiam, quam ἐνέργειαν græci Patres nominant : atque hoc argumento usos esse plurimum antiquos Patres ostendimus, ut eamdem in tribus probarent esse naturam. Hic autem secus evenire videtur. Siquidem de tribus una duntaxat caro fit, id est naturam assumit humanam. « Ideoque non Deus Pater, ait Augustinus [6], non Spiritus sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Deus filius, quod est verbum Dei, caro factum est, quamvis Trinitate faciente. » Quo in loco idem Augustinus humani verbi similitudine declarat quemadmodum Filius Dei, quod hujus est verbum, carnem assumpserit, ex quo Fulgentius alterum, de quo agimus, luculenter explicat, quinam tribus operantibus personis, sola secunda incarnari potuerit.

III. Augustinus imprimis : « Illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, *inquit*, ver-

[1] Pag. 245. — [2] Pag. 244. — [3] Arist. 1. Post. c. 2. et 1. Met cap. 3. — [4] Aug. ep. 3. p. 5. — [5] Lib. de Trin. c. 19.

[6] Aug. l. 65. de Trinit. c. 11. et l. 1. de Trinit. c. 4. et Magist. Sent. l. 3. dist. 2. D.

bumque et ipsum dicitur propter illud a quo, ut foris appareret, assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodammodo corporis fit, assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum, sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua et ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem : ita Verbum Dei caro quidem factum est; sed absit ut mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non eam in se consumendo, et hoc nostrum vox fit, et illud caro factum est. »

Fulgentius vero [1] postquam divini Verbi similitudinem ex humano sumpsit, ac sic personas tres in una esse natura Dei docuit, ut in eadem hominis anima sunt facultates tres, « Memoria, qua reminiscimur; Intelligentia, qua illa, quæ memoria concepimus, cogitatione versamus; et Voluntas, qua vel appetimus aliquid, vel vitamus : » primum cogitationem illam, quam intelligendo formamus, *verbum interius* esse dicit, sive *internam locutionem :* deinde [2] hanc ipsam cogitationem, « quæ ex memoria nascitur, atque formatur, et recte verbum dicitur, solam corpoream vocem accipere *ait*, ut audiri corporeis auribus possit, etc. Vox autem illa corporea, qua spirituale verbum induitur, ut ad audientium notitiam proferatur, simul fit a memoria, et a cogitatione, et a voluntate : sed a sola cogitatione, id est interiore suscipitur verbo; etc. Proinde quisquis hanc imaginem in mente hominis conspexerit, hæreticorum vaniloquia citius irridebit, qui carnaliter de spiritualibus sentientes, nolunt credere in illa sancta Trinitate aliquid a tribus factum, quod ab una persona tantum fuerit divina dispositione susceptum : cum illa humana natura totius quidem Trinitatis opere sit facta, a solo tamen Filio fuerit in unitatem personæ suscepta. » Quem locum imitatus est auctor libri de Cognitione veræ vitæ [3].

IV. Et capite 18. « Non ergo Patris, *ait*, neque Spiritus sancti illa quæ solius Verbi est caro : quia Deo Verbo non est cum Patre et Spiritu sancto unius personæ communio. Secundum operationem quippe divinitatis communem, in qua est Trinitas personarum, sicut eam accepit Filius, sic accepit Pater, et Spiritus sanctus. » Cujus rei causam hanc obviam Christiano cuique, et expeditam affert, quod assumptio ista naturæ hominis in persona facta sit Verbi, quæ propria hujus est, uti natura communis, vel una, eademque potius est personarum trium.

Postea vero similitudine altera rem illustrat [4] : « Anima enim per corpus, imo cum corpore facit, quando corpus comedit, et tamen solum corpus accipit, quod ut accipiatur, anima simul cum corpore facit. In illa itaque comestione, una est animæ, carnisque operatio, sed solius est carnis acceptio. » Hic *acceptionem* ab *operatione* discernit, et hanc communem, illam propriam esse dicit. Atqui in eo loco, qui proxime citatus est, *accipere* ait tribus commune esse personis : nimirum quatenus acceptio illa *secundum operationem divinitatis communem* spectatur.

Alioquin ab effectione ipsa, sive operatione distinguit idem Fulgentius *acceptionem* alio in libro [5], ubi et a personæ proprietate causam repetit assumptæ ab solo Verbo naturæ hominis.

V. « Propriam ergo Christus habet, *inquit*, et humanitatem suam, cum divinitas ejus non unam naturam, sed unam invenitur habere personam. Quæ persona unigeniti Dei, quæ neque Patris est, neque Spiritus sancti, ideo forma servilis a solo Filio accepta recte creditur, quia divinitatis ejus et carnis una persona est, non natura. In Christo enim non altera divinitatis est, et altera humanitatis, sed una est naturæ utriusque persona. Quocirca quia inseparabilis est operatio Trinitatis, servilem formam, quam unigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit : quam tamen certum est a tota Trinitate factam, sed ad solam Filii Dei pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius Trinitatis una operatio, sic in ea Trinitatis invenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis, quia non ipse Pater est, qui Filius, nec Spiritus sanctus est aut ipse Pater, aut Filius, ostendit aliquid a Patre, et Filio, et Spiritu sancto factum, quod tamen a solo Filio inveniatur acceptum. »

Hujus exemplum utcumque ponit ejusmodi, quale paulo ante alio ex ejusdem libro descripsimus, quando comedit homo; « et in ipsa acceptione ciborum, qua sola caro pascitur, anima cum carne pariter operatur, etc. Communis utique est operatio, sed non est communis acceptio. » Vide eumdem Fulgentium in libro contra sermonem Fastidiosi, capite 11.

[1] Fulgen. cont. Ser. Fastid. c. 15. — [2] Ib. c. 16. et 17. — [3] Cap. 6. in Append. tom. 9. August.

[4] Ib. c. 19. — [5] Fulgent. Resp. 2. ad Ferr. p. 220. E. 2. et 221.

Eamdem quæstionem ab Nebridio sibi propositam tractat Augustinus in epistola 268. et aliquanto est obscurior illius responsio.

Planius vero idipsum facit in sermone tertio de Tempore, ac variis similitudinibus ostendit, unum aliquid proprium alicujus esse posse, quod communiter a pluribus agatur. Quo ex sermone ad eamdem explicandam quæstionem, aliquot verba descripsit Petrus Damiani in Opusculo primo [1]. In quo [2] etiam copiose illud adstruit, quemadmodum ita « solus Filius incarnatus sit, ut incarnationem Filii Pater, et Filius, et Spiritus sanctus operati sint. » Vide etiam sermonem 63. de verbis Domini secundum Joannem ejusdem Augustini [3], et Philonem Carpathium in Cantica [4].

VI. Dionysius in capite secundo de Divinis nominibus, pulchre totum hoc mysterium, ac verbis exquisitis aperit, quæ diligenter expendi jubet Maximus interpres. Nam cum de iis ageret, quæ Deo ita tribuuntur, ut partim de personis tribus communiter dicantur, partim uniuscujusque propria sint, quam vocat ille (1) *unitam, et distinctam Theologiam* : inter ea, quæ distincte affirmantur ac proprie, numerat « (2) bonitati consentaneam divinam in nos operationem; qua secundum nos ex nobis integre, ac vere substantiatum est supersubstantiale Verbum; ac fecit, et passum est, quæcumque sunt eximia, et excellentia humanæ in ipso Dei operationis. Horum enim neque Pater, neque Spiritus sanctus ulla ratione particeps fuit : præterquam congruentis Deo, ac benignæ voluntatis, et totius eminentis, et inexplicabilis divinæ operationis, quam immutabilis ille, nostri factus similis, egit, quatenus Deus est Deique verbum. »

Personas ecce duas, Patrem et Spiritum sanctum, negat participes fuisse divinæ secundum hominem operationis, quam vocat ἀνθρωπικὴν θεουργίαν in Christo : nisi quatenus communi hoc voluntate decreverunt fieri : tum vero actionum illarum, quæ supra naturæ captum mortalis, ac Dei propriæ fuerunt, cujusmodi erant θεοσημεῖαι, id est *miracula*.

VII. Quod ita clarius explicandum est, uti tam Verbum, quam personæ reliquæ divinæ, ea quæ homo Christus agebat, aut patiebatur, tam divina quam humana, communiter operarentur, efficientia tenus, et, ut vulgo loqui solent, *in genere causæ efficientis*. Verum peculiare id Verbi personæ fuisse, ut *in genere* quasi *formalis causæ*, naturam afficeret, ac terminaret assumptam; hoc est, ut græci Patres loquuntur, hypostasis esset humanæ naturæ, ex quo factum sit, ut etiam infima, et indignissima quælibet, quæ Christus egit, aut passus est carne, solus ea Dei Filius egisse, ac passus esse dicatur : non item Pater, aut Spiritus sanctus. Est autem id formalis causæ proprium, ut applicatione sui effectum suum producat. Ideo solum Verbum incarnatur, cujus ab aliis persona distinguitur. De quo postea pressius, et subtilius disseremus. Interim vero fuit illud obiter animadvertendum, ne quis præfracte, ac dilute nimium illa caperet, interpretarique vellet, quæ illic a Dionysio scripta sunt, et a Maximo sic enarrantur : « (3) Humanam ab illo Dei operationem nominari, quidquid in incarnati Verbi dispensatione gestum est : ac non aliter communicasse in illis Patrem, et Spiritum sanctum, quam beneplacito, et voluntate Incarnationis, necnon ut cum Deo filio miracula communiter operati sint. »

Sane non minus illa, quæ humanæ erant imbecillitatis propria, efficiendo attigere personæ simul tres, quam miracula, et humano captu majora Christi opera : quæ et ipsa carnis, et naturæ inferioris adminiculo, non per solam divinitatem exercebat. Quæ nos postea, uti diximus, uberius exponemus. Toletana synodus undecima in Professione fidei, causam explicat, cur Incarnationem sic operatæ sint personæ tres, ut una solum carnem susceperit. « Incarnationem, *inquit*, hujus filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ :

(1) DION. in tit. cap. 2. de Div. nom. Περὶ ἡνωμένης, καὶ διακεκριμένης θεολογίας.

(2) Id. pag. 266. Δ.ακέκριται δὲ τῆς ἀγάθοπρεποῦς εἰς ἡμᾶς θεουργίας, τὸ καθ' ἡμὰς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς, καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον, καὶ δράσαι, καὶ παθεῖν ὅσα τῆς ἀνθρωπικῆς αὐτοῦ θεουργίας ἐστὶν ἐκκρίτα, καὶ ἐξαίρετα. Τούτοις γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα κατ' οὐδένα κεκοινώνηκε λόγον· εἰ μή πού τις φαίη κατὰ τὴν ἀγαθοπρεπῆ, καί φιλάνθρωπον βούλησιν, καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν ὑπερκειμένην, καὶ ἄῤῥητον θεουργίαν, ἣν δέδρακε καθ' ἡμᾶς γεγονὼς ὁ ἀναλλοίωτος, ᾗ Θεὸς, καὶ Θεοῦ Λόγος.

(3) MAXIM. in cap. 2. de Div. nom. pag. 147. Καὶ ὅτι ἀνθρωπικὴ αὐτοῦ ἐστι θεουργία, πάντα τὰ ἐν τῇ οἰκονομίᾳ. Καὶ ὅτι οὐκ ἐκοινώνησεν εἰς ταῦτα ὁ Πατὴρ, οὔτε τὸ Πνεῦμα ἅγιον, εἰ μὴ τῇ εὐδοκίᾳ, καὶ βουλήσει τῆς σαοκώσεως, καὶ εἰς τὸ συνεργάζεσθαι τῷ Υἱῷ Θεῷ τὰς θεοσημείας.

[1] Cap. 4. — [2] Ib. c. 9. — [3] Cap. 3. et seq. tom. 10.

[4] Phil. Carp. tom. 1. Bib. col. 190. A.

in id quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati : quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est, id est, ut filius Dei, et filius hominis unus sit Christus. » Auctor libri Quæstionum ex novo Testamento, in appendice tomi quarti Augustini, eamdem quæstionem proponit ; eique non dissimili modo respondet, quæstione 52. Vide Theodorum Abucaram opusculo quarto [1].

VIII. Anselmus in libro de incarnatione Verbi, clerici nescio cujus sophisticam cavillationem proponit, ac refellit, qui sic argutabatur [2] : « Si in Deo tres personæ sunt una tantum res, et non sunt tres res, unaquæque per se separatim, sicut tres angeli, aut tres animæ ; ita tamen ut potentia, et voluntate sint idem ; ergo Pater, et Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus. » Quod insulsum magis commentum, quam astutum, latissime diluit, atque elidit Anselmus.

Ac primum [3] declarat, non magis in incarnati Verbi negotio, quam in reliquis, quæ ad Christianum dogma Trinitatis attinent, consequentem ex illa collectione labem valere ad fidei perniciem. Etenim vis illius argumenti ab eo fundamento proficiscitur ; non posse de eadem re affirmari aliquid et negari ; ac proinde si tres personæ sunt una res, fieri non posse, ut dicatur eadem res incarnata, et non incarnata. At eodem modo concludemus, quidquid est Pater, id omne esse Filium : et quod de illo dicitur, etiam de altero dici. Ex quo sequetur, si Filius sit filius, Patrem itidem esse filium, et Filium esse patrem : ut, quod in Athanasii symbolo rejicitur, *tres sint Patres, tres Filii, ac tres Spiritus sancti.*

IX. Nos de *rei* vocabulo in tomo secundo disputavimus [4], ac tres personas unam esse rem absolutam, secundum essentiam ; relativas tres, secundum personas, ostendimus. Quare, ut Anselmus argumentatur [5] : « Cum Filius non assumpserit hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ, etc. Si Filius incarnatus est, et Filius non est una, et eadem persona, quæ Pater est, sed alia ; non idcirco esse Patrem incarnatum necesse est. »

Quamvis enim persona Filii ab essentia communi reipsa non differt ; ratione tamen, et ἐπινοίᾳ distat : quo fit, ut quædam de una dicantur, quæ affirmari de altera nequeunt : ut in primo tomo declaratum est [6].

Fulgentius in libro de fide ad Petrum, capite secundo, solum Filium secundum carnem esse natum ; non autem Patrem, ex eo probat, quod alioqui « proprium in illa Trinitate non esset solius Patris, quia non est natus ipse, sed unum Filium genuit : neque proprium solius Filii, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est, etc. » Quæ ratio absolute, et universe non concludit. Nam proprietas illa personalis, quæ Patrem constituit, non temporalem originem, sed sempiternam excludit.

Postremo quæ de Patripassianis in primo libro memoravimus [7], huc referri debent, et iisdem ex principiis confutari illorum hæresis. De qua vide quæ Ferrandus habet diaconus in epistola ad Severum [8].

CAPUT QUINTUM.

De causa Incarnationis, quam *finalem* vocant, seu moventem, qua impulsus est Deus, ut tantum beneficium præstaret. Ea trifariam declaratur. Primum enim, ad Deum ipsum refertur : cujus proprietates, et ornamenta multum in Incarnatione splendoris accipiunt : veluti bonitas, misericordia ; quæ quatenus in Deo sit, docetur. Item veritas, sapientia, justitia. Abaelardi stulta opinio, hominem negotio [illegible] potestati fuisse subjectum, et ab ea liberatum. Quemadmodum diabolus illusus sit. Potentia divina per Incarnationem illustrata : necnon providentia.

I. Quo et quisque sapientior est artifex, et perfectius molitur opus, eo dum agit nobiliorem in finem intuetur. « Nihil autem mirabilius inter omnia, quæ facta sunt, sive in cœlo, sive in terra, quam id, quod Deus dignatus

[1] Abuc. tom. 11. Bibl. PP. col. 192. — [2] Ansel. lib. de Incarn. c. 7. — [3] Id. c. 3. p. 36. — [4] Lib. 4. c. 3. § 13. — Ansel. lib. de Incarn. c. 4. p. 38. C.

[6] Lib. 1. c. 10. § 7. et seq. et l. 2. c. 3. — [7] Cap. 5. — [8] Tom. 3. Bibl. PP. col. 335. et seq.

est concipi, vel nasci de fœmina, » ait Rupertus [1]. Cui Bernardus assentiens ea, quæ in Incarnatione gesta sunt, « ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia esse dicit, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram; » ut merito propterea sanctus Augustinus, *opus Dei* esse dicat, quod in Evangelio declaratur, *Verbum caro factum est*, ejusque testimonio illo nitens Remigius Antissiodorensis [2], quod Abacuc propheta significavit verbis istis capitis tertii, *Domine opus tuum*, etc. Itaque longe præstantissimum sibi finem ac scopum infinita sapientia proposuit, cujus gratia inauditum illud seculis omnibus divinitatis suæ specimen præberet. Ac generalis quidem operum omnium divinorum finis est et fructus, Dei ipsius gloria, nominisque claritas. Sed quibus eo pervenitur, et varii sunt, et alii aliis illustriores excellentioresque modi. Cujusmodi amplificandæ gloriæ suæ rationes dignitate pariter, ac copia præclariores illo in uno Dei opere, quam in ceteris omnibus existunt.

II. Hinc eleganter Gregorius Nazianzenus ad ea, quæ in Psalmo 67. sunt [3], alludens, *Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem*; et [4], *Iter facit ei qui ascendit super occasum :* hoc in Verbo carne facto esse completum, ita scribit : « (1) Quid igitur fit? et quod magnum illud est circa nos peractum mysterium ? Innovantur naturæ, et Deus homo fit : et qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem gloriæ suæ, ac splendoris, in occasu glorificatur vilitatis, humilitatisque nostræ. » Et Leo papa, « pulverem abjectionis nostræ corpus fecisse gloriæ suæ Dominum, » scribit in sermone secundo de Passione.

Verum eadem illa Dei gloria cum latissime, imo infinite pateat, et inexhaustam quamdam copiam orationi nostræ suppeditet, ne ultra quam necesse est pervagata in re moram agamus, qua poterimus brevitate quæ omitti minime debent persequemur. Ac tria sunt capita, quibus continentur omnia fere divinæ argumenta gloriæ, cujus in illo mysterio rationem habitam esse Scripturæ pariter, ac veterum theologorum auctoritas confirmat. Nam alia pertinent ad Deum ipsum; alia referuntur ad hominem; quædam diabolum respiciunt.

III. Quod ad Deum spectat, primum animadvertenda est natura ipsa, definitioque gloriæ; quam sic Augustinus [5] e Cicerone [6] tradit : *Gloria est frequens de aliquo fama cum laude.* Vel, ut idem alio in loco describit Cicero : *Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute.* Qua ex utraque definitione sequitur divinam in eo sitam esse gloriam, ut ea, quibus natura illius excellit, decora, et ornamenta quasi virtutum, illustrentur angelorum, hominumque notitia, et in celebri laude, ac claritate versentur. Ejusmodi sunt, quæ *attributa* vulgo nominantur : ut sunt bonitas, misericordia, potentia, justitia, sapientia, cetera denique, quibus divinum numen antecellit, et quorum ex fructu significationes ad inferiora, et procreata dimanant. Ut igitur illorum præcipua quæque perstringam,

In incarnatione Verbi, prima laus est, et commendatio divinæ bonitatis. Cujus proprium hoc est, in commune commoda sua conferre, ac sese in aliorum utilitatem communicando diffundere. Atqui nulla plenior, et largior, aut vero arctior est communicatio summæ illius bonitatis, quam quæ in suscipienda hominis natura spectatur, ubi non externa profusione, et efficientia beavit, ac locupletavit hominem Deus; sed utrumque ita copulavit ac devinxit, ut unus ex ambobus efficeretur, idem Deus, et homo Christus. Itaque constat, quod Rupertus scribit [7], « Nullum unquam opus bonitatis laude dignius fecisse Deum; ac tunc in isto bonum Deum sibi complacere veraciter potuisse, quando eum, qui Deus erat, propter charitatem suam hominem fieri, et pro hominibus pati voluit. »

IV. Hoc Apostolus beneficium divinæ præcipue bonitati acceptum referens, (2) *Quum autem benignitas, et humanitas,* inquit, *apparuit salvatoris nostri Dei, etc.* Atque hæc divinorum operum omnium « initium constituit : qua se Deus noluit in æternum latere, id est non esse aliquid cui Deus non cognosce-

(1) Nazianz. orat. 39. pag. 631. Τί γίνεται, καὶ τί τὸ μέγα περὶ ἡμᾶς μυστήριον ; καινοτομοῦνται φύσεις, καὶ Θεὸς ἄνθρωπος γίνεται. Καὶ ὁ βεβηκὼς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ κατὰ ἀνατολὰς τῆς ἰδίας δόξης τε, καὶ λαμπρότητος, ἐπὶ δυσμῶν δοξάζεται τῆς ἡμετέρας εὐτελείας, καὶ ταπεινότητος.

(2) Tit. 3. 4. Ὅτε δὲ ἡ χρηστότης, καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ.

[1] Lib. 1. de Oper. Spir. S. c. 14. tom. 1. p. 553. — [2] Rem. in c. 3. Ab. Tom. 1. Bibl. PP. col. 717. — [3] Ps. 67. 34. — [4] Ps. 67. 5.

[5] Lib. 83. quæst. 31. tom. 4. — [6] Cic. lib. 2. de Invent. — [7] Rupert. in Evang. cap. 14. tom. 1. p. 539.

retur, » ait Tertullianus [1]. Ideo cum hanc universitatis molem, tum hominem in ea condidit cognitorem, admiratorem, ac veneratorem suum : et eadem incitante bonitate, lapsum, ac perditum recreare, ac redimere voluit. « Hoc est enim proprium Dei potentis, ac veri, inexorata beneficia præbere fessis, atque invalidis rebus, et multiformi semper asperitate vallatis ; » ut scribit Arnobius [2]. Itaque « Deus omnipotens ac clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est; statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, » ait Leo [3]. Qui et hoc præclare [4], « Semper quidem, *ait;* diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit, et plurima providentiæ suæ munera omnibus retro seculis clementer impertiit : sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit; ut Verbum illud coæternum, et coæquale genitori, in unitate deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. »

V. Exornat hunc locum, et luculenta oratione tractat imprimis Athanasius : atque inter alia, « (1) Fuisse *ait* indignum bonitate Dei, ut quæ ab ipso facta erant, corrumperentur fraude, ac calliditate diaboli, qua homines circumvenerat. Tum minime omnium decebat, divinum in hominibus artificium oblitterari, sive ipsorum socordia; sive astu, et illusione dæmonum.» «(2) Quocirca revera maxime consentaneum erat bonitati Dei magnum illud opus. Nam si rex aliquis ædificium, vel urbem, cujus conditor fuisset ipse, incolarum negligentia ab latronibus oppugnatam neutiquam negligit, sed tanquam opus suum tuetur, ac liberat; non tam ad habitatorum ignaviam, quam ad id, quod se dignum est, respectum habens : multo magis optimi Patris Verbum Deus in corruptelam prolabens hominum, a se procreatum genus non contempsit. »

VI. Eadem bonitas, cum ad opem miseris ferendam, et sublevandas eorum calamitates extenditur, misericordia vocatur. Ea definitur a Basilio, (3) *Affectio quædam animi erga eos, qui immerito, et indignis modis affliguntur, quæ in illis oritur, qui commiseratione ducuntur.*

Quæ definitio cum illa convenit, quam affert Aristoteles in Rhetoricis [5]. Nec satis ad propositum nostrum quadrare videtur : non solum quia πάθος, id est *affectio*, sive *morbus animi*, cadere in Deum non potest : ut propterea misericordia commoveri non potuerit ad assumendam hominis naturam : sed etiam quod qualecumque illud est malum, quod homini acciderat, non immerito, sed sua culpa sustinebat. Verum facilis est ad ista responsio. Nam misericordia non similiter de Deo, ac de homine dicitur. In hoc, vere est *ægritudo* ex *alterius rebus adversis,* ut loquitur Cicero [6], ac quidam doloris affectus, quam Græci συμπάθειαν, Latini vulgo *compassionem* nominant. « Quid est autem misericordia, ait Augustinus [7], nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua utique, si possimus, subvenire compellimur ? » In Deo « secundum effectum est, ut ait sanctus Thomas [8], non secundum passionis affectum. »

VII. Quod ad alterum spectat, indignitas illa, ex qua misericordia oritur, non tam ex animo, vel merito patientis, quam ex conditione illius æstimatur : ut in eodem loco Basilius indicat. Sic enim quo quisque honoratior est, et altiore in gradu collocatus, vel opibus vitæque commodis affluentior, si ad summam egestatem, aut extremam calamitatem atque ignominiam redigitur, tanto miserabilior, ac misericordia dignior habetur, eoque indignus nomine, qui in tantam miseriam incurreret.

(1) ATHAN. lib. de inc. Verb. pag. 41. Οὐκ ἄξιον γὰρ ἦν τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα διαφθείρεσθαι διὰ τὴν παρὰ τοῦ διαβόλου γενομένην τοῖς ἀνθρώποις ἀπάτην. Ἄλλως τε καὶ τῶν ἀπρεπεστάτων ἦν, τὴν τοῦ Θεοῦ τέχνην ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἀφανίζεσθαι, ἢ διὰ τὴν αὐτῶν ἀμέλειαν, ἢ διὰ τὴν τῶν δαιμόνων ἀπάτην.

(2) Ibid. pag. 44. Πρέποι δὲ καὶ μάλιστα τῇ ἀγαθότητι Θεοῦ ἀληθῶς τὸ μέγα τοῦτο ἔργον. Εἰ γὰρ βασιλεὺς κατασκευάσας εἰκίαν, ἢ πόλιν, καὶ ταύτην ἐξ ἀμελείας τῶν ἐνοικούντων πολεμουμένην ὑπὸ λῃστῶν τὸ σύνολον οὐ παρορᾷ· ἀλλ' ὡς ἴδιον ἔργον ἐκδικεῖ, καὶ περισώζει, οὐκ εἰς τὴν τῶν ἀμελούντων ἀμέλειαν ἀφορῶν, ἀλλ' εἰς τὸ ἑαυτοῦ πρέπαν, πολλῷ πλέον ὁ τοῦ παναγάθου Θεὸς Λόγος Πατρὸς εἰς φθορὰν κατερχόμενον τὸ δι' αὐτοῦ γενόμενον τῶν ἀνθρώπων γένος οὐ παρεῖδεν.

(3) BASIL. in Psalm. 114. pag. 110. Ἔλεός ἐστι πάθος ἐπὶ τοὺς παρ' ἀξίαν ταπεινουμένους παρὰ τῶν συμπαθῶς διατιθεμένων γινόμενον.

[1] Lib. 2. contra Marc. c. 3. — [2] Arn. lib. 3. p. 144. — [3] Leo. Serm. 1. de Nat. — [4] Id. Serm. 4.

[5] Arist. 2. Rhet. c. 8. — [6] Tusc. 3. — [7] Aug. 9. de Civit. c. 5. — [8] In 1. Par. qu. 21. Art. 3.

Quo et Græcorum illa δείνωσις pertinet ἐξ οἵων εἰς οἷα, *ex quali fortuna in qualem reciderit*; quamvis alioqui vitio suo, ac merito eum statum assecutus sit, et pœnæ, ac supplicii loco patiatur. Hoc modo indignus erat homo tam acerba calamitate; quam etsi commeruerat, tamen miserandum id spectaculum erat, videre ex quo splendore, ac felicitate, in quæ mala, et incommoda ceciderat, aliena præsertim invidia, et calliditate dejectus. « (1) Quoniam itaque et nos, ait Basilius egregie ad hanc sententiam, in paradisi domicilio illo gloriosi et illustres eramus aliquando; ac subinde infames, et viles ruina et prolaptione nostra facti sumus, Deus noster miseretur, cum videt quales ex qualibus evasimus. »

Quamvis igitur omnia Dei opera, bonitate ac misericordia, eaque gratuita, contineantur, quæ a Christianis *gratia* proprie dicitur : ac vere scriptum sit apud Philonem Judæum, « (2) in Dei misericordia, cuncta velut in statione, et ancora consistere; » hoc tamen præcipue ad fructum illum gratiæ, et misericordiæ, ac bonitatis efficientiam pertinet, quæ tanto ceteris ejusdem misericordiæ operibus præstat, quanto infinitum finito, increatum creato, homini denique Deus antecellit. « Gratia itaque Dei, ut cum Augustino dicam [1], non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, et spem dilectionis suæ daret hominibus homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris. »

VIII. Jam vero « quia nec ratio sine bonitate ratio est, nec bonitas sine ratione bonitas, ut ait Tertullianus [2], nisi forte penes Deum Marcionis irrationaliter bonum : » idcirco non bonitas tantum, et misericordia, sed etiam ratio constare Deo debuit in illo incarnati Verbi beneficio. « Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio, vel modo, in omnes; vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati : quæ beneficia æque magna non sunt habenda, atque ea quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt [3]. » Quamobrem bonitati, ac misericordiæ comitem, ac velut consiliatricem Deus adhibuit rationem, hoc est prudentiam, sive sapientiam, et justitiam; quod utrumque *veritatis* nomine Scriptura comprehendit : ut cum ait [4], *Misericordiam, et veritatem diligit Dominus.* Et [5], *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas.* Tum [6], *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.*

Ad commendandam ergo, et nobilitandam sapientiam ac justitiam suam, homo fieri Deus voluit : in eoque ambæ admirabiliter operatæ sunt. Quem illarum, necnon ceterarum, consensum, et conspirationem, eleganti, ac diffusa oratione describit Gregorius Nyssenus, in Oratione catechetica.

IX. Imprimis capite vicesimo secundo, divinas omnes proprietates in Incarnatione incredibiliter eminere ait, ac splendescere : præsertim bonitatem, justitiam, potentiam. « (3) Tanquam bonus, *inquit*, misericordiam capit ejus qui ceciderat : et tanquam sapiens, non ignorat revocandi modum. Porro sapientiæ proprium est justi judicium. Nemo enim insipientiæ veram justitiam adscribat. » Mox quemadmodum justitia, et sapientia suas partes obierint, explicare pergit. Nimirum quod eam rationem tenuerit, ut non tyrannice ac pro potestate sua, solaque auctoritate, nos imperio ac juri dominantis eriperet : ac justæ defensionis, et querelæ occasionem aliquam ei relinqueret, qui voluptate illectum hominem in servitutem suam redegerat. Quemadmodum si quis ingenuus sponte se alteri vendiderit, fit ejus servus, nec vi seipsum illius potestati subtrahere, aut ab alio eximi potest : sed si pretio redimere ipsum aliquis velit, nulla lege prohibetur. Sic ergo postquam ultro nos servituti crudelissimi hostis addiximus, venit Dei Filius, sola ductus bonitate, ac misericordia :

(1) BASIL. loco cit. Ἐπεὶ οὖν καὶ ἡμεῖς ἡμέν ποτε ἔνδοξοι ἐπὶ τῆς τοῦ παραδείσου διαγωγῆς, ἐγενόμεθα δὲ ἄδοξοι, καὶ ταπεινοὶ διὰ τὴν ἔκπτωσιν, ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐλεεῖ, ὁρῶν ἡμᾶς οἵοι ἄνθ' οἵων γεγόναμεν.

(2) PHILO lib. de sacrif. Abel et Cain : Ἐν γὰρ τῷ τοῦ Θεοῦ ἐλέῳ τὰ πάντα ὁρμεῖ.

(3) GREG. Nyss. tom. 2. pag. 510. Οὐκοῦν ὡς ἀγαθὸς οἶκτον λαμβάνει τοῦ διαπεπτωκότος· καὶ ὡς σοφὸς οὐκ ἀγνοεῖ τὸν τρόπον τῆς ἀνακλίσεως. Σοφίας δ' ἂν εἴη καὶ ἡ τοῦ δικαίου κρίσις. Οὐ γὰρ ἄν τις ἀφροσύνῃ τὴν ἀληθῆ δικαιοσύνην προσάψειεν. Τί οὖν ἐν τούτοις τὸ δίκαιον, τὸ μὴ τυραννικῇ τινι χρήσασθαι κατὰ τοῦ κατέχοντος ἡμᾶς αὐθεντείᾳ, μηδὲ τῷ περιόντι τῆς δυνάμεως ἁρπάσαντα τοῦ κρατοῦντος, καταλιπεῖν τινα δικαιολογίαν (f. δικαιολογίας) ἀφορμὴν τῷ δι' ἡδονῆς καταδουλευσαμένῳ τὸν ἄνθρωπον.

[1] Aug. lib. 10. de Civit. Dei. c. 29. — [2] Lib. 2. con. Marcion. c. 6. Vide et c. 11.

[3] Cic. 1. de Off. — [4] Psal. 83. — [5] Psal. 24. — [6] Psal. 84.

et pro nobis pretium ejusmodi persolvit, quod nefarius ille emptor quam maxime optaret. Qui cum superbissimus, et dominandi cupidissimus esset, eum sibi subjicere potissimum cuperet, quem omnium, qui unquam extitissent, hominum præstantissimum, ex vita ejus, et miraculis judicabat.

X. « Venit igitur in hunc mundum dives, atque misericors negotiator cœli, et commutatione mirabili iniit commercium salutare, » ait S. Leo [1]. « Justus enim et misericors Deus non sic injuria suæ voluntatis est usus, ut ad reparationem nostram, solam potentiam benignitatis exerceret. Sed quia consequens fuerat, ut homo faciens peccatum, servus esset peccati [2], sic medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis justæ sententia, justo liberatoris opere solveretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quam potestas [3]. »

Quocirca [4] « sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ humilitatis objecit : meritoque omnium ille captivorum amisit servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. » Eusebius ille, qui Emissenus perperam nominatur, in homilia sexta de Paschate causam explicans, cur non Deus potentia, et virtute sua potius, quam humilitate mundum redemerit, eam ex justitia potissimum repetit; « Peccaverat enim primus homo suo vitio, et inobedientiæ lapsu, et propriæ voluntatis impulsu : seductus a diabolo, non coactus, etc. Conditio ergo humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, sed pretio. Potuit autem Filius Dei hostem humani generis et in cœlis positus, nutu ipso suæ divinitatis elidere. Sed ne quid tale, ut superius diximus, diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum justitiam suam, pro humano genere offerre hominem purum, et immaculatum. »

Sic Augustinus in libro 13. de Trinitate, ubi de ratione illa restituendi per Incarnationem hominis uberrime disputat, eamque congruentem præ ceteris, et aptissimam fuisse demonstrat [5], « Quadam *ait* justitia Dei in potestatem diaboli traditum esse genus humanum, peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commixtione nascentes originaliter transeunte, et parentum primorum debito universos posteros obligante. » Proinde [6], « Non diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius ? Aut cujus creaturæ potestas potestati Creatoris comparari potest ? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, et desertor, oppugnatorque justitiæ, etc. placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur, etc. [7] Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus ? Quæ nisi justitia Jesu Christi ? Et quomodo victus est ? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. »

Egregie illum eumdem suavissimum justitiæ, ac misericordiæ consensum declarat Ivo Carnotensis in sermone quodam, qui inscribitur, *Quare Deus natus, et passus sit*, in quo admirabiliter factum esse dicit, « ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est; nec insanabile, quia misericors est. » Tum hæc addit : « Si justus tantum esset, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, potuit sua fortitudine adversus seductorem humani generis contendere, et ovem perditam ad gregem reductam suo domino restituere. Sed hoc modo videretur eminentiam tantum ostendisse virtutis suæ, nec medicinalem misericordiam impendisse redemptis, etc. » Origenes vero homilia sexta in Exodum, pag. 47. recte illud exponit, quomodo et diabolus quadam pecunia sua, hoc est peccatis, emptos sibi nos in servitutem redegerit; et Christus postea sanguinis sui pretio redemerit.

XI. Negabat hoc Petrus Abaelardus [8], ut testatur Bernardus in Epistola 190. ubi hæc illius verba refert : « Sciendum est, ait, quod omnes doctores nostri post apostolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium, et potestatem habebat super hominem, et jure eum possidebat, ideo scilicet quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, sponte diabolo consensit. Aiunt namque quod si quis aliquem vicerit, victus jure victoris servus constituitur. Ideo, inquit, sicut dicunt doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo diaboli. Sed ut nobis videtur, ait, nec diabolus unquam jus

[1] Leo. Ser. 3. de Pass. — [2] Joan. 8. — [3] Id. Serm. 5. — [4] Id. Sermon. 11. — [5] Aug. 13. de Trinit. c. 12. — [6] Ib. c. 13. — [7] Ib. c. 14. — [8] Abael. apud Ber. col. 1554.

aliquod in homine habuit; nisi forte Deo permittente, ut carcerarius : nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit. » Hæc Abaelardus : quæ merito Bernardus acriter redarguit ; ac temeritatem et impudentiam argutuli sophistæ comprimit ; Scripturæ imprimis auctoritate, quæ diabolo potestatem, et dominatum tyrannicum in homines jugo illius sponte subjectos tribuit, ut cum [1] *princeps mundi* ab ipsomet Christo dicitur, et [2] *potestas tenebrarum.*

XII. Ex quibus ita concludit : « Discat ergo diabolum non solum potestatem, sed et justam habuisse in homines : ut consequenter et hoc videat, venisse utique in carnem Dei Filium propter liberandos homines. Ceterum etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen et voluntatem. Unde non diabolus, qui invasit ; non homo, qui meruit; sed justus Dominus, qui exposuit. Non enim a potestate, sed a voluntate justus, injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, juste tamen permissum. Sic itaque homo juste captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo. Juste igitur homo addictus, sed misericorditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia quædam in ipsa liberatione ; quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut, quod congruebat remediis liberandi, justitia magis contra invasorem, quam potentia uteretur. » Nimirum quod « cum innocenti manus injecit, justissime quos tenebat amisit, et ut satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit. » Quare « diabolum justitia magis, quam potentia vincere voluit, ut ait Guitmundus [3], justum enim erat, ut qui hominem vicerat, ab homine vinceretur. »

XIII. Irenæus quoque justitiæ partes suas in illa redemptione hominis assignat. « (1) Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. » Et alibi [4], « Quoniam injuste dominabatur nobis apostasia, et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contrà naturam, suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei Verbum, et non deficiens in sua justitia, juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quæ sunt sua redimens ab eo : non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea quæ non erant sua insatiabiliter rapiens ; sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quæ vellet : ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua Dei plasmatio deperiret. »

Paulinus item Nolanus in Epistola quarta, « Non ei majestate naturæ suæ, *inquit*, sed habitu nostræ congrediens, et nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ ; ut quoniam fœmina decepta, et dejecto per fœminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem, legibus mortis malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen ut æquissimo jure victoriæ vendicabat, tandiu potestas ejus valeret, donec interficeret justum, in quo nihil dignum morte posset ostendere, etc. Justissime itaque cogitur dimittere credentes in eum, quem injustissime occidit, etc. »

Sic Gregorius papa [5], « Dominus, *ait*, diabolum, quantum ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superavit. Ipse namque nos diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua, quasi juste tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propriæ voluntatis sponte sua factus est debitor mortis. Joannes quoque Damascenus, « (2) incusandi Dei, ac conquerendi occasionem habiturum fuisse diabolum *ait*, si suprema potestate ille usus esset ad liberandum hominem, quem victum tyrannico dominatu premebat. »

XIV. Sed illa, quæ ab antiquis commemorari solet, justitia, non exacta, neque proprie dicta cogitanda est ; tanquam jus quoddam penes diabolum fuerit, cujus rationem ducere oporteret. Verum quod peccati auctor, et princeps sit ille perpetuus Dei ac bonorum inimicus, ac Deo permittente, in sceleratos, ac reprobos dominatum, et regnum exerceat ; idcirco, ut peccati, sic diaboli servi, et captivi peccatores habentur, et in sacris litteris appellantur [6]. *A quo enim quis superatus est, hujus et servus est.* Quo illud Augustini referendum est ex

(1) IREN. lib. 3. cap. 20. apud Theodoret. dial. 2. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησε τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 18. Ἀλλ' ἦν ἐγκλήματος τῷ τυραννοῦντι ὑπόθεσις, ἄνθρωπον νικήσαντι, καὶ ὑπὸ Θεοῦ βιασθέντι.

[1] Joan. 14. — [2] Luc. 22. et Col. 1. — [3] Guit. tom. 6. Bibl. col. 168. D.

[4] Lib. 5. cap. 1. — [5] Lib. 17. Mor. cap. 18. vide et lib. 3. c. 11. — [6] 2. Pet. 2. 19.

libro de agone Christiano, capite primo : « Sed quia naturam, *inquit*, nostram deceperat, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa diabolus vinceretur, et quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret, etc. » Et mox : « Quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur : non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit; ut ei subjaceant, qui negligunt æternum Deum, et diligunt instabilia, et mutabilia. Radix enim est omnium malorum cupiditas, etc. Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet. »

Gaudentius Tractatu 12. « Diabolus, *ait*, hujus mundi princeps usurpatione dicitur, non natura. Etenim subducens humanum genus, ut derelicto Deo, ipsum Satanam per simulacra coleret manufacta, principatum violenter tenuit, et exercuit tyrannidem. » Hoc modo jus in illos aliquod acquirit diabolus, permissu Dei, ac velut mancipia pro arbitrio versat, et ad obsequendum sibi, hoc est ad majora perpetranda crimina, pene invitos adigit; nisi Dei opitulante gratia, infelix homo servitutem illam excutiat, et ad filiorum Dei libertatem aspiret. Quamobrem cum voluntate sua peccator diabolo se subjecerit, et in jus illius, ac dominationem, nulla vi ei adhibita, sponte transierit; negant veteres consentaneum fuisse, ut vi ac potestate Deus captivum hominem ex illius manibus extorqueret potius, quam ex æquo bonoque cum eo veluti contenderet. « Nam superbia hostis antiqui, ait Leo papa [1], non immerito sibi in omnes jus tyrannicum vindicabat; nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret originalem dedititii generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. » Et alibi [2], « In eo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. » Vide et Sermonem ejusdem octavum capite tertio.

Prosper in Confessione servitutem hanc, ejusque causam agnoscit hic verbis : « Istis quidem ipse me dedi, ait de dæmonibus loquens, et per letiferas voluptates pretium meæ perditionis accepi. Sed pacisci de me meo jure non potui. Habebam enim dominum, et meus non eram. » Eodem pertinet quod scribit Isidorus Hispalensis [3], « Omnis, *inquit*, voluntas diaboli injusta est : et tamen permittente Deo, omnis potestas justa. » Hanc ipsam æquitatem, ac jutitiam in humano redimendo genere servatam a Deo præclare confirmat Augustinus libro tertio de Libero arbitrio, capite 10. ubi de peccatis diaboli, et primi hominis disputat. « Servata est, *ait*, in utroque peccato justitia Dei punientis. Nam et illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat, ut ei, quem ceperat, non dominaretur, etc. » Deinde, « Verbum Dei, unicus Dei filius, diabolum, quem semper sub legibus suis habuit, homine indutus etiam homini subjugavit : nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ; ut quoniam fœmina decepta, et dejecto per fœminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem, legibus mortis malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen jure æquissimo vindicabat, tandiu potestas ejus valeret, donec interficeret justum : in quo nihil dignum morte posset ostendere, etc. »

Recte Origenes libro octavo contra Celsum, « (1) Ex legibus divinis, *ait*, nullus dæmonum ea, quæ sunt in terra, sortitus est : sed propter improbitatem ipsorum forte loca inter se partiti sunt, in quibus summa est notitiæ Dei, ac vitæ, quæ ex præscripto ejus instituitur, inopia : vel ubi ingens est eorum copia, qui alieni sunt a Deo. Fortassis etiam iidem illi dæmones, tanquam digni malorum hominum præsides, et punitores, ab hominum administratore Verbo constituti sunt, ut iis imperarent, qui seipsos vitiositati potius quam Deo subjicerent. »

Ergo Hilarius Arelatensis his consentanea, quæ hoc loco diximus, indidem collígit in homilia 4. de Paschate, « Conditio ergo humana, *inquit*, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda; sed

(1) ORIG. 8. cont. Cel. par. 411. Καὶ κατὰ νομου μὲν Θεοῦ οὐδεὶς εἴληχε δαίμων τὰ ἐπὶ γῆς· διὰ δὲ τὴν σφῶν παρανεμίαν, τάχα μὲν αὐτοῖς διείλοντο τοὺς τόπους, ἔνθα ἐρημία ἐστὶ γνώσεως Θεοῦ, καὶ τοῦ κατ' αὐτὸν βίου, ἢ ἔνθα πολύς ἐστιν ὁ τῆς θειότητος ἀλλότριος. Τάχα δὲ ὡς ἄξιοι τῶν πονηρῶν ἐπιστάται, καὶ κολασταὶ αὐτῶν, ὑπὸ τοῦ διοικοῦντος τὰ ὅλα Λόγου ἐτάχθησαν ἄρχειν τῶν ἑαυτοὺς ὑποταξάντων τῇ κακίᾳ, καὶ οὐ τῷ Θεῷ.

[1] Serm. 2. de Nativ. — [2] Id. Ser. de Nat.

[3] Isid. 3. sent. c. 5. sent. 4.

pretio. Potuit autem Filius Dei hostem humani generis et in cœlis positus, nutu ipso suæ divinitatis elidere. Sed ne quid tale, ut superius diximus, diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum justitiam suam, pro humano genere offerre hominem purum et immaculatum, etc.»

XV. Est et alia justitiæ ratio, quam in hoc negotio congruenter persecutus est Deus. Siquidem humano more, ac judicio, iniquus ille conflictus, et congressus haberi solet, in quo longe inferior viribus, cum valentiore adversario committitur. Sic [1] *iniquo pondere rastros*, et [2] *injustum fascem*, dixit Poeta. Hujusmodi autem pugna illa Dei cum diabolo fuisset, si præpotens ille, tanto imbecilliorem, potestate ac robore vincere, quam æquis armis oppugnare maluisset. Hunc locum Cæsarius pulchra, et laudabiliori, quam pleraque sunt scriptoris istius, oratione tractavit in Dialogo tertio. «(1) Nam si naturali robore utens advenisset, *inquit*, nihil admiratione facere dignum videretur Deus, cum apostata angelo congrediens. Imo e contrario istud in superbiam illum extulisset, tanquam Deo par cognitus esset adversarius. Merito itaque vilitate usus hominum, illius insolentiam depressit, et victoriæ trophæum ac titulum in nos transtulit.» Hæc supposititius Cæsarius, quæ ad illustrandam nostram hanc disputationem opportunissima sunt. Ad extremum vero Rupertus *justitiam Dei incarnationem esse Filii Dei, quæ in Evangelio revelatur*, alio sensu docet [3]. « Num parva est, *inquit*, hæc justitia Dei? Non parva, sed vere magna, et valde laudabilis, quia per illam incarnationem, dum fit ex semine David, justificatur Deus in sermonibus suis, implendo quod promisit, custodiendo quod juravit Deus verax, et fidelis.» Sed hæc non tam justitia est quam *veritas*, quam *veracitatem* vulgo nuncupant: aut etiam *fides*, quæ *fidelitas* appellari solet.

Sane « Veritas, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat, aut factum, aut futurum sit, ad jus naturæ,» hoc est ad quamdam justitiam, refertur a Cicerone [4]: ut observat S. Thomas [5]. Ac quemadmodum veritatem, hoc est decretorum Dei constantiam, asseruerit incarnatio Verbi, pluribus exponit Athanasius in libro de Incarnatione [6].

XVI. Non minus ad Dei sapientiam, ac potentiam illustrandam comparata est incarnatio Filii, qui et ipse *sapientia* et *potentia* dicitur. Ac sapientiam quidem incredibiliter commendat solers illa in recuperanda generis humani salute, et aptissime cogitata ratio, de qua proxime ante dixi, et plura postea commemoranda sunt, tum illud vero declarat, quod ad tanti operis molitionem, adminiculo, et instrumento usus est vili imprimis, et per sese minime omnium idoneo.

Est ea de re præclarus Theophili Alexandrini locus ex epistola Paschali sexta: « (2) Ut enim, *inquit*, præstantissimi artifices non solum in pretiosa aliqua materia artem suam cum admiratione omnium ostentant: sed vilem plerumque ceram, ac lutum quod solvitur arripientes, artis suæ in ea vim exhibent, eoque multo amplius collaudantur. Sic optimus omnium artifex, vivum, et efficax Dei Verbum, quod universitatem hanc mira ordinis concinnitate digessit, non pretiosa aliqua materia, hoc est cœlesti sumpto corpore, ad nos venit: sed in luto excellentiam suæ artis ostendit, dum ex luto formatum instaurat hominem.»

XVII. Fuit et hoc sapientiæ, quod objecta carne, velut esca quadam, et illecebra, potentissimum hostem captus ac devoratus cepit, et victum, fractumque potentia spoliavit. Hinc Gregorius papa Homilia 25. illud Jobi capite 40. de Leviathan hamo capto, ad Christum accommodans: « In hamo, *inquit*, esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius incarnatum Unigenitum misit. In quo et caro passibilis videri posset, et divinitas impassibilis

(1) Cæsar. dialog. 3. int. 132. tom. 11. bibl. PP. pag. 640. Εἰ γὰρ τῇ φυσικῇ ἰσχύϊ χρώμενος ἦκεν, ἔδοξεν ἂν μηδὲν ἀξιοθαύμαστον δρᾶν, Θεὸς πρὸς ἄγγελον ἀποστάτην ἀγωνιζόμενος· τὸ δὲ ἐναντίον, ἐπῆρεν ἂν μᾶλλον τὸν διάβολον εἰς ἀπόνοιαν, ὡς ἀνταγωνιστὴν Θεῷ γινωσκόμενον. Εἰκότως οὖν τῇ βροτῶν χρώμενος εὐτελείᾳ καθαιρεῖ αὐτοῦ τὸ φρύαγμα, καὶ τῆς νίκης τὸ τρόπαιον ἡμῖν περιποιεῖ.

(2) Theoph. cit. in Eph. conc. part. 2. act. 1. p. 269. Οἷα γὰρ τῶν τεχνιτῶν οἱ ἄριστοι οὐκ ἐν τιμίαις μόνον ὕλαις τὴν τέχνην ἐκφαίνουσι θαυμαζόμενοι· ἀλλ' εὐτελοῦς κηροῦ, καὶ πηλοῦ διαλυομένου πολλάκις ἐπειλημμένοι, τῆς ἐπιστήμης ἑαυτῶν ἐπιδεικνύουσι τὴν δύναμιν, πολλῷ μᾶλλον ἐπαινούμενοι· οὕτως ὁ πάντων ἀριστοτέχνης, ὁ ζῶν, καὶ ἐνεργὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, τάξεως ἁρμονίᾳ διακοσμήσας τὰ σύμπαντα, οὐχ οἵας τινὸς τιμίας ὕλης οὐρανίου λαβόμενος σώματος πρὸς ἡμᾶς ἀφίκται· ἀλλ' ἐν πηλῷ τὸ μέγα τῆς ἑαυτοῦ δείκνυσι τέχνης, τὸν ἐκ πηλοῦ πλασθέντα διορθούμενος ἄνθρωπον.

[1] Geor. 1. — [2] Geor. 3. — [3] Rup. lib. 4. de Vict. ver. Dei c. 21. — [4] Lib. 2. de Invent.

[5] In 2. 2. qu. 109. art. 3. — [6] Athan. p. 41.

videri non posset, etc. In hamo ergo ejus incarnationis captus est; quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis, etc. In hamo ergo captus est, quia inde interiit, unde momordit. Et quos tenebat mortales jure perdidit; quia eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem præsumpsit. » Vide Sermonem 75. appendicis tomi noni operum Augustini.

Eleganter ad eamdem mentem Gregorius Nazianzenus: «(1) Quoniam, *inquit*, vitii auctor ille callidus, invictum se esse putabat, postquam spe divinitatis inescaverat nos, ideo et carne objecta, velut esca, illectus est ipse : ut in illum, tanquam in Adamum incurrens, in Deum incideret : atque ita novus Adam veterem recuperaret, atque hoc modo carnis damnatio solveretur, dum mors morte perimitur. Ita qui consilio hominem deceperat, consilio vincitur, » ait Zeno sermone primo de Nativitate.

XVIII. At enim astute nihil decet agere sapientem et fortem, minimeque id justum videtur. « Nemo qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis, et malitia laudem est adeptus, » ait Cicero [1]. « Nihil enim honestum esse potest, quod justitia vacat, etc. Et scientia, quæ est remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda : » ut idem ex Platone refert Cicero. Præclareque Pacianus in Epistola secunda : « Fraus enim quasi vulpeculæ, vis autem leonis est : utrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna majore. »

Hanc sibi quæstionem, argumentationemque nectit, et objicit Gregorius Nyssenus in libro Catechetico, ac longa oratione dissolvit. Cujus eo summa deducitur; (2) Justitiæ esse, tribuere cuique quod meretur : sapientiæ vero, sic humanitatem, ac bonitatem cum illo ipso, quod pœnæ loco decernitur, miscere, ac temperare, ut ab neutro penitus aberret. (3) Cum igitur perennis humani generis hostis ad illius corruptelam, et exitium artes suas, et callida consilia converterit, Deus e contrario, utpote justus, bonus, et sapiens, ad ejus, qui perierat, recuperandam salutem, bono dolo est usus. Sed addit nescio quid, quod attentum ac cautum lectorem requirit. Nam illud artificium succurrentis homini, ac medentis Dei, in hostis ipsius utilitatem, et salutem vertisse scribit : quod Origenis lucernam olet; qui longo intervallo inventorem omnis mali diabolum in integrum restituendum esse docuit. Vide quæ de loco illo Gregorii Nysseni, ac nonnullis aliis diximus in tertio libro de Angelis [2]; ubi de sempiterna dæmonum pœna disputavimus.

XIX. De potentia, imo de omnipotentia divina proximum est ut agamus : cujus in illo mysterio decus, ac specimen extat, quantum in nullo ceterorum operum, ut Basilius gravi oratione prædicat. « (4) Non enim tantopere cœlum, *ait*, nec terra, neque marium immensitas, nec ea quæ degunt in aquis, aut in terris animantia, neque stirpes, nec astra, nec aer, nec annuæ tempestates, nec illa admirabili varietate distincta rerum universitas, excellentem vim Dei commendat; quantum illud unum, potuisse Deum, qui comprehendi ab nullo potest, citra passionem aliquam, per carnem cum morte congredi, uti propria passione nobis impatibilitatem tribueret. » Qui Basilii locus in Ephesina synodo recitatus est [3].

Pressius idem illud tractat, et inculcat Gregorius Nyssenus in libro Catechetico; ubi «(5) naturam omnipotentem ad humanæ naturæ vilitatem potuisse descendere, majus esse potentiæ *ait* argumentum, quam ingentia quæ-

(1) Naz. orat. 39. pag. 631. Ἐπειδὴ γὰρ ὤετο ἀήττητος εἶναι τῆς κακίας ὁ σοφιστής, θεότητος ἐλπίδι δελεάσας ἡμᾶς, σαρκὸς προβλήματι δεδεκται, ἵνα ὡς τῷ Ἀδὰμ προσβαλών, τῷ Θεῷ περιπέσῃ, καὶ οὕτως ὁ νέος Ἀδὰμ τὸν παλαιὸν ἀναιρώσηται, καὶ λυθῇ τὸ κατάκριμα τῆς σαρκὸς, σαρκὶ τοῦ θανάτου θανατωθέντος.

(2) Greg. Nyss. lib. Cat. cap. 26. pag. 515. Δικαίου μὲν γάρ ἐστι, τὸ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ νέμειν, σοφοῦ δὲ τὸ μήτε παρατρέπειν τὸ δίκαιον, μήτε τὸν ἀγαθὸν τῆς φιλανθρωπίας σκοπὸν ἀποχωρίζειν τῆς κατὰ τὸ δίκαιον κρίσεως, ἀλλὰ συνάπτειν ἀλλήλοις ἑκατέρους ἀρμοστέρα, etc.

(3) Ibid. p. 516. Ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ διαφθορᾷ τῆς φύσεως τὴν ἀπάτην ἐνήργησεν· ὁ δὲ δίκαιος ἅμα καὶ ἀγαθὸς, καὶ σοφὸς ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ καταφθαρέντος τῇ ἐπινοίᾳ τῆς ἀπάτης ἐχρήσατο.

(4) Basil. lib. de Sp. S. cap. 8. Οὐ γὰρ τοσοῦτον οὐρανός, καὶ γῆ, καὶ τὰ μεγέθη τῶν πελαγῶν, καὶ τὰ ἐν ὕδασι διαιτώμενα, καὶ τὰ χερσαῖα τῶν ζώων, καὶ φυτὰ, καὶ ἀστέρες, ὁ ἀὴρ, καὶ ὧραι, καὶ ἡ ποικίλη τοῦ παντὸς διακόσμησις, τὸ ὑπερέχον τῆς ἰσχύος συνίστησιν, ὅσον τὸ δυνηθῆναι τὸν Θεὸν τὸν ἀχώρητον ἀπαθῶς διὰ σαρκὸς συμπλακῆναι τῷ θανάτῳ, ἵνα ἡμῖν τῷ ἰδίῳ πάθει τὴν ἀπάθειαν χαρίζηται.

(5) Greg. Nyss. cap. 24. Catec. Πρῶτον μὲν οὖν τὴν παντοδύναμον φύσιν πρὸς τὸ ταπεινὸν τῆς ἀνθρωπότητος καταβῆναι ἰσχύσαι, πλείονα τὴν ἀπόδειξιν τῆς δυνάμεως ἔχει, ἢ τὰ μεγάλα τε, καὶ ὑπερφυῆ τῶν θαυμάτων, etc. ἡ δὲ πρὸς τὸ ταπεινὸν κάθεδος, περιουσία τίς ἐστι τῆς δυνάμεως, οὐδὲν ἐν τοῖς παρὰ φύσιν κωλυομένης.

[1] Lib. 1. de Off. — [2] Lib. 3. de Ang. c. 7. [3] Par. 1. p. 171.

libet, ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquid, et excelsum elaborare divinam potentiam, naturæ quodammodo consentaneum est, et consequens, etc. At vero delapsus ille ad id quod abjectum est, et humile, abundantia quædam est potentiæ, quæ nec in illis quidem, quæ sunt præter naturam, impediri potest. » Quemadmodum ignem sursum niti nemo miratur : eumdem vero si deorsum gravium corporum more ferri videamus, tum in admirationem rapimur. « (1) Sic ergo divinam præstantemque vim, ac potestatem non cœlestium globorum magnitudines, non siderum splendores, non ille ornatus universi, non perpetua rerum administratio adeo demonstrat, ut illa Dei ad naturæ nostræ imbecillitatem descensio. »

XX. Jure itaque Joannes Damascenus « (2) omnium novorum maxime novum illud » appellat, « quod solum novum est sub sole, per quod infinita Dei potentia manifesta fit. Quid enim majus est, quam Deum hominem esse factum ? » Sic Augustinus Epistola 5. « Quia ergo non oportebat, ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, et a mortuis in æternam vitam resuscitatus, et super cœlos exaltatus, potentius fortasse opus est, quam mundus. » Et Bernardus forti ac suavi, ut solet, oratione admirabilitatem divinæ in tanto mysterio potestatis illustrat [1]. « Tria opera, *inquit*, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem potuerunt conjungi. » Quæ singula deinceps eleganter, copioseque prosequitur. Hanc ipsam plane stupendam mistionem prædicat Gregorius Nazianzenus Oratione 39. « (3) Propterea miscentur, *inquit*, quæ misceri nequeunt; ac non solum nativitati Deus, et mens carni, et tempori quod expers est temporis, et mensuræ quod circumscribi non potest jungitur ; sed etiam virginitati generatio, ignominia et quod honore omni præstantius est, et passioni quod pati nihil potest, et corruptibili id quod immortale est, et incorruptum. »

XXI. Postremo uti suam in res creatas, hominemque præsertim, providentiam testatam faceret Deus, opus illud Incarnationis edidit, ut scribit Athanasius: Nimirum « (4) ut quoniam generalem illius in res omnes providentiam ignorabant homines, neque per creatas res prodentem se divinitatem ejus animadvertebant; saltem iis ex operibus, quæ per corpus efficiebat, videre possent, et sensum aliquem, ac notitiam Patris per ipsum caperent: ex particulari illius providentia, communem æstimantes, qua totam universitatem procurat. » Hæc Athanasius ad illa respiciens admiranda beneficentiæ, providentiæque Christi in miseros et calamitosos exempla, quæ in carne vivens, ac per carnem præbuit, cum corpora pariter, animasque sanaret, dæmones ejiceret, famelicos pasceret, atque hujus generis alia extraordinaria divinaque virtute præstaret, quibus singularem erga homines potissimum, ac per eos, in omnes a se conditas res, curam ac benignitatem suam ostenderet. « (5) Qui propter excellentem suum in homines amorem, carnis imbecillitatem non despexit, ait Clemens Alexandrinus, sed ea vestitus, ad communem salutem hominum venit, etc. Neque vero proprium opus aliquando negligere posset ; eo maxime quod soli ex omnibus animalibus homini, in creatione, Dei est indita cognitio. »

(1) Ib. Οὕτω καὶ τὴν θείαν τε, καὶ ὑπερέχουσαν δύναμιν, οὐκ οὐρανῶν μεγέθη, καὶ φωστήρων αὐγαὶ, καὶ ἡ τοῦ παντὸς διακόσμησις, καὶ ἡ δινηκὴς τῶν ὄντων οἰκονομία τοσοῦτον, ὅσον ἡ ἐπὶ τὸ ἀσθενὲς τῆς φύσεως ἡμῶν συγκατάβασις δείκνυσι.

(2) Damasc. lib. 3. cap. 1. Καὶ ἐπιτελεῖται τὸ πάντων καινῶν καινότατον, τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον· δι' οὗ ἡ ἄπειρος τοῦ Θεοῦ ἐμφανίζεται δύναμις. Τί γὰρ μεῖζον τοῦ γενέσθαι τὸν Θεὸν ἄνθρωπον ;

(3) Nazianz. or. 39. pag. 631. Διὰ τοῦτο τὰ ἄμικτα μίγνυται. Οὐ γενέσει μόνον Θεὸς, οὐδὲ σαρκὶ νοῦς, οὐδὲ χρόνῳ τὸ ἄχρονον, οὐδὲ μέτρῳ τὸ ἀπερίγραπτον, ἀλλὰ καὶ παρθενίᾳ γέννησις, καὶ ἀτιμία τὸ τιμῆς ἁπάσης ὑψηλοτέρῳ, καὶ πάθει τὸ ἀπαθὲς, καὶ τῷ φθαρτῷ τὸ ἀθάνατον.

(4) Athan. de Incarn. pag. 61. C. Ἵν' ἐπειδὴ τὴν ἐν τοῖς πᾶσιν αὐτοῦ πρόνοιαν ἠγνόησαν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ κατενόησαν τὴν διὰ τῆς κτίσεως αὐτοῦ θεότητα, κἂν ἐκ τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔργων αὐτοῦ, ἀναβλέψωσι, καὶ ἔννοιαν λάβωσι δι' αὐτοῦ τῆς εἰς τὸν Πατέρα γνώσεως, ἐκ τοῦ κατὰ μέρος εἰς τὰ ὅλα αὐτοῦ πρόνοιαν, ὡς προεῖπον, ἀναλογιζόμενοι.

(5) Clem. 7. Strom. pag. 506. Ὅσγε διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν φιλανθρωπίαν, σαρκὸς ἀνθρωπίνης εὐπάθειαν οὐχ ὑπεριδὼν, ἀλλ' ἐνδυσάμενος, ἐπὶ τὴν κοινὴν τῶν ἀνθρώπων ἐλήλυθε σωτηρίαν, etc. ἀλλ' οὐδὲ τοῦ ἰδίου ποτ' ἂν ἀμελοίη ἔργου, τῷ μόνῳ τῶν ἄλλων ζώων ἀνθρώπῳ ἔννοιαν κατὰ τὴν δημιουργίαν ἐνιστάχθαι Θεοῦ.

[1] Serm. 3. de Vig. Nat. Dom.

Plura de hoc argumento divinæ providentiæ, in incarnatione Verbi admirabiliter relucentis, disputavimus in octavo libro de Deo [1], cum providentiam divinam explicaremus.

CAPUT SEXTUM.

1. Finis duplex Incarnationis, quod ad hominem spectat, adjutorium, et magisterium. — 3. Quod ad primum attinet, venit filius Dei ad delendum peccatum. — 5. Ad peccatum porro expiandum tum originale, — 6. tum quod actuale vocant, præsertim idololatriam. — 7. Quod variis tentatis remediis curari non potuerat. — 9. Ad hanc scoriam detergendam divinitatis ignis adhibitus est. — 10. Ideo Jesus, et medicus vocatus est, — 12. et quasi artifex ad opus suum reficiendum venit. — 13. Venit etiam ut corruptelam et mortem extingueret : — 15. quam timere deinceps desiere sancti, — 16. et supplicium amplius non fuit. — 17. De diaboli tyrannide ante Christi adventum; — 19. et quomodo ad illam extinguendam Incarnatio comparata sit.

I. Nunc eadem Dei gloria, quam ex ipsomet æstimavimus Deo, ad hominem reflectenda est, qui secundum illum primarius est finis Incarnationis ; utpote in quem fructus ejus, utilitasque potissimum redundat. Finis itaque susceptæ a Deo carnis, quatenus hominis interest, duplex statui potest : cujusmodi ab Augustino præscribitur in epistola tertia ; magisterium, et adjutorium. « Venit, *inquit* [2], hominibus magisterium, et adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem. » Ac subinde magisterium tribuit in partes duas, præceptionem agendarum, vel fugiendarum rerum, et exemplum. Sic in sermone 4. de Natali Domini, « Duplex, *inquit*, principaliter causa est, ob quam Dei filius factus est filius hominis. Una est, ut secundum hominem omnia patiendo pro nobis, a peccatorum nos vinculis liberaret, etc. Altera, ut nos, quos sanguine suo redemit a vitiis, atque criminibus, non solum doctrinæ auxilio, et gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet : ut nos non modo præcipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem majore alacritate sequeremur. » Fulgentius in secundo libro ad Trasimundum [3] *exemplum* et *auxilium* ab Christo provenisse scribit : et ad alterutrum doctrinam reducit. Nam ita pergit : « Inquirendus ergo fuit unus, cujus esset reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute : ut æqualitas æterna justificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret invalidam. » Nec abludit Isidorus Hispalensis [4], ac qui ejus verba descripsit, Rhabanus Maurus [5]. Qui primam causam commemorant, « ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur. » Secundam, « ut securis hominibus vitæ magisterium præberetur. » Tertiam, « ut superbia seculi, et inflata sapientia per crucis stultam, ut putatur, prædicationem humiliata corrueret. » Harum trium causarum prima auxilium, sive adjutorium continet; secunda autem exemplum; postrema doctrinam.

Totidem Athanasius in libro de Incarnatione, fines, et effecta perstringit : ut cum ait, « (1) mortem, quæ acciderat hominibus, oblatione sui corporis extinxisse Christum: eorum vero negligentiam emendasse doctrina sua. » Et Joannes Damascenus, duo ista Redemptoris effecta notans, « (2) Oportuisse *ait* roborari, innovarique naturam, et opere ipso tanquam a pædagogo, monstrari, ac doceri virtutis viam. » Ita Gregorius papa [6], « Ad hoc, *inquit*, apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, et exemplo præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. »

II. De Christi nece, ac cruciatu dicuntur ista præsertim a veteribus ; sed non minus Incarnationi congruunt : cujus « causa est crux, » ait Proclus Constantinopolitanus citatus a

(1) ATH. de Incar. pag. 44. Ἀλλὰ τὸν μὲν συμβεβηκότα θανατον ἀπεπειρᾶτο διὰ τὴς προσφορᾶς τοῦ ἰδίου σώματος· τὴν δὲ ἀμέλειαν αὐτῶν διωρθώσατο τῇ ἑαυτοῦ διδασκαλίᾳ.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 1. Ἔτι δὲ νευρωθῆναι, καὶ ἀνακαινισθῆναι τὴν φύσιν, καὶ ἔργῳ παιδαγωγηθῆναι, καὶ διδαχθῆναι ἀρετὴς ὁδον.

[1] To. 1. lib. 8. c. 3. § 10. — [2] Aug. p. 5. D. 2. — [3] Cap. 2. — [4] Lib. 2. de Eccl. Off. c. 29. — [5] Lib. 3. de Inst. Cler. c. 37. — [6] Greg. 21. Mor. c. 5.

Joanne Maxentio [1] : et Athanasius libro de Incarnatione, « (1) mortis obeundæ gratia præcipue venisse illum » asserit. « Ad hoc enim descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde humana susciperet membra, quæ traderet cruci, et mortem induceret antiquo draconi, » ait Augustinus sermon. 14. de Tempore. Et auctor libelli de Spiritu sancto, qui in calce operum Ambrosii legitur [2], « Accepit, *inquit*, formam servi non aliam ob causam, quam ut per eam pro salute diligentiam, et pati, et mori posset. » Idemque docet Hippolytus in fragmento secundo, contra Beronem et Helicem in Collectaneis Anastasii. Tum Cyrillus in epistola ad Monachos [3], quæ est in parte 1. concil. Ephes. necnon Vigilius libro primo cont. Eutychen [4], et Epiphanius in Ancorato, sect. 95. Quocirca finis idem ille duplex Incarnationi tribuendus est, et a nobis hoc loco considerandus; initio ab eo facto, quem posteriorem posuimus, quod est adjutorium. Hujus necessitas ab hæreticis negata, Pelagio, et Celestio, ab Scripturis sanctis, sanctisque synodis, et Patribus pari consensu ac pietate defenditur. Nec illud agitur modo, potuerit necne Deus aliter, quam Filii sui nativitate, ac morte humano generi remedium afferre : de quo paulo post dicam. Sed hoc solum tanquam certum sumitur; qualicumque modo necesse fuisse succurrere, nec sine auxilio aliquo divino, homines ab illa labe, et calamitate liberari potuisse, quam et primi culpa parentis, et privata sibi quique consciverant.

III. Cujus expiandæ gratia jussum a Patre venisse Dei filium universæ ita Scripturæ prædicant. *Venit enim,* ait de seipso loquens Christus [5], *filius hominis salvare quod perierat.* Et Apostolus [6], *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Tum alibi [7] : *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne.*

Eodem spectant et illæ parabolæ [8], pastoris, nonaginta novem relictis ovibus, ad centesimam recuperandam euntis, et inventam humeris suis reportantis : tum mulieris amissam drachmam sollicite requirentis : et alia id genus. *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret,* ait Joannes [9]. Et [10], *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Hoc ipsum Nicæni concilii, et aliorum fidei formulæ declarant. (2) *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est.*

Itaque generalis hic scopus, ac finis adventus Christi et Incarnationis fuit, quem pulchre commendat Athanasius de illa ipsa Incarnatione disputans : « (3) Nostra, *inquit*, causa occasionem illi descendendi præbuit, et nostra transgressio Verbi divini humanitatem elicuit : adeo ut ad nos veniret, et appareret inter homines Dominus. Illius enim incorporationis nos causam dedimus. »

IV. Verum Cyrillus Alexandrinus generalem hunc fructum finemque missi ad auxilium nostrum Unigeniti filii, distinctius enarrat. Imprimis « (4) unam et maxime generalem Incarnationis causam » ab Apostolo Paulo traditam esse scribit, cum ait [11], *Placuisse Deo, et Patri instaurare omnia in Christo.* Deinde instaurationis istius modos singillatim ab eodem apostolo propositos trifariam partitur. Nam et peccati damnandi, extinguendique gratia venisse Christum, ex capite octavo epistolæ ab Romanos demonstrat : quem locum paulo ante posuimus : et eumdem [12] *communicasse carni ac sanguini, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum:* et [13] *in propria venisse* denique, *ut qui eum reciperent, potestatem haberent filios Dei fieri.*

Quo ex Cyrilii loco duo conficiuntur genera,

(1) ATHAN. pag. 52. Ὠφείλετο γὰρ πάντως, ὡς προεῖπον, ἀποθανεῖν δι' ὃ μάλιστα καὶ ἐπεδήμησεν.

(2) Symb. Nic. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. Eadem paucis additis habet Constantinop. symb.

(3) ATHAN. lib. de Incarn. pag. 40. Ἡ ἡμῶν αἰτία ἐκείνῳ γέγονε πρόφασις τῆς καθόδου· καὶ ἡ ἡμῶν παράβασις τοῦ Λόγου τὴν φιλανθρωπίαν ἐξεκαλέσατο, ὥστε καὶ εἰς ἡμᾶς φθάσαι, καὶ φανῆναι τὸν Κύριον ἐν ἀνθρώποις. Τῆς γὰρ ἐκείνου ἐνσωματώσεως ἡμεῖς γεγόναμεν ὑπόθεσις. Vide et orat. 3. con. Arian. pag. 228. D.

(4) CYRIL. 9. in Joan. pag. 819. Οὐκοῦν μίαν μὲν ὥσπερ ἀληθῆ τε, καὶ γενικωτάτην αἰτίαν τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς ὁ σοφὸς ἡμῖν ἐξηγούμενος Παῦλος ἔφασκεν· εὐδόκησε γὰρ ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ.

[1] Lib. de Chris. Prof. tom. 4. Bibl. PP. col. 437. — [2] To. 5. Ambr. col. 522. — [3] In Ephes. Conc. p. 18. — [4] Vig. 1. cont. Eut. tom. 4. Bibl. PP. col. 496. E. — [5] Matt. 18. 12. et Luc. 19. 10.

[6] 1. Tim. 1. 15. — [7] Rom. 8. 3. — [8] Matt. 18. et Luc. 15. — [9] 1. Joan. 3. 5. — [10] Ibid. ver. 8. — [11] Eph. 1. 10. — [12] Heb. 2. 14. — [13] Joan. 1.

et quasi capita benefactorum Dei, quæ per incarnationem in nos divini Verbi derivata sunt. Alterum mala complectitur, quibus liberati sumus. Alterum, bona, quæ ex eodem illo fonte profluxerunt.

V. In priori genere, princeps illud est, eminetque præ ceteris, quod ante significavimus, extinctio ac deletio peccati, et naturæ nostræ repurgatio. Duplex porro peccatum est; unum commune, et ab origine contractum : alterum cujusque privatum, et voluntate commissum. Ad originalem abstergendam maculam venisse Christum, constans est Ecclesiæ dogma, et catholicorum omnium doctorum, qui Pelagianam hæresim oppugnarunt, in hoc potissimum incumbentem, talis ut peccati, adeoque remedii ejus causa comparati, memoriam omnem funditus aboleret. Præivit ad hanc pestem erroris opprimendam Augustinus quamplurimis in libris, et sermonibus. Ex quibus insignis ad rem nostram maxime est locus ex octavo sermone de verbis Apostoli. In quo tum universe causam, finemque proponit Incarnationis, peccatorum salutem : tum originalis, etiam in parvulis, culpæ remissionem [1]. « Humanus, *inquit*, sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere; magnos, pusillos, peccatores salvos facere. » Mox de infantibus ita pertexit : « Qui dicit infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum. Qui dicit, inquam, infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus in ea, nihil aliud dicit, quam Christum Dominum fidelibus infantibus, id est in Christo baptizatis infantibus non esse Jesum. Jesus enim quid est? Interpretatur Jesus, Salvator. Salvator est Jesus. Quos non salvat non habendo quod in eis salvet, non est illis Jesus. »

Agit de hoc argumento late idem Augustinus in epistola 79. et 105. et inter alia [2] : « Sinant, *inquit*, filium hominis in qualibet ætate quærere, et salvum facere quod perierat. » Tum in lib. 3. de Peccatorum meritis et remissione [3], et de Baptismo parvulorum : et Fulgentius in libro de Incarnatione, cap. 7.

VI. Nec minus alterum peccati genus, quod *actuale* vocare solent, benigni Salvatoris præsentiam, opemque flagitabat, quod præter modum ingravescens, ac nova in dies incrementa capiens, universum occuparat, atque oppresserat hominum genus. Describit hanc illorum cladem et calamitatem summa gravitate et ubertate orationis Athanasius, ex quo pauca illa decerpam. « (1) Homines in delictis suis, *inquit*, intra certos limites minime constiterant : sed paulatim longius progressi, tandem in infinitum excurrerant. Nam ab initio inventores nequitiæ facti sunt, eaque re mortem et corruptelam sibi conciliarunt. Postea in injustitiam delapsi, iniquitatem omnem excesserunt : nec uno mali genere contenti, novis nova cumulabant : sic ut eos nulla peccandi satietas caperet. » Subjicit varia criminum, ac flagitiorum genera, quæ publice privatimque toto orbe grassabantur; quæ initio epistolæ ad Romanos exponit ac deplorat Apostolus. Horum caput erat ἡ θεόπλανησία, ut eam vocat Athanasius alio in loco [4]; hoc est « error in falsa constituenda, et colenda divinitate, » quam *idololatriæ* vocabulo comprehendunt. Ad quam radicitus evellendam, atque extirpandam præcipue Christus advenit.

VII. Hanc ipsam naturæ nostræ corruptelam, et effusam in omnia scelera licentiam hominum, imprimis autem veri Dei inscitiam, cultumque dæmonum, ac superstitionem ubique disseminatam, expendit Dorotheus abbas in Doctrina prima : eamque fuisse necessariam causam asserit, propter quam missus est Christus.

Cum enim Deus ad comprimendam pestem illam, ac perniciem, varia tentasset adhibuissetque remedia; imprimis vero legem per Moysem edidisset : qua de uno venerando Deo, deque ceteris officii partibus præcepta dederat : plurima quoque per prophetas monita, et documenta contulisset; ac non verbis solum, sed etiam exemplis, et factis improbitatem, ac petulantiam hominum coercere studuisset; nihil, vel parum admodum, iis profectum sentiens, « (2) tandem filium suum unigeni-

(1) ATHAN. de Incar. pag. 40. et seq. Καὶ γὰρ καὶ ἐν τοῖς πλημμελήμασιν οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἄχρις ὅρων ὡρισμένων εἱστήκεισαν, ἀλλὰ κατ' ὀλίγον ἐπεκτεινόμενοι, λοιπὸν καὶ εἰς ἄμετρον διωλίσθησαν· ἐξ ἀρχῆς εὑρεταὶ τῆς κακίας γενόμενοι, καὶ καθ' ἑαυτῶν τὸν θάνατον προσκαλεσάμενοι, καὶ τὴν φθορὰν, ὕστερον δὲ εἰς ἀδικίαν ἐκτραπέντες, καὶ παρανομίαν πᾶσαν ὑπερβάλλοντες, καὶ μὴ ἐνὶ κακῷ ἱστάμενοι, ἀλλὰ πάντα καινὰ καινοῖς ἐπινοοῦντες, ἀκριβῶς περὶ τὸ ἁμαρτάνειν γεγόνασιν.

(2) DOROTH. tom. 11. bib. PP. pag. 749. Τότε λοιπὸν ὁ ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς πέμπει τὸν μονογενῆ αὐτοῦ Υἱόν. Θεοῦ γὰρ ἦν μόνον τὸ ἰᾶσθαι καὶ περιγενέσθαι τοιούτου πάθους.

[1] Aug. Serm. 8. de verbis Ap. c. 5. ex 1. Tim. c. 1. Vide et c. 7. et 8. Aug. et Serm. 14. de Temp.

[2] Aug: ep. 105. p. 179. B. ex Lucæ c. 19. — [3] Præsertim cap. 4. et seq. — [4] Orat. 3. pag. 196.

tum misit in terras. Quippe Dei solius erat, tantum tamque penitus diffusum malum sanare, ac pervincere, » ut idem ait Dorotheus. Similis est Athanasii, et in idem conspirans oratio in eodem illo de Incarnatione libro [1]. Ibi prolapsis in pessima quæque mortalium studiis, ac moribus non defuisse Numinis providentiam ait, quo minus iis consuleret, ac quibus par erat modis et rationibus ad salutaria et honesta revocaret. Primum conditarum usu rerum, et aspectu ad auctoris notitiam, ac cultum et amorem allicere studuisse; cœli, solis, ac reliquorum siderum, terræ, maris, elementorumque omnium, ac corporum: quorum ex mirabili concentu, et in unum consentiente varietate deprehendere, ac nosse poterant artificem Dei sapientiam. Sed cum frustra hæc expertus esset, legem et prophetas, vivos scilicet pro multis præcones, doctoresque submisisse. Quod cum nihilo felicius respondisset, tum demum filium Dei necessario descendisse. Hæc latius ibidem Athanasius. Locum hunc egregie pertractat Joannes Chrysostomus in libro, quem ad eos scripsit, qui scandalo erant affecti [2]; ubi divinam erga homines curam, ac sollicitudinem et innumera in eo beneficia pulcherrime describit. Legendus et Theodotus Ancyranus in oratione de natali Domini [3].

VIII. Jobius monachus apud Photium eamdem dilatæ Incarnationis causam explicat. « (1) Cum, *inquit*, omnem aliam medendi viam frustra esset expertus, (nam et prophetæ, et concionatores, et stupenda prodigia, et beneficia, minæ, supplicia, tam particulatim, quam per totum orbem diffusa præcesserant,) quoniam nihil ex iis humanum genus ad hoc, ut in melius converteretur, utilitatis ceperat; verum morbus ipse progressum in deteriora fecerat; tunc necessitate quadam, et ut consentaneum erat, vel potius inexplicabili quadam abundantia bonitatis, Verbum, assumpta carne, magistrum se, ac doctorem, et instauratorem de voluntate Patris, et cooperante sancto Spiritu introducere voluit. Quæ quidem accuratis rei contemplatoribus fuisse causa videtur, cur in novissimis diebus, et non ab initio, Verbum in carnem exinanitum fuerit: sed ita potius res transacta sit, ut omni cura, et providentia prius impensa, cum eam repudiassent ii, quibus consulebatur, tum demum postremis temporibus per sese naturam nostram recuperare decreverit. » Sic Paulinus episcopus Nolanus Panegyrico de obitu Celsi idipsum cecinit versibus istis [4],

Multa mihi dederat prius et promissa salutis,
Et præcepta, quibus per bona dirigerer.
Sed quia nec legis posito medicamine, primi
Inveterata patris vulnera dilueram:
Et neque præmissis divino ex ore prophetis
Expectare Dei munera credideram:
Et genus humanum passim sine lege fidei
Desperata salus merserat in tenebras,
Reguabatque simul peccatum in corpore nostro,
Mors in peccato, dæmon in interitu,
Captivumque hominem tristis metus, et miser error
Altius in mortem præcipitare dabant,
Interea Pater ipse polo miseratus ab alto,
Errantum lapsus pestiferos hominum,
Serpentemque truci dominantem in morte cadentum,
Non tulit, et natum misit ad omne bonum.

Vide reliqua: in quibus fusissima narratione omnia per Christum illata commoda describit.

IX. Joannes item Damascenus, post circumventum, et irretitum peccatis hominem, Deum narrat multiplici remedio conatum esse lapso, afflictoque succurrere: velut pœnarum insignibus exemplis, diluvii, confusi sermonis, et dissipatæ post linguarum multiplicationem posteritatis Adami: incendiorum post hæc, ac bellorum, et cædium. Exinde legem, et prophetas ad eamdem frænandam, et castigandam impunitatem scelerum obtulisse Dominum, non eo tamen, qui sperari inde poterat, eventu. Ideo mundi et hominis opificem ipsum necesse fuisse hominem inter homines versari, ac per sese desperatam recuperare salutem. Leges eadem et apud alios innumeros: velut Andream Cretensem homilia de Annuntiatione [5]: necnon Isidorum Hispalensem [6]: qui non

(1) Jobius apud Phot. cod. 222. pag. 303. Πάσης γὰρ ἄλλης μεθόδου προκαταλυθείσης (καὶ γὰρ Προφῆται, καὶ δημαγωγοὶ, καὶ ὑπερφυῆ τέρατα, εὐεργεσίαι τε, καὶ ἀπειλαὶ, καὶ τιμωρία τοῦτο μὲν ἐπὶ μέρους, τοῦτο δὲ καὶ παγκόσμιον) ἐπεὶ τὸ ἀνθρώπινον τὴν πρὸς τὰ κρείττω μεταβολὴν οὐκ ἠσπάσατο, τὸ δὲ νόσημα πρὸς τὸ ἀνίατον μᾶλλον ἐχώρει· κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, καὶ ἀκόλουθον, μᾶλλον δὲ ἀῤῥήτῳ φιλανθρωπίας πλούτῳ, ἑαυτὸν ὁ Λόγος, σάρκα προσλαβὼν, καθηγητὴν καὶ διδάσκαλον, καὶ ἀνακαινιστὴν, εὐδοκίᾳ Πατρὸς, καὶ συνεργίᾳ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἰσηγήσατο. Ὅ καὶ αἴτιον τοῖς φιλοθεάμοσιν ὁρᾶται τοῦ ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν, καὶ μὴ ἐξ ἀρχῆς, εἰς σάρκα τὸν Λόγον ἐκκενωθῆναι· ἀλλὰ πάσης σπουδῆς, καὶ προνοίας ἡγησαμένης, εἶτα ταύτην οὐ προσδεχομένων τῶν προνουμένων, οὕτω λοιπὸν καιροῖς ἐσχάτοις δι' αὐτοῦ τὴν ἡμῶν σύσιαν ἀνασώσασθαι.

[1] Athan. p. 46. — [2] Cap. 7. et 8. — [3] Part. 3. Eph. Synod. Tomo 2. Concil. p. 534. et seq.

[4] Paul. p. 518. — [5] Pag. 15. — [6] Lib. 2. de Eccl. Off. c. 25.

multis verbis, accurate tamen, omnia illa collegit, quæ de Incarnationis causa hucusque memoravimus. « Cujus, *inquit*, susceptæ Incarnationis causa hæc fuit. Postquam enim invidia diaboli parens ille primus spe seductus inani cecidit, confestim exul, et perditus in omni genere suo radicem malitiæ suæ, et peccati transduxit : crescebatque in malum vehementius omne genus mortalium, diffusis ubique sceleribus, et, quod est nequius omnium, cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, consulit verbo, lege, et prophetis, signis, plagis, prodigiis. Sed dum nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus filium, ut carne indueretur, et hominibus appareret, et peccatores sanaret. »

X. Quamobrem repurgandæ stirpis humanæ gratia, et ut peccato contractum vitium, ac corruptelam, (1) sic tanquam inhærentem, et immistam aureæ massæ scoriam ac fæcem, detergeret, ac decoqueret filius Dei, divinitatis suæ admovit ignem; et omni labe consumpta, nativam illi sinceritatem, integritatemque restituit; ut eleganter disputat Gregorius Nyssenus in libro Catechetico. Et Athanasius oratione illa, quæ quarta numeratur, adversus Arianos, carnem nostram, quæ orta de terra, rursus in terram dissoluta redibat, (2) *Verbificatam* (ita enim loquitur) fuisse scribit : et ex illo commercio, sordibus, ac maculis exutam omnibus, puramque redditam, in quamdam transisse novitatem.

Ideo Christum percurrisse ætates omnes, ut eas singillatim purgaret, ait Petrus Chrysologus. « Nascitur, *inquit*, Christus, ut nascendo corruptam redintegret naturam : infantiam suscepit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, ut unam perfectam, manentem, quam ipse fecerat, instauraret ætatem : portat hominem, ne jam cedere homo possit : quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem ; animatum humano spiritu spiritum vivificat in divinum ; et sic eum totum tollit in Deum, ut in eo quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ est, nil relinquat. » Cui simile quiddam apud Bernardum legisse memini. Irenæus quoque [1], « Quamobrem per omnem, *inquit*, venit ætatem, omnibus restituens eam, quæ est ad Deum, communionem. » Huic est conforme, quod Gregorius Nyssenus disputat libro tertio adversus Eunomium, Christum (3) ideo carnem assumpsisse, ut totam per primitias massam sanctificaret.

XI. In hunc intenta finem, et officium *Mediatoris*, ut Scripturæ loquuntur, Christiana vetustas, medici partes attribuit Christo Domino, indidemque nomen impositum esse dixit τοῦ Ἰησοῦ : « (4) propterea quod ad curandas, et medicina sanandas hominum animas advenit, » ut scribit Eusebius. Sic auctor commentarii in Lucam, qui vulgo Titus Bostrensis inscribitur, « (5) merito Jesum appellatum esse » dicit, « qui ad salutem venit generis nostri. Quippe nomen illud in græcam linguam translatum, Dei salutem, et sanationem exprimere. » Epiphanius quoque « (6) Ἰησοῦν hebræa lingua idem esse ac curatorem, sive medicum, ac servatorem » asserit. Quem ad Epiphanii locum olim adnotavimus [2], nonnullos antiquorum nominis Ἰησοῦ notionem et originem e græco repetentes, ab eo quod est ἰάσασθαι derivasse, idque Cyrillo Hierosolymitano teste probavimus.

Ergo « quia ad medicum venire non poteramus, ait Augustinus [3], ipse ad nos venire dignatus est. » Imo « venit medicina in terram, » ut idem loquitur [4]. Qui et alibi [5], « Quanta bonitas, *inquit*, et potentia medici, qui de sanguine suo, insano interfectori suo medicinam fecit ? » Et Bernardus [6] : « Venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita venit. » Nec ita venit, ut transiret solum, ac perfunctoriam operam navaret [7], uti levites, ac sacerdos confossum

(1) Nyss. cap. 16. lib. Cat. pag. 516. Καθάπερ γὰρ τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης τῷ χριστῷ καταμιχθείσης τῇ διὰ τῶ πυρὸς δαπάνῃ τὸ ἀλλότριον τε, καὶ ἀπόβλητον εἰ θεραπευταὶ τοῦ χρυσίου καταναλώσαντες, πάλιν ἐπανάγουσι πρὸς τὴν κατὰ φύσιν καθαρότητα τὴν προτιμοτέραν ὕλην.

(2) Athan. pag. 276. Οὐκέτι ὡς γηΐνης, ἀλλὰ λοιπὸν λογωθείσης τῆς σαρκὸς διὰ τοῦ Θεοῦ Λόγου.

(3) Nyss. 3. cont. Eun. pag. 115. D. Καὶ ὅλον διὰ τῆς ἐν ἑαυτῷ ἀπαρχῆς συναγιάσῃ τὸ φύραμα.

(4) Euseb. lib. 4. de Demonst. evang. cap. 11. pag. 105. Οὕτω δῆτα ὁ Θεὸς ὁ Λόγος Υἱὸς ἀνθρώπου ἐλέγετο, καὶ Ἰησοῦς ὠνομάζετο, παρ' ὅσον τῆς τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν ἰάσεως τε, καὶ θεραπείας χάριν τὴν παρουσαν εἰς ἡμᾶς ἐποιεῖτο.

(5) Tit. Bost. tom. 13. bibl. PP. pag. 766. Δικαίως δὲ ἐκλήθη Ἰησοῦς ὁ ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ ἡμετέρου γένους ἐλθών. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦτο εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν μεταβαλλομενον Θεοῦ λέγεται σωτηρία, καὶ ἴασις.

(6) Epiph. hær. 29. § 4. Ἰησοῦ γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρὸς καὶ Σωτὴρ.

[1] Iren. lib. 3. c. 20. — [2] In animad. ad Epiphan. p. 53. — [3] Ser. 18. de Verb. Dom. c. 7. — [4] Id. Ser. 12. de Tempor. Tom. 10. p. 216. — [5] Id. Ser. 8. de Ver. Apost. c. 5. — [6] Bernar. Serm. 3. in Vig. Nat. — [7] Tit. Bost. in c. 10. Luc. Tom. 13. Bibl. PP. pag. 795.

ab latronibus calamitosum illum præterierunt; verum sedulo, et in hoc unum intentus, curationis nostræ, ac salutis negotium procuravit. « (1) Id enim legitimorum, et bene affectorum medicorum proprium est, ut familiariter cum ægris versentur, nec eos deserant, antequam sanitatem receperint. »

XII. « Ob hoc igitur (verba sunt Tertulliani [1]) missum Filium in similitudinem carnis peccati credimus, ut peccati carnem simili substantia redimeret, id est carnea, quæ peccatrici carni similis esset, quum peccatrix ipsa non esset. Nam et hæc erit Dei virtus, in substantia pari perficere salutem. Non enim magnum, si spiritus Dei carnem remediaret : sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. » Nimirum, ut, quod ex Gregorio Nazianzeno Dorotheus commendat, « (2) simile simili sanaret, ac proficeret, animam anima, carnem carne. »

« Mirabile, inquit Ivo Carnotensis [2], et incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, et ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decrevit infirmitate sanare. » Sic Petrus Chrysologus sermone 50. « Medicus qui non fert infirmitatem, curare nescit : et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. » De quo genere medicinæ memorandus ille locus est Gregorii papæ, libro Moralium 24. capite secundo : « Mos, *inquit*, medicinæ est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis : sæpe autem frigida calidis, calida frigidis sanare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, et quiddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit; sed ad peccatores justus : concordavit nobis veritate naturæ; sed discrepavit a nobis rigore justitiæ. Vitiosus enim homo non poterat corrigi nisi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat; ut præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat Deus : ergo homo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur, atque invisibilis Deus apparuit similis nobis homo visibilis : ut dum videretur ex simili, curaret ex justo : et dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obviaret ægritudini. » Augustinus tractatu tertio in Joannem : « Hoc enim quod Verbum caro factum est, *ait*, et habitavit in nobis, medicamentum nobis factum est, ut quia terra cæcabamur, de terra sanaremur. »

Quanti porro medicina ista facienda sit, idem alio in loco prædicat Augustinus [3] : « Hæc medicina hominum tanta est, *inquit*, quanta non potest cogitari. » Et [4] : « Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat, sanem te, et do tibi mercedem ? Optime fecit. Sciebat enim se divitem venisse ad pauperem. Et sanat ægrotos, et sanatis donat, et non aliud quam seipsum donat. Salvator est adjutorium languidi : ipse Salvator est præmium sanati. » Quare « veniant ad hunc omnes, qui sanari volunt (hortatur Ambrosius [5]) accipiant medicamentum, quod et a Patre detulit, et præparavit in cœlo ex illis confectum immortalibus succis. » Et quod in libro secundo de Abel et Cain, capite tertio, scribit : « Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere. » Tum alibi [6] : « Inveni medicum, qui in cœlo habitat, et in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit. »

XIII. Non absimile est, et ad eumdem scopum magnum illud Dei consilium refertur, quod sæpius inculcant veteres, Deum idcirco venisse, hominemque se fecisse, ut tanquam artifex, fœdatum et corruptum opus suum instauraret, ac reficeret. « Deus enim, ait Fulgentius [7], non continens in ira misericordias suas [8], ad hoc homo factus est, ut quidquid in homine creaverat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum. » Et Petrus Chrysologus [9] ; « Venit ad Virginem Deus, hoc est ad opus suum opifex, Creator ad creaturam suam. Quando ad opificis honorem operis restauratio non redundat ? Quando honor non deputatur ad gloriam, si factor facturam suam reparet ?

(1) TIT. BOST. Τοῦτο γὰρ ἴδιον ἰατρῶν γνησίων, καὶ φιλοστόργων, τὸ συναναστρέφεσθαι τοῖς ἀῤῥωστοῦσι, καὶ μὴ ἀφίστασθαι πρὶν ἂν ὑγιάνωσιν.

(2) DOROTH. doct. 1. tom. 11. bibl. PP. pag. 749. Γενόμενος δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος, ἵνα, ὡς λέγει ὁ ἅγιος Γρηγόριος, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἰάσηται, τῇ ψυχῇ τὴν ψυχὴν, τῇ σαρκὶ τὴν σάρκα.

[1] Lib. 5. cont. Marc. cap. 14. — [2] Ivo Ser. quodam tom. 10. Bibl. PP. col. 809. E. — [3] Lib. de Agon. Christ. cap. 11. — [4] Serm. 3. de ver. Apost. cap. 13. — [5] Ambr. 2. de Fide. cap. 4. — [6] Lib. 5. in Luc. col. 80. — [7] Lib. de Incarnat. Christi cap. 6. — [8] Psal. 70. — [9] Ser. 143.

Ne amittat quis opus suum, nonne cum veterascit, revocat ? et cum cadit, erigit, et cum destruitur, in melius reformat ? » Athanasius item in libro de incarnatione Verbi, comparationem eamdem affert domus, aut urbis alicujus ab rege conditæ, et ab latronibus circumsessæ, ac vexatæ, ad quam ille liberandam accurrit, quem locum antea descripsimus [1]. Sic Ivo Carnotensis, « Omnipotentis, *inquit*, figuli manus, cujus universæ viæ misericordia et veritas, quæ lutum de terra levatum rationalis naturæ dignitate sublimaverat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est, nec insanabile, quia misericors est. »

XIV. At non peccati tantummodo, vitiique delendi, vel ad gratiam suam et salutem revocandi causa hominis, Deum ad nos descendisse Patres asserunt; sed etiam, ut corruptelam naturæ nostræ, ac mortem extingueret; tum ut diaboli jugum a cervicibus nostris detraheret, et illius tyrannidem funditus aboleret : quæ duo præcipua peccati consectaria, et effecta censentur.

De corruptela, et vitio, quod in carnem, imo etiam in animum, ex peccato redundavit, luculenta multorum est ratio, qui susceptione hominis, ac Dei cum illo consortio, et quasi contubernio, detersum illud et erasum fuisse prædicant. « (1) Nisi enim habitasset in nobis, ait Cyrillus Alexandrinus, neque carnis natura contractam ex corruptela imbecillitatem ullo modo exuisset. » Pulcherrime hunc locum illustravit Athanasius in libro de incarnatione Verbi; et hujus ope, ac beneficio liberatam ab illa fæce corruptionis, ac repurgatam hominis naturam, summa vi sententiarum, verborumque descripsit. Corpus ait ideo sibi assumpsisse Deum, « (2) quod cum labes, ac lues illa non extra corpus esset, sed corpori adjuncta, et ingenita, necesse fuit, pro corruptione vitam illi affigi, et adhærescere : ut quemadmodum mors in corpore fuit, sic in ipso vita etiam inesset. » Irenæus item [2], « Non enim poteramus aliter, *ait*, incorruptelam, et immortalitatem accipere, nisi aduniti fuissemus incorruptelæ, et immortalitati, etc. » Et alibi; « (3) Nisi homo cum Deo copulatus fuisset, incorruptibilitatis particeps fieri minime potuisset. »

Addit et Athanasius de morte illud ibidem : « (4) Si extra corpus, *inquit*, mors fuisset, vitam quoque oportuisset extra corpus ipsius esse. Sin autem corpori illius conserta mors est, et tanquam adhærens ei dominabatur, necesse est vitam cum corpore coalescere, ut vita vicissim corpus indutum, corruptelam abjiciat. » Quam fuisse causam asserit, cur Verbum divinum corpus induerit : nempe ut hoc cum vita copulatum, et consertum, mortale esse desinat, et in vita corruptelaque remanere : sed immortalitate vestitum, post resurrectionem immortale perseveret.

XV. Eleganti similitudine declarare hoc, quod dictum est, pergit Athanasius. Quemadmodum, *ait*, stipula cum natura sua cremari, et igne corrumpi possit, si quis ignem ab illa prohibeat, non ardebit ipsa quidem, verum cujusmodi erat stipula manebit, ardori ignis obnoxia. Quod si stipulam eamdem aliquis copioso amianto vestiat, cujus ea natura esse dicitur, ut igni resistat; non illa ignem amplius timeat, postquam ea re munita, et obtecta est, quæ ab illo pati nihil potest. Eodem modo corpus nostrum a Deo susceptum quæ vita et mortalitas est, nihil a morte, ac corruptione læditur. Quam si solo imperio Deus ab illo prohibuisset, non esset mortuum, et corruptum : verumtamem mortale, ac corruptibile mansisset.

Quapropter [3] moriens Christus, ac seipsum, mortemque suam, tanquam victimam, pro omnibus offerens, quantum in ipso fuit, mortem a se, tum ab omnibus hominibus propulsavit. Omnes enim in Christo mortui sunt, ut passim Apostolus prædicat [4]. Quare omnes item in Christo, et cum eo resurrexerunt. Atque [5]

(1) Cyr. lib. 2. in Joan. pag. 198. Εἰ μὴ γὰρ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, οὐδ' ἂν ὅλως τὴν ἀπὸ φθορὰς ἀσθένειαν ἡ τῆς σαρκὸς ἀπεδύσατο φύσις. Vide et librum 10. p. 918. A. et epist. 1. ad Succ. tom. 5. par. 2. pag. 138. et seq.

(2) Ath. pag. 72. B. Ἔπειτα καὶ τοῦτο ἱστέον, ὅτι ἡ γενομένη φθορὰ οὐκ ἔξωθεν ἦν τοῦ σώματος, ἀλλ' αὐτῷ προσεγεγόνει, καὶ ἀνάγκη ἦν ἀντὶ τῆς φθορᾶς, ζωὴν αὐτῷ προσπλακῆναι. Ἵνα ὥσπερ ἐν τῷ σώματι γέγονεν ὁ θάνατος, οὕτως ἐν αὐτῷ γένηται καὶ ἡ ζωή.

(3) Iren. lib. 3. cap. 20. citatus a Theodor. dial. 2. Καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας.

(4) Ath. de Incar. pag. 72. Εἰ μὲν οὖν ἔξωθεν ἦν ὁ θάνατος τοῦ σώματος, ἔξωθεν ἔδει καὶ τὴν ζωὴν αὐτοῦ γεγονέναι· εἰ δὲ ἐν τῷ σώματι συνεπλάκη ὁ θάνατος, καὶ ὡς συνὼν κατεκράτει τούτου, ἀνάγκη καὶ τὴν ζωὴν συμπλακῆναι τῷ σώματι, ἵνα ἀντιδυθὲν τὸ σῶμα τὴν ζωὴν ἀποβάλῃ τὴν φθοράν.

[1] Cap. 5. § 5. — [2] Iren. l. 3. cap. 21. — [3] Ath. ib. p. 43. — [4] Ut 2. Cor. 5. 14. et Col. 3. 3.

[5] Athan. lib. de Incar. p. 43.

ut si rex quispiam in urbe aliqua domicilium eligat, et si in una tantum ædium, quæ illic sunt, habitet, ad omnes tamen cives, totamque urbem securitas, pax, et fiducia pertinet : et ab hostili incursione tuti sunt, qui in illa censentur omnes. Sic unum ex nostris, nostrumque simile corpus assumente, ac velut templum inhabitante Deo, procul ab omnibus hostiles arcentur insidiæ, morsque ab iis, et corruptela prohibetur. Ac licet etiamnum morimur universi, « (1) non jam velut condemnati morimur, » inquit, hoc est ut perpetuo in morte jaceamus : « sed ut excitandi, communem resurrectionem expectemus. »

XVI. Quocirco mortem deinceps perhorrescere desierunt homines, qui illo beneficio uti voluerunt : imo sponte se, ac gaudentes in illam conjecerunt : velut martyres ætatis cujusvis, ac sexus : qui acerbissima pro Christo, proque Christiana spe tormenta, mortemque ipsam ardentibus votis expetebant : quod pluribus eodem in libro solita eloquentia pertexit Athanasius[1] : ac similitudine quadam apposita illud explicat tyranni cujusdam antea formidolosi, post ab Rege victi, et ludibrio habiti. Cui affine istud est Lactantii[2] : « Postremo, *inquit*, etiam mortem suscipere non recusavit ; ut homo illo duce subactam, et catenatam mortem, cum suis terroribus triumpharet. »

Brevius hanc eamdem mentem, et sententiam ; hoc est fructum illum Incarnationis in morte ac corruptione restinguenda demonstrat Basilius. « (2) Propterea Deus in carne apparuit, *inquit*, ut in ea, velut in latibulo commorantem, interficeret mortem. Nam ut medicamentum, quod adversus venena comparatur, in corpus ipsum receptum, noxia, et letalia pervincit : atque ut tenebræ domum aliquam occupantes, inducto lumine dissipantur : ita mors in natura dominans humana, ad præsentiam divinitatis extincta est. » Nec absimile istud est Chrysostomi : « (3) Postquam vita, *inquit*, ad nos pervenit, solutum est mortis imperium, et cum nobis lumen illuxit, nusquam tenebræ amplius sunt : sed in nobis perpetuo vita manet, nec mors eam superare potest. »

Augustinus quoque in eumdem sensum[3] : « Ut occideret mortem, *ait*, vestitus est morte. Non potuit mors mori nisi in vita. Non moritur amaritudo, nisi in dulcedine, non moritur frigus nisi calore. Non est mortua mors nisi in vita. » Theophanes cognomento Κεραμεὺς in homilia tertia, illustrem ad id comparationem adhibet e serpente sumptam. « (4) Serpens non modo letale venenum habet, *inquit ;* sed etiam pharmacum, letalis propulsandi veneni vi præditum ; quod ex serpentum carnibus medici ad remedium conficiunt. Sic ex Adami natura mortali, proprium corpus Dei sibi verbum elaboravit, quod mortem e medio tollere posset.

« Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstravit : et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis humanæ, sine peccato et suscepit, et pertulit ; ut dum humanæ animæ passiones in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret, carnem quoque humanam accipiens, in ejusdem veritate carnis, veritatem voluntariæ habuit passionis, ut in carne mortuus, totam in se hominis occideret mortem, et in æternam vitam immortalis resurgens, æternæ nobis vitæ gratiam condonaret : » ait Fulgentius[4].

XVII. Nam quod Christi adventu, et Incarnatione neque peccatum, neque mors, nec infirmitas, ac cetera vitæ mortalis incommoda sublata sunt, sed adhuc perseverant, et infestant : mirum hoc esse nemini debet. Rationem hujus reddidit Gregorius Nyssenus oratione de natali Christi, (cujus verba leguntur in libro adversus Anthropomorphitas, qui Cyrilli nomen habet inscriptum,) et aptissima simili-

(1) Ath. ibid. pag. 44. Οὐκέτι γὰρ νῦν ὡς κατακρινόμενοι ἀποθνήσκομεν, ἀλλ' ὡς ἐγειρόμενοι περιμένομεν τὴν κοινὴν πάντων ἀνάστασιν.

(2) Basil. hom. 25. de hum. Christ. nativ. p. 587. Διὰ τοῦτό Θεὸς ἐν σαρκὶ ἴν' ἐναποκτείνῃ τὸν ἐμφωλεύοντα θάνατον. Ὡς γὰρ τῶν φαρμάκων τὰ ἀλεξητήρια κατακρατεῖ τῶν φθαρτικῶν οἰκειωθέντα τῷ σώματι· καὶ ὡς τὸ ἐνυπάρχον τῷ οἴκῳ σκότος τῇ ἐπεισαγωγῇ τοῦ φωτὸς λύεται· οὕτως ὁ ἐνδυναστεύων τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει θάνατος τῇ παρουσίᾳ τῆς θεότητος ἠφανίσθη.

(3) Chrys. hom. 5. in Joan. pag. 580. Τῆς γὰρ ζωῆς παραγενομένης πρὸς ἡμᾶς, λέλυται τοῦ θανάτου τὸ κράτος καὶ τοῦ φωτὸς λάμψαντος ἐν ἡμῖν, οὐκέτι τὸ σκότος ἐστὶν, ἀλλὰ μένει διαπαντὸς ἐν ἡμῖν τὸ ζῆν, καὶ θάνατος αὐτοῦ περιγενέσθαι οὐ δυνάται.

(4) Theoph. pag. 17. Ὁ γὰρ ὄφις οὐ μόνον ἔχει θανατηφόρον ἰόν, ἀλλὰ καὶ φάρμακον ἀναιρετικὸν τοῦ θανατηφόρου ἰοῦ· ὃ παῖδες ἰατρῶν ἐκ τῶν σαρκῶν τῶν ὄφεων κατασκευάζουσιν ἀντιφάρμακον· οὕτως ἐκ τῆς θνητῆς φύσεως τοῦ Ἀδὰμ τὸ ἴδιον σῶμα ὁ τοῦ Θεοῦ συνεστήσατο Λόγος ἀναιρετικὸν τοῦ θανάτου γενόμενον.

[1] Ib. p. 58. — [2] Lib. 4. cap. 6. — [3] Hom. 25. de 50, [4] Fulgent. lib. 3. ad Trasim. c. 16.

tudine est usus : (1) Ut qui serpentem occidere vult, eliso, et obtrito ejus capite, reliquum corpus interdum relinquit, et tractim repere, convolvique, ac palpitare sinit; sic grassantem, ac sævientem per omnes hominum ætates draconem Christus ita confecit, ut ejus capite, hoc est nocendi vi accisa, truncum velut reliquum negligeret, ac moveri belluam sineret, quo venturis postea certaminis occasionem præberet.

Hanc eamdem quæstionem, quod ad mortem attinet, proponit, ac dissolvit Augustinus in libro 13. de civitate Dei, capite 4. ubi etiam *ablato criminis nexu*, relictam esse mortem, necdum corporis immortalitatem secutam, ait, tum ad roborandam fidem, «quæ tunc est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum videtur :» tum quod ejusdem «fidei robore, atque certamine etiam mortis fuerat superandus timor, etc. Nunc vero majore, et mirabiliore gratia Salvatoris, in usus justitiæ peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini : Morieris, si peccaveris. Nunc dicitur martyri, Morere, ne pecces, etc. Sic per ineffabilem Dei misericordiam, et ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, et fit justi meritum, etiam supplicium peccatoris.» Ac denique, «Tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.»

Et in libro secundo de Peccatorum meritis et remissione[1], «ante remissionem esse illa supplicia peccatorum *ait*, post remissionem autem certamina; exercitationemque justorum.» Quæ imitatus est Julianus Toletanus libro 1. Prognosticon, capite 9.

Sic Ambrosius, «Pro nobis, *inquit*, Verbum suscepit carnis infirmitatem, pro nobis esurivit, vapulavit, crucifixus est, mortuus est, ut nobis, in quibus ante vita ignobilis, et degener habebatur, inciperet mors esse pretiosa.»

XVIII. Superest alterum incommodum, a quo ut nos eximeret, Christum venisse diximus, videlicet diaboli jugum, ac tyrannicus dominatus; qui cum orbem universum, ac populos omnes durissima servitute contineret, a Christi incarnatione, ac morte dejectus, ac profligatus est. *In hoc apparuit filius Dei*, ait Joannes[2], *ut dissolvat opera diaboli.* Tum Christus ipse imminente jam mortis tempore[3]; *Nunc princeps*, inquit, *hujus mundi ejicietur foras.* Et Apostolus in epistola ad Hebræos, secundo capite, *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Quam vero turpis fuerit ac miseranda conditio mortalium, dominante teterrima illa bellua, complures antiquorum graphice describunt, enumeratis malis omnibus, quibus ante Christum genus erat hominum obnoxium. Inter quæ præcipuum, maximeque deplorandum fuit, veri Dei, ac divini cultus, et religionis inscitia; qua tum, paucissimis exceptis, laborabant universi. Etenim diabolus cœli possessione sine ulla spe depulsus, vicissim ab orbe terrarum ejicere Deum, ac memoriam ejus, et venerationem funditus abolere conatus est; id studens, et enitens, ut pro Deo ipse summo; ceteri criminis, ac pœnæ socii, et satellites sui, pro inferioribus, et minoribus diis ab occæcatis errore gentibus haberentur. Hinc falsorum deorum superstitio, et «principale crimen generis humani, ut loquitur Tertullianus[4], summus seculi reatus, tota causa judicii,» idololatria manavit. Hinc simulacra passim per urbes, domos, et plateas, profanis, ac plerisque ridiculis numinibus erecta. «Ceterum, ait idem Tertullianus[5], et plateæ, et forum, et balneæ, et stabula, et ipsæ domus nostræ sine idolis omnino non sunt. Totum seculum Satanas et angeli ejus repleverunt.» «Nec aliud illis studium est, ait Cyprianus[6], quam a Deo homines avocare, et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere.»

XIX. Ex quo illud assecutus est, ut et[7] *princeps hujus mundi*, ore ipso loquentis in carne Veritatis appellaretur : et ab Apostolo, quod est amplius, *Deus hujus seculi. In quibus*, inquit[8], *Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Hic enim diabolum intel-

(1) NYSSEN. pag. 775. tom. 2. et Cyrill. cont. Anthr. cap. 24. Οὕτω καὶ ὁ τοῦ δράκοντος ἀναιρέτης, ὅτε πολὺ τὸ θηρίον ἐγένετο, πάσαις ταῖς καθ' ἑκάστην ξυναυξηθὲν τῶν ἀνθρώπων γεναῖς, τὴν κεφαλὴν ἀνελὼν τουτέστι τὴν τῶν κακῶν ἐφευρετικὴν δύναμιν, τὴν πολλὰς ἔχουσαν κεφαλὰς, ἐν αὐτῇ τοῦ κατόπιν ὁλκοῦ οὐδένα πεποίηται Λόγον, εἰς ἀφορμὴν γυμνασίου τοῖς ἐφεξῆς τὴν ἐν τῷ νεκρῷ θηρίῳ κίνησιν ὑπολειφθῆναι ποιήσας.

[1] Aug. 2. de pec. mer. c. 34. — [2] 1. Joan. 3. — [3] Joan. 12. 31. — [4] Lib. de Idol. c. 1.

[5] Lib. de Spec. c. 18. — [6] Cypr. l. de Idol. — [7] Joan. 12. 31. et 44. 30. — [8] 2. Cor. 44.

ligere videtur, idque Augustino probatur[1]. Fuit hæc Origenis sententia, et Eusebii Pamphili, angelos a Deo constitutos esse gentium præsides ; filium autem Dei peculiarem Israelitici populi præfecturam suscepisse. Sed cum diabolus, malique dæmones, artibus et illecebris suis, populos omnes, et ipsum adeo in fidem traditum filii Dei, ad cultum suum, et obsequium traxisset; Christum denique ad opem perinde hominibus, atque eorum præsidibus angelis ferendam venisse, qui immanem hanc tyrannidem, victis et fugatis hostibus, ab humano genere depulerit. De qua opinione, vel fabula potius, vide quæ alibi disputamus[2].

Hanc teterrimorum dæmonum grassationem, et idololatriæ toto diffusam orbe pestem; ac necessariam in ea comprimenda, et restinguenda Christi operam, et beneficentiam impense prædicat Athanasius in libro de Incarnatione[3] : et Eusebius in libris de Præparatione evangelica; Augustinus in prioribus de civitate Dei; Origenes contra Celsum; Tertullianus in Apologetico, Athenagoras, Firmicus, Cyrillus contra Julianum, Lactantius, Gregorius Nyssenus in Catechetico[4], et alii fere omnes, qui aut gentilium ritus scriptis suis confutarunt, aut Christianam religionem contra eosdem propugnarunt. Sed et suppositítius Chrysostomus latissime de hoc argumento disseruit in oratione quadam de natali Christi[5]; quam Photius pro germana non satis κριτικῶς agnovit[6] : ubi de imagine ab homine pessumdata, ab Christo recuperata, deque universitatis istius statu ab eodem constituto copiosam orationem instituit. Vide et Eusebium in sexto de Demonstrat. evangelica[7].

XX. De hac in homines potestate diaboli, antecedenti capite disseruimus, et eam negantem Petrum Abaelardum redarguimus. «Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, ait Augustinus[8], non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, juste tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit.» Quæ verba Calvini frontem, et similium pulsant.

Ergo ad homines ab impotentis jugo tyranni, et crudeli servitute liberandos[9], *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ab hoc scelestus ille prædo superatus, et injusta possessione detrusus est. «Et quoniam injuste dominabatur nobis apostasia, ait Irenæus[10], et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam; suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei Verbum, et non deficiens in sua justitia : juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quæ sunt sua, redimens ab eo : non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea, quæ non erant sua, irrationabiliter rapiens; sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quæ vellet; ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret.» Exinde falsorum deorum, et idolorum cultus ex hominum usu, ac memoria paulatim deletus est; idola ipsa tam[11] « in eorum cordibus,» quam per sese comminuta, atque confracta : aræ, ac delubra dæmonum qua funditus eversa, qua in honorem translata veri, ac summi Dei.

XXI. Quæ omnia, perinde ut a prophetis tanto ante prædicta fuerant, post incarnationem, mortemque Domini, et ejus merito reipsa sunt perfecta. Atque hoc unum est e præcipuis argumentis, quibus Christiana religio, et ejus, ab quo est instituta, Christi auctoritas contra Gentiles, ac Judæos ab antiquis theologis adstruitur : quod ea, quæ prophetæ de idolorum, deque tyrannici dominatus, quem diabolus usurparat, extinctione vaticinati fuerant, per Christum impleta, effectaque sunt : ut passim Augustinus docet[12]. Quamobrem, ut canit Prosper Epigrammate 65.

Peccati servis, et mortis compede vinctis
Unam est dignatus ferre Redemptor opem.
Qui nostri generis carnem cum morte receptans,
Nostra hosti, ut nobis vinceret, opposuit.
Et carne exuta dominantem perculit hostem,
Ut caperet palmam præda vetusta novam.

Et Hilarius libro nono de Trinitate, «Nascitur itaque Deus, *ait*, assumptioni nostræ, patitur vero innocentiæ; postremo moritur ultioni; dum et homo noster in Deo permanet, et infirmitatum nostrarum passiones Deo sociæ sunt, et spiritalis nequitiæ, ac malitiæ potestates triumpho carnis, Deo per carnem moriente, subduntur.»

[1] Lib. 21. contr. Faust. c. 9. — [2] Lib. 2. de Angel. c. 7. — [3] Pag. 45. et seq. — [4] Cap. 18. — [5] Tom. 5. et est 134. — [6] Cod. 277. pag. 843. — [7] Pag. 168. — [8] Lib. 13. de Civit. c. 12.

[9] Gal. 4. 4. — [10] Lib. 5. c. 1. Vide et c. 2. — [11] August. Serm. 6. de verb. Domini sec. Mat. c. 11. — [12] Lib. de Div. dæm. c. 9. to. 3. et lib. 1. de Conf. Eu. cap. 20. et 27. to. 4. et in Psal. 134. pag. 639.

XXII. Quo respiciens Apostolus, (1) *Christum* ait *expoliantem principatus, et potestates, traduxisse confidenter palam triumphantem illos in semetipso.* Ubi græca demonstrant, Christum « dehonestasse principatus et potestates, » ut vertit Novatianus in libro de Trinitate [1]; ac triumphum de illis egisse. Hilarius [2] verbum δειγματίσαι interpretatus est, *ostensui esse fecit;* Augustinus [3], *exemplavit.*

Isidorus Pelusiota, « (2) Salutarem in carne filii Dei adventum, delendorum peccatorum gratia factum, omnes perterruisse tam homines, quam dæmones; dum et illis persuasit naturæ parcere, tanquam cum Deo conjunctæ : et hos ab insidiis illi, tanquam experti peccati redditæ, moliendis coegit absistere.

Athanasius vero Christum in aere suspensum mortem obiisse scribit, « (3) ut et diabolum dejiceret, » qui princeps aeris hujus ab Apostolo dicitur [4]; « et aerem repurgaret, et viam nobis, qua in cœlum ascenderemus, pararet. » Idem et Chrysostomus expressit in homilia de Cruce [5].

Ambrosius porro tractatu in symbolum Apostolorum [6], « Tantæ, *inquit,* humilitatis, et ineffabilis hujus mysterii incarnatio ob hoc facta est, ut nos potestatem super diabolum acciperemus, qui superbiæ typho se facturam non cognoscens, Creatori æqualem se facere voluerit [7]. »

Joannes quoque Damascenus, « (4) Incarnationem divini Verbi ideo factam esse » scribit, « ut eadem illa, quæ deliquerat, ac ceciderat, corruptaque fuerat natura, vinceret illum, a quo decepta erat, tyrannum, atque hoc modo ab corruptione liberaretur. »

CAPUT SEPTIMUM.

1. De bonis, et commodis, quæ per incarnationem filii Dei in homines importata sunt: ac primum quod omnia per ipsum instaurata sunt. — 2. Quid sit ἀνακεφαλαιώσασθαι : significare hoc verbum, in compendium redigere. — 3. Tum compendio omnia mutare instaurando. — 4. Item, ad unum caput revocare. Quinam hoc Incarnatione perfectum sit. — 6. Factum hoc esse eo ipso, quod divinam in nobis instauravit imaginem. — 7. Imago et similitudo Dei quomodo deformata sit per peccatum. — 8. Eidem per Christum quomodo restituta. — 9. Quatuor præcipuæ dotes imaginis illius, — 10. per peccatum depravatæ, ac perditæ, — 11. per Christum instauratæ singillatim docentur, — 12. et quomodo per gratiam Mediatoris restituantur.

I. De malis, atque incommodis dixi, propter quæ sananda, et propulsanda Deus unigenitum suum hominem fieri, ac tot ærumnis, et cruciatibus objici voluit. Nunc quæ indidem bona, et ornamenta consecuta sunt, ex iisdem Scripturæ, ac theologorum veterum fontibus explicare pergam.

Ex his caput omnium, et universa in sese præmia colligens Incarnationis, ac continens, Cyrillo Alexandrino teste [8], fructus est ille, quem Apostolus enixe prædicat, (5) *Ut notum faceret nobis,* inquit, *sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et in terra sunt, in ipso.* Ibi præci-

(1) Col. 2. 15. Ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ.

(2) Isid. lib. 1. ep. 436. Ἡ ὑπὲρ τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτιῶν γενομένη παιώνιος τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἔνσαρκος ἐπιφάνεια, πάντας μὲν ἐφόβησε καὶ ἀνθρώπους, καὶ δαίμονας· τοὺς μὲν φείδεσθαι τῆς φύσεως πείσασα, ὡς Θεῷ ἑνωθείσης· τοὺς δὲ ἀπέχεσθαι τῆς κατ' αὐτῆς ἐπιβουλῆς ἀναγκάσασα, ὡς ἀναμαρτήτου λοιπὸν γενομένης.

(3) Ath. de Incar. pag. 56. Ἵνα τὸν μὲν διάβολον καταβάλῃ· τὸν δὲ ἀέρα καθαρίσῃ, καὶ ὁδοποιήσῃ ἡμῖν τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον.

(4) Damasc. lib. 3. cap. 12. Ἡ γὰρ ἐνανθρώπησις τοῦ Θεοῦ Λόγου διὰ τοῦτο γέγονεν, ἵνα αὐτὴ ἡ ἁμαρτήσασα, καὶ πεσοῦσα, καὶ φθαρεῖσα φύσις νικήσῃ τὸν ἀπατήσαντα τύραννον, καὶ οὕτω τῆς φθορᾶς ἐλευθερωθῇ. Vide et lib. 4. cap. 4.

(5) Eph. 1. 9. Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς ἐν αὐτῷ.

[1] Cap. 16. — [2] Lib. 9. — [3] Lib. de agone Chr. c. 2. tom. 3. — [4] Eph. 2. 2. — [5] Tom. 5. Savil. p. 568. et seq. — [6] Tom. 5. Savil. p. 568. et seq. — [7] Tom. 4. col 97. F. — [8] Cyr. l. 9. in Joann. p. 819.

puum, ac primario spectatum a Deo finem arcani illius propositi, ac voluntatis, qua Filium suum hominem facere destinavit, ait fuisse ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est *recapitulare omnia in Christum quæ in cœlis, et quæ in terris*, ut latine reddit Tertullianus [1], qui et verbum illud interpretatur sic, *ad initium redigere, vel ab initio recensere*: hoc est ad pristinum statum revocare. Quod apertius significat in libro de Monogamia [2], cum ita vertit; *ad caput, id est ad initium reciprocare universa in Christo*, etc. « ita ut ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium. » Erit igitur ἀνακεφαλαιώσασθαι, in antiquum statum collapsa restituere. Quo noster interpres respiciens, *instaurare* posuit. Et Ambrosio attributus commentarius, *restaurare*.

II. Sed verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι tripliciter a græcis interpretibus exponitur, præeunte Chrysostomo [3]. Prima significatio est, quam proprie *recapitulandi* vox exprimit, in summam, et caput varia et dispersa colligere. « Nam et oratores in epilogis, ait Hieronymus in commentario ad illam epistolam, vel ante epilogos, in fine causarum propter memoriam judicum, et eorum, quæ audiere negotia, recordationem, id est ἀνακεφαλαίωσιν, solent facere: ut quæ prius latius disputarant, brevi postea sermone comprehendant. » Hoc modo recapitulata omnia sunt in Christo; quoniam quæ hactenus figuris multis, et vaticiniis in longum diducta fuerant, et diffusa, in unum Christum collecta, confecta, et impleta sunt. Hoc enim *verbum* illud *abbreviatum est*, quod ex Esaia commemorat Apostolus [4]. *Itaque universa mysteria, et omnis dispensatio vetustatis, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlis gesta est, in Christi passione completur.* Quæ autem in cœlo gesta dicuntur, horum historia nobis occulta est, ait Hieronymus. Quæ postrema verba ad Origenianum nescio quid de προϋπάρξει animarum alludere mihi videntur: ut alia nonnulla sunt in istis commentariis.

III. Secundo Theodoretus, ex eoque Photius, ἀνακεφαλαίωσιν interpretantur *brevem et compendiosam rerum commutationem*, qua omnia per Christum instaurata, et recuperata sunt. « (1) Nam per Christi incarnationem et natura hominum resurgit, atque immortalitatem induit, et aspectabilis creatura ab corruptione liberata, incorruptionem assequetur, et invisibilium angelorum turmæ perpetua in lætitia degent. » Quod cum *instaurandi* verbo, quo usus est latinus interpres, apprime consonat. Hujusmodi creatarum omnium rerum instaurationem declarat Eusebius libro primo contra Sabellium [5]. Augustinus in Enchiridio eadem plane sententia [6]: « In ipso, *inquit*, instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. »

Nec alio sensu verbum illud accepisse crediderim Irenæum, cum ita disputat: « (2) Quoniam primus homo de terra sumptus est, et a Deo formatus, eum oportuisse, qui formatum hominem a Deo recapitularet, (ita vetus interpres reddidit,) eamdem cum illo nativitatis habere similitudinem, et ut non aliud figmentum fieret, nec aliud quod salute donaretur: sed ille ipse recapitularetur. Ἀνακεφαλαιώσασθαι sive *recapitulare* idem esse crediderim atque *instaurare, et reficere in antiquum statum ex corrupto, et dissoluto;* quemadmodum idem vocabulum Cyrillus exposuit in libro primo Glaphyrorum: ubi postquam Christum nominavit « (3) renovatorem eorum, quæ corrupta fuerunt: » mox, « (4) Ad caput revocant, *inquit*, in Christo tam quæ in cœlis, quam quæ in terra sunt, Deus, et Pater, et quod eo prolapsum erat, quo non oportebat, pristinum ad statum iterum evehit. »

IV. Tertia est ejusdem vocabuli notio, ut sit ἀνακεφαλαιώσασθαι, ad unum caput revocare, et eidem principi, ac dominatori subjicere,

(1) Theodoret. in cap. 1. ep. ad Eph. Διὰ γὰρ τῆς κατὰ τὸν δεσπότην Χριστὸν οἰκονομίας, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἡ φύσις ἀνίσταται, καὶ τὴν ἀφθαρσίαν ἐνδύεται, καὶ ἡ ὁρωμένη κτίσις τῆς φθορᾶς ἐλευθερουμένη τεύξεται τῆς ἀφθαρσίας, καὶ τῶν ἀοράτων οἱ δῆμοι ἐν εὐφροσύνῃ διατελέσουσιν.

(2) Iren. lib. 3. cap. 31. cit. a Theod. dial. 1. pag. 34. Εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐκ γῆς ἐλήφθη, πλάστης δὲ αὐτῶν ὁ Θεὸς, ἔδει καὶ τὸν ἀνακεφαλαιούμενον εἰς αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πεπλασμένον ἄνθρωπον τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ τῆς γεννήσεως ἔχειν ὁμοιότητα, etc. ἵνα μὴ ἄλλη πλάσις γένηται, μηδὲ ἄλλο τὸ σωζόμενον· ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνακεφαλαιωθῇ.

(3) Cyr. tom. 1. par. 2. pag. 13. Ἀνακαινιστὴν τῶν κατεφθαρμένων.

(4) Ibid. Ἀνακεφαλαιοῦται γὰρ ἐν Χριστῷ τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ὁ Θεὸς, καὶ Πατὴρ, καὶ τὸ ἐφ' ἃ μὴ προσῆκεν ὀλισθῆσαν ἀναβιβάζεται πρὸς τὸ ἐν ἀρχαῖς.

[1] Lib. 5. cont. Marc. c. 17. — [2] Cap. 5. — [3] Chrys. in illum locum ep. ad Eph. et Rom. 23. in cap. 13. ep. ad Rom. p. 192.

[4] Rom. 9. 28. — [5] Pag. 19. — [6] Cap. 62.

quæ soluta, et dissipata erant antea. Irenæus hoc sensu [1] : « Unus, *inquit*, Christus Jesus Dominus noster veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipso recapitulans : in omnibus autem est et homo plasmatio Dei : et hominem ergo in seipso recapitulatus est invisibilis et visibilis factus, etc. Et Verbum homo, universa in semetipso recapitulans ; ut sicut in supercœlestibus, et spiritalibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei : sic et in visibilibus, et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore. » Idem quoque in libro 4. capite 37. ait filium Dei « hominem in hominibus factum esse, ut finem conjungeret principio, id est hominem Deo; » quod ad ἀνακεφαλαίωσιν potest referri. Tum Hippolytus in fragmento secundo contra Beronem in Collectaneis Anastasii, « (1) Incarnationis proprium opus esse *ait*, omnium ad seipsum recapitulationem. » Non igitur solos homines recapitulatio ista comprehendit; qui per variorum numinum cultus vagi, ac dispersi, ad unum Mediatorem congregati sunt: ut in primo contra Eunomium Gregorius Nyssenus disputat [2] : sed etiam ad angelos pertinet.

V. Ita sane Chrysostomus, ceterique Græci, apud Apostolum verbum illud ἀνακεφαλαιώσασθαι, ad eum sensum retulerunt : ut sit membra dispersa sub unum caput colligere. Sic enim Chrysostomus idem « (2) catechumenum alienum a fideli esse » dicit, « quia non idem habet cum eo caput. » Ad eumdem modum tam iste ipse, quam Græci alii, angelos simul et homines conjunxit, inquiunt, Deus sub eodem capite Christo : (3) qui cum duplici natura constet, qua Deus est, caput est, et principium angelorum, ait Chrysostomus : qua homo est, hominum est caput. Non satis dixit. Non enim angelorum caput est solum, ut Verbum est ac Deus, sed etiam ut homo. Commodior est ad hanc interpretationem Œcumenii ratio (4), angelos ab hominibus alienatos, ac divulsos hactenus, sub uno capite Christo consociatos, et eodem quasi vinculo colligatos fuisse. Sed ea vis, et potestas proprie non est verbi ἀνακεφαλαιώσασθαι, sed ex consequenti duntaxat; quatenus quæ sub unum caput conferuntur, cum ante latius fusa, et dissipata essent, velut in arctum coguntur, et in summam quodammodo contrahuntur. Quæ sententia verbis Apostoli cum primis accommodata est. Christus enim ideo venit, ut ad unum dissipata, et dissociata universitatis membra redigeret, et tum inter se, tum vero cum auctore, ac capite suo colligeret. Quod officii genus præsertim hominibus impendit; qui ab uno vereque Deo, hoc est ab unitate ipsa sejuncti, varios in errores, et multiplices inanium cultus deorum, ac superstitiones vagi, et incerti ferebantur : tum diversis irretiti vitiis, et cupiditatibus, ab nativa, et ingenita simplicitate desciverant. Tritum enim illud est, quia verissimum, quod in Ethicis commemorat Aristoteles, « (5) Viros bonos uniusmodi ac simplex iter tenere, malos autem, omnibus modis a recto deflectere. »

VI. Ab hac multiplici vitiorum labe, ac studiorum, et cupiditatum in diversa trahentium jactatione, ac tumultu revocavit nos Deus, et ad unum caput, ac finem, hoc est ad illum reduxit [3], *qui est caput Christus :* idemque [4] *finis legis ad justitiam omni credenti.* Qua quidem ratione compendiariam viam iniit restituendi in pristinum statum, a quo peccando exciderat, humani generis, et videlicet *instaurandi omnia in Christo*, ut loquitur Apostolus ex vulgata translatione.

Quam græci verbi notionem sequitur Cyrillus in eo loco, quem initio capitis hujus citavimus, qui « (6) recapitulationis nomen et rem id exprimere *ait*, revocare pristinum in statum, ac restituere, quæ ad diversum omnino finem exciderant. » Quamobrem causam

(1) Hippol. apud Anastas. pag. 216. Τῆς αὐτοῦ σωματώσεως, ἧς ἕργον ἡ τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτὸν ἀνακεφαλαίωσις.

(2) Chrys. hom. 25. in Joan. pag. 657. Ἀλλότριος γὰρ ὁ κατηχούμενος τοῦ πιστοῦ· οὐ γὰρ ἔχει κεφαλὴν τὴν αὐτήν.

(3) Chrysost. hom. 1. in ep. ad Eph. pag. 769. Μίαν κεφαλὴν ἅπασιν ἐπέθηκε τὸ κατὰ σάρκα Χριστὸν, καὶ ἀγγέλοις, καὶ ἀνθρώποις. Τουτέστι καὶ ἀγγέλοις μίαν ἀρχὴν ἔδωκεν, καὶ ἀνθρώποις, τοῖς μὲν, τὸ κατὰ σάρκα, τοῖς δὲ, τὸν Θεὸν Λόγον.

(4) Œcumen. Ἀπεσχισμένοι γὰρ ἦσαν οἱ ἄγγελοι, καὶ οἱ ἄνθρωποι. Συνήψεν οὖν αὐτοὺς, καὶ ἥνωσε διὰ Χριστοῦ.

(5) Arist. 2. Nicom. cap. 5. Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.

(6) Cyr. 9. in Joan. pag. 819. Καὶ ὅτι τῆς ἀνακεφαλαιώσεως ὄνομά τε πρᾶγμα δηλοῖ τὸ ἀνακρίσαι πάλιν, καὶ ἀναλαβεῖν εἰς ὅπερ ἦν ἐν ἀρχῇ, τὰ πρὸς ἀνόμοιον ἐκπεπτωκότα τέλος. Vide Thes. lib. 15. pag. 167.

[1] Iren. lib. 3. cap. 18. pag. 277. — [2] P. 25. D. — [3] Eph. 4. 5. — [4] Rom. 10. 4.

hanc Incarnationis fuisse Christo, ut homines ad antiquum, et primigenium statum ab errore, ac lapsu reduceret. Qui status variis nominibus, ac modis describi solet in Scripturis, et ab antiquis Patribus. Atque ex omnibus communis ille est imprimis, et usitatus, quem illic Cyrillus explicat: quod initio ratione præditum animal ad imaginem conditoris sui factum est. « (1) Cum autem vis illa similitudinis, atque imaginis non uno modo dicatur; hunc maxime esse præstantem et illustrem, corruptela, et interitu vacare. » Ita Sophronius Hierosolymitanus patriarcha in epistola ad Sergium Constantinopolitanum : « (2) Ob id, *inquit,* quemadmodum sapiens quidam contemplatus est, tota illa præclara, et insignis Unigeniti dispensatio excellenter administrata est, ut et imaginem salvam redderet, et carni immortalitatem tribueret. »

Verum ut magis universe beneficii illius amplitudinem, quæ in instauranda pristina imaginis dignitate consistit, expendamus hoc loco, nec uniusmodi fructu metiamur mortis, et corruptionis exclusæ, de imaginis illa ipsa conditione quædam alibi dicta repetendo perstringemus.

VII. Imaginem Dei, ad quam homo factus ab origine prima in Scriptura dicitur, eamdem esse cum similitudine, ac nonnisi ratione differre, alibi statuimus [1]. Hanc vero dupliciter spectari [2] : vel secundum essentiam, quod οὐσιωδῶς Græci vocitant; vel secundum accidentes qualitates, quæ naturam complent, ac perficiunt. Priore modo imaginem Dei in intelligentis, ac rationalis naturæ conditione collocavimus : quam Adamo Deus afflavit vitali halitu illo, quod *vitæ spiraculum* Moses appellat [3]. Posteriore vero, in sapientia, et virtutum omnium cultu ornatuque sitam esse docuimus.

Utroque modo, hoc est absolutam, et perfectam, pro modulo humani captus, imaginem Dei, ac similitudinem Adamus accepit, cum eaque procreatus est. Post autem culpa sua depravatus, eamdem, qua parte naturalis, et οὐσιώδης erat, retinuit : decus et ornatum, sive perfectionem illius amisit, eamque jacturam, ac damnum transmisit in posteros. Nascuntur enim omnes « filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, » ait Augustinus [4]. « Inde tracta mortalitas, verba sunt Prosperi [5], inde multiplex animi, corporisque corruptio, inde ignorantia, et difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, pœnitenda consilia, et non minor miseriarum multitudo, quam criminum. » Hæc sunt divinæ imaginis in homine deformatæ, corruptæque probra, ac dedecora : hæ labes, et maculæ, quibus excellens primi hominis pulchritudo fœdata est. Cujus instaurandæ gratia missum a Patre esse Filium plerique omnes antiqui prædicant.

Ut mihi per Christum cœlestis imago rediret,
Qui cruce terrenum se spoliavit Adam,

ait Paulinus in panegyrico Celsi.

VIII. Irenæus in libro tertio [6], « recapitulasse Christum » dicit, « et in compendio nobis salutem præstitisse; ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem, et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. » Et in quinto libro [7] : « Quemadmodum, *inquit,* ab initio plasmationis nostræ in Adam ea quæ fuit a Deo inspiratio vitæ, unita plasmati animavit hominem, et animal rationabile ostendit : sic in fine Verbum Patris, et Spiritus Dei, adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem, et perfectum effecit hominem, capientem perfectum Patrem : ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spiritali omnes vivificemur. » Vide eumdem libro 5. capite 12. et 16.

Sic Athanasius in libro de Incarnatione [8], Christum idcirco suscepisse hominem scribit, ut humanum genus rationis expers peccato redditum, ad priorem statum deduceret, et deletam in eo divinam reficeret imaginem. « Per adventum Christi, ait Ambrosius [9], homo, qui erat irrationabilis, rationabilis factus est. Ante eramus similes bestiarum, quæ

(1) Cyr. in Joan. p. 821. Καὶ διάφορος μὲν τῆς εἰκόνος ὁ λόγος. Εἰκὼν γὰρ οὐ καθ' ἕνα τρόπον· ἀλλα κατὰ πολλούς. Μέρος γεμὴν τὸ τῶν ἄλλων μάλιστα διαφανέστατον τῆς πρὸς τὸν ποιήσαντα Θεὸν ἐμφερείας, τὸ ἄφθαρτον, καὶ ἀνώλεθρον.

(2) Sophr. in act. 11. Syn. sex tom. 5. pag. 176. Διὰ τοῦτο γὰρ, καθά τινι τῶν σοφῶν τεθεώρηται, καὶ πᾶσα τοῦ μονογενοῦς ἡ λαμπρὰ', καὶ διάσημος οἰκονομία λαμπρῶς πεπραγμάτευται, ἵνα καὶ τὴν εἰκόνα σώσῃ, καὶ τὴν σάρκα ἀθανατίσῃ.

[1] Lib. 2. de Opif. c. 4. § 13. et 14. — [2] Ib. c. 3. § 6. et c. 4. § 6. tum tom. 2. lib. 5. de Trin. c. 8. § 2. et seq. — [3] Gen. 2. 7. — [4] Tract. 44. in Joann.

[5] Lib. 1. de Vocat. gent. c. 3. — [6] Cap. 20. Vide et cap. 18. — [7] Cap. 1. — [8] Pag. 46. et seq. — [9] Amb. in Luc. c. 17. col. 149. D.

rationem nesciunt, eramus carnales, eramus terreni, juxta Domini sententiam : Terra es, et in terram ibis. Venit Dei filius ; misit Spiritum suum in corda nostra : facti sumus filii spiritales. »

Hunc locum uberrime pertractat auctor homiliæ 98. tomi 5. operum Chrysostomi[1] : ubi illud exponit, quemadmodum homo, quam acceperat imaginem Dei et similitudinem, vitio suo conspurcaverit, et bestiarum similem se fecerit : ac pro diversis criminibus, varias in se belluarum species, et figuras expresserit ; leonis, ob sævitiam ; lupi, propter rapacitatem, etc. « (1) Quoniam ergo imago ista variis modis corrupta, et deleta fuerat, venit Salvator, et imaginem propriam instauravit ; et quam demolitus est diabolus, hanc portavit opifex homo factus. » Sic Andreas Cretensis, « (2) Qui substantiam nostram suscepit, *inquit*, eam in seipso reformavit, naturæ statum illum ad imaginem reddens, primamque dignitatem, quam primorum hominum negligentia perdiderat. » Sed de hac imagine tum Adamo primum insita, tum a Christo, qua imago est Patris, restituta, dixi in libro de Trinitate sexto, et octavo[2].

IX. Ut autem istius beneficii magnitudo magis extet, revocanda sunt in memoriam capitula illa præcipua, in quibus, ex antiquorum variis opinionibus, imaginis in homine, ac similitudinis cum Deo, proprietas consistit ; non illa ὡσιώδης, quæ ab natura, et essentia divelli non potest, nec ullo vitio, vel ruina prorsus obruitur : tametsi vis illius, et usus, atque efficientia debilitetur ; ac necessariis ad boni prosecutionem subsidiis fulcienda sit.

Ex iis quæ de homine primo ad imaginem Dei condito disputavimus in secundo de Opificio libro[3], ubi fuse est illa pertractata quæstio ; quatuor insignes modos seligemus, sive ornamenta totidem, et adventitia decora, in quibus maxime constituta videtur imaginis illius perfecta ratio ; sunt autem hæc : sapientia, vel notitia mentem complens, et illustrans : integra libertatis, arbitriique liberi functio, et ad honesta capessenda pleno jure movens sese, neque contrariis interpellata studiis voluntatis electio : tum imperium, ac dominatus in animantia cetera : postrema est immortalitas. Has quatuor primævi illius status, et innocentis Adami dotes, tanquam recentis, et adhuc teneræ stirpis erumpentes gemmas, et flores, ab eodem concepti, patratique sceleris quoddam velut frigus excussit. Quam ab illo propagatam in posteros cladem, et calamitatem exponam alias pluribus : nunc pauca, quæ ad propositum faciunt, ex Prospero describam.

X. « Naturæ, *inquit*[4], humanæ in illa universalis prævaricationis ruina, nec substantia erepta est, nec voluntas ; sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. » Addit ex Apostolo[5], *natura omnes esse filios iræ :* esse[6] *tenebras*, et[7] *sub potestate tenebrarum.* Ad hæc Adamum « perdidisse primitus fidem, perdidisse continentiam, perdidisse charitatem, spoliatum esse sapientia, et intellectu, caruisse consilio, et fortitudine. Ex eo liberum arbitrium insanam cupiditatem, et experientiam prævaricationis intendisse, bibisse omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecisse. » Hanc eamdem corruptelam humanæ mentis, et voluntatis describit idem Prosper in carmine de Ingratis, et ebrietatis nomine designat :

> Transcurrit enim virosa per omnes
> Peccati ebrietas, etc.
> Hinc animi vigor obtusus, caligine tetra
> Induitur, nec fert divinæ fulgura lucis
> Lumen iners. Hinc arbitrium per devia lapsum
> Claudicat, et cæcis conatibus, inque ligatis
> Motus inest, non error abest, etc.

Quæ nos alibi posuimus[8].

Sic Ambrosius[9], « Est, *inquit*, naturalis quædam etiam nostræ infirmitatis ebrietas, ut impetu delectationis feramur in vitium : sicut plerique juvenili accensi calore, aut luxuria, et delectatione flammati, aut avaritiæ rapti cupiditate. » Ut de illis usurpari jure ista possint[10] : *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.*

Jam dominatus, ac potestas tum sui, tum

(1) CHRYS. tom. 5. hom. 98. pag. 647. Ἐπεὶ οὖν ἡ εἰκὼν αὐτὴ διαφόρως, ὡς εἴρηται εἰπόντες, ἐφθάρτο καὶ διελέλυτο, ἦλθεν ὁ Σωτὴρ, καὶ τὴν ἰδίαν εἰκόνα πάλιν ἀνέστησε, καὶ ἣν κατέσπασεν ὁ διάβολος, ταύτην ἐφόρεσεν ὁ δημιουργὸς ἄνθρωπος γενόμενος.

(2) ANDR. Cret. in calce hom. de Incarnat. p. 27. Ὁ δὲ τὴν ἡμετέραν οὐσίαν ἀναλαβὼν εἰς ἑαυτὸν ἀνεμόρφωσε, ἀποδοὺς τῇ φύσει τὸ κατ' εἰκόνα, καὶ τὸ πρῶτον ἀξίωμα, ὃ δι' ἀπροσεξίαν τῶν πρωτογόνων ἀπώλεσε.

[1] Tom. 5. Sav. pag. 645. et seq. — [2] Lib. 6. c. 5. § 11. et lib. 8. cap. 5. — [3] Cap. 2. et seq. tom. 3. — [4] Prosp. lib. cont. Coll. c. 18.

[5] Eph. 2. 3. — [6] Eph. 5. 8. — [7] Col. 1. 13. — [8] Tom. 3. lib. 4. de Opif. c. 9. § 11. — [9] Lib. de Noe et Arca c. 29. — [10] Psal. 106. 27.

ceterorum omnium, quæ subjecta iis erant, eadem peccati strage conciderunt. Siquidem « Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum, » ut ait Augustinus [1] : cujus et aliæ quamplurimæ sententiæ extant, et a nobis alio in loco nonnullæ commemoratæ sunt [2], quibus liberum arbitrium, ac libertatem sibi ac posteris amisisse peccato primum hominem asserit. Nimirum quod fractis, ac debilitatis viribus, niti per sese nequeat, ad id quod rectum, honestumque sit : ut ibidem pluribus exposui : ubi [3] et de servitute libertati eidem contraria, in quam vitio suo genus incurrit hominum, multa disputata sunt. De morte vero, cujus ex peccato necessitas fluxit, dixi in secundo libro de Opificio [4].

XI. Adversus hæc calamitosæ, ac desperatæ naturæ hominum vitia, et incommoda destinatus est a Deo redemptor, ac medicus Christus Dominus : qui [5] *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : qui [6] *dormientes*, et *mortuos* excitat, et illustrat : per quem Deus Pater [7] *eripit nos de potestate tenebrarum.* Venit, ut [8] *lux esset mundi :* ut *qui sequuntur eum, non ambulent in tenebris, sed habeant lumen vitæ.* Ut haberent homines, quo [9] *confortante*, et corroborante *omnia possent :* qui eos [10] *liberaret a lege peccati et mortis.* Nam quod *impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum; ut justificatio legis impleretur in nobis.* Ut [11] *fieret nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Venit ad nos [12] *Veritas*, ut *eam agnosceremus*, et ea cognita *liberaret nos.* Quia *qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Quare [13] *non jam sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Venit denique [14] *vita et lux hominum*, ut [15] *non pereant homines, sed habeant vitam æternam* : et [16] *transeant a morte ad vitam*. [17] *Venit* enim *ut vitam habeant, et abundantius habeant.* [18] *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors :* cum videlicet [19] *absorpta fuerit mors in victoria.*

XII. Hæc omnia Incarnationis, ac redemptionis præmia, quorum largiendorum causa Dei filius venisse se profitetur; partim hac in vita repræsentantur; partim in futuram reservata sunt : quando [20] *creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, ac *nos ipsi redemptionem corporis nostri* percipiemus. Nunc autem velut in antecessum, quæ ad perfectum illum assequendum statum necessaria sunt, divina gratia suppeditat. Quæ mentis humanæ cæcitatem et ignorantiam discutit, imbecillitatem roborat, libertatem restituit, vitam et immortalitatem recuperat. Hic enim primus velut aditus, et ingressus est gratiæ Christi, ut cœlesti luce perfundat animum : nec tamen in sola revelatione, et illuminatione sistens, voluntatem suavi et robusto quodam ardore charitatis inflammet; ut alibi est dictum [21]. Hinc Augustinus [22] « inspirationem illam » nominat « flagrantissimæ, et luminosissimæ charitatis. » Et Fulgentius de Redemptoris necessitate agens [23], « Inquirendus fuit unus, *inquit*, cujus esset reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute, ut æqualitas æterna justificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret invalidam. » Et episcopi Africani in synodica e Sardinia scripta [24] : « Cujus, aiunt de gratia loquentes, lumine illuminatur, et juvamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. » Propterea gratiam hanc Mediatoris appellat Augustinus [25] tum « scientiam, ac lucem, qua illuminantur tenebræ » hominum : tum « victricem delectationem, et suavitatem. » Ut enim [26] « innotescat quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. » Hanc eamdem gratiam vocat Augustinus [27] doctrinam et persuasionem, qua sic docet, ut moveat, et trahat : quando [28] vocatione alta, atque secreta sic hominis agit sensum Deus, ut legi atque doctrinæ accommodet assensum. »

[1] Aug. in Ench. c. 30. — [2] Tom. 3. lib. 4. de Opif. c. 7. — [3] Maxime cap. 8. lib. ejusdem. — [4] Cap. 10. — [5] Joan. 1. — [6] Eph. 5. 14. — [7] Col. 1. 14. — [8] Joan. 8. 12. — [9] Phil. 4. 13. — [10] Rom. 8. 2. — [11] 2. Cor. 1. 30. — [12] Joan. 8. 32. et seq. — [13] Gal. 4. 31. — [14] Joan. 1. 4. — [15] Joan. 3. 15. — [16] Joan. 5. 24. — [17] Joan. 10. 10.

[18] 1. Cor. 15. 26. — [19] Ibid. ver. 54. — [20] Rom. 8. 21. Vide Aug. in Psal. 37. p. 227. D. — [21] Tom. 3. lib. de Pelag. cap. 8. et seq. — [22] Lib. 1. de Gr. Chr. c. 35. — [23] Fulg. 2. ad Tras. c. 2. — [24] Inter Fulg. — [25] Lib. 2. de pecc. mer. c. 19. — [26] Ibid. opera c. 17. — [27] Lib. de Præd. c. 8. — [28] Aug. ep. 107. pag. 188.

CAPUT OCTAVUM.

Alii fines Incarnationis : — 1. Ut homines fierent filii Dei, quod e Scripturis probatur, — 2. et Patribus. — 3. Quod et primogeniti appellatio declarat. — 4. Ideo fratres nos vocat. Et dignitas ista novi propria Testamenti. — 5. Finis alius Incarnationis, ut unum cum Deo fierent homines. — 6. Unde et caput nostrum est, et nos illius membra. — 7. Quare assumpto uno homine, omnes quodammodo assumpti sunt homines. — 8. Ideo naturam non singularem, sed universalem assumptam esse dixerunt aliqui. — 9. Et quæ in Christo gesta sunt, nobis attribuuntur.

I. Est ille quoque primarius fructus, et a Deo præcipue spectatus finis, ac scopus Incarnationis, quem evangelica et apostolica scripta declarant : filiorum Dei, et cœlestis adoptionis honor ac dignitas ; quam jus æternæ capiendæ vitæ, tanquam hæreditatis adeundæ consequitur. Hujus Christi parti meritis, et hominibus desponsi præmii meminit in ipso statim evangelicæ narrationis exordio Joannes. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum*, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* : quos et *ex Deo natos esse* dicit. Idem etiam in capite 11. Caipham summum sacerdotem instinctu Spiritus sancti, respondisse scribit [1], *Expedire ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Quam deinde sententiam explicans, finem passionis Christi, et videlicet universæ illius οἰκονομίας, hunc esse docet ; *Quod Jesus moriturus erat pro gente ; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

In prima item epistola [2], *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Apostolus quoque Paulus immensum illud beneficium, et fructum singularem missi a Patre unigeniti Dei filii persæpe commendat. Ut cum *accepisse* Christianos ait [3] *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro , quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et alibi [4], *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Tum [5], *misisse Deum Filium suum asserit, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum.*

II. Frequens illud ipsum apud antiquos Patres, nec sine maxima divinæ bonitatis prædicatione usurpatum legitur : ut cum eorum plerique loquuntur sic [6] : « Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. » Et [7], « Unicus natura Dei Filius propter nos misericordia factus est filius hominis, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illius gratiam fieremus. » Ac præclare idem Augustinus alio in loco, dissimiliter ac patres solent alii, fecisse Deum Patrem ait : Nam [8] « multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate, adoptant sibi ; et voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est, et non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus ; unicum eumdem ipsum, quem genuerat, et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. » Bernardus præterea [9], « Quare Filius Dei, *inquit*, factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei ? » Sed ante hos Irenæus [10], « (1) Propter hoc enim, *ait*, Verbum Dei homo, et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei. » Quem Irenæi locum affert Theodoretus, sed paululum verba commutans. Et in præfatione ad librum quintum Irenæus idem, « Qui propter immensam suam dilectionem, *ait*, factus est quod sumus nos, ut nos perficeret esse quod est ipse. » Cyprianus quoque initio libri de Opere et eleemosynis : « Filius missus, et hominis filius esse voluit, ut nos Dei filios faceret. »

Athanasius idipsum crebris, ac repetitis sententiis inculcat. « (2) Hominis, *inquit*, factus est filius ; ut filii hominis, hoc est Adami,

(1) IREN. apud Theod. dial. pag. 55. Εἰς τοῦτο γὰρ ὁ Λόγος ὁ ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος χωρήσας τὸν Λόγον, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν, Υἱὸς γένηται Θεοῦ.

(2) ATH. de Hum. nat. suscep. pag. 468. Υἱὸς ἀνθρώπου γέγονεν, ἵνα οἱ υἱοὶ τοῦ ἀνθρώπου, τουτέστι Ἀδὰμ, υἱοὶ τοῦ Θεοῦ γένωνται, etc. καὶ διὰ τοῦτο ἑαυτὸν Υἱὸν ἀνθρώπου καλεῖ, ἵνα οἱ ἄνθρωποι Θεὸν καλέσωσι Πατέρα ἐν οὐρανοῖς. Or. 2. con. Ar. pag. 168.

[1] Joan. 11. 50. — [2] 1. Joan. 3. — [3] Rom. 8. 15. — [4] Gal. 3. 26. — [5] Gal. 4. 4. — [6] August. serm. 13. de Temp. p. 216. A. — [7] Aug. 21. de Civit. Dei. c. 15. — [8] Id. Tractat. 2. in Joan. p. 9. A. — [9] Serm. 1. de Nativ. — [10] Lib. 3. cap. 21.

filii Dei fierent. » Tum : « Ideo seipsum vocat filium hominis, ut homines Deum appellent Patrem in cœlis. »

III. Joannes quoque Chrysostomus : « (1) Filius, *inquit*, carentis principio Dei, et germanus filius. Davidis filius vocari sustinuit, ut te faceret Dei filium. Sustinuit patrem habere servum, ut servo tibi patrem faceret Dominum. » Et alibi : « (2) Germanus Dei filius, factus est hominis filius, ut hominum filios faceret filios Dei. »

Fulgentius in libro de incarnatione et gratia Christi, capite 7. « Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. Ideo namque Christus filius Dei, id est verus Deus, et vita æterna, natus et mortuus est in veritate carnis, ut nos spiritualiter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis, etc. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo, Spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima nativitate naturæ non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos quod primæ nativitatis non fuimus, gratia secundæ nativitatis essemus. »

Atque hoc Dei fuisse consilium, quando filium nobis suum donavit, testatur Apostolus[1]: ut *quos præscivit, et prædestinavit, conformes fierent imaginis filii sui : ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Idque adeo vocabulum ipsum *primogeniti* demonstrat. « (3) Sic enim nominatur, ait Cyrillus, sacra in nobis significante Scriptura, omnes nos in Filio, et per Filium ad æqualem ipsi formam vocari, dum filii Dei per gratiam efficimur. » Et libro nono in Joannem, ea maxime de causa unigenitum Dei filium hominem esse factum docet, « (4) ut nos filios Dei faceret, dum ad præstantiorem natura dignitatem eos, qui in terra degebant, regeneraret in spiritu. » Ita enim *instaurasse*, id est ἀνακεφαλαιώσασθαι, et in antiquum revocasse statum prolapsam hominum stirpem. Andreas item Cretensis in sermone de Annuntiatione eamdem causam Incarnationis refert, « (5) ut homo Deus efficiatur. » Et Cyprianus libro de Idolorum vanitate, « Quod homo est, *inquit*, esse Christus voluit, ut homo possit esse quod Christus est. »

IV. Cyrillus vero libro 10. in Joannem, « (6) hujus rei gratia nostri similem apparuisse » dicit, « hoc est nuncupatum, et factum esse hominem, ut eum, qui olim exosus erat, propter primam illam prævaricationem, et, quod deinceps irruperat, peccatum, Deo dilectum efficeret. Nam propterea janua, et principium, et via nobis omnium bonorum venisse Christus dicitur. » Eleganter quoque Gregorius Thaumaturgus, ut quidem inscribitur « (7) Christum *ait* cœlum atque terram sancto corpore suo, velut ponte, junxisse. » Nimirum, « quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ut per Deum Verbum carnem factum, caro proficeret in Deum Verbum, » ait Paschasius Radbertus[2].

Paulinus quoque Nolanus Epistola 53. « Ita, *inquit*, per Christum Deo juncti, et insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra nostra Spiritum sanctum, quem dedit nobis, et nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi, quia intervallum istud immensum, quo a divinis mortalia disparantur, medio et inter utraque communi interventu suo, velut quodam (ut sic dixerim) ponte continuat, ut ejus tramite terrena cœlestibus conserantur. »

Vide Augustinum tractatu secundo in Joannem : et Bernardum sermone suo sexto de ascensione Domini : qui Christum carne sua usum esse dicit, « ut qui assurgere adhuc ad spiritalia non prævalebant, eos in suæ carnis provocaret affectum, atque ita paulatim ad Deum attolleret. » Idem etiam sermone vigesimo in Cantica. « Ego, *inquit*, arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in

(1) Chrys. hom. 1. in Mat. pag. 9. Υἱὸς ὁ τοῦ ἀνάρχου Θεοῦ, καὶ γνήσιος Υἱὸς, ἠνέσχετο ἀκοῦσαι καὶ Δαβὶδ Υἱὸς, ἵνα σε ποιήσῃ καὶ Θεοῦ Υἱόν. Ἠνέσχετο Πατέρα αὐτῷ γενέσθαι δοῦλον, ἵνα σοὶ τῷ δούλῳ Πατέρα ποιήσῃ τὸν δεσπότην.

(2) Id. hom. 11. in Joan. pag. 598. Ἐγένετο γὰρ Υἱὸς ἀνθρώπου, Θεοῦ γνήσιος ὢν Υἱὸς, ἵνα τοὺς τῶν ἀνθρώπων υἱοὺς τέκνα ποιήσῃ Θεοῦ.

(3) Cyr. lib. 25. Thes. pag. 242. Καλεῖται δὲ τοῦτο, δεικνυούσης ἡμῖν τῆς θείας γραφῆς, ὅτι πάντες ἐν Χἰῷ, καὶ δι' Υἱοῦ πρὸς τὸ ἴσον αὐτῷ σχῆμα καλούμεθα, υἱοὶ Θεοῦ χάριν ἀναδεικνύμενοι.

(4) Cyr. 9. in Joan. pag. 820. Καὶ υἱοὺς ἡμᾶς ἀποδείξῃ Θεοῦ, πρὸς τὸ ὑπὲρ φύσιν ἀξίωμα τοὺς ὄντας ἐπὶ γῆς ἀναγενήσας ἐν Πνεύματι.

(5) Andr. pag. 15. Ἵνα ὁ ἄνθρωπος θεωθῇ.

(6) Cyr. 10. in Joan. pag. 833. Ἐπέφηνε γὰρ διὰ τοῦτο καθ' ἡμᾶς, τουτέστι κεχρηματικε καὶ γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα τὸν πάλαι μεμισημένον, διὰ τὴν ἐν ἀρχῇ παράβασιν, καὶ τὴν ἐν τῷ μεταξὺ παρεισφήσασαν ἁμαρτίαν, ἀγαπητὸν ἀποτελέσῃ τῷ Θεῷ. Θύρα γὰρ διὰ τοῦτο, καὶ ἀρχὴ, καὶ ὁδὸς ἁπάντων ἡμῖν τῶν ἀγαθῶν πεφυκέναι λέγεται Χριστός.

(7) Greg. Thaum. tom. 7. oper. Chrys. pag. 658. ver. 37. Σὺ ὁ τὴν γῆν, καὶ οὐρανὸν γεφυρώσας τῷ ἁγίῳ σου σώματι.

[1] Rom. 8. 29.

[2] Pasc. lib. de corp. et sang. Domini col. 1558. B.

carne videri, et cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritalem. »

Maximus martyr in capitulis Theologicis, ab Euthymio citatus in Panoplia [1], « (1) Qui sine peccato, *ait*, factus est homo, prorsus sine conversione in divinitatem, Deum faciet hominem; ac tantum propter se, ipsum attollet, quantum propter illum sese depressit. »

Gregorius Nazianzenus, enumeratis appellationibus Christi, quas post Incarnationem adeptus est, velut sunt *pastoris*, *ostii*, etc. ita concludit : « (2) Ambula per illas, tum per sublimes, et excelsas, divine ; tum per corporeas, humane : imo vero, prorsus divine; uti Deus efficiaris ab imo subvectus, propter eum, qui de sublimi salutis nostræ gratia descendit. » Vide et orationem 35 [2].

Nec secus Gregorius Nyssenus sub initium libri undecimi contra Eunomium, hac de causa susceptum hominem affirmat, (3) ut Adami posteros abdicatos, et rejectos a Patre, in pristinam dignitatem restitueret, ac reconciliaret. Ideo fratres illos post resurrectionem nominasse, quando Magdalenam ad apostolos misit. Pulchre itaque Richardus Victorinus [3] quod una de Trinitate persona quasi illudendo dixerat [4], *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, id in contrarium vertisse ait : « Ecce ad detergendum opprobrium nostrum, Deus Dei filius factus est nobis Emmanuel, etc. Certe si dicitis ironice, quia homo factus est quasi unus ex nobis; nos de cetero dicemus, tam fidenter, quam veraciter, quia Deus factus est quasi unus ex nobis. » Et capite sequenti, « Deum factum esse Emmanuelem [5], *ut sciret reprobare malum, et eligere bonum*, ut fieret homo sicut Deus sciens bonum et malum. »

Huc illa pertinent, quæ nos alibi plenius de hac filiorum dignitate disputavimus [6] : quam et novi Testamenti propriam esse, et a Christo tributam post Incarnationem, ejusque merito, et efficientia, latissime demonstravimus, idque ipsum singulari prorsus, et stupenda factum esse ratione diximus ; nimirum communicata nobiscum, et infusa Spiritus sancti substantia. Quo quidem ex capite majorem in modum divini illius beneficii vis ac splendor illucescit; ex quo incredibilis, si recte ponderetur, cum admiratione, amor in nobis auctoris excitari potest.

V. Convenit cum isto fine Incarnationis, alius quidam ab antiquis notatus theologis : Verbum idcirco descendisse ad naturæ nostræ conditionem, ut nos propius sibi conjungeret, et unum quodammodo faceret secum, postquam semel « susceptus homo in naturam divinitatis acceptus est, » ut ait Hilarius [7]. « Longe a nobis erat, et multum longe, ait Augustinus [8]. Quid tam longe, quam conditum, et conditor? Quid tam longe, quam Deus, et homo? Quid tam longe quam justitia, et iniquitas? Quid tam longe quam æternitas, et mortalitas? Ecce quam longe erat Verbum in principio, Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia. Quomodo ergo factus est prope, ut esset quod nos, et nos in illo? Verbum caro factum est. » Et videlicet ad Apostoli locum illum respexit [9], *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* [10] *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Quippe « in altitudine sua divinitas a nobis utpote parvulis apprehendi non potuerat, sed stravit se hominibus per humilitatem; et quasi in jacentem ascendimus : surrexit, et levati sumus; » ait Gregorius papa [11]. Cui affine istud est Augustini [12] : « Hoc est enim lac parvulorum, quod temperavit panem trajiciens per carnem. Nam panis ille angelorum, in principio erat Verbum. Ut tamen panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo. Ita nobis Verbum incarnatum factum est receptibile : quod recipere non valeremus, si Filius æqualis Deo non se exinaniret, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu

(1) Max. cent. 1. cap. Theol. cap. 62. Ὁ χωρὶς ἁμαρτίας ἐνανθρωπήσας, πάντως χωρὶς τῆς εἰς θεότητα μεταβολῆς θεώσει τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἀναβιβάσει δι' ἑαυτὸν, ὅσον ἑαυτὸν κατεβίβασε διὰ τοῦτον.

(2) Naz. or. 36. in calce pag. 592. Βάδιζε δι' αὐτῶν, ὅσαι τε ὑψηλαὶ, θεϊκῶς, καὶ ὅσαι σωματικαὶ, συμπαθῶς· μᾶλλον δὲ θεϊκῶς, ἵνα γένῃ Θεὸς, κάτωθεν ἀνελθὼν, διὰ τὸν κατελθόντα δι' ἡμᾶς ἄνωθεν.

(3) Nyss. lib. 11. con. Eun. pag. 283. D. Ὅτι οὐκέτι ἐν ἀποκρύπτοις ὁ ἄνθρωπος, οὐδὲ τῆς τοῦ Θεοῦ βασιλείας ἀπόβλητος. Ἀλλὰ πάλιν Υἱὸς, πάλιν ὑπὸ τὸν Θεὸν τεταγμένος, τῇ ἀπαρχῇ τῆς ἀνθρωπότητος συναγιασθέντος καὶ τοῦ φυράματος.

[1] Euth. Lat. Tit. 7. p. 134. — [2] Naz. Or. 35. p. 575. — [3] Lib. 1. de Emma. cap. 19. — [4] Gen. 3. 22. — [5] Isa. 7. 15. — [6] Lib. 8. de Trin. c. 8. — [7] Hil. in ps. 68. p. 247. F. — [8] Trac. 21. in Joan. — [9] Eph. 2. 13. — [10] Hebr. 2. 14. — [11] Greg. 16. Mor. c. 14. — [12] Aug. inps. 109. p. 525.

inventus ut homo. Ut ergo utcumque capere possemus eum, qui non posset capi a mortalibus, mortalis factus est immortalis, ut peracta sua morte faceret immortales. »

VI. Hanc ipsam causam Gregorius alter Nazianzenus recenset Oratione 36. « (1) Ut qui capi non potest, capiatur interposita carne, tanquam velo quodam nobiscum degens. » Ita Chrysostomus verbum Dei carnem induisse scribit, « (2) ut teneretur qui teneri non potest. » Etenim quod præclare Cyrillus Alexandrinus docet, (3) « quoniam ad nudam quodammodo, et simplicem divinitatis gloriam accedere non poterat humana natura propter insitam imbecillitatem, similitudinem nostram utiliter subiit Unigenitus. »

Novatianus in libro de Trinitate, etsi habet nonnulla haud satis accurate dicta de Christo, ut alias observavimus[1], illud de causa Incarnationis, et adventus ipsius commode scripsit: hunc eo pertinere, « ut mediocritas, et fragilitas conditionis humanæ Deum Patrem videre aliquando jam tunc adsuesceret in imagine Dei, hoc est in filio Dei, etc. Sic ergo et Christus, id est imago Dei, et filius Dei ab hominibus inspicitur, qua poterat videri. Et ideo fragilitas, et mediocritas sortis humanæ per ipsum alitur, producitur, educatur, ut aliquando Deum quoque ipsum Patrem, adsueta Filium conspicere, possit ut est videre. »

VII. Hanc hominum omnium arctissimam cum Deo conjunctionem, qua unum cum illo fiunt, ex Incarnatione manasse, ac primarium hujus scopum fuisse, finemque, Christus ipse loquens ita significat[2]; *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti.* Ubi tam inter se unum esse, quam cum Deo, fideles optat; idque ad argumentum valere divinitatis suæ, ac missionis a Patre. Itaque in eum finem missus sit oportet.

Apostolus item *unitionem* illam, vel *unitatem*, quæ est hominum invicem, et cum Deo, non minus crebra, quam plena gravitatis, et solatii oratione prædicat: dum nos unum facere corpus, et ejusdem esse membra corporis asserit[3], cujus *caput* est *Christus*, ut et *Christi Deus*. In epistola ad Romanos[4], *Multi*, inquit, *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quod etiam uberius exponit in priore ad Corinthios[5]. Et ad Ephesios scribens[6], *Ipsum*, inquit, *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Quæ verba divino afflata, animataque spiritu, mirifice conjunctionem illam, et humanæ per Incarnationem dignitatis excellentiam illustrant. (4) Nam ut humano in corpore, si solum sit caput, ac membra desint, vel omnia, vel aliqua, caput ipsum mutilum, defectumque censetur; idemque si membra constent reliqua, plenum et integrum habetur: ita Christus secundum omnia membra in omnibus fidelibus, et per omnes adimpletur. Quocirca Christus ipse, qua caput est, non totius modo reliqui corporis, sed singulorum etiam fidelium, velut membrorum indiget: ut adnotant Chrysostomus, Œcumenius, ac Theophylactus. Unde nostra cum Christo, necnon cum Deo Patre consociatio, et ἕνωσις, ac συγγένεια, hoc est *unitio*, et *cognatio*, ut scribit Œcumenius, incredibiliter extollitur. Quippe Theodoretus istud etiam ad Patrem refert, et eodem sensu dictum esse putat, quo alterum illud[7]: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ideoque plenum illius unitatis effectum nonnisi in altera vita, postque mundi finem, ac judicium fore credit: quod etiam supra de toto genere ac fructu redemptionis usurpavimus.

« Non ergo est dubium (ait Leo sermone 14. de Passione) naturam humanam in tantam connexionem a filio Dei esse susceptam, ut non solum in illo homine, qui est primogenitus totius creaturæ, sed etiam in omnibus sanctis suis unus, idemque sit Christus. Quamvis enim non istius vitæ sit, sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus; tamen etiam modo templi sui, quod est Ecclesia, indivisus habitator est. »

VIII. Atque hujusmodi quidem cum Deo

(1) Naz. or. 36. pag. 631. Ἵνα χωρηθῇ ὁ ἀχώρητος διὰ μέσης σαρκὸς ὁμιλήσας ἡμῖν ὡς παραπετάσματος.

(2) Chrys. tom. 5. hom. 106. pag. 697. Ἐνδύεται σάρκα, ἵνα κρατηθῇ ὁ μὴ κρατούμενος.

(3) Cyr. dial. 1. de Trin. pag. 399. C. Ἐπειδὴ γὰρ οἱονεί πως γυμνῇ, καὶ ἀκράτῳ τῇ τοῦ θεότητος δόξῃ προσβαλεῖν οὐχ οἷα τε ἦν ἡ ἀνθρώπου φύσις, διὰ τὴν ἐνοῦσαν ἀσθένειαν, ὑπέδυ χρησίμως τὴν πρὸς ἡμᾶς ὁμοίωσιν ὁ μονογενής.

(4) Chrys. hom. 3. in ep. ad Eph. Πλήρωμά φησι τοῦτέστιν οἷον κεφαλὴ πληροῦται παρὰ τοῦ σώματος· διὰ γὰρ πάντων μερῶν τὸ σῶμα συνέστησε, καὶ ἑνὸς ἑκάστου χρῄζει· ὅρα πῶς αὐτὸν κοινῇ πάντων χρῄζοντα εἰσάγει.

[1] Lib. 1. de Trin. c. 5. § 5. — [2] Joan. 17. 21. — [3] 1. Cor. 11. 3.

[4] Rom. 12. 5. — [5] 1. Cor. 12. — [6] Eph. 1. 22. — [7] 1. Cor. 15. 28.

copulationi illud est consentaneum, quod complures asserunt antiqui, Dei Filium, uno singulari assumpto homine, ut loquuntur ipsi; vel natura potius ex innumeris, una; totam assumpsisse speciem, et omnes ac singulos homines, in eamdem quodammodo conjunctionem accepisse. Athanasius certe, « (1) cum Verbo nos etiam copulatos fuisse » dicit; atque ita cum Deo « nexos haud amplius in terra manere. » Et in Oratione quarta eximie locum hunc pertractat, illa Christi verba explicans, quæ paulo ante posui [1] : *Ut omnes sint unum, sicut tu in me, et ego in te.* Quæ sic enarrat : « (2) Uti tanquam omnes a me gestati, omnes unum sint corpus, et unus spiritus, et in virum perfectum occurrant. » Et postea : « (3) Ut dii effecti, unum sint in nobis. » Et alibi, « (4) nos Verbo de cœlo delapso conjunctos, in cœlum ab ipso subvectos » ait. Item ista præclare : « (5) Quemadmodum Dominus corpus induens homo factus est, ita nos homines a Verbo deificamur, per carnem ipsius assumpti. »

IX. Gregorius Nyssenus humanum genus universum in assumptis a Verbo primitiis virtute comprehensum fuisse scribit [2] ; cujus verba reddam postea. Et in libro Catechetico, « (6) Quando Christus resurrexit, in humana ab illo assumpta concretione, et compositione, cum post dissolutionem anima rursus ad corpus rediisset, velut a quodam initio, in universam hominis naturam virtute transiisse ex æquo communicatam ejus, quod dissolutum fuerat, unitionem » affirmat.

Cujus causam plenius postea in libro eodem edisserit : « (7) Quoniam, *inquit*, non aliunde, quam ex massa nostra, caro illa erat, quæ Deum excepit, quæque per resurrectionem cum divinitate simul in altum est evecta; quemadmodum in nostro corpore unius ex sensuum instrumentis actio totum ad consensum trahit id, quod cum parte conjunctum est : ita, perinde ac si natura tota unum quoddam sit animal, unius resurrectio partis transit in totum, quæ quidem pro naturæ continuitate, et unitione, a parte in universum diffunditur. »

Hinc Ambrosius [3], « Benedicitur, *inquit*, in Christo terra, hoc est caro, ut a priore maledicto solvatur. Benedicitur caro, quam benedictus Filius Dei assumpta hominis conditione suscepit. » Et Hilarius libro secundo : « Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est : sed nos eguimus ut Deus caro fieret, et habitaret in nobis, id est assumptione carnis unius, interna universæ carnis incoleret. »

X. De hac nostra cum Deo conjunctione, qua unum sumus cum eo propter ascitam ab una persona naturam nostram, memorabilis est ejusdem Hilarii locus in libro octavo de Trinitate : ubi duplici ex capite illam adstruit, Incarnationis, et Eucharistiæ. Nam utrobique propter carnis communionem unum efficimur cum incarnato Deo. « Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit; et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. » Vide Irænеum libro 5. capite secundo.

Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium, ex Cyrillo illam omnium nostrum cum Deo copulationem per unius singularis assumptionem naturæ, pulchre in his verbis indicat, quæ in postrema ad Patrem oratione Joannis capite 17. leguntur : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* « (8) Volo, *inquit*, ut et

(1) ATHAN. or. 3. pag. 240. Καὶ λοιπὸν συνήφθημεν καὶ ἡμεῖς τῷ Λόγῳ, συναφθέντες δὲ τῷ Θεῷ, οὐκέτι μὲν ἐπὶ γῆς ἀποκείμεθα.

(2) ATHAN. or. 4. pag. 268. Ἵνα ὡς πάντες φορεθέντες παρ' ἐμοῦ, πάντες ὦσιν ἓν σῶμα, καὶ ἓν Πνεῦμα, καὶ εἰς ἄνδρα τέλειον καταντήσωσι.

(3) Ibid. pag. 269. Ἀλλὰ καὶ θεοποιθέντες ἓν ὦσιν ἐν ἡμῖν.

(4) Ibid. pag. 276. Ἀλλ' ὡς τῷ ἐξ οὐρανῶν λόγῳ σύναφθέντες εἰς οὐρανὸν ἀναχθῶμεν παρ' αὐτοῦ.

(5) Ibid. pag. 277. Ὡς γὰρ ὁ Κύριος ἐνδυσάμενος τὸ σῶμα, γέγονεν ἄνθρωπος, οὕτως ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι παρὰ τοῦ Λόγου θεοποιούμεθα προσληφθέντες διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.

(6) GREG. Nyss. cap. 16. Catec. tom. 2. pag. 504. Ἐν γὰρ τῷ ἀναληφθέντι παρ' αὐτοῦ ἀνθρωπίνῳ συγκρίματι, πάλιν μετὰ τὴν διάλυσιν, πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς ἐπανελθούσης, οἷον ἀπό τινος ἀρχῆς, εἰς πᾶσαν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν τῇ δυνάμει κατὰ τὸ ἴσον ἡ τοῦ διακριθέντος ἕνωσις διαβαίνει.

(7) Ibid. cap. 32. pag. 524. et cit. a Theod. dial. 3. pag. 164. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἄλλοθεν, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἡμετέρου φυράματος, ἡ θεοδόχος σὰρξ ἦν, ἡ διὰ τῆς ἀναστάσεως συνεπαρθεῖσα τῇ θεότητι, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς σώματος ἡ τοῦ ἑνὸς τῶν αἰσθητηρίων ἐνέργεια πρὸς ἅπαν τὴν συναίσθησιν ἄγει τὸ ἡνωμένον τῷ μέρει· οὕτω καθάπερ τινὸς ὄντος ζώου πάσης τῆς φύσεως, ἡ τοῦ μέρους ἀνάστασις ἐπὶ τὸ πᾶν διεξέρχεται, κατὰ τὸ συνεχές τε, καὶ ἡνωμένον τῆς φύσεως, ἐκ τοῦ μέρους ἐπὶ τὸ ὅλον συνδιδομένη.

(8) EPHRÆM. apud Phot. cod. 229. pag. 421. Οὕτω βούλομαι ἕνα καὶ αὐτοὶ εἰς ἑνότητά τινα συναχθέντες ἀλλήλοις ἀνακραθῶσι, καὶ ὥσπερ ἓν σῶμα γενόμενον ἐν ἐμοὶ πάντες ὦσιν, ὡς πάντας φορεῦντι διὰ τοῦ ἑνὸς ἀναληφθέντος ναοῦ.

[1] Joan. 27. 22. — [2] Lib. 1. cont. Eun. pag. 45. tom. 2.

[3] Ambr. in Psal. 218. Oct. 6. col. 917.

ipsi in unitatem quodam modo collecti in se invicem misceantur, ac velut unum corpus effecti omnes in me sint, utpote qui omnes illos in uno templo gero, quod assumpsi. »

Sic Titus Bostrensis (sic enim, falso licet, inscribitur) ad caput Lucæ 12. « (1) Christum *ait* per massæ nostræ primitias universam naturam humanam induisse. »

Et Leo papa sermone primo de Epiphania, « naturam universæ humanitatis assumptam » ait. Vide Cyrillum libro primo contra Nestorium [1].

Adjuva thanc unitatis nostræ cum Deo prærogativam etiam illa græcorum quamplurimorum Patrum sententia; qui humanam assumptam a Christo naturam non singularem fuisse putant, sed universalem. Quod quidem dextre accipi debet. Alioqui stulto et ridiculo errore nos implicabit. Vide ergo quæ in libro de Trinitate quarto de eo diximus [2]: tum quæ postea in explicanda naturæ assumptæ conditione dicturi sumus.

XI. Certe homines omnes quodammodo in uno contineri, et in eo, quem sibi Dei Filius adjunxit, comprehensos fuisse, eoque nomine unum nos cum illo factos esse, ac participes omnium, quæ illi contigerunt, et consortes; sententia est Apostoli, multis, et illustribus approbata testimoniis. Exempli causa; in epistola ad Romanos, capite sexto, *mortuos nos esse cum Christo* dicit, *et in morte ipsius baptizatos*. Et alibi [3]: *Charitas Christi urget nos*, inquit, *æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Sic ejusdem Christi resurrectionem, et secutam ex ea gloriam, ac splendorem, non spe solum ac pollicitatione communicari nobiscum; sed in hac etiam vita repræsentari asserit, ut quasi jam reipsa compotes bonorum illorum, et participes simus.

Ita enim ad Ephesios scribens [4], *Deus autem qui dives est*, ait, *in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus*.

Resurrexisse nos, et in cœlo jam regnare, ac considere dicit, non solum quia id certa fide, ac spe velut partum, ac præsens quodammodo tenemus: verum etiam quod in Christo jam revera bonis illis fruimur. « (2) Siquidem Christo a mortuis excitato, capite nostro, et nos una surreximus; et sedente capite, una et corpus sedet, » ut ait Chrysostomus; nec non Œcumenius, ac Theophylactus.

Denique causas illas omnes fere, quas toto hoc capite complexi sumus, et alias similes brevi compendio perstrinxit Gregorius Nazianzenus Oratione prima [5], quem locum operæ pretium sit legere.

CAPUT NONUM.

1. Finis alius Incarnationis, ut Mediator esset aliquis Deum inter, et hominem. — 2. Cujus fructus explicatur, — 3. in eo maxime positus, ut cœlestia nobis dona communicentur. — 4. Ex quo valde aucta, et amplificata dignitas conditionis humanæ; — 5. idque variis similitudinibus illustratur. — 6. Eodem spectat finis alter Incarnationis; ut carnem, sive humanam naturam corruptam sanaret, — 7. ac roboraret; — 8. ut virtutum in eam omnium ornamenta congereret; — 9. ut auxilia gratiæ, quam quæ Adamo concessa fuerant, potentiora conferret.

I. Arctissimæ illius, quam ex Christi incarnatione percepimus, cum Deo necessitatis, et conjunctionis index, argumentumque est, Mediatoris appellatio, et conditio, quam illi divinæ Scripturæ vindicant: Est enim [6] *unus mediator Dei, et hominum homo Christus Je-*

(1) Titus Bost. tom. 13. bibl. pag. 795. Ἀλλ' ὁ πᾶσαν ἀνθρωπίνην φύσιν διὰ τῆς ἀπαρχῆς τοῦ φυράματος περιθέμενος.

(2) Chrys. hom. 4. in ep. ad Eph. pag. 781. Εἰ μὴ ὅτι τῆς κεφαλῆς ἀναστάσης, καὶ ἡμεῖς ἠγέρθημεν, etc. οὐκοῦν οὕτω καὶ συνέκαθισε, τῆς γὰρ κεφαλῆς καθεζομένης, καὶ τὸ σῶμα συγκάθηται.

[1] r. om. 6. p. 5. — [2] Cap. 9. — [3] 2. Cor. 5. — [4] Eph. 2. 4. — [5] Pag. 11. et seq. — [6] 1. Tim. 1. 5.

sus. Qui propterea duplici natura præditus esse debuit, ut et ambos invicem, Deum, hominemque conciliaret, et conjungeret; et abjectam, ac jacentem naturam alteram communione alterius erigeret, in altumque tolleret. « Oportuerat (inquit Irenæus libro tertio capite 20.) mediatorem Dei et hominum per suam ad utrosque domesticitatem (id est cognationem) et ad amicitiam, et concordiam utrosque reducere, et facere ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo, » (imo, et hominibus patefaceret Deum.) Cyrillus Alexandrinus eadem mente, « (1) Mediator, *ait*, hoc pacto etiam intelligitur : dum ea, quæ natura longe dissita sunt, et immenso intervallo disjuncta, divinitatem scilicet, et humanitatem, conjuncta, et unita monstravit in seipso, et nos per seipsum Deo Patri copulavit. » Ita Gregorius Nyssenus « (2) ob id mediatorem esse Christum » scribit « Dei et hominum, quod per seipsum hominem cum divinitate conjungit. »

Eleganter Novatianus in libro de Trinitate, capite 13. « Si ad hominem veniebat, ut mediator Dei et hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter, atque cœlestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini, et hominem Deo copularet. »

II. Augustinus in libro undecimo de civitate Dei, capite secundo, eo ipso mediatorem esse Christum dicit, quo est homo, et via, qua homines ad Deum tendunt : « ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum. » Hic est enim mediator Dei et hominum Christus Jesus. « Per hoc enim mediator, per quod et homo, per hoc et via. Quia si inter eum, qui tendit, et illud, quo tendit, via media est, spes est perveniendi. Si autem desit, aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse, quo eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus, et homo; quo itur, Deus; qua itur, homo. » Causam hujus rei liquido explicat Fulgentius in primo ad Trasimundum [1], cujus verba suo loco referam cum de mediatore disputabitur.

« Parum enim erat Deo, ait Augustinus [2], ut filium suum faceret demonstratorem viæ : cum ipsum viam fecit, ut per illum ires regentem te, ambulantem per se. » Atque in eodem Tractatu expendit Augustinus, « Quam longe eramus! quam ille sursum! quam nos deorsum! quam ille in summo! quam nos in imo desperati jacebamus! Sine expectatione salutis ægrotabamus; missus est medicus, quem non cognovit ægrotus. »

Itaque « Christus, ut ait Prosper [3], naturam servi, et similitudinem recepit : ut quibus gradibus ad nostra ima descendit, ipsis possemus ad ejus summa confundere. »

Quantum porro commodi mediatoris illa functio, et proprietas derivarit in humanum genus, luculenter exponit Athanasius : ac cœlestium omnium donorum, quibus humana locupletata natura est, fontem, ac stirpem in ea constituit : tum etiam, quod nunc agimus, Incarnationis finem illum fuisse demonstrat. « (3) Propterea Verbum incarnatum est, *ait*, ut tanquam in ipsum collata dona, ad nos transeant; nam homo merus nunquam talibus dignatus esset; Verbum autem solum nihil horum indigeret. Quare nobiscum copulatum est Verbum : ac tunc potestatem suam nobis impertiit, et nos in altum provexit. Etenim Verbum existens in homine, sublimem hominem extulit ; et in homine existente Verbo, accepit homo. » Itaque Verbo imputantur omnia illa dona, et charismata, quæ Deus homini propter illud indulsit : et mediator utriusque, velut interjecta via est, qua et ad nos Deus, ac munera divina descendunt, et nos per eadem dona sublati ad Deum ascendimus.

III. Tam istam, velut in scala Jacobi, vicissitudinem ascensus ac descensus, quam ἀντίδοσιν illam, ut græci theologi vocant, hoc est donorum cœlestium imputationem, quæ Verbo fieri dicitur ab Athanasio; ac viam adeo hujusmodi,

(1) Cyr. dial. 1. de Trinit. pag. 405. Μεσίτης ἄρα καὶ τῇδε νοεῖται, τὰ πολὺ διῳκισμένα κατὰ τὴν φύσιν, καὶ ἀμέτρητον ἔχοντα τὸ μεσολαβοῦν, τουτέστι θεότητα, καὶ ἀνθρωπότητα, συνενεχθέντα τε, καὶ ἡνωμένα δεικνύων ἐν ἑαυτῷ, καὶ συνείρων ἡμᾶς δι' ἑαυτοῦ τῷ Θεῷ, καὶ Πατρί.

(2) Nyss. 1. contra Eun. pag. 45. Διὰ τοῦτο γίνεται μεσίτης ἅπαξ ὁ Κύριος Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, συνάπτων τὸν ἄνθρωπον δι' ἑαυτοῦ τῇ θεότητι.

(3) Athan. or. 5. pag. 305. E. Διὰ τοῦτο γὰρ ἐνηνθρώπησεν, ἵν' ὡς αὐτῷ διδόμενα, εἰς ἡμᾶς διακῇ. Ἄνθρωπος γὰρ ψιλὸς οὐκ ἂν ἠξιώθη τούτων. Λόγος δὲ πάλιν μόνος οὐκ ἂν ἐδεήθη τούτων. Συνήφθη οὖν ἡμῖν ὁ Λόγος, καὶ τότε τῆς ἐξουσίας ἡμῖν μετέδωκε, καὶ ὑπερύψωσεν. Ἐν ἀνθρώπῳ γὰρ ὢν ὁ Λόγος ὑπερύψωσε τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἐν ἀνθρώπῳ ὄντος τοῦ Λόγου, ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος.

[1] Cap. 15. — [2] In Psal. 109. pag. 521.

[3] Prosp. ad Psal. 119.

bene Cyrillus Alexandrinus declarat in Thesauris; cum scribit, Filium Dei, qui ex æterno ac per sese sanctus, excelsus, et rex est, novissimis temporibus « (1) in regem perungi, extolli, ac sanctificari dici propter nos : ut per ipsum deinceps in omnes gratia decurrat, utpote jam naturæ ipsi concessa, totique reservata generi, etc. »

« Nam quæcumque insunt in Christo, ea sunt etiam in nobis, quippe qui sanctificationem non sibi ipsi recipit. Etenim ipse sanctificans erat. Verum ut hanc naturæ nostræ per semetipsum conciliet, tanquam via, et principium factus est bonorum omnium, quæ ad nos derivata sunt. Hinc ille dicit [1] : *Ego sum via :* per quam velut ad nos divina gratia descendit, attollens, sanctificans, et glorificans naturam in primo Christo. » Hanc causam habuit, et eum sibi finem proposuit Deus, cujus gratia per humanæ naturæ susceptionem ad nos descenderet. « Nemo enim quemquam erigit ad id, in quo ipse est, nisi aliquantum ad id, in quo est ille, descendat, » ut ait Augustinus [2]. Quamobrem Irenæus [3], « Verbum *ait* ad homines quidem deposuisse Deum per Spiritum; ad Deum autem rursus imposuisse hominem per suam incarnationem. » Ut, quod alibi dicit [4], « homo Verbum Dei factum sit, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans; ut per eam, quæ est ad Filium similitudinem, pretiosus homo fiat Patri. » Et Ambrosius docet, hominis conditionem, « per imaginem Dei, et carnis Dominicæ sacramentum, dignitatem esse cœpisse, quæ ignobilitas videbatur. »

Eleganter vero, et ad hanc mediatoris proprietatem aptissime Gregorius Thaumaturgus (ita enim inscribitur) in oratione quadam in Epiphania, « (2) Christum *ait* terram cœlumque, velut ponte, ita corpore suo junxisse. » Nimirum ut, quod scribit Bernardus [5], homines paulatim ad sublimiora, et diviniora erigi consuescerent. Nam « nondum meram lucem poterant aliquatenus sustinere, sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna. » Itaque discipulos suos, « qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritalia prævalebant, in suæ carnis provocavit affectum. »

IV. Augustinus [6], « inter alia multa, quæ in Christi incarnatione salubriter intuenda, atque cogitanda sunt, unum » hoc esse dicit, « quod demonstratum est homini, quem locum haberet in rebus, quas condidit Deus : quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona. » Addit vero, quod tum ad dignitatis incrementum, tum ad mediatoris rationem spectat, de qua paulo ante sum locutus, hanc etiam causam : « Ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum, quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem : et maxime quia et mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideo illi tanquam deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales. »

Certe Joannes Chrysostomus, ex illa naturæ nostræ susceptione tantum ei accessisse splendoris et ornamenti asserit, ut cœlestibus ipsis, ac beatis mentibus longe facta sit præstantior. Ex quo etiam intelligi vult, quanta nos virtute, ac sanctitate par sit excellere; cum vel illos ipsos angelos non æquari modo, sed etiam superari a nobis oporteat. « (3) Cogitemus, *inquit*, cujus simus capitis corpus : nempe cui subjecta sunt omnia. Etiam angelis ipsis meliores eo nos esse nomine oportet, et archangelis majores; tanquam omnibus istis antepositos. » Hanc Chrysostomi sententiam confirmat, lateque probat Philippus solitarius libro tertio Dioptræ, capite tertio. Nec tamen præfracte puto hanc intelligendam. Quippe summa hæc nobis felicitatis a Christo

(1) CYR. 20. Thes. pag. 197. Οὕτω καὶ ὕψιστος ὢν ὑψοῦσθαι λέγεται διὰ τὴν ἔνσαρκαν οἰκονομίαν· ὑψοῦται δὲ, καὶ χρίεται, καὶ ἁγιάζεται δι' ἡμᾶς, ἵνα δι' αὐτοῦ τρέχῃ λοιπὸν εἰς πάντας ἡ χάρις, ὡς ἤδη δοθεῖσα τῇ φύσει, καὶ λοιπὸν ὅλῳ σωζομένη τῷ γένει, etc.

Ibid. Ὅσα γὰρ ἐν Χριστῷ, ταῦτα καὶ εἰς ἡμᾶς, οὐχ ἑαυτῷ δεχομένου τὸν ἁγιασμόν. Αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ ἁγιάζων. Ἀλλ' ἵνα τοῦτον τῇ φύσει δι' ἑαυτοῦ πρεξενήσῃ, ὁδὸς ὥσπερ καὶ ἀρχὴ τῶν εἰς ἡμᾶς ἀγαθῶν γινόμενος. Διὸ δὴ καί φησιν· ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, δι' ἧς ὥσπερ πρὸς ἡμᾶς ἡ θεία καταβέβηκε χάρις ὑψοῦσα, καὶ ἁγιάζουσα, καὶ δοξάζουσα, καὶ θεοποιοῦσα τὴν φύσιν ἐν πρώτῳ Χριστῷ.

(2) GREG. thaum. orat. in Epiphan. tom. 7. Chrys. pag. 658. Σὺ ὁ τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν γεφυρώσας τῷ ἁγίῳ σου σώματι.

(3) CHRYS. hom. 3. in ep. ad Eph. pag. 776. Ἐννοήσωμεν τίνος ἐσμὲν σῶμα κεφαλῆς, ᾗ πάντα ὑποτέτακται. Καὶ τῶν ἀγγέλων κατὰ τοῦτο τὸ ὑπόδειγμα βελτίους ἡμᾶς εἶναι χρὴ, καὶ τῶν ἀρχαγγέλων μείζους, ὡς πάντων αὐτῶν προτετιμένους.

[1] Jo. 14. 6. — [2] Aug ep. 268. et Prosp. sentent. 317. — [3] Iren. lib. 5. cap. 1.

[4] Iren. lib. 5. c. 16. — [5] Bernard. serm. 6. de Asc. col. 206. — [6] Aug. 13. de Trinit. c. 17.

proponitur, ut similes, non ut præstantiores angelis simus; de quo alias. Non enim loci hujus est illam disceptare controversiam. Cujus dignitatis ac prærogativæ fructus in suprema, et cœlesti illa felicitate potissimum colligendus est. Interim vero, dum in hac vita peregrini, atque exules degimus, exquisitis virtutum omnium ornamentis, et affluente sanctitatis copia constat; cujus perennem, et exundantem largissime fontem in incarnato Verbo benigna nobis Dei providentia constituit.

V. Nam ex quo caput nostrum, et sequester ac mediator factus est Christus, quæ in illum necessario derivata et congesta sunt bona : sunt autem et numero, et pretio prorsus infinita : eadem in nos, qui illius sumus membra proportione redundarunt. *Omnes*, inquam, illi, quos recenset Apostolus [1], *thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei*, qui in Christo *sunt absconditi*; [2] *abunde in nos effusi sunt, per* illum ipsum *Jesum Christum salvatorem nostrum*; [3] *per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.*

Declarat hoc apte ad hanc rem excogitata similitudo, quam adhibet Theodorus Abucara opusculo sexto : « (1) Ut si peponis semen in mel intinctum seras, dulcedo illa mellis in fructum transibit. Sic naturam nostram assumpsisse Deum, absque labe ulla, et macula; cujusmodi erat, et initio condita est : eamque in mel divinitatis immersisse, ac virtute paracleti Spiritus sancti suam cum illa suavitatem communicasse, quemadmodum peponis semina in eum fructum, quem pariunt, quasi per traducem, suavitatem quam habent transfundunt. »

Aliam ad idem significandum similitudinem accommodat Gregorius Nazianzenus; dum hominem factum, appellatumque dicit Deum, « (2) ut per sese sanctificaret hominem, ac fermenti instar esset universæ massæ, secumque copulans quod condemnatum erat, totum hoc a condemnatione liberaret. »

VI. Nec aliud intelligi volunt Patres illi, qui Incarnationis finem hunc propositum fuisse Deo scribunt, uti carnem peccato inquinatam et corruptam sanaret, ac sanctitate afficeret. Sic Athanasius « (3) Dei Verbum idcirco factum esse hominem *ait*, ut carnem sanctam efficeret. » Et Basilius, « (4) Propterea Deus in carne visus est, *inquit*, quod oportebat execrationi devotam hanc carnem sanctificari, infirmam corroborari, alienatam conciliari, e paradiso exturbatam in cœlum referri. »

Uberius hoc ipsum Cyrillus exponit in priore ad Successum epistola [4] : et necessariam fuisse ait susceptionem carnis a Verbo, ut quæ in corruptelam peccato defluxerat, et voluptatum ægra cupiditatibus æstuabat, tali commercio sanata revivisceret : cum jam humana caro propria Verbi ipsius haberetur. Est enim vita, et sanctitas Dei Filius, ac proinde communicatione sui vitam et sanctitatem carni, hoc est humanæ toti naturæ contulit.

Zacharias quoque Mitylenæus [5] scriptor elegans in eodem argumento versatus, scribit inter alia; in hunc finem Verbum humanam induisse naturam, ut eidem, quam vitio suo et peccato perdiderat, immortalitatem restitueret. Quemadmodum autem in homine primo, dissolutionem, et mortalitatem peccatum, ac legis contemptus antecesserat : sic in humana restituenda natura, prius Deus virtutem et legis observationem, atque impeccantiam eidem præstare voluisse, quam immortalitate donaret. « (5) His de causis, *ait*, Deus ipse, ac legislator, et rex homo fit, et manet Deus : ipse, inquam, naturæ conditor morbis naturæ medetur, puram in se naturam ostendens ac liberam : tum illæsam, et intactam,

(1) ABUC. opusc. 6. Εἰ λαβὼν σπέρμα πέπονος, καὶ ἐμβάψας μέλιτι σπείρεις, ἡ γλυκύτης τοῦ μέλιτος καὶ ἐν τῷ καρπῷ διαδίδοται, etc. ἀνέλαβεν αὐτὴν ἀκηλίδωτον, καὶ ἄχραντον, οἵα καὶ ἦν, καὶ ἐκτίσθη τὸ πρότερον, καὶ ἐμβάψας αὐτὴν τῷ μέλιτι τῆς θεότητος, γλυκύτητι, ἤτοι τῇ δυνάμει τοῦ Παρακλήτου, μετέδωκεν ἡμῖν τῆς γλυκύτητος· ὡς οἱ κόκκοι τοῦ πέπονος τῷ ἀπ' αὐτῶν καρπῷ, καὶ κατὰ διαδοχήν.

(2) NAZ. or. 36. pag. 592. Ἵνα ἁγιάσῃ δι' ἑαυτοῦ τὸν ἄνθρωπον, ὥσπερ ζύμη γενόμενος τῷ παντὶ φυράματι, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἑνώσας τὸ κατακριθὲν, ὅλον λύσῃ τοῦ κατακρίματος.

(3) ATH. or. 3. pag. 193. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἕνεκεν τοῦ ἁγιάζειν τὴν σάρκα γενόμενος ἄνθρωπος.

(4) BASIL. hom. 25. de Natali pag. 587. tom. 1. Διὰ τοῦτο Θεὸς ἐν σαρκὶ, ἐπειδὴ ἔδει τὴν καταραθεῖσαν σάρκα ταύτην ἁγιασθῆναι, τὴν ἀσθενήσασαν ἐνδυναμωθῆναι, τὴν ἀλλοτριωθεῖσαν Θεοῦ, ταύτην οἰκειωθῆναι αὐτῷ, τὴν ἐκπεσοῦσαν τοῦ παραδείσου ταύτην εἰς οὐρανοὺς ἀναχθῆναι.

(5) ZACHAR. pag. 361. Διὰ ταῦτα, ὦ μακάριε, αὐτὸς ὁ Θεὸς, καὶ νομοθέτης, καὶ βασιλεὺς, ἄνθρωπος γίνεται, καὶ μένει Θεὸς, καὶ αὐτὸς ὁ τῆς φύσεως δημιουργὸς ἰᾶται τὰ τῆς φύσεως ἀρρωστήματα, καθαρὰν δείξας ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἐλευθέραν τὴν φύσιν, καὶ ἀλώβητον, καὶ ἀπήμαντον· πρὸς δὲ καὶ ἄθλητον πάμπαν, καὶ ἀναμάρτητον· καὶ ὁδὸς γίνεται τῆς ἀθανασίας τῷ πλάσματι, καὶ καθηγεμὼν, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὴ, καὶ ὑπόθεσις, ἀναστήσας τὸ σῶμα, καὶ ἀπαθανατίσας.

[1] Col. 2. 3. — [2] Tit. 3. 6. — [3] 2. Pet. 1. 4.

[4] Tom. 5. Par. 2. in ep. p. 138. — [5] Tom. 11. Bibl. PP. p. 361.

præterea etiam perturbatione, ac peccato vacuam; ac via immortalitatis efficitur opificio suo, et dux; et, ut uno verbo dicam, principium, et causa, corpus exsuscitans, et immortalitate donans. »

VII. Non absimilis est eorum Patrum sententia, qui Filium Dei, hoc est virtutem Patris, descendisse ad carnem idcirco volunt, ut eam peccato fractam, ac debilitatam potentia sua roboraret. Cyrillus libro secundo in Joannem, hoc ipsum putat Davidem significasse verbis istis[1]: *Manda, Deus, virtuti tuæ: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Quæ sic enarrat ille : « (1) Vides in iis accurate, Dei ac Patris beneplacito, incarnatam ipsius virtutem, hoc est Filium, ut illud roboraret quod nobis perfecit corpus. Nisi enim habitasset in nobis, nullo modo contractam e corruptela imbecillitatem natura carnis exuisset. » Et libro septimo, « (2) Ob id in carne, vel potius caro factum est omnipotens Dei Verbum, ut proprii spiritus operationibus carnis imbecillitates corroboraret, et a terreno sensu naturam extricaret, et in ea sola transformaret, quæ Deo sunt placita. » Vide eumdem libro nono in Joannem[2].

Maximus item martyr divinis verbis, et eo, quem hauserat e cœlo, suffectis spiritu, eadem sic exprimit : « (3) Naturam communicata sibi cognitione vacuatam homo factum Dei Verbum cognitione rursus implevit, et hanc ad immutabilitatem corroborans, non natura, sed qualitate divinam effecit, perpetuo illam proprio signans spiritu, ac tanquam aquam, vini qualitate ad vim ac firmitatem temperans. Nam ideo revera factus est homo, ut gratia nos constituat deos. »

Ubi quæ de ἀτρεψίᾳ dicit, hoc est *solido et immutabili vigore* in carnem, hominemque transfuso per Christum, ab Athanasio didicisse videtur : qui in oratione secunda contra Arianos scribit[3], hominem primi culpa parentis ad deteriora prolapsum, opus habuisse firma, et immutabili divini Verbi justitia, quæ illum revocaret ad stabilem, et inconcussum similiter justitiæ statum. « (4) Atque ut Adamo peccante, in omnes homines fraudis illius noxa derivata est : sic Domino virtute prævalente, eadem virtus ad nos exinde transibit. »

Gregorius papa in 1. Regum sub initium : « Assumpsit, *inquit*, nostram naturam, quæ dum in ipso vinceret, nobilitatem conditam repararet, et fieret in Redemptore infirma valida, quæ in Adamo facta fuerat fortis infirma. » Congruit his Joannis illud Damasceni, « (5) Hominem propterea factum esse Deum, ut quod victum erat vinceret : » ac subinde « (6) divinitatis conjunctione renovatum, et corroboratum esse hominem » ait.

VIII. Hoc idem persuadere nituntur Patres illi, qui virtutum omnium longe absolutissimarum, et consertissimarum copiam obvenisse docent humano generi ex incarnatione filii Dei[4]; *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Quibus verbis opulentia quædam gratiæ, ac virtutum, et cœlestium donorum ostenditur, adeoque *Spiritus sancti*[5], *quem Deus effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum.*

Non enim sapientes nos illum fecisse, vel justos, aut sanctos ait; ut observat Chrysostomus (7), et ceteri interpretes græci : sed ipsummet nobis justitiam esse factum, ut quam copiose quisque voluerit, possit illius esse particeps. In quo non externæ tantum efficientiæ, vel impetrationis, ac meriti; aut etiam doctrinæ partes illa obit in Christo divina justitia, et sanctitas, externam tantummodo justis sanctisque nobis faciendis operam adhibens : sed interno quodam ac substantivo, ut antiqui

(1) Cyril. 2. in Joan. pag. 198. Ὁρᾷς ἐν τούτοις ἀκριβῶς εὐδοκίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς, σαρκωθεῖσαν αὐτοῦ τὴν δύναμιν, τοῦτ' ἔστι τὸν Υἱὸν, ἵνα δυναμώσῃ τοῦτο, ὅπερ ἡμῖν κατηρτίσατο σῶμα. Εἰ μὴ γὰρ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, οὐδὲ ἂν ὅλως τὴν ἀπὸ φθορᾶς ἀσθένειαν ἡ τῆς σαρκὸς ἀπέδυσατο φύσις.

(2) Id. lib. 7. pag. 685. Διὰ γάρ τοι τοῦτο γέγονεν ἐν σαρκὶ, μᾶλλον δὲ σάρξ, ὁ πάντα ἰσχύων τοῦ Θεοῦ Λόγος ἵνα ταῖς ἐνεργείαις τοῦ ἰδίου Πνεύματος, τὰς μὲν τῆς σαρκὸς ἀσθενείας νευρώσῃ καὶ γεωδεστέρου φρονήματος ἀπαλλάξῃ τὴν φύσιν, ἀναμορφώσῃ δὲ ὥσπερ εἰς μόνα τὰ δοκοῦντα Θεῷ.

(3) Maxim. hecatont. 2. cap. theol. cap. 26. Τὴν κενωθεῖσαν τῆς δοθείσης γνώσεως φύσιν, γενόμενος ἄνθρωπος ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος πάλιν ἐπλήρωσε, καὶ στομώσας πρὸς ἀτρεψίαν, οὐ φύσει, ποιότητι δέ, ταύτην ἐθέωσεν, ἀνελλιπῶς αὐτὴν τῷ οἰκείῳ χαρακτηρίσας Πνεύματι, καθάπερ ὕδωρ οἴνου ποιότητι πρὸς τόνον μετακεράσας. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ γίνεται κατ' ἀλήθειαν ἄνθρωπος, ἵνα κατὰ χάριν ἡμᾶς καταστήσῃ θεούς.

(4) Ath. Ὥσπερ γὰρ τοῦ Ἀδὰμ παραβάντος, εἰς πάντας ἀνθρώπους ἡ ἀπάτη διέβη, οὕτω τοῦ Κυρίου ἰσχύσαντος, ἡ τοιαύτη ἰσχὺς λοιπὸν εἰς ἡμᾶς διαβήσεται.

(5) Damasc. lib. 3. cap. 18. Γέγονε γὰρ ἄνθρωπος, ἵνα τὸ νικηθὲν νικήσῃ.

(6) Ibid. Συναφείᾳ τῆς θεότητος ἀνακεκαινισμένου τε, καὶ νενευρωμένου.

(7) Chrys. hom. 5. in 1. ad Cor. pag. 269. Νῦν δὲ αὐτὸν φησι δικαιοσύνην ἡμῖν γεγενῆσθαι, ὥστε ἐξέστι τῷ βουλομένῳ μετέχειν δαψιλῶς.

[1] Psal. 67. — [2] Cyr. 9. in Joan. pag. 820. 821.

[3] Athan. p. 175. — [4] 1. Cor. 1. 30. — [5] Tit. 3. 6.

loquuntur, illapsu : de quo alibi [1] plenius, cum de missione, et οὐσιώδει communicatione spiritus Filii Dei sermonem instituimus. « Ea porro justitia, quæ vivit in seipsa, proculdubio Deus est, atque incommutabiliter vivit, ait Augustinus [2]. Sicut autem hæc, cum sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur utcumque participes : ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo juste vivimus; et tanto magis, minusve justi sumus, quanto magis illi, minusve cohæremus. » Hanc autem substantivam conjunctionem, applicationemque Spiritus sancti, tanquam formæ suo modo sanctificantis, proprium munus esse Christi et ejus ἐνσάρκου οἰκονομίας, testantur veteres plerique theologi, ut in octavo illo de Trinitate libro demonstravimus [3].

Ergo (canit Prudentius [4]) animalis homo quondam : nunc
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum [spiritus illum]
Infundendo Deum mortalia vivificantem.
Nunc nova materies, solidata intercute flatu ;
Materies, sed nostra tamen, de Virgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.

IX. Postremo nihil in hoc genere opitulantis, et lapsum hominem erigentis, instaurantisque gratiæ, sic Incarnationis beneficium illustrat, ut istius auxilii vis et efficacitas, tum per sese spectata, tum vero maxime cum illo altero ac priore comparata, quod Adamo tributum, antequam sentire ipsi poteramus, culpa illius amisimus. Non enim hoc solum, quod in Adamo primo perditum erat, in secundo recuperatum est : sed multo præstantioris, ac valentioris gratiæ præsidio prioris compensata jactura est.

Hanc novæ prærogativam gratiæ, quæ ad fulciendam, instaurandamque naturam hominis auctore est concessa Christo, declarat Augustinus in libro de Correptione et gratia [5]; ubi ambas inter se conferens, quanto major ac fortior ea sit ostendit, quæ post Adami calamitatem obtigit, quam qua innocens adhuc ille præditus fuit. « Major quippe libertas, ait capite duodecimo, est necessaria adversus tot, et tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita, atque firmata ; ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus : hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide ; cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus : isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, a quo misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent: a quo acceperunt spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent ; sed virtutis, et charitatis, et continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, et cuncta cruciantia superarent. » Hæc Augustinus, et alia plura de novi Testamenti gratia, et adjutorio naturæ vitio suo lapsæ atque corruptæ : quod eatenus exponit, et in exemplum affert, qua prædestinatorum proprium est. Quod minime intelligens novorum dogmatistarum nupera factio miras tragœdias de nihilo concitavit, et vanam ac falsam opinionem, quam errore, et imperitia combiberat, in Augustinum transferre non dubitavit; ut nullam, nisi effectus sui compotem, gratiam universe agnitam ab illo fuisse diceret. Quam ab sanctissimo doctore calumniam alibi repulimus [6] : et plenius, si Deo visum erit, suo loco confutabimus.

[1] Lib. 8. de Trin. c. 4. 5. et seq. — [2] Ep. 222. p. 329. B. 2. — [3] Cap. 7.

[4] Prud. in Apotheosi p. 219. — [5] Præsertim c. 11. et 12. — [6] Lib. 10. tomi 1. cap. 16. et seq.

CAPUT DECIMUM.

. De fructu altero Incarnationis, ac fine, qui in doctrina situs est. — 2. Christum ideo venisse, ut homines doceret, e Scripturis primum astruitur, — 4. tum ex Patribus. — 5. Cur magistrum se bonum vocantem arguerit. — 6. Non solum bonus, sed etiam perfectus est magister : homines vero semper discipuli, — 7. quem ubique paratum habemus ad docendum. — 8. Explicatur quænam ille doceat : — 9. ac trifariam illa dividuntur. — 10. Primum est unius Dei cultus, ac dæmonum, et idolorum abdicatio. — 11. Quod ex veteris Testamenti scripturis asseritur; — 12. tum ex novi. — 13. Item ex Patribus.

I. Posterior e duobus superest Incarnationis fructibus, quos ad hominem pertinere dixi [1], *doctrina*, sive *magisterium*. Nam « Deus homo factus est, ut ait Augustinus [2], ut hominem vivere doceret. » Et in hunc finem carnem illum assumpsisse scribit Clemens Alexandrinus septimo Stromateon [3]. Quod genus gratiæ potissimum Pelagianos admisisse, scriptum est a nobis alio loco [4] : cum quidem interiorem animi permotionem, minime necessariam; illam vero, qua voluntas adjuvatur, et agitur, otiosam putarent; imo nullam. At Catholici, præeunte maxime Augustino, tum Christi gratiam humanæ, post Adami lapsum, naturæ necessariam generali *doctrinæ* vocabulo complexi sunt; tum hoc ipsum genus bifariam tribuerunt. Nam est una, quæ extrinsecus tantummodo quæ sunt agenda proponit; atque aut verbis, aut exemplis docet : quam legis, ac revelationis, et doctrinæ nomine proprie censet Augustinus; ut ibidem latius exposuimus. Altera non præcipit solum, monstratve quid facto sit opus; sed « intus illuminando, et cooperando, ac dilectionem inspirando, adjuvat ad hoc, ut id quod faciendum cognoverit, faciat; » ut ait Augustinus [5]. « Hæc gratia si doctrina dicenda est, ait idem [6], certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus : ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. »

Ad hanc gratiam pertinent illa fere, quæ proxime antecedentibus capitibus retuli de adjutorio, vel auxilio, quod Incarnationi acceptum nullo suo merito fert humanum genus. Quam *gratiam fidei* appellat Augustinus [7] : « sine qua nemo potest vincere concupiscentias vitiosas, et si qua earum residua non vicerit, veniali remissione purgari. » Nunc de externo, quod *doctrinæ* nomen usitatius obtinet, magisterio dicendum est; hoc est præceptione, et exemplo.

II. Christum igitur in eum finem ad nos esse missum, ut doctor, et magister esset hominum, atque et errorum tenebris occæcatis, et ignaris rerum cœlestium mentibus divinæ scientiæ lumen inferret, primum testes sunt Scripturæ sacræ. Isaias de illius adventu loquens [8], *Ecce testem*, inquit, *populi dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* Quæ verba sic enarrat Hieronymus : « Provocaverat ad credendum populum Judæorum, ut inclinarent aurem suam, et pactum acciperent sempiternum, etc. Et quia sciebat, illis non credentibus, credituros esse populos nationum, transit ad gentes, et dicit misisse se filium suum testem, vel testimonium cunctarum gentium, qui præcepta illius atque mandata populis nuntiaret. » Quinetiam hujus gratia missum se esse testatur Pilato respondens; et ibidem adnotavit Hieronymus. *Ad hoc*, inquit [9], *veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Et Eusebius in secundo contra Sabellium, « Prædicatio veritatis hæc est, *ait*, propter quam et Filius venit in corpore. »

Cyrillus Alexandrinus in commentario ad illa Isaiæ verba, in eumdem sensum multa utiliter congerit, ac discrimen doctoris, et legislatoris utriusque, Mosis, et Christi; nec non doctrinæ, et institutionis amborum explicat ex Jeremiæ capite 31. ubi novum se fœdus percussurum Deus pollicetur, ac *legem suam* (novam scilicet) *daturum se in visceribus eorum, et in corde eorum scripturum.* Tum eodem Joannis illud accommodat [10] : *Lex per Moysem data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Etenim « (1) gratiam, et

(1) Cyr. lib. 5. tom. 2. in Isa. pag. 775. E. Χάριν δὲ καὶ ἀλήθειαν τὴν διὰ τῶν Εὐαγγελικῶν θεσπισμάτων ἀποκαλεῖ παίδευσιν τῆς ἀληθοῦς, καὶ ἐν Πνεύματι λατρείας τὴν δύναμιν ἔχουσαν.

[1] Cap. 6. § 1. — [2] Lib. 50. hom. 50. c. 4. — [3] Clem. 7. Strom. p. 528. — [4] Vide de Hær. Pel. c. 4. — [5] Lib. 1. de Gra. Chr. c. 3. — [6] Ib. c. 13. — [7] Ep. 5. p. 6. — [8] Isa. 55. 4. — [9] Joan. 18. 37. — [10] Joan. 1. 17.

veritatem, ait Cyrillus, nominat institutionem, quæ per evangelica oracula facta est; vere, ac spiritalis cultus virtutem habentem. »

III. Ideo *Rabbi*, ac *magistros* vocari discipulos prohibet [1], *Nec vocemini magistri; quia magister vester unus est, Christus.* Idemque apud Isaiam prophetam, in hoc munus inunctum et missum se esse testatur : ut Cyrillus in eodem illo loco adnotat. *Spiritus*, inquit [2], *Domini super me, eo quod unxerit me ; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino*, etc. Unctio illa ad *dispensationem carnis assumptæ* referenda est, ut observat Hieronymus : quæ quidem ideo facta dicitur, ut *prædicaret*, id est doceret. Nam hebraicarum vocum proprietas hunc sensum reddit: (1) *Spiritus Domini super me, et ob id unxit me Dominus, ut prædicarem mansuetis*, etc. Quem locum Isaiæ Christus ipse post baptismum in Synagoga legit, et *hodie*, inquit [3], *impleta est hæc scriptura in auribus vestris :* scilicet, cum primum e latebris prodire cœpit in publicum, et injunctum sibi docendi, ac prædicandi munus exequi.

Nec minus ad Christi magisterium promissa illa spectant, quæ in novo Testamento affuturum doctorem ostendunt, qui veritatem, viamque capessendæ salutis universos doceat; præsertim rudes, et inopes. Cujusmodi sunt ejusdem illa Prophetæ [4] : *Et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Tum quæ capite secundo, de cœlestis doctrinæ copia per Messiam importanda, et institutione, concursuque ad discendum populorum omnium prædicit; quæ iisdem pene verbis a Michæa describuntur [5]. Ad hæc capite 54. Isaiæ pollicetur Dominus Ecclesiæ, (2) *positurum se universos filios ejus doctos a Domino.* Quem locum referens Christus Joannis sexto [6] : *Est scriptum in prophetis*, inquit, *Et erunt omnes docibiles Dei.* Jam in illis Lucæ verbis ex Isaia citatis, Christus ad *evangelizandum pauperibus* missum se esse dicit : pro quo *mansuetos* interpres noster apud Isaiam posuit. Nam hebræa vox utrumque significat. Hinc apud Matthæum, inter signa et argumenta, quibus sciscitanti Joanni verum se esse Messiam fidem facit, istud recensuit [7] : *Pauperes evangelizantur.*

IV. Quocirca cum electus ille Judæorum populus, lege Dei contempta, cæsis prophetis, et in omnem impietatem, morumque corruptelam effusa licentia, indignum se divina illa disciplina præbuisset, « Deus propter has illorum impietates abdicavit eos in perpetuum ; itaque desiit prophetas mittere ad eos. Sed illum filium suum primogenitum, illum opificem rerum, et consiliatorem suum delabi jussit cœlo, ut religionem sanctam Dei transferret ad gentes, id est, ad eos, qui Deum ignorabant; doceretque justitiam, quam perfidus populus abjecerat ; » ut scribit Lactantius [8], qui et paulo post ista pertexit : « Ergo (ut cœperam dicere) cum statuisset Deus doctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne præcepit; et ipsi homini similem fieri, cui dux, et comes, et magister esset futurus. » Talem humano generi necessarium omnino fuisse demonstrat Clemens Alexandrinus in primo Pædagogi, qui liber de hoc argumento doctoris, et magistri Christi, totus est scriptus. « (3) Nam ut in densissimis tenebris, sic in vita hac errantibus nobis, certo, et non offendente ductore opus est. Est autem ille ductor optimus, non qui cæcus est, quique, ut ait Scriptura [9], cæcos in foveas ducit : sed acute videns, et cordis intima penetrans Verbum. »

V. Rationem deinde subjicit cur Christo proprie, præque omnibus doctoris partes conveniunt, erudito dignam theologo, ac naturam rei continentem. « Quemadmodum, *ait*, non est lumen quod non illuminat, neque movens quod non movet; ita non est bonum, quod non prodest, et ad salutem deducit. » Cum ergo Christus et Deus sit, et eo ipso vere, proprieque bonus; imo summa ipsa bonitas ; merito excellentem, ac primariam bonitatis efficientiam exercet, ut ratione præditas intelligentiaque creaturas, præsertim homines,

(1) Esa. 71. 1. רוח אדני יהוה עלי יען משח אתי לבשר עניים .

(2) Isa. 54. 53. וכל בניך למודי יהוה 70. Καὶ πάντεὺς υἱούς σου διδακτοὺς Θεοῦ.

(3) Clem. Alex. 1. Pæd. cap. 3. Ὡς γὰρ ἐν σκότῳ βαθεῖ ἀλώμενοι τῷ βίῳ, ἀπταίστου, καὶ ἀκριβοῦς καθοδηγοῦ δεόμεθα. Ὁδηγὸς δὲ ἄριστος οὐχὶ τυφλὸς, κατάφασιν ἡ Γραφὴ, τυφλοὺς εἰς τὰ βάραθρα χειραγωγῶν· ὀξὺ δὲ ὁ βλέπων, καὶ διερῶν τὰ ἐγκάρδια Λόγος. Καθάπερ οὖν οὐκ ἔστι φῶς ὃ μὴ φωτίζει, οὐδὲ κινοῦν, ὃ μὴ κινεῖ, οὐδὲ ἀγαθόν ἐστιν ὃ μὴ ὠφελεῖ, καὶ εἰς σωτηρίαν καθοδηγεῖ.

[1] Matt. 23. 10. — [2] Isa. 61. — [3] Luc 4. 21. — [4] Isa. 30. 20. — [5] Mich. 5. — [6] Joan. 6. 45. — [7] Matt. 11. 5. — [8] Lact. lib. 4. cap. 11. — [9] Matt. 15.

homo factus erudiat, et doceat. Nam quod *magister bonus* ab adolescente quodam vocatus [1], titulum hunc recusare visus est, atque ita compellanti [2], *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit sic [3] : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus :* non se aut magistrum, aut bonum dici vetuit, sed interrogantis falsam de se opinionem castigavit, qui quem hominem merum existimabat, eum *magistrum bonum* salutabat. « Detestatus itaque Dominus hanc de se irreligiosæ fidei professionem, quod tanquam magister legis interrogaretur, respondet, Quid me dicis bonum? Atque ut significaretur quatenus intelligendus, et profitendus bonus esset, subjecit; Nemo bonus, nisi solus Deus. Non respuit bonitatis nomen, si sibi hoc tanquam Deo deputaretur, » ait Hilarius [4] ; qui et subinde addit ista : « Quam igitur non bonitatis nomen refugerit, sed neque magistri honorem recusaverit, sed fidem ejus, qui in se nihil nisi corporeum, et carnale sapuisset, arguerit, hinc intelligitur, quod aliter ad apostolos magistrum se confitentes locutus est, dicens [5] : *Vos me vocatis magistrum, et Dominum, et bene dicitis : sum etenim.* Et cum alibi dixisset [6] : *Ne vocemini magistri, quia magister vester Christus est.* Ubi cum fide magister est, ibi adeo laudat, ut et profiteatur hoc nomen : hic vero boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus. » Vide quæ de loco illo alibi pluribus explicata sunt [7].

VI. Ut autem *boni*, et quidem *summi*, proprietas magisterii titulum, ac munus uni præ omnibus vindicat Christo, ita etiam *perfecti* : quod a *bono* perparum distat [8] ; et, itidem ut hoc, soli illi, proprio et præstanti quodam jure tribuitur. Memorabilis hac de re est Clementis Alexandrini sententia in libro primo Pædagogi. « (1) Si unus est, *inquit*, in cœlo magister, ut Scriptura loquitur, constat jure omnes, qui sunt in terris, appellandos esse discipulos. Ita enim sese res habet. Perfectum esse, penes Deum est, qui semper docet : quod autem puerile est, et infantile, penes nos, qui semper discimus. » De hoc divino præceptore vide ejusdem Clementis postremum caput libri tertii Pædagogi, et Lactantium libro 4. capite 24. ubi copiosissime demonstrat, perfectissimum doctorem esse Christum. Jam quod homines semper esse discipulos, et ex magistri cœlestis ore pendere dicit, id ejusdem quinti capitis libri primi initio confirmat ex eo Clemens, quod in Evangelio sæpe Christus discipulos suos *filios*, et *pueros* nominat : aut cum pueris confert, eorumve similes esse jubet. Quod et ipse transtulit in sese, ac tanquam unus ex eis est factus. « (2) Non enim quod erat hoc illis visus est, qui propter carnis imbecillitatem capere non poterant : sed sensibilem assumens carnem, monstraturus hominibus venit, quid illi præstare possint, in mandatorum observatione. » Ut non longe quærendus deinceps sit ille nobis magister : sed in promptu positus, atque inter nos commorans, et naturæ nostræ consertus, ac domesticus habeatur.

« (3) Græci itaque studia transmarina sectentur, et in alieno orbe constitutos inanium litterarum quærant magistros, aiebat ad discipulos suos Antonius, nobis vero nulla profiiciscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet. In omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum. Unde Dominus in Evangelio ait : Regnum Dei intra vos est. » Nimirum regnum illud cœlorum, disciplina est regni cœlestis, et verbum Dei, sive divini illius doctrina præceptoris, quam in nobis, hoc est in corde nostro, digito suo exaravit; atque identidem suggerit nobis, et intimo illapsu, recordatione pariter, ac vi, et suavitate illius afficit.

Sed expressiora sunt hac de re, nec omittenda prorsus Clementis Alexandrini verba illa de Protreptico ad Græcos. « (4) Quamobrem, ut mihi videtur, *inquit*, quoniam Verbum ipsum ad nos e cœlo descendit, nihil ne-

(1) CLEM. 1. Pæd. cap. 5. pag. 65. C. Εἰ δὲ εἷς διδάσκαλος ἐν οὐρανοῖς, ὥς φησιν ἡ Γραφὴ, ὁμολογουμένως, οἱ ἐπὶ γῆς, εἰκότως ἂν πάντες κεκλήσονται μαθηταί. Ἔχει γὰρ οὕτω τὸ ἀληθές· τὸ μὲν τέλειον εἶναι, παρὰ τῷ Κυρίῳ τῷ διδάσκοντι ἀεί· τὸ δὲ παιδικὸν, καὶ νήπιον, παρ' ἡμῖν τοῖς ἀεὶ μανθάνουσι.

(2) CLEM. Alex. 7. Strom. pag. 506. Οὐ γὰρ ὃ ἦν, τοῦτο ὤφθη τοῖς χωρῆσαι μὴ δυναμένοις διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκός· αἰσθητὴν δὲ ἀναλαβὼν σάρκα, τὸ δυνατὸν ἀνθρώποις κατὰ τὴν ὑπακοὴν τῶν ἐντολῶν δεῖξων ἀφίκετο.

(3) ATHAN. in vita Anton. Ἕλληνες μὲν οὖν ἀποδημοῦσι, καὶ θάλατταν περῶσιν, ἵνα γράμματα μάθωσιν. Ἡμεῖς δὲ οὐ χρείαν ἔχομεν, οὔτε ἀποδημῆσαι διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὔτε περάσαι θάλατταν διὰ τὴν ἀρετήν. Φθάσας γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος· ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὑμῶν ἐστι.

(4) CLEM. Protr. pag 51. Διό μοι δοκεῖ, ἐπεὶ αὐτὸς

[1] Mat. 19. 17. et Mar. 10. 18. — [2] Ita Mat. 19. — [3] Mar. 10. — [4] Hil. l. 9. — [5] Joan. 13. 13. — [6] Matt. 23. — [7] Lib. 2. de Trin. c. 4. — [8] Vide tom. 1. l. 6. c. 7.

cesse habemus ad humanam nos conferre disciplinam, nec Athenas, reliquamque Græciam, vel etiam Ioniam curiose perlustrare. Nam si nobis magister ille est, qui sanctis virtutibus universa complevit, opificio, salute, beneficentia, legislatione, prophetia, doctrina : omnia nunc magister instituit, et Athenæ, atque Græcia jam universum factum est Verbo. » Quantum vero Christo Domino talis, tamque necessariæ doctrinæ auctori debeat humanum genus, ex eo potest intelligi, quod Epictetus libro primo dissertationum Ariani, capite quarto his verbis adstruit de Stoicæ disciplinæ doctore loquens : « (1) O incredibilem, *ait*, felicitatem ! o optime de hominibus meritum, qui viam illam monstravit ! Itane Triptolemo templa, et aras mortales omnes erexerunt, quod mitiorem nobis donavit escam : ei vero qui veritatem invenit, et lucem intulit, atque in omnes homines non vivendi, sed bene vivendi rationem invexit, quis propterea aram, templumque constituit, aut statuam consecravit, aut ejus rei gratia Deum adoravit? Atqui vitis aut tritici largitori, ejus rei gratia sacrificamus : quod autem extiterint, qui talem in humanam mentem fructum importarent, per quem veram felicitatis notitiam ostensuri essent, non idcirco Deo gratias agemus? »

VII. Nunc cujusmodi illius doctrina sit, ad quam hominibus importandam a Patre missus est; et quibus modis eam communicare sit jussus paucis expediam. *Divinum magisterium*, quam παιδαγωγίαν vocat, ita describit gravis auctor, et in hoc argumento sæpiuscule laudandus a me Clemens Alexandrinus, ut sit « (2) recta veritatis perductio ad inspectionem Dei, et sanctarum actionum descripta ratio in sempiterna permansione. » Quibus verbis significat, finem hunc, et scopum cœlesti magistro esse propositum, ut quos instituendos suscepit, tum per dogmatum, ac mysteriorum veritatem ad Dei contemplationem dirigat : tum virtutis, et officii leges præscribat, quibus perpetuo et constanter insistant; ut ab eo non minus recte et honeste vivendi, quam vere cognoscendi Dei, et ad eum perveniendi, disciplina tradatur. Nam ἐποπτεία illa Θεοῦ, id est liquida, et perspicua contemplatio, non eam solum complectitur notitiam, ad quam sancti perfectique homines per fidem, et constantem, ac robustam virtutum exercitationem hac in vita perveniunt; quam *contemplatricem* vitam nostri vulgo, Clemens vero γνῶσιν appellare consuevit : unde et γνωστικὸν vocat Christianum sapientem omnibus absolutum numeris; ac tum rerum divinarum, humanarumque scientia, tum virtutum genere omni cumulatum : sed clarum insuper, et beatum Dei conspectum; quæ in perenni felicitate præclare factorum merces nobis sempiterna promittitur. Arnobius item in secundo libro, « Deum Christum, Dei principis jussione loquentem sub hominis forma, » docuisse mortales ait, spretis inanibus et curiosis, « ad Dominum verum tota mente, et anima proficisci. » Et Hilarius in libro tertio : « Curam ergo humani generis habens, *inquit*, Dei filius, primum ut sibi crederetur, homo factus est, ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris : perque infirmitatem carnis Deum Patrem nobis infirmis, et carnalibus prædicaret. »

VIII. Jam duobus illis modis, quos initio capitis sexti posui, idipsum monstrare Christus, et ad destinatum finem homines adducere contendit, sermone pariter oris, et exemplo vitæ, rerumque gestarum. Quæ duo comprehendit Irenæus in quinto libro [1], et utriusque necessitatem ostendit his verbis : « Neque rursus nos aliter dicere poteramus, nisi magistrum nostrum videntes, et per auditum nostrum vocem ejus percipientes : ut imitatores quidem operum, factores autem sermonum ejus facti, communionem habeamus cum ipso, a perfecto, et eo, qui est ante omnem conditionem, augmentum accipientes, qui nunc nuper

ἦκεν πρὸς ἡμᾶς οὐρανόθεν ὁ Λόγος, ἡμᾶς ἐπ' ἀνθρωπίνῳ ἔεναι μὴ χρῆναι διδασκαλίαν ἔτι, Ἀθήνας, καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα, πρὸς δὲ καὶ Ἰωνίαν πολυπραγμονοῦντας. Εἰ γὰρ ἡμῖν ὁ διδάσκαλος, ὁ πάντα τὰ πάντα δυνάμεσιν ἁγίαις, δημιουργίᾳ, σωτηρίᾳ, εὐεργεσίᾳ, νομοθεσίᾳ, προφητείᾳ, διδασκαλίᾳ, πάντα νῦν ὁ διδάσκαλος κατηχεῖ, καὶ τὸ πᾶν ἤδη Ἀθῆναι, καὶ Ἑλλὰς γέγονεν τῷ Λόγῳ.

(1) ARIAN. Ὦ μεγάλης εὐτυχίας, ὦ μεγάλου εὐεργέτου τοῦ δειχνύοντος τὴν ὁδόν. Εἶτα Τριπτολέμῳ μὲν ἱερὰ, καὶ βωμοὺς πάντες ἄνθρωποι ἀνειστήκασιν, ὅτι τὰς ἡμέρους τροφὰς ἡμῖν ἔδωκε· τῷ δὲ τὴν ἀλήθειαν εὑρόντι, καὶ φωτίσαντι, καὶ εἰς πάντας ἀνθρώπους ἐξενέγκαντι οὐ τὴν περὶ τοῦ ζῆν, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ εὖ ζῆν, τίς ἡμῶν ἐπὶ τούτῳ βωμὸν ἱδρύσατο, ἢ ναὸν, ἢ ἄγαλμα ἀνέθηκεν, ἢ τὸν Θεὸν ἐπὶ τούτῳ προσκυνεῖ ; ἀλλ' ὅτι μὲν ἄρτελον ἔδωκεν, ἢ πυρὸς ἐπιθύομεν τούτου ἕνεκα. Ὅτι δὲ τοιοῦτον ἐξήνεγκαν καρπὸν ἐν ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ, δι' οὗ τὴν ἀλήθειαν τὴν περὶ εὐδαιμονίας δείξειν ἡμῖν ἤμελλον, τούτου δ' ἕνεκα οὐκ εὐχαριστήσομεν τῷ Θεῷ ;

(2) CLEM. 1. Pæd. cap. 7. pag. 81. Ἔστι δὲ ἡ κατὰ Θεὸν παιδαγωγία κατεύθυνσις ἀληθείας εἰς ἐποπτείαν Θεοῦ, καὶ πράξεων ἁγίων ὑποτύπωσις ἐν αἰωνίῳ διαμονῇ.

[1] Iren. lib. 5. cap. 1.

facti sumus a solo optimo, et bono, et ab eo, qui habet donationem incorruptibilitatis, in eam quæ est ad eum similitudinem facti. »

Chrysostomus Homilia 34. tomi quinti, magisterium illud Christi duplex oris, et exempli insigniter commendat. « (1) Veniens, *ait*, Christus, virtutem omnem docere homines voluit. Porro qui instituit, non verbo tantum docet, sed etiam opere. Hæc enim optima est in magistro docendi ratio. Nam et gubernator navis discipulum suum assidere sibi faciens, ostendit ei, quemadmodum clavum tractet, et ad sermonem opus adjungit : ac neque loquitur solum, neque solum operatur. Sic etiam architectus adhibens eum, quem docere vult quomodo paries extruendus sit, idipsum tum opere tum sermone demonstrat. Ita textor, et phrygionarius, et aurifex, et faber ærarius, et omnis omnino ars habet eum, qui verbis et operibus doceat. Itaque quoniam et ipse (Christus) ideo venit, ut nos omnem virtutem doceret, quæ agenda sunt tum dicit, tum reipsa facit.»

IX. Sed si ad certa genera revocare velimus, Origenes libro tertio contra Celsum duo quædam constituit ; quorum prius ea complectitur, quæ ad medelam animorum pertinent : posterius, arcanorum quorumdam mysteriorum significationem, quæ hactenus ignota fuerant hominibus. « (2) Quippe missus est, *inquit*, Deus verbum, quatenus medicus, peccatoribus : quatenus autem divinorum mysteriorum doctor est, iis qui jam puri erant, nec amplius peccabant. »

At Theophanes Cerameus quatuor omnino genera percenset ; (3) *præcepta, dogmata, promissa , comminationes.* Quæ quidem ad tria velut capita revocare licet, quibus universa duorum istorum generum, muta scilicet, ac vocalia, Christi documenta continentur. Primum est, fides et cultus unius, verique Dei, gentibus præcipue commendandus, quæ innumerabiles, eosque confictos deos, et simulacra venerabantur. Quemadmodum Judæis ante alios, Trinitatis, hoc est trium in una divinitate personarum notitiam, ac professionem inculcare studuit : et utriusque, Patris imprimis sui nomen, et honorem quam celeberrimum et clarissimum reddere. Secundum est, bonorum, et malorum, atque et illorum maxime præmium ; quod *cælorum regnum* identidem vocavit : quodque remotis ambagibus, ac figuris, quibus adumbrari veteri in lege solebat, perspicue ac diserte significavit. Tertium est, nova quædam, et inaudita vulgo via capessendi illius regni, tum arctissimæ cum Deo necessitudinis, et adoptionis assequendæ. De quibus singillatim nonnulla dicenda sunt : ac de primo quidem, in præsenti reliquo capite ; de duobus aliis, in sequente disputabimus.

X. Principio Christum ejus rei venisse gratia, ut extincto diaboli cultu, ac tyrannica sublata dominatione, hoc est idololatria, unius veri Numinis scientiam, et religionem doceret, vetus, ac nova Scriptura declarat. Vetus quidem, persæpe conversionem gentium post adventum Christi futuram, ejusque procurandam, et elaborandam opera, et virtute confirmat. Hic ille promissus est Abrahamo filius, ac semen inclitum, in quo [1] *benedicendæ erant omnes gentes terræ.* Quem ex stirpe Judæ nasciturum, ejus pater Jacobus ante obitum prædixit [2] : *Et ipse*, inquit, *erit expectatio gentium.* Huic a Deo Patre destinatam gentium possessionem testatur propheta David [3] : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et alibi ex ipsius persona Christi [4] : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Et in alio Psalmo [5], *Et adorabunt eum omnes reges terræ ; omnes gentes servient ei.* Isaiæ vero capite secundo plenius, ac manifestius illa ipsa describitur gentium con-

(1) CHRYS. pag. 219. Παραγενόμενος ὁ Χριστὸς πᾶσαν ἀρετὴν παιδεῦσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐβούλετο. Ὁ δὲ παιδεύων, οὐ λόγῳ μόνον διδάσκει, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ. Αὕτη γὰρ ἡ ἀρίστη διδασκαλία ἐστὶ τοῦ διδάσκοντος· Ἐπεὶ καὶ κυβερνήτης παρακαθίζων τὸν μαθητὴν, δείκνυσι μὲν αὐτῷ πῶς κατέχει τοὺς οἴακας. Προστίθησι δὲ καὶ λόγον τῷ ἔργῳ, καὶ οὔτε λέγει μόνον, οὔτε ἐργάζεταί μόνον. Ὁμοίως καὶ οἰκοδόμος παραστήσας τὸν μέλλοντα παρ' αὐτοῦ μανθάνειν πῶς τοῖχος ὑφαίνεται, δείκνυσι μὲν αὐτῷ διὰ τοῦ ἔργου, δείκνυσι δὲ αὐτῷ καὶ διὰ τοῦ λόγου. Ὡσαύτως καὶ ὑφάντης, καὶ ποικιλτὴς, καὶ χρυσοχόος, καὶ χαλκοτύπος, καὶ πᾶσα τέχνη διὰ λόγων τε καὶ ἔργων ἔχει τὸν διδάσκοντα. Ἐπεὶ οὖν καὶ αὐτὸς παρεγένετο παιδεῦσαι ἡμᾶς πᾶσαν ἀρετὴν, διὰ τοῦτο καὶ λέγει τὰ πρακτέα, καὶ ποιεῖ.

(2) ORIG. lib. 3. con. Cel. pag. 153. Ἐπέμφθη οὖν Θεὸς Λόγος, καθὸ μὲν ἰατρὸς, τοῖς ἁμαρτωλοῖς· καθὸ δὲ διδάσκαλος θείων μυστηρίων τοῖς ἤδη καθαροῖς, καὶ μηκέτι ἁμαρτάνουσιν.

(3) THEOPH. hom. 28. pag. 214. Ἐπειδὴ τοῦ Κυρίου οἱ λόγοι, καὶ τῶν Ἀποστόλων τὸ κήρυγμα, ταῦτα τὰ τέσσαρα περιέχουσι, τὰς ἐντολὰς, καὶ τὰ δόγματα, καὶ τὰς ἐπαγγελίας, καὶ τὰς ἀπειλάς, etc.

[1] Gen. 22. 18. et Gal. 3. 16. — [2] Gen. 49. 10. — [3] Ps. 2. 8. — [4] Ps. 21. 28. — Ps. 71.

cursio ad fidem unius Dei, et Christi regnum; necnon idolorum subversio, quando Ecclesia [1] *elevata fuerit super colles, et fluent ad eam omnes gentes.* [2] *Et elevabitur Dominus in die illa ; et idola penitus conterentur.*

XI. Capite item 49, Deus Pater Christum filium suum alloquens, ea se de causa misisse illum ait, ut gentes ab idololatriæ tenebris, et inscitia veri Dei, ad lucem fidei ac salutem transferat [3]. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et, *Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum.* Tum capite 42. eumdem compellans Christum ac filium Pater [4], *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium*, inquit, *ut aperires oculos cæcorum*, etc. *gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* Sic Jeremias passim illam Christi gloriam, ac virtutem luculentissima testificatione prædicat. Ut cum ita loquitur [5] : *Ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Et capite 31. insigniter illud exponit. Nec finis erit, si tam horum, quam reliquorum prophetarum prædicta percensere voluero ; quæ mentionem tantæ rei, ac mutationis expressissimam faciunt. Quorum pleraque collecta sunt ab antiquis, qui Christianam religionem hoc argumenti genere comprobarunt : præsertim ab Cypriano in libris Testimoniorum contra Judæos, et Eusebio Cæsareensi libro secundo de Demonstratione evangelica : Augustino in libro 17. de civitate Dei, et aliis locis : ut omittam ceteros, qui magno numero in eodem argumento versati sunt.

XII. Jam in novo Testamento palam idipsum præ se Christus, et ejus apostoli ferunt, eo spectasse illius adventum, ut ejecto diabolo, eique principatu mundi, ac gentium erepto, Deus ab omnibus agnosceretur, ac coleretur, tum Pater, tum ejus filius unicus. *Ego*, inquit [6], *veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant*, etc. [7] *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, etc. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Rursus alio in loco [8] : *Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et Joannes idem [9] : *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Sic Trinitatis fidem, et professionem, quam obscurare, quasi per nebulam, Judæi illi veteres agnoverant, plenius apertiusque Christus tam per se, quam per suos apostolos tradidit; eamque notissimo, et usitatissimo Sacramento, quasi militiæ Christianæ tesseram, illigavit : ut in libro de Trinitate secundo [10], aliisque meminimus [11]. Ubi et illud observatum est, vocabulum ipsum *Patris*, quatenus propria notione sumitur, et ad unigenam, consubstantialemque filium refertur, primum omnium hominibus indicasse ; vel paucissimis certe cognitum palam expressisse Christum, idque ipsum nomen illud esse, interpretante Cyrillo, de quo apud Joannem ita loquitur [12] : *Manifestavi nomen tuum hominibus : quos dedisti mihi.* Hoc autem est Trinitatis arcanum dogma patefacere, cujus principium, et origo, et ἀνακεφαλαίωσις, Pater a græcis theologis dicitur [13].

XIII. Consentanea Scripturarum auctoritati placita sunt veterum theologorum, causam hanc reddentium, cur Dei filius humana carne vestitus ad nos venerit ; uti gentes inanium numinum religionibus implicatas, ad veri Dei, hoc est sui, et Patris æterni, notitiam, et obsequium traduceret : « (1) Propterea venit Dei filius, ait Chrysostomus, ut nos a tali cultu liberaret : ideo servi formam accepit, ut ab ista servitute nos eximeret. » Et Hilarius in tertio libro, « maximum hoc opus Filii fuisse » scribit, « ut Patrem cognosceremus. » Copiosa id oratione disputat Athanasius in libro de incarnatione Verbi Dei : ubi satius fuisse dicit, nunquam procreari homines, neque ad imaginem Dei fieri, quam in tanta sui conditoris ignoratione, contemptuque vitam ducere, et alienis servire diis, vel dæmonibus potius. « (2) Ecquid commodi creatori Deo, aut quænam ad eum gloria redit, si ab illo procreati homines non ipsum adorant, sed alios esse putant, qui sese condiderunt? Inde

(1) CHRYS. hom. 4. in Joan. pag. 575. Διὰ τοῦτο ἦλθεν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἵνα ταύτης ἡμᾶς ἀπαλλάξῃ τῆς λατρείας· διὰ τοῦτο δοῦλου μορφὴν ἔλαβεν, ἵνα τῆς δουλείας ἐλευθέρωσῃ ταύτης.

(2) ATH. pag. 46. Τί δὲ ὄφελος τῷ πεποιηκότι Θεῷ, ἢ ποία δόξα αὐτῷ ἂν εἴη, εἰ οἱ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενοι ἄνθρωποι οὐ προσκυνοῦσιν αὐτῷ, ἀλλ' ἑτέρους εἶναι τοὺς πεποιηκότας αὐτοὺς νομίζουσιν ; εὑρίσκεται γὰρ ὁ Θεὸς ἑτέροις, καὶ οὐχ ἑαυτῷ τούτους δημιουργήσας.

[1] Isa. 2. 2. et Mich. 4. — [2] Ib. v. 18. — [3] Isa. 49. 6. — [4] Isa. 42. 6. — [5] Jer. 16. 19. — [6] Joan. 10. 10. — [7] Joan. 17. 3. — [8] Joan. 12. 31. — [9] 1. Jo. 3. 8. — [10] Cap. 7. — [11] Vid. lib. 5. c. 4. § 4. — [12] Jo. 17. 6. — [13] Vide 4. de Trin. c. 15. § 14.

enim consequens est, aliis potius, quam sibi, Deum illos fabricasse. » Et paulo post: « (1) Cum igitur quædam idolorum insania, et impietas orbem terrarum occupasset, ac Dei cognitio penitus lateret; ad quemnam attinebat mundum docere de Patre? etc. » In quibus provinciam tantam extricandi ab illa superstitione generis humani, comprimiendæ grassationis dæmonum, et inveteratæ tyrannidis abolendæ, mortalium omnium captum excessisse docet. Bene autem inter cetera, quod Patris hominibus indicandi partes Filio convenisse præ omnibus asserit. « (2) Hinc enim vultus Patris appellatur Filius, ait Clemens Alexandrinus, utpote cum carniferum factum Verbum, sensuum quinario paternæ proprietatis monstrator fuerit. » His ista præclara subjicit Athanasius : « (3) Quandoquidem homines aversi a Dei contemplatione, ac velut in profundum demersi, defixis in terram oculis, in generatione, rebusque sensilibus Deum inquirebant, ac mortales homines, et dæmones sibi deos fingebant : idcirco amans hominum, communisque salvator omnium Dei Verbum sibi corpus assumit, et tanquam homo inter homines versatur, ac sensus hominum omnium occupat : ut qui corporeis in rebus inesse Deum cum animis suis reputarent, ex iis, quæ Dominus per opera corporis efficeret, veritatem intelligerent, ac per ipsum ad Patris se cogitationem attollerent. »

XIV. Gregorius item Nyssenus, « (4) propterea Deum in carne conspectum esse, et cum hominibus versatum *ait*, ut ne amplius illi pro animi sui sententia de eo quod est opinarentur ; neque collectas ex quibusdam conjecturis suspiciones pro veris, ac firmis decretis haberent : » de iis agens, quæ ad Deum pertinent; quæ ideo per se Deum hominem factum elocutum esse dicit.

Cyrillus Alexandrinus in Isaiam, « (5) Opus erat, *inquit*, omnino sapientia, et intelligentia iis qui aberraverant : qui ob insignem stoliditatem præ Creatore creaturam adorabant, ac lignis, et lapidibus deos inscribebant, etc. Hujusmodi enim erant gentium morbi ; sed per illum liberatæ sunt ; quippe sapientia locupletatæ sunt ab ipso, et intelligentes factæ sunt. » Ea vis disciplinæ fuit, doctrinæque cœlestis a divino magistro in terras allatæ ; quæ eadem et religio et sapientia dicitur : Nam [1] « in sapientia religio, et in religione sapientia est. Ergo non potest segregari, ait Lactantius, quia sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis, ac piis cultibus honorare.»

Augustinus vero in epistola tertia [2] nominatim ideo dicit incarnatum esse Deum, ut haberent homines, per quem, spretis abjectisque dæmonibus, ad Deum possent accedere. « Maxime vero, *inquit*, suæ incarnationis exemplo id salubriter persuasit, ut quoniam homines plerique divinitatis avidi, per potestates cœlestes, quas deos putarent, ritusque vanos illicitorum non sacrorum, sed sacrilegiorum, ambiendum sibi arbitrarentur ad Deum, magis superbe, quam pie : qua in re pro angelis sanctis eis se dæmones superbiæ cogitatione supponunt : scirent homines tam proximum esse Deum pietati hominum, ad quem velut longe positum, per interpositas potestates ambiebant, ut hominem suscipere dignaretur ; et cum illo uniri quodammodo, ut ei sic coaptaretur homo totus, quemadmodum animæ corpus. » Et in libro de vera Religione capite 55. « Idipsum, *inquit*, actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei virtus, et Dei sapientia incommutabilis et consubstantialis Patri, et coæterna suscipere dignaretur; per quam nos doceret, id esse homini colendum,

(1) Ibid. pag. 47. Ἐπειδὴ δὲ καὶ εἰδωλομανία, καὶ ἀθεότης κατεῖχε τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ περὶ Θεοῦ γνῶσις ἐκέκρυπτο, τίνος ἦν διδάξαι τὴν οἰκουμένην περὶ Πατρός.

(2) Clem. 5. Strom. pag. 410. Ἐντεῦθεν πρόσωπον εἴρηται τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός, αἰσθήσεων πεντάδι, σαρκοφόρος ὁ Λόγος γενόμενος, ὁ τοῦ πατρῴου μηνυτὴς ἰδιώματος.

(3) Ibid. pag. 48. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἄνθρωποι ἀποστραφέντες τὴν πρὸς τὸν Θεὸν θεωρίαν, καὶ ὡς ἐν βυθῷ βυθισθέντες, κάτω τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες, ἐν γενέσει, καὶ τοῖς αἰσθητοῖς τὸν Θεὸν ἀνεζήτουν, ἀνθρώπους θνητοὺς, καὶ δαίμονας ἑαυτοῖς θεοὺς ἀνατυποῦμενοι· τούτου ἕνεκα ὁ φιλάνθρωπος, καὶ κοινὸς πάντων Σωτὴρ, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος λαμβάνει ἑαυτῷ σῶμα, καὶ ὡς ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώποις ἀναστρέφεται, καὶ τὰς αἰσθήσεις πάντων ἀνθρώπων προλαμβάνει, ἵνα οἱ ἐν σωματικοῖς νοοῦντες εἶναι τὸν Θεὸν, ἀφ' ὧν ὁ Κύριος ἐργάζεται διὰ τῶν τοῦ σώματος ἔργων, ἀπ' αὐτῶν νοήσωσι τὴν ἀλήθειαν, καὶ δι' αὐτοῦ τὸν Πατέρα λεγίσωνται.

(4) Nyss. init. lib. 1. con. Eun. pag. 1. Οὗτος ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συναναστράφη, ἵνα μηκέτι οἱ ἄνθρωποι κατὰ τὰς ἑαυτῶν γνώμας περὶ τοῦ ὄντος δοξάζωσι.

(5) Cyr. lib. 5. tom. 2. in Esa. pag. 776. Ἔδει γὰρ ἔδει σοφίας, καὶ συνέσεως τοῖς πεπλανημένοις, οἱ διὰ πολλὴν ἀβελτηρίαν προσεκύνησαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ξύλοις καὶ λίθοις ἐπεγράφοντο θεοὺς, etc. ταῦτα γὰρ ἦν τὰ τῶν ἐθνῶν ἀῤῥωστήματα· λελύτρωνται δὲ δι' αὐτοῦ· Πεπλουτήκασι γὰρ τὴν παρ' αὐτοῦ σοφίαν, καὶ συνετοὶ γεγόνασι : quæ Procopius imitatus quædam etiam exscripsit ad verbum.

[1] Lact. lib. 4. c. 3.

[2] Aug. ep. 3. pag. 6.

quod ab omni creatura intellectuali et rationali colendum est. » De hac importata per Christum veri Dei notitia, lege Bernardum sermone 6. in Cantica.

CAPUT UNDECIMUM.

De duobus reliquis documentis summi magistri. — 1. Quorum alterum est, supremos bonorum et malorum fines ostendere, quod olim perplexos diu philosophos habuit. — 2. Alterum est viam docere, qua ad summum finem, id est ad regnum cœlorum tenditur.— 3. Hanc viam in illo sermone, quem in monte habuit, primum edocuit; tum ea quoque virtutum officia, quæ veteres philosophi tradiderant. Hanc porro doctrinam multo prolixius exemplo,quam sermone tradidit. — 6. et 7. Quod veterum testimoniis asseritur. — 8. Ideo omnium virtutum exempla in sese præbuit : — 9. imprimis humilitatis ; — 10. necnon obedientiæ, patientiæ, et ceterarum : — 11. velut charitatis, quam ut ab hominibus exprimeret, homo est factus, — 12. ut videri posset ab illis, et amari; — 13. tum spei; — 14. cujus incitamenta ex incarnatione Verbi multa, et eximia proficiscuntur.

I. Sequitur alterum doctrinæ caput, cujus monstrandi gratia summus ad nos descendit magister, ut verum, ac sempiternum bonorum malorumque finem, certo, ac perspicue doceret. Hoc vero quam non solum optabilem, sed etiam necessarium illius adventum persuadeat, arguit pertinax, et inextricabilis ante istud tempus, tot sapientum hac de una re dissensio. Qui quidem ingenio pariter abundantes et otio, magnam partem in eo quærendo contriverunt ætatis, et occupationis suæ : adeo nullo successu, nec operæ pretio, ut opinionum conflictu, et multitudine, magis involutum et incertum quod a prioribus acceperat, quam explicatum quisque posteris tradiderit. Non est necesse persequi ista pluribus; cum ad manum sit, qui diligenter hoc argumentum tractavit, Augustinus in libro decimo nono de civitate Dei [1] : qui tritum illud et celebre ex Varronis commentariis refert; ad ducentas octoginta octo sectas contentione philosophorum controversiam illam esse perductam. Atqui divini doctoris institutione sic ea modo cognita, patefactaque res est, ut valde rudem et hebetem esse oporteat, qui interrogatus respondere nequeat, quis sit, et ubi quærendus sit [2] « finis boni nostri, propter quem appetenda sunt cetera : ipse autem propter se ipsum : et finis mali, propter quem vitanda sunt cetera; ipse autem propter se ipsum. » Utrumque nos Christus accurate perdocuit ; et summum ultimumque bonorum non in præsenti vita quærere, sed in futura sperare voluit : idque *regnum cœlorum* nominavit ; quod ut vetus lex vel nulla, vel tenui admodum, et obscura significatione perstrinxerat, sic in nova dilucide, ac constanter annuntiavit, promisitque Christus. De quo non repetam hic ea, quæ alibi disputata sunt [3], quatenus *regnum cœlorum* in antiqua lege commemoratum non fuerit; eoque nomine accusatus sit Pelagius quod dixisset, *Regnum cœlorum in veteri Testamento fuisse promissum*. Nam quod ad gentiles philosophos spectat, nunquam hoc odorari potuerunt. « Deficiebat enim, ut recte Joannes Gersonius ait [4], volentibus ad altiora conscendere, scala creaturarum, per quam sempiterna Dei virtus, atque divinitas licet possit attingi, non tamen usquequaque. »

II. Tertium caput doctrinæ Christi, iter est ad beatæ immortalitatis, et illius regni cœlestis adeptionem : quod præstantissimus doctor verbo simul et exemplo monstravit hominibus. Ipse enim via est illa, quod inquirenti Thomæ respondit [5] ; qui idcirco carnem suscepit, ut hominem Deum esse, ac divine agere doceret : quæ unica ratio est qua ad Deum, hoc est ad *regnum cœlorum*, quod Deus est ipse, pervenitur, « Totum denique Dei mei penes vos dedecus (ait Tertullianus [6] hæreticos contemptores, et obtrectatores humilis vitæ istius alloquens) sacramentum est humanæ salutis. Conversabatur Deus, ut homo divine agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret. »

[1] Aug. 19. de Civit. c. 1. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Pelag. et Semipel. c. 6. § 13. — [4] Gers 3. par. oper. lib. 1. Pro. 2. col. 12. — [5] Joan. 14. 6. — [6] Tert. 2. cont. Marc. c. 27.

Eodem respicit, quod Cyrillus Alexandrinus scribit, « (1) Similitudinem nostram utiliter subiisse Dei filium unigenitum, ut arcanam Dei, ac Patris voluntatem retegens, spiritales adoratores efficeret, non figurarum adumbrationibus addictos amplius; neque legem, quæ nihil perfectum reddere poterat, amplectentes: sed ut, quia Deus est spiritus, in spiritu, et veritate nos ipsum adorare studeamus, et colere. »

Sic illam *sanctorum*, hoc est ad sancta sanctorum, *viam nondum propalatam* aperuit Christus [1]: quippe sanctorum vocabulo significari cœlum, interpretatur Chrysostomus, Græcique ceteri.

III. Quæ via inusitata hactenus, et invia, primum exposita est in illo mirabili sermone, quem in monte Christus ad discipulos habuit. « Hunc enim sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum, » ait Augustinus in libro primo ad eumdem [2]. Cujus eo fructus pertinet, in quod intentus Dei Filius, « duxit hanc vitam : ut tibi ostenderet, quam sit contemnenda, quam diligebas, et quam sit speranda, quam non credebas, » ut ait Augustinus [3]. Hinc *regni cœlorum*, hoc est finis ultimi, veræque felicitatis, cujus gustus paucissimorum hactenus palato sapiebat, crebro meminit in eo sermone Christus, sive id proprio appellans nomine, sive figuratis vocabulis significans. Viam autem, qua ad illud contenditur, peræque mortalibus inauditam, et ignotam, præterquam, si forte, paucis quibusdam et eximiis, eadem in schola patefecit, voluntariam paupertatem, luctum, vexationem, et malorum omnium, acerbitatumque tolerantiam; ut de iis sileam, quæ supra præcepti necessitatem sponte capessenda proposuit; quæ *evangelica consilia* nominantur; ac neque facilibus, neque mediocribus virtutum officiis constant: et antiquis sanctis sub naturæ, vel Mosaica lege degentibus usui minime fuerunt.

At non illa duntaxat nova et ardua documenta Christus magisterio suo complexus est: sed ea insuper omnia, quæ vel a profanis sapientibus, ac philosophis utiliter in commune posita humano generi præcepta fuerant. Ita censet Augustinus in epistola tertia [4]; ubi postquam duo illa, quæ supra commemoravi, incarnationis Christi commoda retulit, *magisterium*, et *adjutorium*, de priore ita loquitur: « Magisterium quidem, ut ea quæ hic ante dicta sunt utiliter vera, non solum a prophetis sanctis, qui omnia vera dixerunt, verumetiam a philosophis, atque ipsis poetis, et hujuscemodi auctoribus litterarum, quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat? illius etiam in carne præsentata confirmaret auctoritas, propter eos qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere, atque discernere: quæ veritas et antequam hominem assumeret, ipsa aderat omnibus, qui ejus participes esse potuerunt. » Nam, ut Tertullianus libro de carne Christi capite secundo scribit, « Christo servabatur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare. »

IV. Arnobius vero latius Christi scholam, ac doctrinam porrigit : ut præter illa, quæ ad virtutem, et salutem proxime attinent, etiam naturalium rerum causas, atque origines docuerit. Nam Christi beneficia, et in humanum genus illata bona recensens, ob quæ divinos ab illis honores multo justius promeritus fuerit, quam ob vini, vel frugum, ac ceterarum commoditatum usus repertos, Bacchus, ac Ceres, aliique mortales: ita de Christo narrare pergit [5]: « Qui velut cæcos passim, ac sine ullo rectore gradientes, ab deruptis, ab deviis, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primo atque humano generi salutare, Deus monstravit quid sit, quis, quantus, et qualis, qui profundas ejus, atque inenarrabiles altitudines (quantum nostra quivit mediocritas capere) et intelligere permisit, et docuit. Qui quo auctore, quo patre mundus iste sit constitutus, et conditus, fecit benignissime scire. Qui nativitatis ejus exprompsit genus, et nullius aliquando cognatione [6] præsumptum materia illius. Unde ignibus solis genitalis fervor adsciscitur : cur luna semper in motu, etc. Animalium origo quæ sit: rationes quas habeant semina : quis ipsum finxerit hominem, quis informarit, vel ex materiæ quo genere constructionem ipsam conformaverit corporum : quid sit sensus, quid anima, etc.»

(1) Cyr. dial. 1. de Trin. pag. 399. tom. 5. Ὑπέδυ χρησίμως τὴν πρὸς ἡμᾶς ὁμοιότητα ὁ μονογενὴς, ὡς ἂν τὴν ἀπόῤῥητον τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς διεκκαλύπτων θέλησιν, πνευματικοὺς ἀποδείξῃ προσκυνητὰς, οὐ τύποις ἀπισκίασμασι προσκειμένους ἔτι, καὶ τὸν οὐδὲν τελειοῦν ἰσχύοντα προσκειμένους νόμον. Ἀλλ' ἵν', ἐπείπερ ἐστὶ πνεῦμα ὁ Θεὸς, ἐν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ προσκυνεῖν τε ἅμα, καὶ λατρεύειν ἐπειγώμεθα.

[1] Hebr. 9. 8. — [2] Tom. 4. pag. 330. — [3] Aug. in Ps. 147. pag. 700.

[4] Pag. 5. D. 2. — [5] Arnob. l. 1. p. 27. Vide et lib. 2. sub init. — [6] F. cogitatione præsumptum, materiam illius.

Quæ omnia Christum docuisse cum dicit, non ad Evangelium, novamque legem respicit; sed ad totum Christianæ religionis apparatum, qui veteris ac novi Testamenti litteras amplectitur: quarum priores, præsertim Mosaicæ, mundi, ejusque partium origines, et naturas explicant. Adde quod universa per Christum, hoc est Dei Verbum, procreata sunt, et eodem aspirante, ac loquente, in divinis Scripturis edita.

V. Sequuntur apud Arnobium, quæ propria sunt disciplinæ Dei et hominis Christi, et a nobis paulo ante significata. « Qui (quod omnia superavit, et transgressum est munera) ab religionibus nos falsis religionem traduxit ad veram. Qui ab signis inertibus, atque ex vilissimo formatis luto, ad sidera sublevavit et cœlum: et cum Domino rerum Deo supplicationum fecit verba, atque orationum colloquia miscere. » Tum de idolorum inanitate quibusdam interpositis, « Nunc doctore tanto, *inquit*, in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint scio: digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino; et quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus, atque auctoritatibus tribuo. » Hac igitur de causa « missus est a Deo Patre Filius, ut Arnobii quoque discipulus testatur [1], ut universis gentibus, quæ sub cœlo sunt, singularis, et veri Dei sanctum mysterium revelaret, ablatum perfido populo, qui adversus Deum sæpe deliquit. » Idemque postea [2], « filium suum legasse ad homines » asserit Patrem, « ut eos converteret ab impiis, et vanis cultibus, ad cognoscendum, et colendum verum Deum: item ut eorum mentes ab stultitia ad sapientiam; ab iniquitate ad justitiæ opera traduceret. Hæ sunt viæ Dei, in quibus ambulare eum præcepit; hæc præcepta, quæ servanda mandavit. » Filio, inquit, ista Pater non verbis tantummodo præscribere, ac docere; sed vita, atque factis exprimere præcepit ad humani generis imitationem. In quo docendi genere potissimum excellentis illius magisterii forma consistit. Hanc enim libentius, ac diutius exercuit Christus, ac tum ab ea vitæ curriculum est exorsus; tum in eam multo etiam illustrius, admirabiliusque desiit: atque illa postremo causa princeps Incarnationis, ac totius οἰκονομίας, ab antiquis Patribus jure constituitur.

VI. Nam cum universæ illius administrationis finis et scopus ad electorum, sive prædestinatorum salutem referatur; constat istos ipsos non alio modo, quam exprimenda in sese unigeniti illius imagine, hoc est exemplaris hujus imitatione compotes salutis, ac felicitatis fieri. [3] *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Eleganter, ut solet, illius exemplaris, et ad hoc formandum, Incarnationis usum, ac necessitatem describit Augustinus [4]. « In ipso, *inquit*, ambulantes tendimus ad ipsum, quia factus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei, et Deo æqualis, et Deus præbet exemplum: ut se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnamque mortalitatis, Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, non mutando divinitatem suam, sed nostram mortalitatem assumendo: et formam servi accipiens, venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est: ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem; exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul et quem sentire poterat, et quem sequi debebat.»

Simile quiddam et alio in loco apud eumdem legitur [5]. « Hominem, *ait*, sequi non debebant homines: homo sequendus non erat, qui videri poterat. Ut ergo exhiberetur homini et qui ab homine videretur, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.» Vide librum ejusdem de Utilitate credendi, cap. 15.

VII. Apud Joannem Damascenum in Eclogis nondum editis, citatur Chrysostomi locus aprime huc attinens. « (1) Quoniam hominum,

(1) CHRYS. apud Damasc. in Eclog. tit. 3. Ἐπειδὴ τῶν ἀνθρώπων ἡ ἀσθένεια τοὺς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοὺς ἀμβλυώττουσα εἰς τὸν τῆς ἀνομοιότητος ζόφον κατέπεσε, καὶ οὐκ ἦν ὅπως τις τὸ καθαρὸν τοῦ Θεοῦ φῶς τῇ διανοίᾳ κατίδοι, ὁ Κύριος τὸ ἡμέτερον ἀνείληφε σῶμα, θεότητι τὴν ἀνθρωπότητα κεράσας ἀπαθῶς, σκοπὸν ἡμῖν ἑαυτὸν προτεθεικεν, ὑφηγήσειν

[1] Lact. lib. 4. c. 12. — [2] Id. c. 14. — [3] Rom. 8. 29. — [4] Aug. 7. de Trinit. c. 3.

[5] Ser. 52. de Diver. c. 2. p 525.

inquit, imbecillitas hebetes habens oculos animæ, in dissimilitudinis caliginem inciderat, nec ratio expediri ulla poterat, qua quis purum Dei lumen mentis acie perviderat, Dominus corpus nostrum suscepit, divinitati miscens humanitatem sine ulla passione : atque ita sese nobis velut scopum proposuit, optimæ vitæ rationem idonee per semetipsum ostendens. Quemadmodum artifices quæ discenda sunt, alia verbis, alia operibus ipsis per seipsos monstrando, discipulos suos instruunt. » Nimirum « per illam susceptionem hominis id actum est, ut quædam nobis disciplina vivendi, et exemplum præcepti, sub quarumdam sententiarum majestate, ac perspicuitate insinuaretur, » ut ait Augustinus [1].

Athanasius porro doctore, et exemplari nobis opus fuisse dicit stabili, et mutationis experte : « (1) Ut homines immutabilem Verbi justitiam, formulam, et exemplum haberent ad virtutem. » Nam nemo præter Deum est in bono fixus, et ἀναμάρτητος. Itaque « (2) necesse est, si communionem habere cum ipso cupimus, ut scribit Dionysius, nos in divinissimam illius in carne vitam intueri, et ejusdem expressa similitudine, ad impeccantiæ sacræ divinum, et ab omni macula purum habitum recurrere.» Atque ut, ex Leonis papæ præcepto [2], « toto cordis affectu conformari Redemptori nostro per illius exempla nitamur. Nihil enim non ad nostram salutem aut egit, aut pertulit: ut virtus, quæ inerat capiti, inesset etiam et corpori. » Tum et recte Clemens Alexandrinus hortatur, « (3) Redamandus est a nobis ille, qui pro sua in nos charitate dux et magister fuit optimæ vitæ : nec non ex ejus voluntatis præceptis vita nostra gubernanda : ut non solum imperata faciamus, aut interdicta caveamus, sed etiam imagines alias vitando, alias, quam maxime consequi possumus, imitando, Pædagogi opera imitando referamus : ut quod ad imaginem et similitudinem dicitur, ille in nobis absolvat. »

VIII. Quam etiam ob causam Christus omnes honestatis partes, omniaque virtutum in se officia repræsentavit ; atque, ut Philo Carpathius adnotat ad illa Cantici canticorum verba [3] : *Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis*, « [4] Huic sponsæ seipsum ostendere volens, nebulæ instar, se corpore circumtexit, sub eoque seipsum occuluit ; ut propriæ sponsæ omnino se demonstraret per omnes virtutum gradus, per patientiam, et puritatem ; ut pietatis formam, et exemplar humilitatis haberet. » Cui accinit Ambrosius [5], eoque Proverbiorum illud [6] accommodat : *Dominus creavit me principium viarum suarum, in opera sua.* Ac principium idcirco dici asserit, « quia uniuscujusque virtutis auctor, quia Ecclesiæ caput est, etc. Ideo enim carnem suscepit, ut ad cœlum nobis sterneret iter, etc. Principium itaque nostræ virtutis est Christus, principium integritatis, patientiæ, humilitatis, etc. Ex illo enim accepit virtus unaquæque principium. Et ideo ut hæc virtutum genera disceremus, filius datus est nobis, cujus principium super humerum ejus. Principium illud crux Domini est, principium fortitudinis, quo via sanctis est reserata martyribus ad sacri certaminis passionem. »

Hoc argumenti genere crebro, ac libenter usi sunt veteres theologi adversus Arianorum impietatem ; qui *infirmitates assumptæ carnis* ad infringendam divinitatis fidem adhibebant. Audiamus unum modo ex omnibus Faustinum [7]. « Ille, si factus homo non servasset, *inquit*, quam docere venerat, disciplinam, non bonum magisterii dedisset exemplum. Quis enim discipulorum servare conaretur, quod non magister ipse servasset factus ut homo : cum hodie jam quicumque servat, ipsius exemplo relevetur, ut servet ? »

IX. Ex omnibus porro virtutibus, unius maxime commendare nobis exempla Christus, et ad imitandum proponere in vita sua voluit ; quam mundi sapientes, ac philosophi penitus ignorarunt ; ut ne nomen quidem illum, quo

αὐτάρκη τῆς ἀρίστης ζωῆς δι' ἑαυτοῦ καταθέμενος· ὥσπερ οἱ δημιουργοὶ τῆς μαθήσεως τὰ μὲν τοῖς λόγοις, τὰ δὲ τοῖς ἔργοις αὐτοῖς δι' ἑαυτῶν παραδείξαντες προὐιέαζουσιν.

(1) ATHAN. orat. 2. pag. 173. Ἵνα τὸ ἀμετάβλητον, τῆς τοῦ Λόγου δικαιασύνης ἔχωσιν εἰκόνα, καὶ τύπον πρὸς ἀρετὴν οἱ ἄνθρωποι.

(2) DION. de Eccl. hier. cap. 3. Χρὴ γὰρ ἡμᾶς, εἰ τῆς πρὸς αὐτὸν ἐφιέμεθα κοινωνίας, εἰς τὴν θειοτάτην αὐτοῦ κατὰ σάρκα ζωὴν ἀποσκοπεῦσαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν ἀφομοιώσει, τῆς ἱερᾶς ἀναμαρτησίας εἰς τὴν θεοειδῆ, καὶ ἀλώβητον ἕξιν ἀναδραμεῖν.

(3) CLEM. 1. Pæd. cap. 3. Καθήκει δ' ἡμῖν ἀνταγαπᾶν μὲν τὸν καθηγούμενον ἀγαπητικῶς ἀρίστου βίου· βιοῦν δὲ πρὸς τὰ διατάγματα τῆς αὐτοῦ προαιρέσεως, οὐ μόνον ἐπιτελοῦντας τὰ προσταττόμενα, ἢ παραφυλάττοντας τὰ ἀπαγορευόμενα, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰκόνων τὰς μὲν ἐκτρεπομένους, τὰς δὲ, ὡς ἔνι μαλίστα μιμουμένους, ἐπιτελεῖν καθ' ὁμοίωσιν τὰ ἔργα τοῦ παιδαγωγοῦ, ἵνα δὴ τὸ κατ' εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν πληρώσῃ.

[1] Aug. ep. 268. — [2] Leo. Ser. 13. de Pass. — [3] Cant. 2. 14. — [4] Philo Car. tom. 1. Bibl. PP. col. 176.

[5] Amb. 3. de Fide c. 4. — [6] Prov. 8. — [7] Faustin. lib. cont. Arian. c. 3. tom. 4. Bibl. PP. col. 681.

eam significarent, latino vel græco nobis sermone reliquerint. Hanc nos Christiani *humilitatem* vocamus, hoc est sui, et honoris humani, ac gloriæ despicientiam : quæ principatum tenet Christianæ disciplinæ, ac cœlestis, divinique magisterii. « Itaque sicut rhetor ille nobilissimus, ait Augustinus [1], cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse : cum quæreretur quid secundo, eamdem pronuntiationem : quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse : si interrogares, et quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem liberet, et si forte alia dicere necessitas cogeret. » At vero philosophis, ut paulo ante scribit, « omnibus defuit divinæ humilitatis exemplum, quod opportunissimo tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est : cui uni exemplo in cujusvis animo ferociter arrogantis, omnis superbia cedit, et frangitur, et emoritur. »

X. Hoc idem documentum humilitatis, necnon comitum hujus, obedientiæ, patientiæque, in incarnatione Dei filii præcipue spectatum illustrat Augustinus idem in libro 13. de Trinitate [2], et in sermone 74. de Tempore : quem locum præterire non possum. « Propter hoc, *inquit* [3], cum Deus esset, homo factus est, ut se homo hominem cognosceret. Magna medicina. Hæc medicina si superbiam non curat ; quid eam curet, nescio. Deus est, et fit homo. Seponit divinitatem, id est, quodammodo sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat ; quod apparet, acceperat. Fit ille homo, cum sit Deus ; et non se agnoscit homo hominem, id est, non se mortalem agnoscit, non se agnoscit fragilem, non se agnoscit ægrotum, ut quærat vel ægrotus medicum ; sed, quod est periculosius, sanus sibi videtur. »

Sic in libro de agone Christiano, capite 11 [4]. « Hæc medicina, *inquit*, hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur ? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur ? Quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur ? Quæ impietas sanari potest, si charitate filii Dei non sanatur ? » Denique, « Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos : pius venit ad impios, ut nos faceret pios : humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles, » ait Ambrosius, ut quidem inscribitur, Sermone secundo. De hoc humilitatis magisterio, vide Augustinum in tractatu ad Psalmum 31. [5] ubi hanc humilitatis viam hujus mundi sapientibus ignotam ab Christo primitus traditam fuisse probat.

XI. Præclara quoque virtutum ceterarum documenta, maxime duarum de tribus, quas *theologicas* vocant, in eodem Christi magisterio constituta sunt, charitatis, ac spei : de quibus innumera sunt, sed in promptu posita ; et idcirco minime hic exscribenda testimonia Scripturæ. Pauca quædam ex antiquorum Patrum scriptis referam : magis ut non omissa prorsus rei tantæ mentio, quam ut accuratius tractata videatur. Primus in medium veniet pulcherrimus Petri Chrysologi locus e Sermone 147. in quo finem Incarnationis, totiusque Christi administrationis illum a Deo spectatum esse disputat, ut homo, qui Deum non videns, dura servitute, ac pavore tenebatur, coram illum intuendo, « Deum diligere disceret, non timere ; amando colere, non pavere. » Quippe nihil tam concupiscere Dei cultores, quam « ut ipsum videant. Denique et ipsi gentiles ob hoc simulacra finxerunt, ut in ipsis erroribus, oculis cernerent quod colebant. Sciens ergo Deus visendi se desiderio cruciari, lassarique mortales, unde se visibilem faceret hoc elegit, quod esset et terrenis magnum, et non minimum supernis. »

XII. Huc illa pertinet Anastasii Sinaitæ alibi a nobis notata sententia [6], Deum nec ab angelis, nec ab ulla creata re alia posse conspici ut est in se, hoc est ipsam ejus essentiam : et idcirco uti tandem videri quoquo modo posset, visibilem se assumpta carne fecisse. Quod etsi est falsum, et a nobis merito castigatum, tamen si ad solos homines præsertim hoc in vitæ statu degentes referatur, cum eo quadrat quod ab Chrysologo dicitur, necnon a Bernardo, qui in sermone secundo in Cantica copiose describit, « ardorem desiderii patrum suspirantium Christi in carne præsentiam : » quod *osculum* illud interpretatur, cujus sponsa ingenti desiderio flagrabat. Et in Sermone 20. « Ego, *inquit*, hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, et cum hominibus homo conversari ; ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salu-

[1] Ep. 56. pag. 101. A. 1. — [2] Cap. 17. — [3] August. Ser. 74. de Temp. c. 7. — [4] Tom. 11.

[5] Aug. in Psalm. 31. p. 80. — [6] Tom. 1. l. 7. c. 6. et lib. 1. de Ang. c. 8.

tarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. » Sunt et alia ejusdemmodi in nonnullis Bernardi sermonibus, maxime in tertio de natali Domini, et in sermone quodam de diligendo Deo [1].

Eximium hac de re Maximi martyris dictum est in Capitibus theologicis. Ubi [2] postquam docuit, φιλαυτίαν, id est amorem sui, principium, ac matrem esse malorum omnium, ac vitiorum, demum asserit, « (1) Deum ejus rei gratia hominem esse factum, ut naturam hominum ad seipsum cogeret, et ejus impetum sisteret, quo male in semetipsum rapitur, vel potius seditiose contra se tumultuatur, ac dividitur, nec statum, aut stabilitatem habet ullam, propter temerariam in unaquaque re animi commotionem. » Auget vero charitatis illecebram beneficii magnitudo ex vilitate et indignitate partus, et natalis, ac ceterarum imbecillitatum. « Hæc si quis indigna Deo recolit, (ait Hilarius [3], ex eoque Leo papa [4],) tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. »

XIII. De spei, ac fiduciæ robore, et incremento, quod divinus magister excitare in nobis mutua naturarum communione voluit, permulta sunt tum in sacris libris, tum in veterum monimentis Patrum, pie et sententiose dicta. Pauli vero præsertim apostoli refertæ sunt epistolæ talibus dictis, ut in capite octavo ad Romanos; tum Joannis canonica prima; ut de Evangeliis, ac reliquis taceam. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ait Paulus [5]. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et apud Joannem Christus ipse [6], *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alibi Joannes idem [7]: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus, etc. Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Proinde quemadmodum hortatur Augustinus [8], « Erigat spem suam genus humanum, et recognoscat naturam suam, et videat quantum locum habeat in operibus Dei, » ac deinceps, totoque adeo illo capite, elegantibus, gravibusque sententiis humanam fiduciam ex eodem Dei in nos beneficio firmiorem facit.

XIV. Plena est etiam epistola 120. ejusdem ad Honoratum similibus incitamentis: cujus epistolæ inscriptio est de Gratia novi Testamenti. Ex qua illud unum afferam, quod inter alia Martinus papa in Lateranensi synodo contra Monothelitas protulit [9]: « O homines! nolite desperare vos fieri posse filios Dei; quia et ipse Filius Dei, hoc est Verbum Dei caro factum est, et habitavit in nobis. Reddite vicem, efficimini spiritus, et habitate in illo, qui caro factus est, et habitavit in vobis. Neque enim jam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est filius hominis. » Et in libro 13. de Trinitate [10], verba illa expendens Apostoli [11], *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius;* ita concludit: « Quis enim dubitat daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam? » Et paulo ante [12]: « Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? » Nec illud omittendum ex eodem Augustino Prosperi [13]: « Deus homo factus est; quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo? » « Non enim tam immitis est Dominus, ait Manualis auctor [14], ut non diligat carnem suam, membra sua, et viscera sua. » « Et insolens quidem, ut cum Hilario dicam [15], hic forte humanæ spei erit sermo, sed non erit infidelis: quia quamvis hoc sperare temerarium sit, tamen non credidisse irreligiosum est, ut idem, atque unus ex nobis et spei auctor sit, et fidei. » Quippe [16], « Suscepit

(1) MAXIM. cap. 47. Ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς διὰ τοῦτο γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα τὴν φύσιν τῶν ἀνθρώπων πρὸς ἑαυτὸν συναγάγῃ, καὶ στήσῃ τοῦ φέρεσθαι κακῶς πρὸς ἑαυτήν, μᾶλλον δὲ καθ' ἑαυτῆς στασιάζουσάν τε, καὶ μεμερισμένην, καὶ μηδεμίαν ἔχουσαν στάσιν, διὰ τὴν περὶ ἕκαστον τῆς γνώμης ἀστάθμητον κίνησιν.

[1] Col. 409. — [2] Maxim. Cen. I. Theol. c. 31. — [3] Lib. 7. de Trin. p. 17. — [4] Ep. 97. ad Leo. Imp. c. 3. — [5] Rom. 8. 31. — [6] Joan. 3. 16. — [7] 1. Joan. 3. 1. — [8] Lib. de Ago. Christ. c. 1. — [9] Later. Syn. secret. 2. ex ep. Aug. 120. c. 4. Vide et Aug. Tract. in Psal. 109.

[10] August. lib. 13. de Trin. cap. 16. — [11] Rom. 5. 10. — [12] Lib. 13. de Trin. c. 10. — [13] Prosp. sent. 350. — [14] Cap. 13. in Appen. tom. 9. Aug. — [15] Hilar. lib. 9. de Trin. pag. 48. D. — [16] Zeno Veron. serm. de spir. et corp.

mortem, ait Zeno Veronensis, ut ea devicta resurgens, homini, per hominem quem gerebat, et spem vincendæ mortis afferret, et eum ad præmia immortalitatis admitteret. »

XV. Accedat et Richardus Victorinus ad superiora illa sumpta ex Augustino respectans [1] : « Quis ergo diffidat, *inquit*, imo quis merito non præsumat, hominem per Deum participem posse et debere fieri divinitatis, si Deus propter homines factus est particeps nostræ humanitatis? » Quæ videri possunt ex illis Chrysostomi expressa verbis Homilia secunda in Matthæum. « (1) Si de rebus tuis dubitas, *inquit*, ex illius rebus etiam credenda ista persuade tibi. Etenim multo difficilius est, ut humano modo et sensu istud usurpem, Deum hominem fieri, quam hominem, filium Dei. Cum igitur audieris filium Dei filium esse Davidis et Abrahami, cave dubites, quin et tu, filius Adami, filius Dei sis futurus. Non enim temere ac frustra tantopere seipsum abjecisset, nisi nos in altum vellet educere. »

Non absimilis est Petri Chrysologi sententia; quæ pleraque hactenus exposita Incarnationis commoda, et ornamenta in humanum derivata genus, acervatim congerit [2] : « Quid est magis tremendum, *ait*, quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo? quod societatem carnis intrat ipse, aut quod vos facit consortium divinitatis intrare? quod mortem sumit ipse, aut quod vos resumit ex morte? quod ipse in vestram nascitur servitutem, aut quod vos sibi gignit in liberos? quod suscipit paupertatem vestram, aut quod vos sibi facit hæredes, sui unici cohæredes? Est utique terribilius, quod terra transfertur in cœlum, homo deitate mutatur; servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis metuendum sit, tamen quia non docentem respicit, sed jubentem, accedamus, filioli, quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio : Deum patrem viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet, et totum quod est in nobis, respondeat gratiæ, non timori ; quia qui judicem mutavit in patrem, amari voluit, non timeri. » Vide Joannem Damascenum illa eadem Incarnationis præmia colligentem in quarto libro de Fide, capite 4.

XVI. Rursus perbrevi compendio, sed accurato, summam doctrinæ Christi comprehendit Augustinus, initio epistolæ 70. « Qui propterea hic exhonoratus, atque crucifixus est, *inquit*, ut doceret nos bona hujus seculi magis contemnere, quam diligere : et hoc amare, et sperare ab illo, quod in sua resurrectione monstravit. » Hoc enim duplici capite omnia continentur, quæ hactenus in Christi magisterio notavimus; quæque bonorum fine ultimo, ac summo, et via, qua ad illum pervenitur, comprehendi docuimus. Et in libro de vera Religione, capite 16. « Satellites voluptatum, *inquit*, divitias perniciose populi appetebant : pauper esse voluit. Honoribus, et imperiis inhiabant; rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant : tale conjugium, prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant : omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias esse intolerabiles arbitrabantur : quæ major injuria, quam justum, innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur : flagellatus, atque cruciatus est. Mori metuebant : morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant : crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio vero ejus a mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salva sunt Deo, satis indicavit : et quemadmodum cuncta serviant creatori suo, sive ad vindictam peccatorum, sive ad hominis liberationem : quamque facile corpus animæ serviat, cum ipsa subjicitur Deo. »

(1) CHRYS. hom. 2. in Matth. pag. 9. Εἰ δὲ ἀμφιβάλλεις περὶ τῶν σῶν, ἀπὸ τοῦ ἐκείνου καὶ ταῦτα πίστευε· πολὺ γὰρ δυσκολώτερον, ὅσον εἰς ἀνθρώπινον λογισμὸν, Θεὸν ἄνθρωπον γενέσθαι, ἢ ἄνθρωπον, Υἱὸν Θεοῦ χρηματίσαι. Ὅταν οὖν ἀκούσῃς, ὅτι Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, Υἱὸς τοῦ Δαβὶδ ἐστι καὶ τοῦ Ἀβραὰμ, μὴ ἀμφιβαλλε λοιπὸν ὅτι καὶ σὺ ὁ υἱὸς τοῦ Ἀδὰμ, υἱὸς ἔσῃ τοῦ Θεοῦ. Οὐδὲ γὰρ εἰκῇ, καὶ μάτην τοσοῦτον ἑαυτὸν ἐταπείνωσεν, εἰ μὴ ἔμελλεν ἡμᾶς ἀνυψοῦν.

[1] Rich. 1. de Emm. c. 13.

[2] Chrysol. c. 67.

CAPUT DUODECIMUM.

1. Colligitur ex superioribus necessariam incarnationem fuisse Filii Dei; præsertim quod alia remedia incassum adhibita fuissent, maxime lex vetus. — 2. De hac Manichæorum error perstringitur, qui legem negant ob id datam Judæis, et eorum saluti consuleretur. — 3. Quibus nonnulli Patres opponuntur. — 4. De necessitate Incarnationis, quæ veterum auctoritatibus adstruitur. — 6. Rationes quædam necessitatis illius a Patribus allatæ: velut quod impeccabilem eum oportuerit esse, qui pro hominibus satisfaceret. Ideo nec homines, nec angelos potuisse satisfacere. — 9. Alia ratio, quia Spiritum sanctum, et adoptionem filiorum nulla dare creatura potuit.

I. Tot illæ superioribus expositæ capitibus antiquorum sententiæ luculenter ostendunt, quam opportuna, et necessaria sublevando generi hominum Filii Dei incarnatio fuerit. Cum enim tam horrenda labes, et calamitas per universam Adami diffusa posteritatem, mortales omnes in sempiternum exitium præcipites traheret; frustra tentatis aliis remediis, ad postremum hoc, et valentissimum divina tandem bonitas, et sapientia decurrit. Siquidem post mundi, et in eo generis humani procreationem [1], *videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*, non destitit, quibus par erat modis, pereuntibus, et ruentibus in voluntariam perniciem consulere summa illa benignitas, et a malefactis absterrere, comminando, blandiendo, pœnas ac præmia repræsentando: quorum omnium exemplis, et documentis scatent divinæ litteræ. Ex innumeris porro præsidiis illis, ac remediis, quæ ad comprimendam sceleris licentiam, adhibita fuisse, Patres illis in capitibus citati referunt, unum velim hic mihi prudens, et catholicus lector observet [2]: Legem divinitus, Mose interprete ac sequestre, Judæis editam, quam quidem non ut soli prodesset isti populo, sed ut ceteris quoque mederetur, opemque ferret, complures antiqui traditam fuisse sentiunt.

II. Hanc ideo notari præ ceteris, ac velut in turba prætereuntem retrahi hoc loco volumus; ut adversus Manichæorum venena hac nos veterum theologorum auctoritate muniamus. Emersit enim, et identidem repressa protulit se impudens et flagitiosa illa secta, quæ legem Mosaicam eo fine datam interpretatur [3]: « non ut per hujus observationem Judæorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur: sed ne res illas, quas carnali, vitiosoque amore diligebant, a dæmonibus quærerent. » Ut igitur grande illud, et horribile facinus averteret Deus, cultum dæmonum, et honorem, ad eblandiendas, et promerendas terrenas ab illis commoditates: ad alterum, quod levius, ac tolerabilius erat, et ipsum tamen grave per sese crimen, avertere populum istum, sancienda lege Deus instituit: quæ lex « terrenæ, vitiosæque cupiditatis fomentum, ac præmium ex professo promittebat. » Ita Manichæorum simii: qui legem veterem peccati ex professo conciliatricem, ac nutriculam fuisse docent: ad idque partim præmiorum illecebris, partim pœnarum denuntiationibus, ac terroribus incitasse. Quod nefarium, et plusquam hæreticum dogma late refutatum est a nobis, ac tum Scripturæ sacræ sententiis, tum sanctorum Patrum auctoritate confossum.

III. Quibus in cumulum accedere debet, quod præ manibus habemus, testimonii genus ex iisdem illis Patribus; qui ad continendos in officio corruptos usu et licentia malefactorum homines, velut obicem, aut remedium potius, legem iis objectam, ac commendatam esse prædicant: « Et legem Deus dedit, inquit Augustinus [4], et lex per Moysem data est, ut nos salvaret. » Chrysostomus item: « (1) Quid igitur lex volebat? *inquit*. Justum hominem facere, etc. Hic ergo finis erat legis. » Dorotheus in Doctrina 1. « (2) Dedit itaque legem bonus Deus, *ait*, ad auxilium, ad conversio-

(1) CHRYS. hom. 8. in epist. ad Rom. pag. 148. Τί γὰρ ἐβούλετο ὁ νόμος; δίκαιον ποιῆσαι τὸν ἄνθρωπον, etc. τοῦτο οὖν τέλος ἦν τοῦ νόμου.

(2) DOROTH. tom. 11. bibl. PP. pag. 749. Ἔδωκεν οὖν τὸν νόμον ὁ ἀγαθὸς Θεὸς πρὸς βοηθείαν, πρὸς ἐπιστροφήν, πρὸς διόρθωσιν τῆς κακίας.

[1] Gen. 6. 5. — [2] Supra c. 6. § 7. et seq. — [3] Vide tom. 1. nostrum lib. 10. c. 22. § 4. et c 23. § 1. et seq et in lib. 1. de lege et gratia.

[4] Aug. in Psal. 123. pag. 598. D.

nem, ad emendationem malitiæ. » Joannes item Damascenus enumeratis omnibus remediis, quibus adversus peccatum humano generi consuluit Deus : et inter hæc, Lege ac Prophetis ; ita finem ac scopum illorum explicat. « (1) Per quæ id quod studebatur, *inquit*, erat extinctio peccati multimodis effusi, etc. et ad commodum, ac beatum statum hominis reditus. »

Contulit igitur ad opem laboranti hominum generi ferendam, et ad ejus promovendam salutem, et in eum finem Lex est Judaico populo concessa, sed eorumdem vitio, atque culpa nihil nec ista perfecit ; nec alia quælibet adminicula, quæ sublevandis illis, et ad officium revocandis bonitas divina constituit. Quare fortioribus remediis curandus ille tam pertinax, tamque penitus insitus, et inveteratus morbus fuit : et ultimum denique, ac longe valentissimum illud experiri oportuit, cujus necessitatem ceterorum omnium inutilitas comprobaret.

IV. De hac ipsa necessitate pauca dicere hoc loco statuimus, et illud investigare, quod in argumento hujusmodi inquiri solet ab omnibus theologis, fuerit necne prorsus incarnatio necessaria Filii Dei : hoc est an unica ista ratio redimendi a peccato, et ad vitam, ac salutem revocandi hominis fuerit. Qua de re diversa, et in speciem contraria sunt judicia veterum Patrum : propterea quod alii nullum alium modum fuisse dicunt liberandi hominis, quam istum : alii ex multis, quos adhibere poterat, illum a Deo electum, tanquam aptiorem, ac reliquis anteferendum.

Prioris sententiæ fautor est Irenæus libro tertio, capite 20. « (2) Nisi homo, *inquit*, conjunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis, » quod ex mediatoris conditione probat, ad quam necesse fuerit, « ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo. » In eadem nonnunquam fuisse videtur Augustinus, ut cum scribit sic in sermone 14. de Tempore : « Transgressio illius primi hominis totum deceperat mundum ; ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret e cœlo. » Et sermone 8. de verbis Apostoli : « Non liberaretur humanum genus, nisi Sermo Dei dignaretur esse humanus. » Vide et Fulgentium libro de Incarn. capite 4. Et Leo papa in sermone primo de Passione Domini, « Talibus, *ait*, vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi. » Et in sermone octavo de Nativitate : « In totius igitur humani generis strage communi, *inquit*, unum solum fuit remedium sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui ceteris exemplo prodesset et merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse, etc. Dominus David factus est filius David. »

V. Athanasius libro tertio contra Arianos, ut a Græcis citari solet [1], cum Latini Orationem 4. inscribant, « (3) Si quæ propria sunt carnis, *ait*, Verbi propria non dicerentur, non ab illis prorsus liberatum esset humanum genus. » Cyrillus Deum ait [2] *apprehendisse non angelos, sed semen Abrahæ*. « (4) Hoc enim modo, et non alio poterat recuperari genus in corruptelam prolapsum. » Dorotheus etiam scribit in Doctrina prima, « (5) desperata salute generis humani, bonum ac benignum Deum unigenitum suum misisse filium. Quippe solius erat Dei mederi, ac malum illud vincere. »

Vigilius in libro quinto contra Eutychen, « Nam quia transgressione mandati, inimici Dei extiteramus, *inquit*, et in contrarium animis discordantibus vergebamus, a supernis declinantes, et ad ima tendentes, necesse fuerat, interventu miserationis divinæ solutis inimicitiis, contraria in unum revocari, et supernis ima restitui : quod non aliter fieri potuit, nisi talis mediator existeret, qui de cœlestibus veniens, conjuretur terrenis, retinens in se id quod non erat. »

Honorius Augustodunensis in libro de Præ-

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 13. Δι' ὧν τὸ σπουδαζόμενον ἦν, ἡ τῆς ἁμαρτίας ἀναίρεσις πολυσχεδῶς χυθείσης, etc. καὶ ἡ πρὸς εὖ εἶναι τοῦ ἀνθρώπου ἐπάνοδος.

(2) IREN. lib. 3. cap. 20. apud Theodoret. dial. 2. Καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας.

(3) ATHAN. orat. 4. pag. 275. Εἰ τὰ ἴδια τῆς σαρκὸς οὐκ ἐλέγετο τοῦ Λόγου, οὐκ ἂν ἠλευθερώθη παντελῶς ἀπὸ τούτων ἄνθρωπος.

(4) CYRIL. dial. de Inc. tom. 5. pag. 584. Ἦν γὰρ οὕτω, καὶ οὐχ ἑτέρως, τὸ διολισθῆσαν εἰς φθορὰν ἀνασώσασθαι γένος.

(5) DOROTH. tom. 11. bibl. PP. pag. 749. Τότε λοιπὸν ὁ ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς πέμπει τὸν μονογενῆ αὐτοῦ Υἱόν. Θεοῦ γὰρ ἦν μόνον τὸ ἰᾶσθαι, καὶ περιγενέσθαι πάθους.

[1] Ut ab Eutych. Panop. ar. 1. Tit. 11. p. 240.

[2] Hebr. 2. 16.

destinatione et libero arbitrio [1], manifeste idem illud affirmat. « Quod autem filius Dei est incarnatus, *inquit*, seu pro homine immolatus : quantum ad ipsum, sola fuit voluntas : quantum ad hominem, summa necessitas. Nisi enim hic incarnaretur, ille nunquam salvaretur. »

VI. Hunc ipsum theologorum veterum sensum vehementius confirmant rationes, quas plerique illorum afferunt cur Deum hominem fieri necesse fuerit. Athanasius in libro de Incarnatione [2], negat aliter redimi hominem potuisse, et a corruptela liberari, quam ab eo, qui incorruptus esset, nec violari ullo modo posset. Tum vero peccati funditus expertem, et *immutabilem*, hoc est ἄτρεπτον, et ἀναλλοίωτον esse oportere docent ; qui verti, et ad peccatum declinare nequeat, et sit ἀναμάρτητος ; cujusmodi solus est Deus. Ita necesse fuisse disputat Athanasius in libro primo contra Arianos, quæ vulgo Oratio secunda ponitur [3], et Augustinus : « In quo non est peccatum, *inquit*, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret. » Tum in tractatu in Psalmum 129. sub finem, « Ideo præcessit ille sine peccato, ut deleat peccata sequentium, etc. Quia Israel vendere se potuit, et fieri venundatus sub peccato ; redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere. Qui non commisit peccatum, ipse est redemptor a peccato. » Eusebius, qui Emissenus vulgo dicitur, homilia 6. de Paschate : « Non subvenire, *inquit*, peccato poterat simili peccato obnoxius : nec intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis. » Et ante hunc Ambrosius, « Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit. » Bernardus sermone 28. in Cantica, « Oportet, *inquit*, esse sine peccato eum, qui tollit peccata mundi, quo ad reconciliandos peccatores inventus idoneus, jure sibi nomen vindicet Salomonis. »

Complures etiam nec ab homine, nec ab angelo, vel universe ab nulla creatura potuisse liberari hominem sentiunt. Fulgentius in secundo libro ad Trasimundum, capite secundo, de homine probat : « Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitiata communio circumplecteretur vitii naturalis ? vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afferre, cujus ortus teneretur in vulnere ? quove modo beneficentiæ largitor universalis existeret, quem alienæ opis indigum natura monstraret ? » Sed « nec angelico subsidio reparationis hoc munus adipisci potuisse, » mox asserit. « Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuisset obstricta : cum vero se juvaminis egenam consubstantialis ruinæ documento testetur, profecto cognoscitur multo minus ad humanæ posse redintegrationis efficaciam redundare, quæ propriæ nequeat stabilitati sufficere, etc. » Ex quibus concludit solam illam naturam angelos ceteros a lapsu continere potuisse, quæ peccare nequeat. « Profecto cognoscitur, *inquit*, uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet a casu pravitatis virtus illa defendere, quæ sola naturaliter mutari, depravarique non posset. » Unde universe, ac de homine perinde, ut de angelo, pronuntiat sic [4] : « Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria ; quia non alia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. » Ita non alio modo, quam Christi Dei et hominis interventu, excussum hominem a gratia et salute instaurari potuisse, perspicua est sententia Fulgentii.

VII. Proclus episcopus Cyzicenus, postea Constantinopolitanus, in homilia quadam in B. Virginem, « (1) Duorum, *inquit*, alterum oportebat fieri : vel omnes sententiæ mortis subjici, eo quod omnes peccaverunt ; vel ejusmodi pretium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno jure valeret. Jam vero salutem homo conferre non poterat, quippe qui et ipse peccati debitum contraxerat. Sed nec angelus humanum genus poterat redimere. Nam talis pretii inops erat. Restabat igitur ut pro iis, qui peccaverant, impeccabilem mori oporteret Deum. Id enim supererat unicum mali remedium. » Eusebius Cæsariensis, quoniam *per hominem mors in-*

(1) PROCL. in hom. quæ est init. Eph. syn. pag. 3. Ἔδει τοίνυν δυοῖν θάτερον, ἢ πᾶσιν ἐπαχθῆναι τὸν ἐκ τῆς καταδίκης θάνατον, ἐπειδὴ καὶ πάντες ἥμαρτον· ἢ τοιοῦτον δοθῆναι πρὸς ἀντίδοσιν τίμημα, ᾧ πᾶν ὑπῆρχε δικαίωμα πρὸς παραίτησιν. Ἄνθρωπος μὲν οὖν σῶσαι οὐκ ἠδύνατο· ὑπέκειτο γὰρ τῷ χρέει τῆς ἁμαρτίας. Ἄγγελος ἐξαγοράσασθαι τὴν ἀνθρωπότητα οὐκ ἴσχυεν· ἠπόρει γὰρ τοιούτου λύτρου. Λοιπὸν οὖν ὁ ἀναμάρτητος Θεὸς ὑπὲρ τῶν ἡμαρτηκότων ἀποθανεῖν ὤφειλεν. Αὕτη γὰρ ἐλείπετο μόνη τοῦ κακοῦ ἡ λύσις.

[1] Tom. 9. Bibl. PP. col. 1149. — [2] Pag. 42. — [3] Athan. Or. 2. pag. 175. — [4] Fulg. ib. c. 13.

travit in mundum, ut ait Apostolus [1]; ac per eumdem hominem superari mortem oportebat, ut ne amplius in nostro corpore dominaretur, sed pro eo justitia regnaret: et « (1) quod per peccata carnis olim lapsi erant omnes homines; merito, *ait*, per eum, qui peccati expers erat, et ab omni malitia intactus erat, trophæa de victis hostibus excitata sunt. » Idem in libro primo adversus Sabellium [2]: « Homo, *inquit*, non poterat totius mundi peccata tollere; quia omnes homines ex Adam, et non ex Deo. Non quia est aliquis, qui non est a Deo creatus per Filium: sed omnis homo quique progenies Adæ est, et non nativitatis peccatis subjacet. Nos enim in ictu, et in exigua hac vita constituti peccamus et lingua, et actibus. Qui autem peccatum non fecit, neque dolum habuit in ore suo, ut neque opere, neque sermone peccaret, ipsa justitia est. Quia ergo justitia propria non habebat peccata, potuit mundi peccata portare. Qui ægrotat enim, alium sanare non potest; et qui peccatis subjacet, aliena portare delicta non potest. Qui autem non peccavit, neque scit peccatum; iste sua virtute aliorum assumit, et tollit peccatum. »

VIII. Athanasius in libro secundo adversus Apollinarem in sexta citatus Synodo, docuit, « (2) nisi in ea, quæ peccaverat, natura impeccabilitas visa esset, peccatum in carne damnari non potuisse: cum neque caro efficacitatem habeat, neque divinitas peccatum noverit. » Cyrillus quoque in libro de recta Fide [3], eamdem in humana natura fuisse necessariam ἀναμαρτησίαν asserit, ut a morte, ac peccato liberari posset. Joannes etiam Damascenus idem confirmat [4], et Zacharias Mitylenæus [5]. Videndus est et Proclus oratione in B. Virginem, quæ est initio Ephesinæ synodi: ubi multa de hoc argumento disserit. Gregorius item papa ob eamdem causam liberari ab homine potuisse hominem negat [6]: « Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset, quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. » Vide et cap. 18. libri 17. Ita Bernardus [7], « Oportet namque, *ait*, esse sine peccato eum, qui tollit peccata mundi, quo ad reconciliandos peccatores inventus idoneus, jure sibi nomen vindicet Salomonis. »

Hoc ipsum Joannes intelligens, duo illa conjunxit [8]: *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret: et peccatum in eo non est.* Ad quæ Augustinus [9], « In quo non est peccatum, *ait*, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret. »

De angelis, quatenus humanæ salutis idonei vindices, ac fidejussores esse nequiverint, insignis est Synesii locus, qui eamdem, quam hic reddidimus, causam Incarnationis assignat, perinde ad hominem pertinentem. « (3) Si angelus, *inquit*, posset supra triginta annos cum hominibus ita consuescere, nulla ut ex materia contagio malorum in eum redundaret, quid necesse est descendere Dei filium? Sed abundantia quædam virtutis est, sic inter deteriora versari, ut in naturæ statu quispiam consistat, nec ullo modo ab illis afficiatur. Laus est ista Dei: homini vero deprecandum illud est, naturæ suæ imbecillitatem metuenti. »

IX. Alii necessitatem incarnationis Verbi Dei ex eo colligunt, quod nec angelus, nec homo, nec alia creata res ulla communicare possit Spiritum sanctum homini, hoc est *adoptionis spiritum*, quo efficimur filii Dei, atque ex eo ducunt etiam argumentum ad Christi divinitatem approbandam; qui hoc adventu suo perfecerit, quo nulla potest creatura pertingere. « (4) Neque enim ullius erat alterius, hominem cum Spiritu sancto conjun-

(1) EUSEB. 7. de Dem. cap. 2. pag. 193. Καὶ ἐπειδὴ διὰ τῶν τῆς σαρκὸς ἁμαρτημάτων πάλαι πρότερον ἡ πτῶσις ἐγίνετο πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰκότως πάλιν δι' ἀναμαρτήτου, καὶ πάσης ἀχράντου κακίας τὰ κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἀνηγείρετο τρόπαια.

(2) ATHAN. act. 8. Syn. 6. pag. 103. Εἰ δὲ μὴ ἐν τῇ ἁμαρτησάσῃ φύσει ἡ ἀναμαρτησία ὤφθη, πῶς κατεκρίθη ἡ ἁμαρτία ἐν τῇ σαρκί, μήτε τῆς σαρκὸς τὸ πρακτικὸν ἐχούσης, μήτε τῆς θειότητος ἁμαρτίαν γινωσκούσης;

(3) Syn. ep. 59. pag. 199. Καί δυνατὸν ἦν Ἀγγέλῳ πλεῖν ἢ τριάκοντα ἐνιαυτοὺς συνανθρωπεύσαντι, μηδὲν ἀπολαῦσαι τῶν τῆς ὕλης κακῶν εἰς πρσπάθειαν, τί δεῖ καταβῆναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ; ἀλλ' ἔστι περιουσία δυνάμεως, ἐμιλοῦντα τοῖς χείροσι μένειν ἐπὶ τῆς φύσεως καὶ μηδένα τρόπον παθαίνεσθαι. Τοῦτο Θεοῦ μὲν ὕμνος ἐστὶν· ἀνθρώπῳ δὲ παραίτησις γίνεται διευλαβουμένῳ τῆς φυσεως αὐτοῦ τὴν ἀσθένειαν.

(4) ATHAN. or. 2. pag. 173. Ἐπεὶ οὐδὲ ἄλλου ἦν συναίψαι τὸν ἄνθρωπον τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἢ σου τῆς εἰκόνος τοῦ Πατρὸς, καθ' ἣν ἐξ ἀρχῆς γεγόναμεν. Σοῦ γάρ ἐστι καὶ τὸ Πνεῦμα. Τῶν μὲν γὰρ γενητῶν ἡ φύσις οὐκ ἔστιν ἀξιόπιστος εἰς τοῦτο, ἀγγέλων μὲν παραβάντων, ἀνθρώπων δὲ παρακουσάντων. Διὰ τοῦτο Θεοῦ χρεία ἦν· Θεὸς δέ ἐστιν ὁ Λόγος· ἵνα τοὺς ὑπὸ κατάραν γενομένους αὐτὸς ἐλευθερώσῃ.

[1] Rom. 5. 12. — [2] Eus. lib. 1. con. Sab. p. 4. — [3] Cap. 2. pag. 145. tom. 5. Par. 2. — [4] Dam. lib. 3. cap 1. — [5] Zach. Tom. 11. Bibl. PP. p. 361.

[6] Greg. 24. Mor. c. 2. — [7] Hom. 28. in Cant. — [8] Joan. 3. 5. — [9] Tract. 4. in epist. Joan. tom. 9.

gere, quam tui ipsius, qui es imago Patris, ad quam ab initio conditi sumus. Nam creatarum natura rerum ad id præstandum non erat idonea : cum et angeli prævaricati sint, et homines mandato non obediverint. Propterea opus erat ipso Deo : Verbum autem Deus est : ut maledicto subjectos liberare posset. »

Sic Irenæus [1], « Qua enim ratione filiorum ejus adoptionis esse possemus participes, nisi per Filium, eam, quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum ejus communicasset nobis, caro factum? »

Rupertus porro [2] cum causam inquisisset, « cur Deus ad salvandum genus humanum venit per seipsum, et homo factus est : cum hoc idem fieri potuisset per alium, cur non potius misit aliquem legatum? cur non misit angelum, vel archangelum? » ita sibi respondit : « Quia nulli alii nisi soli naturæ divinitatis hoc fuit unquam possibile, assumere quod non erat, et manere quod erat. Et unde illi hoc possibile? videlicet quia natura, vel substantia divinitatis tanto subtilior est anima rationali, ut eam penetrare possit. » Subjicit deinde catholicorum Patrum sententiam, qui ex eo divinitatem approbant Spiritus S. « quoniam et ipse humanæ animæ est capabilis, et capax ejusdem animæ rationalis, etc. Nam solus Deus, unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus S. cum vult, et prout vult, rationali animæ, vel spiritui sese infundit, et in eo mansionem facit. Neque dæmonium sic implet hominem, ut penetret animam ejus, sed cavernas corporis irrepere potuit. » Diximus de hac veterum opinione alibi plura [3] : et de intima illa penetratione, assumptioneque substantiæ spiritalis postea disputabimus.

Legendus et Jobius monachus apud Photium codice 222. [4] ubi plura disserit de causis, propter quas Filium Dei incarnari, ac redimere humanum genus oportuit. Necnon Theodotus Ancyranus in oratione de Nativitate [5], et Honorius Augustodunensis [6].

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. Usitata maxime ratio, cur incarnari Deum necesse fuerit, ut exacta satisfactio fieret. — 3. Anselmi mirifica sententia, de absoluta necessitate Incarnationis, eaque latius explicata. — 7. Huic alii Patres opponuntur, qui alio modo liberari homines potuisse censent. — 11. Tum illius argumentis occurritur.

I. Omnium est usitata maxime, et recepta ratio, cur in humanam recuperandam salutem Deum interponere se necesse fuerit, quod aliter plene offenso Numini satisfieri, et illata huic injuria sarciri nequiverit, ita ut reliqui nihil de summa restaret, quod solutione non esset expunctum : « Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt, ait Ambrosius [7] : nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad minimum usque, quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur. » Atqui creatura nulla tam excellens esse potest, cujus meritum, ac dignitas adæquari cum injuriæ, quæ peccato Deo facta sit, gravitate et infinitate possit. De qua re, ejusque causa alias viderimus. Nunc eo contenti sumus, argumentari sic complures antiquorum; necessarium fuisse, ut ad hæc infima descenderet Filius Dei liberandi gratia generis humani, quod idoneus nemo reperiretur, qui cum offensionis atrocitate satisfactionis magnitudinem ex æquo compensare posset. Atque hoc in Psalmo 48. significari indicant aliqui verbis istis : *Frater non redimit, redimet homo : non dabit Deo placationem suam.* Quæ quidem Basilius sic enarrat; quandoquidem homines pretio aliquo redimendi sunt, et a diaboli potestate vindicandi ; neminem esse, qui hujusmodi persolvere queat, propterea quod captivi sunt, et ipsi mortales omnes, et redem-

[1] Iren. lib. 3. c. 20. — [2] Lib. 11. de Vict. ver. c. 25. — [3] Lib. 2. de Trin. cap. 16. § 7. et seq. necnon lib. de Ang. c. 13. § 16.

[4] Phot. p. 300. et seq. — [5] Theodor. Par. 3. Conc. Eph. pag. 534. — [6] Tom. 9. Bibl. 1149. — [7] Ambr. lib. 12. in Luc. col. 152.

ptione opus habent : « (1) Ne igitur fratrem quæras, qui redimat ; sed eum, qui naturam tuam superat : neque merum hominem ; sed hominem Deum Jesum Christum, qui et solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis. »

Tum ex animæ dignitate, et immenso pretio colligit, nullum esse, qui illam redimere possit, et in æternam felicitatem asserere : « (2) Quid adeo magnum in hoc seculo possideat quispiam, ut idoneum habere possit animæ pretium, quæ natura sua pretiosa est, eo quod ad imaginem conditoris est facta sui ? »

II. Sic Ambrosius ad eumdem Psalmi locum : « Ipse est solus, *ait*, qui redimet hominem, vincens pietate germanos, quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre, etc. Sed quare solus hic redimet ? Quia nemo potest eum æquare pietate, ut pro servulis suis animam suam ponat, nemo integritate. Omnes enim sub peccato, omnes Adæ illius subjacent prolapsioni. Solus redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit. » Ita etiam Augustinus in eumdem Psalmum. Sed omnium uberrime Paulinus in epistola 4. ad Severum [1] : « Ideo, *inquit*, dictum puto, Frater non redimit, redimet homo : quia quos frater non redemerat, hoc est propheta, seu legislator, qui homo tantum erat, hos homo redemit, qui et Deus erat. *Deus enim*, inquit [2], *erat in Christo reconcilians sibi mundum.* Hujus enim modi homo solus prævalere potuit adversus sententiam mortis, et aculeum peccati ; ut chirographum mortis aboleret, et humiliaret calumniatorem. »

Athanasius in libro de incarnatione Verbi Dei, hujus necessitatem ex ipso Adami delicto, et divina in illum sententia metitur ; cui sola rei pœnitentia satisfacere non poterat. Cum enim ex justissima Dei animadversione, morti, et corruptelæ peccator homo sit addictus ; et in eo deleta et extincta fuerit imago et similitudo Dei, quacum erat conditus : non sufficiebat ad illam compensandam jacturam sola hominis ad Deum conversio, et quantalibet pœnitentia ; sed illius opera necessaria fuit, « (3) qui cum Verbum sit Patris, et supra omnes, ex consequenti solus instaurare poterat universa, et pro omnibus pati : atque idoneus erat, qui pro omnibus apud Patrem intercederet. » Ac de hoc argumenti genere plura postea, cum illud inquiremus, qua de causa Filium potius, quam personas ceteras, carnem suscipere decuerit.

III. Nunc unus producendus est in medium, qui necessitatem illam incarnationis Filii Dei pressius quam ceteri Patres, ac pluribus est persecutus. Hic est Anselmus, qui duobus libris illud explicans, ex quo titulum operi fecit, *Cur Deus homo ;* adeo necessarium fuisse censet, hominem fieri Deum, patique pro hominibus, ut ne aliter quidem res abire potuerit. Movetur autem ut ita sentiat hac vi præsertim argumentationis ; quod in Deo nihil, ne minimum quidem, quod disconvenit, inesse queat, vel, ut illius utar verbis [3] : « Sicut in Deo quantumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas : ita quantumlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas. » At vero si sola misericordia remittitur peccatum, nec punitur, ac satisfactione dispungitur [4], « inordinatum dimittitur ; nec ea benignitas dicenda est, quæ aliquid Deo indecens operetur. Quapropter si non decet Deum aliquid injuste, aut inordinate facere, non pertinet ad ejus libertatem, ac benignitatem, ac voluntatem, peccantem, qui non solvit Deo quod abstulit, impunitum dimittere. » Item [5], « Nihil minus tolerandum est in rerum ordine, quam ut creatura creatori debitum honorem auferat, et non solvat quod aufert. Nihil autem injustius toleratur, quam quo nihil minus est tolerandum. Quare non debet tolerare Deus, quo nihil injustius toleratur. Necesse est ergo, ut aut ablatus honor solvatur, aut pœna sequatur : alioquin aut sibiipsi Deus justus non erit, aut ad utrumque impotens. »

Quocirca [6] « certissime teneri » vult, « quia sine satisfactione, id est sine debiti solutione

(1) Basil. in Ps. 48. pag. 280. tom. 1. Μήτε οὖν τὸν ἀδελφὸν ζήτει εἰς ἀπολύτρωσιν, ἀλλὰ τὸν ὑπερβαίνοντά σου τὴν φύσιν. Μήτε ἄνθρωπον φιλόν, ἀλλ' ἄνθρωπον Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς καὶ μόνος δύναται δοῦναι ἐξίλασμα τῷ Θεῷ ὑπὲρ πάντων ἡμῶν.

(2) Ibid. pag. 279. Τί δ' ἂν καὶ τοσοῦτον κτήσαιτο ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ὡς αὐτάρκες ἔχειν τῆς ψυχῆς ἀνταλλαγμα τῇ φύσει τιμίας, διότι κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὴν ἐγένετο.

(3) Ath. tom. 1. pag. 42. Λόγος γὰρ ὢν τοῦ Πατρὸς, καὶ ὑπὲρ πάντας ὢν, ἀκολούθως καὶ ἀνακτίσαι τὰ ὅλα μόνος ἦν δυνατὸς, καὶ ὑπὲρ πάντων παθεῖν, καὶ πρεσβεῦσαι περὶ πάντων ἱκανὸς πρὸς τὸν Πατέρα.

[1] Pag. 52. — [2] 2. Cor. 5. vers. 19. — [3] Anselm. lib. 1. Cur Deus homo c. 10.

[4] Ib. c. 12. — [5] Ib. c. 13. — [6] Ib. c. 19.

spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere ; nec peccator ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat, antequam peccaret, pervenire : non enim hoc modo repararetur homo vel talis, qualis fuerat ante peccatum. » Porro non posse hominem « secundum mensuram peccati satisfacere, quod tamen fieri oporteat, ne inordinatum maneat peccatum, » idem explicare pergit [1], ex gravitate delicti, atque ex eo, quod quidquid homo tandem præstare potest, id totum Deo debetur, ejusque proprium est. Itaque non potest hoc in solutum cedere. Jam vero [2] « ne beatus quidem potest esse qui non solvit quod debet, » quia hoc ipso est injustus, si potest, et non vult reddere : « aut si culpa sua non habet reddendi potestatem, quam debet habere, et habet impotentiam, quam debet non habere. » Certe indigens erit, qui non possit quod debet reddere. « Sive autem indigens, sive injustus sit, beatus non erit. » Ex his colligit Anselmus [3], necesse fuisse, uti Christus, hoc est idem Deus et homo, pro nobis satisfaceret ; nec alio modo salutem nos potuisse consequi ; propterea quod satisfacere nemo potuit [4], « nisi qui solveret Deo pro peccato hominis aliquid majus, quam omne quod Deus non est. »

IV. Atenim objicit sibi Anselmus idem [5], « Videtur quasi cogi Deus necessitate vitandi indecentiam, ut salutem procuret humanam. Quomodo ergo negari poterit plus hoc propter se facere, quam propter nos? At si ita est, quam gratiam illi debemus, pro eo quod facit propter se? » Sed huic occurrit sic : necessitatem istam non minuere gratiam, imo majorem facere, « cum se quispiam sponte necessitati benefaciendi subdit, nec invitus eam sustinet. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscepit, aut servat, sed gratis. » Ut qui voto se obligavit religiosæ obedientiæ, vel paupertatis, « non minus, sed magis gratus est Deo, quam si non vovisset : nec sancte vivere dicendus est necessitate, sed eadem, qua vovit, libertate, etc. Non enim latuit Deum, quid homo facturus erat, cum illum fecit : et tamen bonitate sua illum creando sponte, se, ut perficeret inceptum bonum, quasi obligavit. Quare necesse est, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incepit, quamvis totum sit gratia, quod fecit bonum. »

Hinc evidens est, non multum habere roboris, quæ adversus absolutam necessitatem incarnationis Dei, ab nonnullis theologis opponuntur e Scripturis, « quæ eum modum, quo liberati sumus, pertinuisse significant ad liberam quamdam, et abundantem, ideoque non prorsus necessariam charitatem Dei : » ut sunt ista [6] ; *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* etc. Et, *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est :* et si quæ sunt ejusdemmodi alia. Non enim propterea non libere, aut non ex gratuita charitate fecit Deus, quidquid nostra causa præstitit, quod consequens nescio quæ necessitas suborta videatur : cum eadem, qualiscumque sit, ex libera, minimeque necessaria incipiendi voluntate proficiscatur, ut disputat Anselmus : de qua necessitatis cum libertate comparatione jam alibi diximus [7], et rursus agemus postea, cum de Christi voluntate disserendum erit.

V. Apparet autem non eamdem Anselmi rationem esse, ac Patrum ceterorum, in adstruenda necessitate incarnationis Filii Dei : nec illius ita posse nos interpretari sententiam, quemadmodum istorum plerique mollire student ; ut non de absoluta, et simplici necessitate loquantur, sed de ea tantum, quæ decorem, ac dignitatem operis spectat. Etenim plane, ac præfracte pronuntiat Anselmus, postquam homo in peccatum, et calamitosum ex eo statum incidit, non alio modo expediri inde potuisse ; tum ut eum indidem extricaret, ac priorem in libertatem assereret, necessitate quadam suscepti prosequendi operis adductum fuisse Deum, ita ut *impossibile* esset aliter fieri, quoniam *indecorum*, et *inconveniens* sit vel non subveniri lapso, vel alio modo subveniri, nihilque sit injustius, quam hoc ipsum tolerare. Atque hoc absolute, reque in se spectata tale esse, judicat Anselmus : non ὑποθετικῶς, vel hujusmodi voluntate posita, qua Deus ita rebus nostris succurrere decreverit : ut alii suspicantur. Verum hoc unum decreti genus, ac liberæ voluntatis antecessisse vult in Dei consilio, ut tum angelos, hominesque procrearet, tum amborum lapsionem permitteret : ac denique certo angelorum constituto numero, qui felicitatis æternæ compotes essent, numerum illum quorumdam dejectione mancum, ac decurtatum, substitutis hominibus expleret. Hinc

[1] Cap. 20. et seq. — [2] Ib. c. 24. — [3] Lib. 1. Cur Deus homo c. 25. et lib. 2.

[4] Lib. 2. c. 6. — [5] Lib. 2. c. 5. — [6] Joan. 3. — [7] Tom. 3. lib. de Opif. 3. et seq.

enim necessario esse consequens putavit Anselmus, ut et Deus homo fieret, et eo, quo instituit, modo genus liberaret humanum : nec alia posset ratione vel a peccato illud extrahere, vel ad felicitatem perducere.

VI. Huic Anselmi opinioni ab aliis Patribus contradicitur. Athanasius imprimis in tertio contra Arianos, expressis verbis asserit, (1) potuisse Deum solo nutu, ac jussu, citra Christi adventum, hominem peccato, et maledicto solvere, cujus verba alio loco retulimus[1], cum de Dei omnipotentia disputantes, ostendimus, multa Deum, quæ reipsa non fecit, potuisse facere. Augustinus item plene ac diserte[2] : « Eos itaque qui dicunt, *ait*, itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines a miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium Deum sibi coæternum hominem fieri vellet, induendo humanam animam, et carnem, mortalemque factum mortem perpeti ? parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum, et divinæ congruum dignitati : verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent : sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. » Et alibi [3], « Sunt autem stulti qui dicunt : Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur ex fœmina, et a peccatoribus omnia illa pateretur ? Quibus dicimus : Poterat omnino ; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret. »

Gregorius Nazianzenus Oratione nona, postquam Christum dixit pro nobis hominem esse factum, ac servi formam suscepisse, mox ista subjicit : « (2) Hæc Salvator quidem fecit, idque cum sola voluntate, tanquam Deus, salutem afferre posset, quemadmodum et universa solo jussu procreavit. »

VII. Cyrillus Alexandrinus in libro de Incarnatione contra Apollinaristas disputans, qui carnem solam absque mente Verbum assumpsisse dicebant, sic eos redarguit : « (3) At o bone ! (dicat aliquis ipsi) ne corpore quidem egebat divinum Verbum, quippe quod nullius est indigens : ac vel solo poterat imperio salutis nostræ negotium exequi. Verum in partem effecti operis illius venire nos voluit. Cujus rei gratia, naturam illam, quæ peccarat, assumens, eamque propriis laboribus justificans, ab crudelium tyrannorum dominatu liberavit, peccati, diaboli, mortis, atque ad cœlestes thronos evexit : et per assumptum hominem universum genus libertatis particeps fecit. »

Theodoretus in sermone sexto contra Græcos, « (4) Erat illi facillimum, *inquit*, etiam citra carnis involucrum, hominum administrare salutem, et sola voluntate mortis dominatum evertere, nec non matrem hujus iniquitatem funditus abolere, etc. Verum non ille potentiam suam, sed providentiæ potius æquitatem voluit ostendere. »

Audiamus et Joannem Damascenum : « (5) Poterat, *inquit*, in cujus potestate sunt omnia, omnipotenti sua virtute hominem eripere ab eo, qui tyrannice illum opprimebat. Verum incusationis, et querelæ tyrannus occasionem inde cepisset, si cum hominem vicisset ipse, vim a Deo passus esset. »

Adstipulatur et Leo magnus, cujus ex sermone secundo de Nativitate verba sunt ista : « Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, etc. » Et in Sermone 8. « Ipsum, *ait*, effectum misericordiæ suæ, quam restitu-

(1) ATHAN. or. 3. pag. 239. Ἠδύνατο, καὶ μηδόλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ, μόνον εἰπεῖν ὁ Θεὸς, καὶ λύσαι τὴν κατάραν.

(2) NAZ. or. 9. pag. 157. A. Ταῦτα μὲν ὁ Σωτὴρ, καὶ τῷ θελήματι μόνον, ὡς Θεὸς, σῶσαι δυνάμενος· ἐπεὶ καὶ τὰ πάντα προσταγματι συνεστήσατο.

(3) Apud Euth. tit. 13. pag. 530. lat. edit. Ἀλλ' ὦ βέλτιστε, εἶποι τις ἂν πρὸς αὐτὸν, οὐδὲ τοῦ σώματος ἔχρηζεν ὁ Θεὸς Λόγος, ἀπροσδεὴς γὰρ. Ἠδύνατο δὲ καὶ προστάγματι μόνῳ τὴν ἡμετέραν πραγματεύασθαι σωτηρίαν. Ἀλλ' ἠθέλησεν ἔχειν τινα καὶ χρᾶς εἰς τὸ καταφρόνημενον ἔχειν κοινωνίαν, εὐ χάριν, τὴν ἁμαρτικὴν φύσιν λαβὼν, καὶ πόνοις αὐτὴν εἰκείοις δικαιώσας, τῶν τε πικρῶν τυράννων ἀπήλλαξεν, ἁμαρτίας, καὶ διαβόλου, καὶ θανάτου, καὶ τῶν ἐπουρανίων θρόνων ἠξίωσε, καὶ διὰ τοῦ ληφθέντος ἀνθρώπου παντὶ τῷ γένει τῆς ἐλευθερίας μετέδωκεν.

(4) THEOD. pag. 578. tom. 4. Ῥᾴστον μὲν γὰρ ἦν αὐτῷ καὶ δίχα τοῦ τῆς σαρκὸς προκαλύμματος, πραγματεύσασθαι τῶν ἀνθρώπων τὴν σωτηρίαν, καὶ βουλήσει μόνῃ καταλῦσαι τοῦ θανάτου τὴν δυναστείαν, καὶ τὴν τούτου μητέρα τὴν ἁμαρτίαν ῥιζόθεν παντελῶς ἀποφηνασθαι, etc. ἀλλ' οὐκ ἐβούλήθη τὴν ἐξουσίαν, ἀλλὰ προνοίας ἐπιδεῖξαι τὸν δίκαιον.

(5) DAM. lib. 3. cap. 18. Οὐκ ἀδύνατος γὰρ ἦν, ὁ τὰ πάντα δυνάμενος καὶ τῇ παντεδυνάμῳ αὐτοῦ ἐξουσίᾳ. καὶ δυνάμει ἐξελέσθαι τοῦ τυραννοῦντος τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἦν ἐγκλήματος τῷ τυραννοῦντι ὑπόθεσις, ἄνθρωπον νικήσαντι, καὶ ὑπὸ Θεοῦ βιασθέντι.

[1] Tom. 1. lib. 5. c. 6. § 6. — [2] Aug. 13. de Trin. c. 10.

[3] Lib. de Ago. Christ. c. 11. tom. 3.

tioni impendebat humanæ, sola exequi poterat virtute deitatis, ut creaturam ad imaginem Dei conditam jugo diræ dominationis erueret. »

VIII. Gaudentius in Tractatu tertio : « An fortasse putamus, *inquit*, quia si pœnituissent Israelitæ, aliter omnipotens filius Dei salvare non potuerit mundum? » Gregorius item papa [1], de vera et excellenti compassione agens, « quæ cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, » ejus formam sic in Christo nobis editam esse declarat : « Quam videlicet pietatis formam Mediator nobis Dei et hominum dedit. Qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit : quia nos videlicet minus amasset, nisi et vulnera nostra susciperet : nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesque nos reperit, et qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est quod esse nos voluit. »

Bernardus in epistola centesima nonagesima contra Petrum Abaelardum scribens, « Quis negat, *inquit*, omnipotenti ad manum fuisse alios, et alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus, quem e multis elegit, efficaciæ. Et fortasse is præstat, per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot et tantis gravaminibus reparatoris fortius, et vivacius admoneremur. » Auctor libri de Operibus cardinalibus in homilia de Nativitate, « In brevi poterat, *inquit*, patrari negotium : et poterat tantus labor abbreviari ad solum Christi verbum, sicut factus mundus, et disposita cuncta ad ejus imperium. » Idem sentit auctor homiliæ de Annunciatione Dominica, quæ in appendice tomi 10. Augustini est 75. « Quod, *inquit*, Dei sapientia potuit facere sapienter, et fortiter, voluit facere suaviter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ, etc. » Rursus Bernardus sermone 11. in Cantica, « Sed dicit aliquis : Non valuit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui : ne pessimum, atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem ultra reperiret in homine. » Nempe ne ob remedii facilitatem, beneficium illud contemneret, nec se gratum liberatori suo præberet.

Guitmundus Aversanus episcopus in Confessione fidei [2], « Mori, *inquit*, cum aliæ multæ rationes, quibus nos redimeret, suppeterent, voluit. »

Petrus denique Cellensis [3], « Non inclinaret cœlos partus virgineus, si partum prohibitum non contingeret Evæ tactus temerarius. »

Poterant et alia plura his addi testimonia veterum, quibus absoluta illa necessitas Incarnationis ab Anselmo posita refellitur. Sed nihil est necesse. Eam scholastici theologi Thomam Aquinatem ducem secuti [4] vulgo etiam improbant.

IX. De Richardo Victorino [5], qui post Anselmum non longo interjecto spatio floruit, dubitari potest. Hunc enim plerique in eamdem cum Anselmo sententiam includunt. Et certe videtur ex isto quæ de illa re disputat mutuo sumpsisse. Nam rationibus iisdem utitur ad illam qualemcumque probandam necessitatem Incarnationis, de quibus mox. Verum si quis attente caput illud octavum libri de incarnatione Verbi recognoscat, intelliget nihil sibi Richardum aliud voluisse, nisi hoc, quod initio capitis diximus ; necessarium in carne fuisse adventum Filii Dei, ut pro oblata divinæ majestati ab hominibus injuria plene, ac cumulate ex justitia satisfieret, non ex gratuita condonatione, ac misericordia. Quod iis verbis demonstrat, quibus ait, « sine satisfactione hominem ad plenum reparari non posse : ad plenitudinem autem satisfactionis oportuisse, ut tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. » Non igitur negat, alium utcumque satisfaciendi, vel sine satisfactione liberandi hominis modum in Dei potestate fuisse : sed plenum tantummodo, ac perfectum, et in quo summam, exactamque justitiam nemo desideraret : cum in ceteris omnibus misericordiæ consiliis aliquid futurum esset, quod arcanæ, unde hæc manarent, ignari providentiæ, ac malevoli, dæmones, atque homines causari, ac redarguere possent.

X. Anselmus vero non simplicem quidem, absoluteque spectatam in Deo fuisse necessitatem existimat inducendi sibi humani corporis : sed conditionatam duntaxat, et ex sola hac hypothesi pendentem, quod et certum

[1] Lib. 20. Mor. c. 26. — [2] Guit. tom. 6. Bibl. col. 268. — [3] Petrus Cell. l. de Pan. c. 3. tom. 6. Bibl. col. 834.

[4] Ter. par. q. 1. Art. 2. — [5] Lib. de Incarnat. c. 8.

electorum numerum sibi constituisset, et huic ipsi numero supplementum ex humano genere decrevisset quærere. Quod idem est, ac si dicas necessariam Verbi incarnationem fuisse, si Deus hominem eximere vellet ab ea peccati labe, et calamitate, quam sibi consciverat, atque ad salutem, et felicitatem a damnatione transferre. Huc illud proinde referendum est, quod idem scribit Anselmus [1], « Deum improprie dici aliquid non posse, aut necessitate facere. » Item hoc [2], « Omnis quippe necessitas, et impossibilitas ejus subjacet voluntati. Illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati. Nihil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult. » Etenim nulla est in Deo antecedens necessitas, qua parte res creatas respicit, sed consequens duntaxat ex priore aliquo liberæ decreto voluntatis : quo posito, plerumque aliud sequi necessario dicitur, quia cum illo superiore conjungitur. Ut si Deus hominem procreare velit, hunc ipsum necesse est naturalibus facultatibus, ac consentaneis instructum rebus in lucem proferat. Sed ea necessitas mera non est, nec absoluta : verum eadem, qua antecedens illa, ex qua profluit creandi voluntas, libertate censetur.

At vero antiquorum plerique, quos supra commemoravi, etiam priore liberandi hominis, et ad eum, unde exciderat, felicitatis statum revocandi posito consilio, non putant necessarium sic fuisse, Deum hominem fieri, ut rem aliter abire impossibile fuerit, quod Anselmus existimat.

XI. Neque vero argumenta illa, quibus nititur, difficile est solvere. Quidquid indecorum est, id impossibile esse Deo, credit Anselmus. Vere hoc quidem, si indecorum idem sit atque inhonestum, et vitiosum. Non enim auctor esse potest peccati Deus. Ceterum nihil hujusmodi est, nisi quod legi repugnat ; quæ est [3] *justi, injustique regula*. Hinc Ambrosius in libro de Paradiso cap. 8. « Quid est, *ait*, peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum? » Itaque ubi nulla lex est, nulla itidem offensa est, ac *prævaricatio*, ut ait Apostolus [4] : adeoque nec indecorum illud inest, sive inhonestum. Nemo igitur indecore aliquid facit : nisi et lege tenetur, et contra legem committit. Qui autem lege est solutus, adversus eam non peccat. Hoc modo nihil indecore facit Deus, quia lege nulla constringitur. Quocirca potuit offensus ab homine, gratuita misericordia condonare hanc injuriam, neque jus suum persequi. Quod ipsum decore suo non careret ; tametsi priorem illum non haberet justitiæ, quemadmodum habent virtutes singulæ proprium, ac sui generis decorum, quod non habent ceteræ, quæ certam honestatis, et officii particulam intuentur : nec propterea indecorum est quod præscribunt, quia decorum alterius non continent. Hoc enim indecorum dicimus, non quod diversum est ab decore virtutis alicujus, sed quod ei contrarium est. Ecquis neget de suo jure posse aliquid remittere Deum, et hanc qualemcumque jacturam honoris, gloriæque suæ, liberalitatis, et misericordiæ laude compensare?

Quanquam hoc fatendum est, minus illud liberationis genus amplum et magnificum Deo, homini vero utile, ac gloriandum videri, quod sola misericordia ; vel alio, quam qui reipsa est adhibitus, modo constaret. Verum non illud solum, quod perfectissimum, et exquisitissimum est, persequi in agendo, ac moliri potest Deus, qui infimorum perinde ac summorum auctor, et effector est. De quo plura hoc loco non disputo. Dixi enim hoc de argumento satis multa, cum de divina omnipotentia agerem [5] adversus insulsam, et ineptam Abaelardi sententiam.

XII. Ex hoc fonte firma et liquida derivari ratio potest, qua contra reliquam Anselmi disputationem præscribitur ; ut in ea nihil immorari necesse sit. Quæ quidem hoc uno contenta esse debet, quod ei non gravate concedimus, ac veteres omnes uno ore, et assensu profitentur ; necessariam eatenus fuisse Dei incarnationem, quod aliter plena, et omnibus absoluta justitiæ numeris satisfactio esse nequiverit. Tantam quippe, ac tam maleficam vim esse peccati sentiunt, cujus laqueis irretitum tenebatur humanum genus, ac tam calamitoso, et deplorato statu fuisse res nostras, ut ei creatura nulla justitiæ suæ merito, ac pro rei dignitate mederi potuerit.

De utroque, hoc est de peccati atrocitate, et quadam infinitate malitiæ, deque justa, et exacta satisfactione, minime hic est disputandi locus : et erit alias, quando de peccato ipso, ejusque, ut vocant, *reatu* dicetur, tum de merito bonorum operum, et extinctione peccati, quæ infusa fit justitia : cujus funda-

[1] Ansel. lib. 2. Cur Deus homo c. 26. — [2] Ibid. c. 17. — [3] Sen. 4. de Ben. c. 12. — [4] Rom. 4. 1. Vide August. Conc. 25. in Ps. 118. p. 570. — [5] Tom. 3. lib. 5. c. 6. § 10. et seq.

mentum et origo in uno mediatore Dei et hominum, ejusque meritis et efficientia collocatur. Nunc leviter, atque ut omnino prætermitti non videatur, attingetur hic locus; vel ea potius in summam collecta redigentur, quæ supra laudati a nobis Patres paucis illis, quas attulimus, sententiis complexi sunt.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

1. Expenditur ratio illa in superioribus capitibus allata ex Patribus, quæ meram creaturam satisfacere non potuisse docet. — 2. Cujusmodi sit stricta, ut vocant, justitia. — 3. Ejus prima conditio, ut satisfaciens ei sit gratus, cui satisfacit, ac sit immunis a peccato. — 4. Quod sine gratia fieri nequit. — 5. Ideo nulla simplex creatura idonea fuit ad exactam satisfactionem. Ad hæc, condignam satisfactionem illam Patres cogitarunt, qua fingi major nulla possit.— 6. Hujusmodi autem nulla existere potest ab mera creatura. — 7. Alia ratio ab culpæ infinitate petitur; cui satisfieri ab creatura nequit. — 8. Quæ infinitas ex offensi Dei majestate; et offendentis vilitate sumpta declaratur.

I. Communis est illa maxime, usuque contrita theologorum veterum, Incarnationis causa, et necessitas; quod creata res nulla sit idonea, quæ tantum onus satisfaciendi sustineat: quoniam id primum in eo quæritur, qui pro alienis peccatis Deo satisfacere velit, ut integer, purusque a peccato ipse sit; ne dum malis aliorum mederi studet, ad sua procuranda, opem alterius, et interventum requirat. Hæc vulgata Patrum ratio, et in illis, quæ supra libavimus, illorum expressa testimoniis, paululum limanda, et expolienda nobis est: ne ad examen deducta rigidioris, et altercantis Theologiæ, nimis diluta, et imbecilla judicetur.

Ac si de interventore quæritur homine quopiam ex Adami posteris communi lege sato, ceterorumque simili; non magno negotio respondetur id, quod in promptu est unicuique; neminem repertum ex illo numero fidejussorem satis utilem: propterea quod [1] *omnes peccaverunt, et egent gloria Dei;* [2] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Itaque « restabat, ut omnibus non sua, quæ nulla erat; sed Dei, id est a Deo donata justitia subveniret, » ut ait Augustinus [3]. De homine, qui aliunde, quam vitiata stirpe nasceretur: deque angelo quopiam ex eorum numero, qui in officio steterunt: ac de nova denique creatura aliqua, quam ab omni labe sinceram, et iis, quæ jam extant, omnibus antecellentem, moliri Deus potuit, non otiosa, nec infrequens in scholis quæstio commovetur: quam nec ipsi præterire debemus.

II. Quanquam nonnulli, quos commemoravimus, Patres huic etiam hæsitationi aditum obstruunt; dum in satisfaciente illud tanquam necessarium flagitant, ut peccatum non modo nullum admiserit, sed ne admittere quidem possit omnino; quam ἀναμαρτησίαν, id est *impeccantiam*, appellari alibi diximus. Sed non est facile, certam, et accuratam illius causam investigare, cur universe creata nulla res satisfaciendo paria facere cum injuria, et offensa potuerit. Cujus difficultatis indicium est varietas opinionum, in quam scissa abiit scholarum concordia. Nos omissis litibus, ac rixis, id unum curamus, uti veterum nobis de eo sensus liquido constet, et in bona luce ponatur.

Quamobrem nihil hic argutari attinet de *stricta*, quam vocant, id est exacta, proprieque dicta justitia: nec de eo laborandum, utrum creatura possit aliqua plene offenso Deo satisfacere, sive propriis, sive adventitiis, ac mutuatitiis opibus instructa. Hoc unum intento animo cogitare debemus: cum duo velut ex adverso posita sunt, ex quibus operum, meritorumque bonorum ratio proficiscitur, *gratia*, et *justitia:* tanto sinceriorem, et meraciorem, ut ita dixerim, alterutram esse, quanto minus cum altera conjungitur. Nam neque gratuitum illud est, quod totum ex justitia debetur; et vicissim quod summo jure, et *stricto*, ut vocant, exigitur, id in gratis concessis nullo modo numeratur. Permiscentur autem ambo interim genera ista, et in partem veniunt officii, atque operis effecti; et pro eo atque plus, minusve conferunt, eo magis, aut minus sibi illud usurpant. Hoc ipsum plene, ac luculenter docet

[1] Rom. 3. 23. — [2] Ps. 13. 5.

[3] August. Conc. 25. in Ps. 118. p. 570. C. 2.

Apostolus in ea præsertim, quam ad Romanos scripsit [1] : atque istud ab eo fundamentum jacitur Christianæ salutis, et doctrinæ, quo multum adversus Pelagianos disputans usus est Augustinus.

III. His animadversis, quoniam satisfactio, compensatio quædam est injuriæ illatæ alteri, ac violati juris ipsius ; apparet tanto illam esse perfectiorem, quanto minus gratiæ, et liberalis condonationis adjungitur. Jam quæcumque ab simplici creatura, pro suis, vel alienis offensionibus offerri satisfactio potest, ea sine gratiæ, ac liberalis beneficii alicujus accessione constare nequit : non solum quia produci, et in rerum existere natura, sine gratia non potest ; sed etiam quod non sine eadem habet gratia, ut tam illa ipsa Deo, quam ejus satisfactio sit accepta. Etenim nemo injuria læsus ab altero, ei placari, ac reconciliari interventu potest medii cujuspiam, nisi gratus illi iste sit mutuæ pacis, ac concordiæ sequester, et interpres. Hoc autem per se, suoque marte creatura nulla simplex assequitur ; sed gratis, ejusque, qui læsus est, favore, ac liberalitate tribuitur, non solum ut existat producta de nihilo, et agat aliquid : verum multo magis ut et ipsa jam producta Deo grata sit, et in solutum illius officia referantur. In hoc intuentes antiqui theologi, neque angelum, neque hominem, nec ullam denique creaturam aliam, tantæ dignitatis esse potuisse dixerunt, ut invisum hominem Deo conciliaret, ac pro eo satisfaceret : sed id ab uno illo præstari debuisse, qui Deus idem et homo esset. Huc illorum referenda ista ratio est, quæ in Redemptore generis humani necessariam ponit *impeccantiam*, quam ἀναμαρτησίαν Græci nominant. Hæc enim soli Deo convenit : in creaturam cadere illo, quem voci isti subjiciunt, sensu ac modo non potest ; de quo vide librum nostrum de Pelagiana hæresi [2] ; ubi de hæretica ἀναμαρτησία egimus.

IV. Igitur quoniam omnis est creatura peccati capax, gratia illi necessaria est, ut eo careat, nec per se, naturæque suæ viribus illius incursionem vitare potest. Quod enim de homine scripsit Augustinus [3], « Nullum esse peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo ; si desit rector, a quo factus est homo : » id latius patet ; ac tam ad omnem pertinet statum humani generis, quam ad creatam quamlibet naturam ratione præditam : nisi ei gratiæ præsto fuerit auxilium.

Quæ quidem gratiæ necessitas ad servandam a peccando qualemcumque creaturam, ex Augustini mente, ac sententia conficitur. Hic enim non modo primo parenti, primo, et beato illo in statu, opus gratia fuisse defendit, quo vel se a lapsu contineret, vel boni aliquid ageret : verum etiam angelis, quorum multo, quam hominis, erat firmitudo major, et constantia. De homine sic in libro de Correptione et gratia scribit Augustinus, cum de adjutorio disputat gratiæ [4] : « Sic, *inquit*, adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret : sed hoc adjutorium, si vellet, desereret. » Et mox : « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet : ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. » Ac subinde de angelis simul, et de homine primo, loquitur ita : « Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet ; non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. » Item in Epistola 106. « Natura enim humana, etiam si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. » De angelo quoque Fulgentius idem testatur in capite duodecimo supra laudatus a nobis [5].

V. Ex quibus clarissime constat, nec angelo, nec alteri cuiquam creaturæ, nedum homini, tantum adfuisse dignitatis, ac virium, ut aut suum, aut alienum peccatum justa, et exacta satisfactione dilueret ; quandoquidem non nisi ope Dei, et gratia, sustentare se ipsa posset, ne præcipiti lapsu in perniciem rueret : neque quidquam, sine eodem auxilio gratiæ, utile, ac Deo acceptum faceret. Atque hoc, puto, sensu intelligenda est illa Synesii sententia, quam in eodem capite reddidimus [6], negantis angelum, vel alium quempiam præter Deum, triginta annos inter homines sine peccati labe, et contagione manere potuisse. Nam de eo loquitur, quod natura sua, suisque viribus consequi, ac præstare angelus posset.

Ad extremum, sepositis acutis illis, et subtilibus inventis humanæ cogitationis, quibus accuratæ, rigidæque justitiæ forma constituitur, et ad humanæ redemptionis negotium

[1] Rom. 4. — [2] C. 6. § 6. et seq. — [3] Lib. 50. Hom. Homil. 23. c. 6.

[4] August. c. 11. lib. de Corr. et grat. Vide et lib. 14. de Civ. c. 27. — [5] Cap. 12. § 5. — [6] § 6.

accommodatur, de qua fervida est in scholis contentio partium; hanc mihi rationem inivisse Patres illi videntur, qui condignam expiationem humanorum criminum ab creatura funditus abjudicant, et ad eas partes, ex rei ipsius necessitate, divinam quamdam personam excitam asserunt. Imprimis Deo injuriis hominum læso quam perfectissimam deberi satisfactionem arbitrati sunt, et qua nulla major obtineri posset, siquidem accurata, et condigna quæritur. Hujusmodi porro nullam esse, qua mera, et simplex creatura fungeretur. Hac enim quantacumque posita, præstantiorem semper aliquam cogitari, et informari animo posse; cum ea utique sit perfectior, quæ et minimum admittat gratuitæ liberalitatis, et ab eo proficiscatur, cujus tanta sit, quanta esse maxima potest, innocentia, peccati omnis expultrix : quam ἀναμαρτησίαν vocari supra memini.

VI. Itaque hanc in perfecto conciliatore dotem requirunt, qualem sola capit divinitas; et eam aliis alii clarius exprimunt. Quidam non modo carere peccato illum oportere dicunt, qui id muneris suscipiat, sed etiam peccare omnino non posse : ut Athanasius, cujus verba ista memoranda sunt :« (1) Quum enim creatarum natura rerum mutabilis sit; cumque alii transgrediendo, alii non obediendo peccaverint; nec illorum constans sit actio : sed plerumque accidat, ut qui modo bonus est, postea mutetur, et alius fiat ex alio : velut ille qui nunc justus est, post paulo deprehendatur injustus : propterea opus ejusmodi quopiam fuit, qui esset immutabilis. » Et paucis interjectis ita pergit dicere : « Etenim quia primus hominum Adamus mutatus est, ac per peccatum mors intravit in mundum, ideo decebat, immutabilem esse secundum Adamum : ut si denuo serpens aggrederetur, ipsius quidem fraus, et calliditas irrita fieret : porro ex eo quod Dominus immutabilis, et invariabilis esset, serpentis adversus omnes, conatus, et insultus irriti, et imbecilles essent. » Non minus expressa sunt Fulgentii verba eodem allata capite de ἀναμαρτησία illa, quæ peccandi potestatem eripit. Alii etsi non diserte hanc in Redemptore necessarium pronuntiant, sed immunitatem a peccato, quam *actualem* scholæ nominant, solam concipiunt : illam ipsam tamen ἀναμαρτησίαν, naturalem, et οὐσιώδη intellexisse putandi sunt : qualem significavit Apostolus, cum scripsit [1] : *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.*

VII. Est etiam gravissimorum theologorum judicio probata illa ratio, cur ad perfectam reconciliationem Deum esse mediatorem oportuerit; peccati, et offensionis infinita labes, ac turpitudo, quæ nullo alio condigno piaculo, quam æquali, hoc est infinita satisfactione diluitur. Causam hanc indicat Anselmus; qui ad evincendam incarnationis filii Dei necessitatem, argumentum trahit ex peccati pondere, et gravitate : qua cum adæquari nulla potest expiatio, nisi allatum ab illo damnum æquali compensatione resarciat. Etenim tanto odio detestandum, vitandumque peccatum est, ut ne levissimum quidem, quamlibet ingentis boni spe ac mercede, committi oporteat. Non, « si necesse esset, inquit Anselmus [2], totum mundum et quidquid Deus non est, perire, et in nihilum redigi. » Imo « et si plures essent mundi, pleni creaturæ, ac si infinito numero multiplicarentur, » perire funditus omnia, et in nihilum abire sinere, magis quisque debet, quam vel tenuissima culpa Deum offendere. Ex quo ita colligit : « Non ergo satisfacies, si non reddis aliquid majus, quam sit id, pro quo peccatum facere non debueras. » Nihil autem creatura majus est, præter Deum. Quod quidem alio in loco ita complectitur [3] : Non aliter reconciliari posse hominem, « nisi sit qui solvat Deo pro peccato hominis aliquid majus, quam omne quod Deus non est. Illum quoque qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne, quod sub Deo est, majorem esse necesse est, quam omne quod non est Deus. » Addit et alia eodem spectantia; ex quibus peccato quædam inesse mali infinitas ostenditur.

VIII. Quam quidem infinitatem aliunde theologi complures asseverare solent, magis-

(1) ATHAN. orat. 2. pag. 175. Ἐπειδὴ γὰρ τῶν γεννητῶν ἡ φύσις ἐστὶ τρεπτὴ, καὶ οἱ μὲν παρεβήσαν, οἱ δὲ παρήκουσαν, ὥσπερ εἴρηται, ἥτε πρᾶξις αὐτῶν οὐκ ἔστι βεβαία, ἀλλὰ πολλάκις ἐνδέχεται τὸν νῦν ἀγαθὸν μετὰ ταῦτα τρέπεσθαι, καὶ ἕτερόν τινα γενέσθαι, ὡς τὸν ἄρτι δίκαιον ἄδικον μετ' ὀλίγον εὑρεθῆναι· διὰ τοῦτο πάλιν ἀτρέπτου χρεία, etc. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ ἐτράπη, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, διὰ τοῦτο τὸν δεύτερον Ἀδὰμ ἔπρεπεν ἄτρεπτον εἶναι, ἵνα κἂν πάλιν ὁ ὄφις ἐπιχειρήσῃ αὐτοῦ, μὲν τοῦ ὄφεως ἡ ἀπάτη ἐξασθενήσῃ, τοῦ δὲ Κυρίου ἀτρέπτου, καὶ ἀναλλοιώτου ὄντος, πρὸς πάντας ὁ ὄφις ἀσθενὴς τοῖς ἐπιχειρήμασι γένηται.

[1] Hebr. 7. 26. — [2] Lib. 1. Cur Deus homo c. 21.

[3] Lib. 2. cap. 6.

trum secuti [1]; qui « peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habere *ait* ex infinitate divinæ majestatis. Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur. » Auget etiam offensionis indignitatem peccantis vilitas. Nam humano judicio, et *morali*, ut vocant, æstimatione, tanto major, et acerbior est injuria, quo et ille, qui læditur, honoratior est, et qui lædit, contemptior : quæ duo in offensione summæ Dei majestatis in infinitum abeunt. Atque hoc suus cuique communis sensus testabitur; si hunc, castigata rixandi et argute cavillandi lascivia, consulat. Bene autem et illud sanctus ille doctor ibidem adjicit; cum sit duplex satisfactionis genus, unum perfectum, sive *condignum* ex justitiæ lege; alterum imperfectum, « secundum acceptationem ejus, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna : » tum « omne imperfectum præsupponere aliquid perfectum, a quo sustentetur : » ex quo consequens putat, « puri hominis satisfactionem efficaciam habere a satisfactione Christi, » quæ idcirco absoluta, et infinita esse debet, ut condigna sit, et adæquari cum infinita injuriæ atrocitate possit. Hanc ipsam ratiocinandi formam Richardus quoque Victorinus usurpat, ut plenitudinem satisfactionis non aliter constare probet, quam ut Deus illam susciperet. Quippe [2] « ad hanc plenitudinem oportuit, *inquit*, ut tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. Rationalis autem substantiæ, Deus tenet summum, homo vero imum. Quando ergo homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum. Sed hoc omnino non potuit, nisi aliqua in Trinitate personarum. » Hinc Arnoldus Abbas Bonævallis [3] : « Desperata esset, *inquit*, humani generis causa, quæ aliter componi non poterat, nisi exsolveretur pro pace ejus tanti pretii quantitas, quod singulariter habebat apud se humilitas Christi, et assumpta humanitas. » Verum hujus argumenti tractatio, ut paulo ante monui, alterius est loci, cum et de Christi meritis, et de peccati gravitate disputabitur.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. De convenientia Incarnationis Filii Dei : — 2. ac primum cur Filium præ ceteris personis carnem suscipere decuerit ; cujus prima ratio ponitur, ne filiorum Dei nomen in Trinitate multiplicaretur. — 3. Item quia per Filium recreari lapsum hominem congruum fuit, per quem erat conditus, — 4. tanquam per sapientiam, — 5. Et per imaginem veram, ac naturalem, quod est Verbum, deformatam imaginem refici. Nec tamen impossibile fuit Patrem, aut Spiritum sanctum incarnari. — 8. Utcumque vero divinam aliquam personam redemptoris partes agere congruentius fuit, quam creaturæ mandari simplici ; ne majore obstricti beneficio huic essemus, quam Deo.

I. Quæ in minimis quibusque Dei operibus eximiæ sapientiæ ratio constat, eam apparere multo illustriorem in maximis, nemo humano utcumque præditus sensu, nedum Christiano, dubitabit. Quamobrem cum sit operum illorum facile princeps communicata cum homine divinitas, et in eamdem personam assumptio; consequens est, eam cum summa, et convenientissima ratione susceptam, et administratam fuisse; tum cujusmodi illa sit tam utile patefacere est hominibus, quam ejus inventori, et artifici Deo gloriosum. Hoc nos ipsum superioribus in capitibus, et hujus libri maxima parte perfecimus, quantum necesse fuit, cum de fine Incarnationis egimus, eumque duo in genera partiti sumus; quorum alterum ad commendandam Dei gloriam, alterum ad fructum humani generis, et commodum refertur. Nunc illius argumenti quod reliquum est, et in hunc reservatum locum, tempus est annectere; ac de mysterii istius gestione, ejusque convenientia pauca saltem tradere generis illius, quod usu sanctorum Patrum, et tractatione percrebuit. Horum id

[1] S. Th. 3. Par. q. 1. art. 2. ad 2. — [2] Ric. lib. de Incarn. c. 8.

[3] Arnol. Tract. quinto de verbo Chr. Tom. 1. Bibl. PP. col. 392. D.

erit primum, quod ad illum, cujus præcipuæ in hac actione tota partes extiterunt, Dei filium attinet. De quo jure istud explicandum: cur de tribus sanctissimæ Trinitatis personis unum decuerit incarnari Verbum, quandoquidem non minus reliquos duos, quam eum, qui revera est homo factus, ad eamdem conditionem venire potuisse, inter omnes convenit.

II. Hujus rei multiplices causæ, et omnes ex Verbi ipsius proprietate ductæ redduntur a Patribus. Inter quas celebris est illa : ne filii appellatio transiret ad aliam personam, ex quo in sanctissimam Trinitatem promiscua quædam redundaret, atque indecora confusio. Hanc rationem affert Gennadius in libro de Dogmatibus ecclesiasticis, capite secundo. « Non Pater, *inquit*, carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum : ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate filius. » Quem locum citat Paulinus Aquileiensis libro primo contra Felicem Urgellitanum. Fulgentius item in libro de fide ad Petrum, capite secundo; ubi ideo solum incarnatum esse Filium ait, « ne non proprium esset solius Filii, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est, etc. si secundum divinam quidem naturam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine. Si enim Pater nasceretur de Virgine, una persona esset pater et filius : ipsa autem una persona, pro eo quia non de Deo, sed tantum de Virgine nasceretur, non Dei filius, sed tantum hominis filius veraciter diceretur. »

Bernardus quoque[1] quæstioni isti, « Qua ratione Filius magis incarnatus sit, quam Pater, aut Spiritus sanctus, » ita respondet : « Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur et illud maxime congruum, ut is specialiter filius fieret, qui filius erat, ne quid esset ambiguitatis in nomine. » Sic Hugo Victorinus[2], et iisdem fere verbis, ut solet, Magister sententiarum[3]. Et latius Anselmus[4]. Qui primo de Spiritu sancto, deinde de Patre disserit. Illum quidem propterea non incarnatum esse dicit : « ne duo filii essent in Trinitate Dei, scilicet filius Dei, et filius hominis; » et in hoc ipso quædam inæqualitas, « cum alter filius majoris parentis dignitate excelleret : alter minoris parentis humilitate subesset. » De Patre vero sic : « Quia si ille hominem assumpsisset, easdem faceret in Deo pluralitas filiorum inconvenientias, et adhuc aliam. Nam si esset filius Virginis, duæ personæ in Trinitate nomen nepotis assumerent : quia et pater, et nepos esset parentum Virginis : et filius ejus, Virginis esset nepos : cum ipse tamen nihil haberet ex Virgine. » Sic ante illos Joannes Damascenus propterea solum Filium incarnatum agnoscit, (1) quia proprietas personalis immutabilis est; cujusmodi non esset, si ad alterum transiret. Alia est apud Hugonem ratio, quæ ad Patrem privatim attinet; « quia ei non convenit mitti ab aliquo, cum non sit ab alio, » de quo vide quæ in octavo de Trinitate libro, super missione personarum exposuimus.

III. Rursus aliam ex Apostolo causam Athanasius de Filio explicat[5] : quia per eumdem refici, crearique denuo decebat omnia, a quo initio et creata fuerant. *Decebat*, inquit Paulus[6], *eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Quæ Athanasius declarans, significari ait, « (2) non alterius fuisse, homines liberare ab ea corruptela, quam contraxerant, nisi Dei Verbi, qui et illos initio procreaverat. » Vide eumdem[7] in tractatu ad ista verba, *Omnia mihi tradita sunt a Patre*, et orat. 3. contra Arianos[8].

Cyrillus in Glaphyrorum libro primo, « (3) Oportuit, *inquit*, oportuit illum ipsum, per quem omnia producta sunt, eorumdem instauratorem esse jam corruptorum, et contractum ex peccato vitium propulsare; atque et quod molestum erat abolere, et in bonum

(1) DAMASC. lib. 4. cap. 4. Ἡ γὰρ ἰδιότης ἀκίνητος· ἡ πῶς ἂν ἰδιότης μένοι κινουμένη, καὶ μεταπίπτουσα; διὰ τοῦτο ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, Υἱὸς ἀνθρώπου γίνεται, ἵνα μένῃ ἡ ἰδιότης ἀκίνητος.

(2) ATHAN. Ὡς οὐκ ἄλλου ἦν ἀπὸ τῆς γενομένης φθορᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἀνενεγκεῖν, ἢ τοῦ Θεοῦ Λόγου τοῦ καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν πεποιηκότος αὐτούς. Vide et pag. 52.

(3) CYRILL. tom. 1. Glaphyr. 1. pag. 13. Ἔδει γὰρ, ἔδει τὸν δι' οὗ τὰ πάντα παρήχθη πρὸς ὕπαρξιν, ἀνακαινιστὴν γενέσθαι τῶν κατεφθαρμένων, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἁμαρτίας ἐξελᾶσθαι πήρωσιν, καταργῆσαι δὲ τὸ λυποῦν, καὶ τὸ εὖ εἶναι πάλιν διανεῖμαι πλουσίως τοῖς δι' αὐτοῦ γεγονόσι.

[1] Serm. 2. de Annun. — [2] Tract. 1. Sum. Sent. c. 15. — [3] Mag. in 3. Dist. 1.

[4] Ansel. lib. de Incarn. c. 4. — [5] Lib. de Incarn. p. 44. — [6] Heb. 2. 10. — [7] Pag. 326. — [8] Pag. 239.

statum eos large, ac copiose restituere, qui per ipsum procreati fuerant.» Ideo mox ait, «(1) a Patre per Christum ἀνακεφαλαιοῦσθαι,» hoc est *ad caput revocari*, sive «ad eum statum, quem initio habuerant quæ in cœlo, et quæ in terris sunt universa.» De qua vocis ἀνακεφαλαιοῦσθαι significatione, vide quæ supra notavimus [1]. Vide et Chrysostomum in homilia 18. in Joannem [2].

Augustinus in sermone 13. de natali Domini: «Humiliavit se ut homo : nec horruit Deus hominem induere, quem ad suam, Patrisque imaginem figuravit ; unde libens Dei filius voluit hoc esse quod fecit. Nam ideo Deus noster filium suum misit ad hominem liberandum, ut cui dixerat, Faciamus hominem, ipse etiam liberator esset, qui fuerat creator.» Et in tractatu 31. in Joannem, «Magna igitur misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora : factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia : factum esse quod fecit. Factus est enim quod fecerat: factus est homo, qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat.»

Etenim per Verbum suum Pater omnia condidit; tanquam per manum artifex : ut idem Augustinus observat alio in loco [3], ubi «manum Dei Christum *ait* intelligi.» Ac subinde, «Factus est, *inquit*, ex semine David, ut esset Jesus, id est Salvator, qui jam erat creator.» Sic Hilarius in Psalmum 66. et versum 21. «Et primum quidem, *ait*, non alienum a Dei misericordia, et bonitate videri potest, ut vitam omnibus in seipso restitueret ex mortuis ; nempe qui primum animam nobis, ac statum, respirationemque vivendi, cum hominem secundum imaginem sui, similitudinemque constituit, de thesauris potestatis suæ, divinitatisque diffuderit, etc.»

IV. Copiosius hanc rationem Leo papa declarat his verbis [4]: «In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cujus in omnibus communia sunt opera, atque judicia, reparationem humani generis proprie Filii persona suscepit; ut quoniam ipse est [5], *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil*, quique plasmatum de limo terræ hominem statu vitæ rationalis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam amissæ restitueret dignitati, et cujus erat conditor, esset etiam reformator.» Sic Alchuvinus in libro secundo de Trinitate capite decimo.

Est item Filius sapientia Patris. «Erat ergo decens, ut sicuti per sapientiam suam Pater mundum fecit, ita per eamdem redimeret,» ait Hugo Victorinus [6]. Est Λόγος Patris, id est *Verbum*, sive *ratio*. Quamobrem (2) cum homines scelerum ac libidinum immanitate sic efferati essent, ut omnem humanitatem ac rationem exuisse viderentur, et in brutorum animantium transisse sortem ; merito Λόγον ipsum, id est αὐτολόγον, quæ est *summa ratio* Patris æterni, mitti oportuit, qui miseros illos ἀλογωθέντας, hoc est *irrationabiles factos*, et superstitionis impiæ tenebris occæcatos, ad lucem, et rerum cœlestium notitiam, impertita veri Dei scientia, cultuque revocaret : ut in libro de Incarnatione disserit Athanasius. Vide similem rationem ab Jobio monacho allatam apud Photium [7] codice 222. Guitmundus Aversanus episcopus ad eamdem fere mentem [8], «Quoniam mortuus est, *inquit*, homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. Incarnata est igitur Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia.»

V. Sed Athanasius ex alia subinde proprietate Verbi, consentaneum fuisse probat, ut hæc persona potius quam altera muneri illi succederet. Siquidem hoc habet peculiare Filius, ut sit imago Patris, et character substantiæ illius. Atqui homo ad imaginem est factus Dei; sive imago creata est ipsius; sive ad exemplar expressio Verbi; quod vera, propriequе dicta est imago Patris, de quo alibi pluribus explicavimus [9]. Æquum itaque fuit, ut ad eamdem effigiem, quæ peccati labe deformata, corruptaque fuerat, instaurandam, et reficiendam, ipsum adhiberetur archetypum, et exemplar : cujus imitatione pristinum in statum per eadem lineamenta reduceretur. «(3) Quid enim aliud facere Deum oportebat; aut quid facto opus erat, nisi ut illud instau-

(1) Ἀνακεφαλαιοῦται γὰρ ἐν Χριστῷ τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ὁ Θεὸς καὶ Πατήρ, καὶ τὸ ἐφ' ἃ μὴ πρσσῆκεν ὀλισθῆσαν ἀναβιβάζεται πρὸς τὸ ἐν ἀρχαῖς δι' αὐτοῦ δὴ καὶ μόνου.

(2) ATHAN. lib. de Inc. pag. 46. Ὡς μήκετι δοκεῖν αὐτοὺς λογικοὺς, ἀλλὰ ἀλόγους, ἐκ τῶν τρόπων νομίζεσθαι. Οὕτω τοίνυν ἀλογωθέντων τῶν ἀνθρώπων, καὶ οὕτω τῆς δαιμονικῆς πλάνης ἐπισκιαζούσης τὰ πανταχοῦ, καὶ κρυπτούσης τὴν περὶ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ γνῶσιν, τί τὸν Θεὸν ἔδει ποιεῖν;

(3) ATH. ibid. pag. 47. Τί οὖν ἔδει ποιεῖν τὸν Θεὸν, ἢ τί

[1] Cap. 7. — [2] Chrysost. p. 599. — [3] Conc. 32. in Ps. 118. p. 578. — [4] Serm. 12. de Pass. c. 2. — [5] Joan. 1. — [6] Summæ Sent. Tract. 1. c. 15.

[7] Phot. p. 298. — [8] Guit. in Confess. de S. Trin. Tom. 6. Bib. col. 267. C. — [9] Vide lib. 6. de Trin. c. 5. § 11. et seq. et to. 3. lib. 1. de Opif. c. 4.

retur, quod ad imaginem dicitur : ut per illud rursus ipsum nosse homines possent? Hoc autem qua tandem ratione fieri potuisset, nisi ipsamet imago Dei advenisset, hoc est salvator noster Jesus Christus? Etenim per homines id erat impossibile fieri : quoniam et illi ipsi ad imaginem facti sunt. Sed neque per angelos. Nam nec ipsi sunt imagines. Idcirco Dei Verbum per seipsum venit : ut, cum Patris imago sit, hominem iterato creare posset, qui ad imaginem est factus. » Vide Cyrillum libro in Joannem primo [1].

VI. Joannes quoque Damascenus [2] ad illam reformandam imaginem venisse Filium ait, veram, et primigeniam imaginem Dei ; quod illa corrupta, et confusa vitio nostro fuisset. Sunt et alii plerique theologi veteres, qui eodem modo ratiocinantur : quorum nonnullos in illis secundi ac tertii tomi locis citavimus. His Richardum modo Victorinum adjungimus : qui observat [3], « Per præsumptionem vetiti, et quasi per rapinam gestisse hominem ascendere usque ad similitudinem Dei. Ut igitur modus satisfactionis responderet modo prævaricationis, ratio exigebat, ut ruinæ nostræ reparator per exinanitionem descenderet de similitudine Dei ad similitudinem lapsi. Filius autem est imago, et figura Patris. Idipsum itaque ipsum juxta congruum debitæ expiationis modum oportuit descendere, et assumere similitudinem hominis ex generatione humana. » Idem et in sequenti capite, « congruum fuisse » dicit, « ut qui per insipientiam ceciderat, per sapientiam resurgeret : » qui est Dei Filius. Tum Honorium Augustodunensem addimus : qui justitiam hoc ait exegisse, ut Filius potius, quam Pater, aut Spiritus sanctus homo fieret, quoniam Filius similitudo Patris dicitur : idemque « secundo loco, non dignitate, sed ordine, post Patrem est Deus. Diabolus autem sibi hoc privilegium usurpavit, dum similis Altissimo esse voluit ; scilicet Deus dici, et ab angelis ut Deus adorari : et quia in cœlo ab angelis hoc non obtinuit, in mundo ab hominibus se ut Deum coli, et ut Deum adorari docuit. Oportuit ergo ut cui injuria facta est, veniret, et se verum Deum, et istum fallacem ostenderet. »

Irenæus [4] ex altera τοῦ Λόγου notione, quæ est *sermo*, vel *oratio*, convenientiam Incarnationis Filii colligit, quæ quidem ad aliam pertinet Redemptoris dotem, hoc est doctrinam, de qua supra : « Non enim aliter nos discere poteramus quæ sunt Dei, ait ille, nisi magister noster Verbum existens, homo factus fuisset. Neque enim alius poterat enarrare nobis quæ sunt Patris, nisi proprium ipsius Verbum. » Legendus Rupertus libro 11. de Divinis officiis capite 18.

VII. Hæc sunt satis ad divini de incarnatione Verbi consilii probandam congruentiam. Quam non sic tamen interpretari debemus, tanquam alia persona idem præstare nequiverit. Potuit enim, si ita fieri placuisset, vel Pater homo fieri, vel Spiritus sanctus : quod Magister sententiarum docet [5], in eoque suffragatores habet cum Scholæ principe [6] theologos omnes. Verum reclamat Anselmus, eodem fretus argumento, quo sibi persuasit, necessarium omnino fuisse, ut ab homine Deo genus redimeretur humanum ; quoniam, inquit, conveniens non erat aliter fieri : ac proinde necessarium fuit. Sic in personæ delectu eodem modo ratiocinatur : « Quoniam ergo quodlibet parvum inconveniens in Deo est impossibile, non debuit alia persona incarnari, quam Filius. » Sed hujus argumenti vis retusa est a nobis capite illo 13. Quare nihil obstat quominus communi subscribamus sententiæ.

Verum quamplurimorum opinio ista fuit, Patrem nullo modo hominem assumere potuisse, nec se oculis aspectabilem exhibere : contra quam in primo, et octavo de Trinitate disputavimus [7]. Est enim falsa, neque vero firmamento nititur.

VIII. Ut autem convenisse potissimum Filio humanæ susceptionem, liberationemque naturæ, gravibus de causis ostendimus : sic universe Deum interponere se in hoc negotium decuisse, ratione alia conficitur. Anselmus hanc in libro priore *Cur Deus homo* suppeditat [8] : quod si ab angelo, vel alia quavis

ἔδει γενέσθαι, ἀλλ' ἢ τὸ κατ' εἰκόνα πάλιν ἀνανεῶσαι, ἵνα δι' αὐτοῦ πάλιν αὐτὸν γνῶναι δυνηθῶσιν οἱ ἄνθρωποι ; τοῦτο δὲ πῶς ἂν ἐγεγόνει, εἰ μὴ αὐτῆς τῆς τοῦ Θεοῦ εἰκόνος παραγενομένης, τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ; δι' ἀνθρώπων μὲν γὰρ οὐκ ἦν δυνατὸν, ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ κατ' εἰκόνα γεγόνασιν. Ἀλλ' οὐδὲ δι' Ἀγγέλων. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ αὐτοί εἰσιν εἰκόνες. Ὅθεν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος δι' ἑαυτοῦ παρεγένετο, ἵν' ὡς εἰκὼν ὢν τοῦ Πατρὸς, τὸν κατ' εἰκόνα ἄνθρωπον ἀνακτίσαι δυνηθῇ. Vide et pag. 52.

[1] Cyr. p. 91. — [2] Lib. 4. c. 4. — [3] Rich. de Inc. cap. 10. — [4] Lib. 5. c. 1. — [5] In 3. Dist. 1. — [6] In 3. Par. qu. 3. art. 5. — [7] Cap. 13. hujus libri. — [8] Lib. 1. c. 3. et l. 8. c. 2. — [9] Cap. 5.

creatura, redemptus, ac liberatus esset homo, illius merito servus haberetur, et quidem extremo ei jure servitutis obnoxius. Nam et apud Romanos, qui in bello alicujus opera et manu servati ab hostis incursione, et intentata nece fuerant, ei, a quo erepti erant, obligati tota vita tenebantur, et ad omne genus officiorum illo astricti beneficio.

Quod si hujus ærumnosæ vitæ, ac brevissimæ conservatio, tanta debitione gratiæ pensanda visa est sapientibus illis rerum æstimatoribus; quod nostrum, hoc est Christianum debet esse judicium, de immortali, et conferta bonis omnibus vita, cujuscumque demum beneficio restituta? Non fuit igitur consentaneum, ut alteri, quam conditori hominis Deo, jure hoc, et quasi auctoramento servitutis infimæ, homo devinctus esset. Etenim, ut disputat Anselmus, « Quæcumque alia persona, quam divina, hominem a morte illa sempiterna redimeret, ejus servus idem homo recte judicaretur. Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus esset, si non peccasset; cum ipse, qui nonnisi servus Dei et æqualis angelis bonis futurus erat, servus esset ejus, qui Deus non esset, et cujus angeli servi non essent. » Præsertim cum infinitis partibus præstantius sit redemptionis, quam creationis beneficium; ac majus ex illa grati animi, et amoris, atque obsequii debitum, quam ex ista consequatur. Quod Bernardus aliique Patres persæpe commendant; ut Ambrosius in Lucam [1] : « Plus, *inquit*, Domine, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam opibus, quod creatus. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. »

Et ad Psalmum 144. Augustinus, pag. 685. « Cui ergo debemus quia sumus, *inquit*, illi debemus quia et justificati sumus, nemo tribuat Deo quia est, et sibi tribuat, quia justus est. Melius est enim quod tibi vis tribuere, quam quod illi. Melius est enim aliquid esse, quia justus es; quam quia homo es. Inferius aliquid das Deo, et superius tibi. » « (1) Prorsus itaque divinæ virtutis ac potestatis illustre facinus illud proprium est, ut scribit Cyrillus, tum ex non extantibus posse productis rebus extantiam dare : tum ea, quæ a bono, et integro statu exciderunt, rursus in pristinum revocare. » Postremo spectat huc Epiphanii sententia illa, Deum liberandi nostri in seipso suscepisse, « (2) ne spem suam mundus in homine collocaret. »

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

1. De congruentia modi, quem in homine redimendo Deus adhibuit. — 2. Deum oportuisse sub externa apparere specie : — 3. et quidem humana. — 4. Ut eidem, quæ peccaverat, mederetur. — 5. Item de muliere nasci, ut auctor peccati auctor fieret remedii. — 6. sed virgine; quia virgo Eva peccarat. — 7. Nec indignum Deo natalem hujusmodi fuisse. — 9. Tum perpessiones reliquas, et cruciatus jure ab illo susceptos. — 10. Maxime ut exemplo suo pati doceret. Lactantii præclarus de eo locus.

I. De personæ incarnatæ congruentia dixi, quantum satis esse visum est : pauca nunc de modo sunt explicanda, quo se idem ille ad naturæ nostræ communionem, et humanæ salutis ac redemptionis administrationem applicavit. Quanquam major pars hujus quæstionis exhausta est in superioribus capitibus, in quibus declaratum est, quo fine, atque fructu Deus ad nos homo descenderit. Horum enim expositio implicata fuit cum illius argumenti disputatione, quam conveniens Dei, hominisque causa fuerit, sempiterni Patris Filium,

(1) Cyr. Glaph. 1. pag. 13. Δυνάμεως γὰρ τῆς θεοπρεποῦς, καὶ μέν τοι καὶ ἐξουσίας, δοίην ἂν ἔγωγε λαμπρὰν γενέσθαι κατόρθωσιν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι δύνασθαι παρενεγκεῖν, καὶ τὰ τοῦ καλῶς τε, καὶ ἀληθῶς ἔχειν ἡμαρτηκοτα μονονουχὶ παλιναγρετα προς το εὖ εἶναι καλεῖν.

(2) Epiph. in Ancor. § 95. Ἵνα μὴ εἰς ἄνθρωπον ἔχῃ ὁ κόσμος τὴν ἐλπίδα.

[1] Lib. de Dilig. Deo col. 449.

non communem modo naturam, sed etiam naturæ insitam, ac propriam vilitatem, et imbecillitatem assumere. Verum quoniam ordine quodam ac serie tractationis eodem revoluta est oratio nostra, pauca delibanda modo sunt de ratione susceptæ carnis et infirmitatis humanæ. Cujus indignitas haud satis decora videtur humanis judiciis, ac tam incredibilis est habita, ut plerique veterum hæreticorum ad nullam magis offenderint partem Christianæ professionis; ut de Judæis, ac superstitioso deorum cultui deditis hoc loco taceam; quos constat nulli rei peræque adversatos, atque isti fuisse. Sed in eam vicissim purgandam, ac tuendam ab omnium illorum calumniis, certatim Christiani Patres incubuerunt. Quo etiam ex capite uti minus necessaria hic opera nostra est; ita parcius ac levius erit adhibenda : ac sic tanquam perfunctorie, dicisque causa; ne quod ab omnibus divinorum dogmatum scriptoribus attingi solet, ejus propria, et huic annexa loco mentio ex toto prætermissa sit.

II. Imprimis ergo Dei filium sub externa qualicumque specie hominibus immisceri decuisse, res per se ipsa clamat. « An enim aliter potuit invisibilis illa vis, ut cum Arnobio [1] loquar, et habens nullam substantiam corporalem, inferre, et commodare se mundo, et conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret; quod oculorum susciperet injectum, et ubi se figere ineptissimæ posset contemplationis obtutus? Quis est enim mortalium, qui quæreret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est? etc. » Cui rationi suffragatur Chrysostomus. « (1) Ne, *inquit*, nuda divinitate se inferens omnes perderet, etc. Nam neminem non extingueret; cum nullus inaccessum illum lucis appulsum tolerare posset. » Et alio in loco, verba illa declarans [2], *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, etc. « (2) Non aliter visum iri, nisi in familiari nobis esset corpore conspectus, » ait. Quo Mosis exemplum refert; cujus splendorem vultus Judæi ferre non poterant : unde et velo coactus est illum obnubere. « (3) Et quomodo nudam divinitatem, ac vel supernis illis inaccessam virtutibus, lutei nos, et orti de terra sustinere potuissemus? »

III. Porro hominis speciem, humanamque cum anima carnem potius, quam alterius generis assumi par fuisse, ea causa persuadet, quam Athanasius in sexta Synodo citatus affert [3], quod in eadem venire natura debuit, quæ a diabolo decepta peccatum admiserat : ut illa ipsa, quæ peccarat, impeccantiam ostenderet; et [4] ubi abundaverat peccatum, superabundaret gratia : et sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, sic per unum hominem Jesum Christum gratia regnaret, etc. Hæc Athanasius. Qui et alibi [5] præclare, eleganterque locum illum tractavit : qua ex oratione, quia paulo fusior est, pauca delibabimus. Cum igitur, inquit, homines frustra ex usu, aspectuque creatarum rerum, revocare Deus ad officium studuisset, « (4) merito, ut hominibus commodaret, tamquam homo inter eos versatus est; assumpto simili illorum corpore, etc. » « (5) Nam ut bonus magister, discipulorum suorum curam gerens, quibus majora documenta prodesse nequeunt, ad minutiora, et viliora sese demittit, ut illos instituat : ita Dei Verbum fecit. » Cujus rei testimonium ex Apostolo sumit, qui sic scribit [6]: *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Tum ita pergit Athanasius: « (6) Et-enim quoniam homines Dei contemplationem

(1) CHRYS. hom. 6. in Joan. pag. 583. Ἵνα μὴ γυμνῇ τῇ θεότητι προσβαλὼν, ἅπαντας ἀπολέσῃ, etc. πάντας γὰρ ἂν ἠφάνισε, μηδενὸς δυναμένου τὴν ἀπρόσιτον ἐκείνην τοῦ φωτὸς προσβολὴν ἐνεγκεῖν.

(2) Id. hom. 12. pag. 600. Οὐκ ἂν θεασάμενοι, εἰ μὴ διὰ τοῦ συντρόφου σώματος ἡμῖν ὤφθη.

(3) Ibid. Πῶς θεότητα γυμνὴν, καὶ ἀπρόσιτον, καὶ αὐταῖς ταῖς ἄνω δυνάμεσιν, ἡμεῖς οἱ πήλινοι, καὶ γηγενεῖς ἠδυνήθημεν ἂν ἐνεγκεῖν;

(4) ATHANAS. Ὅθεν εἰκότως ἀνθρώπους θέλων ὠφελῆσαι, ὡς ἄνθρωπος ἐπιδημεῖ, λαμβάνων ἑαυτῷ σῶμα ὅμοιον ἐκείνοις.

(5) Ibid. Ὡς γὰρ ἀγαθὸς διδάσκαλος κηδόμενος τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, τοὺς μὴ δυναμένους ἐκ τῶν μειζόνων ὀφεληθῆναι, πάντως διὰ τῶν εὐτελεστέρων συγκαταβαίνων αὐτοὺς παιδεύει· οὕτω καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος.

(6) Ibid. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἄνθρωποι ἀποστραφέντες τὴν πρὸς τὸν Θεὸν θεωρίαν, καὶ ὡς ἐν βυθῷ βυθισθέντες, κάτω τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες, ἐν γενέσει, καὶ τοῖς αἰσθητοῖς τὸν Θεὸν ἀνεζήτουν, ἀνθρώπους θνητοὺς, καὶ δαίμονας ἑαυτοῖς θεοὺς ἀνατυπούμενοι· τούτου ἕνεκα ὁ φιλάνθρωπος, καὶ κοινὸς πάντων Σωτὴρ ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος λαμβάνει ἑαυτῷ σῶμα, καὶ ὡς ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώποις ἀναστρέφεται, καὶ τὰς αἰσθήσεις πάντων ἀνθρώπων προλαμβάνει· ἵνα οἱ ἐν σωματικοῖς νοοῦντες εἶναι τὸν Θεὸν, ἀφ' ὧν ὁ Κύριος ἐργάζεται διὰ τῶν τοῦ σώματος ἔργων, ἀπ' αὐτῶν νοήσωσι τὴν ἀλήθειαν.

[1] Arn. lib. 1. p. 46. — [2] Joan. 1. — [3] Syn. 6. Act. 8. p. 103. [4] Rom. 5. 20. — [5] De Incarnat. p. 48. — [6] 1. Cor. 1. 21.

aversati, ac velut in profundum demersi, et humi defixos oculos habentes, in generatione, ac sensilibus rebus Deum quærebant, mortales homines, ac dæmones pro diis sibi fingentes, ideo amator hominum, communisque salvator omnium, Dei Verbum, sibi corpus assumit, et inter homines tanquam homo versatur, ac sensus præoccupat omnium hominum : ut qui corporeis in rebus Deum inesse cogitabant, ex iis, quæ Dominus per opera corporis exercebat, veritatem intelligerent. » « Assumpsit igitur hominis formam, ait Arnobius [1], et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut et videri posset, et conspici, verba faceret, et doceret, atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas. » Vide Eusebium lib. 7. de Demonstratione evangelica, cap. 2.

IV. Gregorius Nyssenus in libro Catechetico, Deum, humana carne integraque natura hominis assumpta, venire ad liberandos homines oportuisse confirmat. Nam si aliunde sibi corpus finxisset, naturam nostram non omni ex parte curasset; nec ibi remedium accommodasset, ubi morbus inerat. « (1) Etenim fieri non potest, ut curetur ægrotus, nisi parti affectæ proprium remedium adhibeatur. » Deinde qui nostræ similem carnem induere, alienum, indignumque Deo judicant, non pro eo, ac decet, de tanta majestate sentiunt; nec intelligunt, qualemcumque creaturam pari ab illa, hoc est immensa intercapedine distare : nec aliam alia propius ad illam accedere. « (2) Unde si terrestrem naturam indignam reputant, quæ cum Deo copuletur, nulla erit alia, quæ eo digna censeatur. Quod si infra dignitatem hanc ex æquo sunt omnia, illud sane Deo conveniens est, ut egenti benefaciat. Quare ubi morbus est, eo medicatricem vim si venire fateamur, quid tandem credimus, quod ab ea, quæ digne de Deo capitur, opinione dissideat ? »

Itaque « melius judicavit, ut de ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum, » ait Augustinus [2]. Et Irenæus [3] : « Oportebat eum, qui inciperet occidere peccatum, et mortis reum redimere hominem, idipsum fieri quod erat ille, id est hominem. » Nam ut recte Tertullianus ait, lib. 5. contra Marc. 14. « Non magnum si spiritus Dei carnem remediaret : sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. » Ut, quod ait sanctus Leo sermone primo de Nativitate, « inventor mortis diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur. » Ita Guilbertus Nogentinus in libro contra Judæos, « Natura nulla, *inquit*, alia præter eam quæ peccaverat, pro eadem satisfacere poterat. Congruum plane non esset ut quod humanitas commisisset, de angelico quispiam ordine expiaret. »

V. De homine itaque nasci, id est muliere, consentaneum itidem fuit. « [4] Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per virginem redderetur, etc. Ut ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret : quia quæ culpam nobis transfuderat, transfudit et gratiam. » Et Bernardus [5] : « Forte ut excusaretur Eva per filium, et querela viri adversus fœminam deinceps sopiretur. » Natus est, « ut ipsam naturam nascendo reficeret, ait Petrus Chrysologus [6], quam fecerat operando : quia quæ facta fuerat, ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura letale vulnus accepit, et cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotium nativitatis, quod nasci compulit Christum, ut naturæ curam nativitas daret auctoris, et naturæ curatio esset vivificatio filiorum. » Ad hæc Hilarius Arelatensis, ut quidem creditur, in homilia prima de nativitate Domini, quæ falso Eusebio Emisseno inscribitur, « Quod si inter hæc quid fuerit rationis interrogetur, *inquit*, qua proprietate corporis nostri naturam induere deberet, id causæ est, ut per illam, quam in nostra carne peragebat, de mundi hoste victoriam, nostram posset consecrare naturam, et roboraret fragilem conditionem, dum exercet in fragilitate virtutem : ac sic et homo contra diabolum fiducialiter auderet congredi, sic et diabolus ab homine cognosceret se posse superari. »

(1) Nyss. Cat. cap. 27. tom. 2. pag. 518. Οὐκ ἔστι γὰρ θέραπευθῆναι τὸν κάμνοντα, μὴ τοῦ πονοῦντος μέρους ἰδιαζόντως δεξαμένου τὴν ἴασιν.

(2) Ibid. pag. 519. Ὥστε εἰ τὴν ἐπίγειον φύσιν ἀναξίαν τῆς πρὸς τὸ θεῖον οἰήσονται συμπλοκῆς, οὐδὲ ἂν ἄλλη τις εὑρεθείη τὸ ἄξιον ἔχουσα. Εἰ δὲ ἐπίσης πάντα τῆς ἀξίας ἀπολιμπάνεται, ἐμπρέπον ἐστὶ τῷ Θεῷ τὸ εὐεργετεῖν τὸν δεόμενον. Ὅπου τοίνυν ἡ νόσος, ἐκεῖ φοιτῆσαι τὴν ἰωμένην δύναμιν ὁμολογοῦντες, τί ἔξω τῆς θεοπρεποῦς ὑπολήψεως πεπιστεύκαμεν; Vide Theodoret. in 5. contra hæres. cap. 11. pag. 281.

[1] Arn. l. 1. p. 47. — [2] Aug. 13. de Trin. c. 18. — [3] Iren. l. 3. c. 20.

[4] Aug. Ser. 13. de Nat. — [5] Serm. de Nativit. B. Mar. — [6] Serm. 143.

Recte vero Tertullianus ad eamdem sententiam [1] : « Nam neque ad propositum Christi faceret evacuantis peccâtum carnis, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati ; neque ad gloriam. Quid enim magnum, si in carne meliore, et alterius, id est non peccatricis naturæ, nævum peccati redemit ? » Sic Ferrandus diaconus in epistola ad Anatolium : « Si alia esset, *inquit*, natura carnis, in qua non peccaverat Christus, et mortuus est ; non per justitiam, sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per justitiam vinci. Justitia vero fuit ipsa, ut in ea carne veniret redemptor, quam fecerat supplicio remanere obnoxiam tentator. »

VI. Ceterum illam ipsam fœminam, ex qua nasci congruum fuit humani generis Redemptorem, virginem deligi, ejusdem providentiæ, ac summæ rationis interfuit. « Matrem elegit virginem, ait Beda homilia prima in natalem Domini, quia non aliter Dei filium nasci in carne, quam de intemerata genitrice decebat. » Quippe « nove nasci debebat, ut idem scribit Tertullianus [2], novæ nativitatis dedicator, etc. Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. » Mox « totam novitatem istam rationali dispositione » factam esse, probat ex analogia, et comparatione cum primi hominis exortu, et Evæ lapsu. « Virgo erat adhuc terra, ex qua Adam creatus est, nondum opere compressa, nondum sementi subacta, etc. Igitur si primus Adam de terra traditur ; merito sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terra, id est carne nondum generationi resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus. » Ac subinde : « Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem, et similitudinem suam a diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æque introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ : ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti : credidit Maria Gabrieli ; quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit, etc. In vulvam ergo Deus verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit fratri Christo, ad salutem hominis, quo homo jam damnatus intraverat. »

VII. Nam quod gentiles, et inimici Christi ceteri, indignum esse illud objiciebant, « ut tanta illa majestas per genitales fœminæ transiret egressus ; ubi quamvis nulla fuerit ex viri commistione contagio, fuit tamen ipsius puerperii obscœnæ attrectationis injuria, » facile hoc ab Christianis doctoribus repellitur : velut ab Ruffino [3], cujus verbis querelam istam exposuimus. Hic Dei συγκατάβασιν istam, et ad infirma nostra descensum nihil indignitatis habuisse, quin potius laudi illi fuisse demonstrat hoc exemplo : « Si quis videat parvulum in profundo cœni necari, et ipse cum sit vir magnus, et potens, extremum, ut ita dixerim, ingrediatur cœnum, ut parvulum liberet morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro ? » Addit et solis similitudinem [4], cujus « radius, si in cœni alicujus voraginem demittatur, numquidnam aliquid inde pollutionis acquirit ? » Item ignis, qui « nulla materia vel obscœna, vel turpi adhibita pollui creditur. » Quæ duo similia crebro in hoc negotio usurpantur a Patribus. Demum ita ratiocinatur : « Nos hominem a Deo creatum de terræ limo dicimus. Quod si obscœnitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscœna transierit, cum non possis dicere, cur obscœna condiderit. »

VIII. Eodem utitur argumento Petrus Chrysologus [5]. « Si Deus, *inquit*, fecit hominem, quis arguit, cur refecit ? et quod ex limo formasse dignum creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum ? Quid pretiosius, caro, aut limus ? Ergo reparationis nostræ quanto pretiosior materia, tanto major est gloria. Aut quando Deus non in utero plasmator est hominis ? »

Augustinus vero [6] infima hæc, et abjecta merito in se Dei filium expressisse, idque ita factum oportuisse probat ex eo, quod « etsi ita factum sit, tamen quidam hæretici, perverse mirando, laudandoque ejus virtutem, naturam humanam in eo prorsus agnoscere noluerunt, etc. Quid si Omnipotens hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus ?

[1] Lib. de car. Ch. cap. 16. — [2] Id. Tert. c. 17. de car. Ch. — [3] Ruffinus in Symb.

[4] Ita Basil. Hom. 25. de Nat. et Eus. lib. 7. de Dem. Evang. cap. 2. p. 194. — [5] Serm. 142. — [6] Epist. 3. p. 5.

Quid si nullas ex parvulo in juventutem mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos ? Nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur, et dum omnia mirabiliter fecit, auferret quod misericorditer fecit ? » Hunc locum fuse Chrysostomus [1] præsertim in homilia quadam pertractat ad ista verba : *Pater, si fieri potest.*

IX. Recte de iis, et similibus humanæ imbecillitatis propriis contra Celsum ista ipsa Christianis exprobrantem Origenes disputans : « (1) Non vidit, *inquit*, illum, postquam semel generatione procreatum corpus assumpsit, idipsum et laborum capax, et ceteris omnibus, quæ degentes in corporibus invadunt, molestiis obnoxium suscepit, etc. (2) Ut igitur volens, ac sponte suscepit corpus, non utique diversæ ab humana carne naturæ : sic una cum corpore etiam illa suscepit, quæ dolorem ei, ac molestiam consciscunt. » Quippe, ut Gregorius Nyssenus in sexta Synodo laudatus ait, « (3) Imminente passione formidare (quod de reliquis humanis affectionibus intelligi par est) humanæ imbecillitatis est : ut et ipse Dominus loquitur [2], *Spiritus promptus est,* inquiens, *caro autem infirma.* At vero eamdem ex dispensatione suscipere passionem, divinæ est virtutis, atque voluntatis. »

Theodoretus in sermone sexto contre Græcos, eamdem gentilium de vilitate Incarnationis calumniam propulsans, negat meliorem, aut vero congruentiorem modum excogitari potuisse, quam quo usus est Deus, ut se ad contempta, et hominum judicio pudenda ista demitteret liberandi hominis gratia. « (4) Nam et laudari medicos illos, qui non aliis adhibendæ curationis negotium committunt : sed ipsi per sese, posito pallio, ac tunica succincta, ferrum manibus tractant, incidunt, fœtorem sustinent, saniei stillas excipiunt, spongia fovent, aspergunt medicamenta : cetera denique omnia faciunt, quæ medicinæ artis lex præcipit. » Quam similitudinem Gregorius quoque Nazianzenus adhibuit in oratione de Nativitate [3], et Nyssenus libro contra Apollinarem, tom. 2. p. 696. His etiam antiquior omnibus Justinus martyr in calce Apologetici primi, « (5) hominem propter nos factum esse Verbum *ait*, ut passionum nostrarum particeps nobiscum, remedium adhiberet. »

X. Est etiam illis, de quo modo disputamus, in tot perferendis incommodis atque injuriis, decori argumentum, et congruentiæ, quod ex altero Incarnationis fructu, ac Redemptoris titulo sumitur : nempe doctrina, et magisterio, quod supra proposui. Nam qui ejus gratia missus erat, ut esset perfectus hominum doctor, et magister, eisque capessendæ felicitatis æternæ, per virtutum omnium officia, præsertim vero patientiæ, et humilitatis, iter monstraret; præire illum oportuit non verbo magis, quam exemplo : ut haberent homines non solum cui auscultarent ardua, et difficilia jubenti, sed etiam ut illa ipsa facientem quæ jubebat, imitari possent.

Hunc locum egregie, eleganterque tractavit Lactantius [4], ex quo pauca seligam. « Quicumque præcepta dat hominibus, *inquit*, ac vitam, moresque fingit aliorum ; quæro debeatne ipse facere quæ præcipit, an non debeat ? Si non fecerit ; soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor a numero, cœtuque hominum segregare, inter quos agit : et ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum : ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, levioremque fidem suam faciat, si reipsa resolvat, quod verbis nitatur astruere.

(1) ORIG. 2. cont. Cel. pag. 77. Οὐχ ἑώρακε δὲ, ὅτι ἅπαξ ἀναλαβὼν τὸ διὰ γενέσεως σῶμα, ἀνείληφεν αὐτὸ καὶ πόνων δεκτικὸν τυγχάνον, καὶ τῶν τοῖς ἐν σώμασι συμβαινόντων ἀνεπαφῶν.

(2) Ibid. Ὥσπερ οὖν βουληθεὶς ἀνείληφε σῶμα, οὐ πάντη ἄλλης φύσεως παρὰ τὴν ἀνθρωπίνην σάρκα, οὕτω συνανείληφε τῷ σώματι καὶ τὰ ἀλγεινὰ αὐτοῦ, καὶ τὰ ἀνιαρά.

(3) GREG. Nyss. in lib. Antirrhet. cont. Apoll. in 6. Syn. act. 10. pag. 126. Ὅτι τὸ μὲν δειλιᾷν πρὸς τὸ πάθος, τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας ἐστὶ, καθὼς φησι καὶ ὁ Κύριος, τὸ Πνεῦμα πρόθυμον εἶναι λέγων, ἀσθενῆ δὲ τὴν σάρκα. Τὸ δὲ ἀναδέχεσθαι τὸ ἐξ οἰκονομίας πάθος, τῆς θείας ἐστὶ δυνάμεως καὶ βουλῆς.

(4) THEODORET. tom. 4. pag. 579. Καί τοι τοὺς ἰατροὺς ἐκείνους θαυμάζετε, οἳ οὐκ ἄλλοις προσφέρειν τὴν θεραπείαν κελεύουσιν, ἀλλ' αὐτοὶ τῆς ἁπτεχόνης γυμνούμενοι, καὶ τὸν χιτωνισκὸν διαδησάμενοι, τὸν σίδηρον μεταχειρίζουσι, καὶ τὴν τομὴν ἐπιφέρουσι, καὶ δυσοσμίας ἀνέχονται, καὶ τοῦ ἰχῶρος δέχονται τὰς ῥανίδας, καὶ καταιονοῦσι τῇ σπογγιᾷ, καὶ τὰ φάρμακα ἐπιπάσσουσι, καὶ τὰ ἄλλα δρῶσιν, ὅσα τῆς ἰατρικῆς τέχνης ὁ νόμος διαγορεύει.

(5) JUSTIN. pag. 40. Ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος, καὶ ἰασιν ποιήσηται.

[1] Chrys. tom. 5. Hom. 34. pag. 218. et citatur in Syn. 6. Act. 10. pag. 127.

[2] Mat. 26. — [3] Naz. p. 625. — [4] Lact. lib. 4. cap. 23.

Unusquisque enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquam sibi jus libertatis adimatur : respondebit itaque doctori hoc modo : non possum facere quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolorem, vetas mortem timere. Sed hoc adeo contra naturam est, ut his affectibus animalia universa subjecta sint. Vel si adeo putas repugnari posse naturæ : tu ipse quæ præcipis fac, ut sciam fieri posse. Cum autem ipse non facias : quæ insolentia est, ut homini libero inponere velis leges, quibus ipse non pareas ? etc. » Ac mox : « Inde evenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla, quam verba ; quia loqui facile est, præstare difficile. » Tum post multa, colligit in hunc modum [1], « Neque hominem perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem Deus ; ut auctoritate cœlesti necessitatem parendi hominibus imponat : neque Deum, nisi mortali corpore induatur ; ut præcepta sua factis adimplendo, ceteros parendi necessitate constringat. » Addit, eumdem oportere « subire carnis, ac corporis imbecillitatem, virtutemque in se recipere, cujus doctor est ; ut eam simul et verbis doceat, et factis. Item, subjectum esse morti, et passionibus cunctis ; quoniam et in passione toleranda, et in morte subeunda, virtutis officia versantur : quæ omnia consummatus doctor perferre debet, ut doceat posse perferri. »

XI. Quamobrem, ut cum Bernardo [2] loquar, « Hic Christus Jesus mediator fidelis, sicut in persona una Dei, hominisque substantiam copulavit ineffabili sacramento ; sic et in ipsa reconciliatione consilio usus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, utrisque tribuens quod oportebat, honorem Deo, homini miserationem. Hæc enim optima inter offensum dominum, et reum servum forma compositionis, ut nec honorandi domini zelo servus opprimatur austeriore sententia : nec rursum dum huic immoderatius condescenditur, ille debito fraudetur honore. » Quod si « Deus in propria persona ad homines descendisset, (ait Guilbertus Nogentinus in libro contra Judæos nondum edito,) dum sibi in nullo de sua quidquam majestate minuisset, satis mediocres ab hominibus gratias meruisset. At quia totum pro eorum se contulit salute, humilitati, et gratiæ non est quod homo possit dignum rependere : non fuit quod hominem magis potuisset instruere. »

Denique Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos, incarnationis Dominicæ congruam rationem explicat his verbis [3] : « Si Adam victus a diabolo corruptionem nostro intulit generi, oportebat per hominem rursus diabolum vinci, ut possemus nos incorruptibilitatis participatione frui. Sed hoc, sicut infirma, et subjecta servituti, atque corruptioni nostræ natura per semetipsam non volebat explere, et a Domino hanc oportebat assumi ; sic rursum sine nostra natura id fieri, nec decebat utique, nec voluit Deus. Non enim per violentiam proposuerat superare diabolum, (alias hoc egisset modis omnibus purus,) sed devicto homini voluit præstare victoriam ; quod decibilius, quam per hanc pulcherrimam unitionem evenire non poterat ; si tamen in tanto mysterio illud impletum credimus, quod aut solum fieri poterat, aut pulchrius celebrari non poterat. Quod igitur sine Deo non posset impleri, hoc idem sine homine nec debuit exerceri ; nec Deus voluit ; qui non vult esse, nisi quæ debent esse ; et igitur quæ hujusmodi sunt omnia, Dei solius, tanquam non fuerit ipse etiam homo, dici non licet. Omnia igitur talia unius ejusdemque personæ, Dei et hominis, confitenda sunt ; aut ita dicenda Dei quædam talium, ut tamen non auferamus ea de homine dici. »

[1] Cap. 24. — [2] Serm. 2. de Annunt.

[3] Rust. tom. 4. Bib. PP. col. 798. D.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

1. Cur Christus tam sero ad homines liberandos venerit. — 2. Eusebii ratio quod homines antea minus idonei essent, ob morum feritatem. — 3. Gregorii Nysseni contraria ratio, quod expectandum fuit, dum corruptela hominis ad summum venisset. — 4. Alia causa ex Augustino, — 6. tum ex aliis, maxime illa : expectasse Deum, dum digna Deo pariendo mater existeret. — 7. Altera quæstio, an Deus incarnatus esset, si nullum præcessisset hominis peccatum. Non fuisse venturum, e Scripturis ostenditur, — 8. tum e Patribus. — 9. Cyrilli de ea re locus, — 10. qui expenditur. — 12. Ruperti contrariæ de eo sententiæ.

I. Duo sunt adhuc ad hanc decori terminandam disputationem reliqua capita, sed explicanda paucis, nam ad alia properamus momenti majoris, ac quæstionis. Primum est, cur eo potissimum, quo venit, tempore Christus ad nos appulit; nec ante sui copiam fecit. « Novit quidem Dominus quid quando faciat, qui in mensura, et numero, et pondere cuncta disponit, » ut ait Augustinus [1]. Sed certæ tamen rationes ab antiquis allatæ sunt, ob quas post longa seculorum curricula, hoc est « senescenti, ut Ambrosius loquitur [2], mundo, et jam occidenti illucescens Dei filius, per Mariæ virginis partum, serus advenit. »

Eusebius in proœmio libri octavi de Demonstratione evangelica, late de hac re verba faciens, causam tardioris adventus reddit istam. Homines ait initio moribus fuisse depravatissimis, et in summa impietate, Deique contemptu, ac scelerum omnium licentia, et impunitate vitam egisse ferarum similiorem, quam hominum, cum in latibulis, et solitudinibus latronum more degerent, nullis legibus, nullo civili usu, atque cultu, neque doctrinarum, aut artium, aut virtutis, et sapientiæ mansuefacti studio, ac perpoliti. Ceterum adeo expertes fuisse veræ religionis, ac pietatis, nihil ut extare putarent præstantius corporibus, et iis quæ sub sensus cadunt, quibus divinos adhibebant honores, velut bestiis, volucribus, serpentibus; atque etiam tyrannis, et immanissimis hominibus.

Cum igitur hujusmodi esset, et in his versaretur humanum genus, nondum idoneum fuisse, ad Dei filium, ejusque doctrinam, ac remedium percipiendum. Sed ante legibus, institutisque Mosis, ac prophetarum aliorum, et sanctorum aliquot virorum exemplis, monitisque formatum, ac velut præparatum fuisse : ut barbarie illa, et ferocitate domita, paulatim ad cœlestis magistri commercium aptaretur. Quo perfecto, in tempore affuisse Christum, et paululum imbutis, ac consuefactis mortalium animis divinæ lumen veritatis intulisse. Hæc fere Eusebius, quæ græce legi apud illum possunt : quibus similia disserit in libro Historiæ primo, capite tertio.

II. At Gregorius Nyssenus, contraria quodammodo ratione, tunc accessisse Christum ait, cum labes, et corruptela morum, tanquam morbus quidam naturæ nostræ, ad summum venisset. Etenim « (1) qui ad nequitiam e medio tollendam immiscere se debebat humanæ vitæ, necessario expectandum illi fuit, ut actis radicibus firmatum inimici opera peccatum omne pullularet : ut sic radici securim admoveret; quod in Evangelio legitur [3]. Quippe præstantes quique in arte medica, dum interius adhuc febris corpus exurit, et paulatim ex causis morbum efficientibus accenditur, cedunt morbi violentiæ, donec ad summum vigorem pervenerit : nec ciborum ullum subsidium ægrotanti subministrant. Iidem vero, ubi malum statum suum adeptum est, tum demum artem suam adhibent, quando jam totus patefactus est morbus. » Enumerat deinde malorum, et scelerum exempla præcipua, quæ certis erumpentia temporibus alia ex aliis sunt secuta, ac demum ita colligit; postquam ad summum incrementum humana perducta est improbitas, ut jam nemo esset [4], *qui intelligeret, et requireret Deum ;* tunc e cœlo venisse medi-

(1) Nyss. orat. de nat. Chr. tom. 2. pag. 773. Ὅτι ὁ μέλλων ἐπὶ καθαιρέσει τῆς κακίας τῷ ἀνθρωπίνῳ καταμίγνυσθαι βίῳ, ἀναγκαίως πᾶσαν ἀνέμεινε τὴν παρὰ τοῦ ἐχθροῦ ῥιζωθεῖσαν ἁμαρτίαν ἀναβλαστῆσαι. Εἶθ' οὕτως ἐπήγαγε, καθώς φησι τὸ Εὐαγγέλιον, τὴν ἀξίνην τῇ ῥίζῃ. Καὶ γὰρ τῶν ἰατρῶν οἱ τῇ τέχνῃ προέχοντες, ἔνδοθεν ἔτι τὸ σῶμα τοῦ πυρετοῦ διασμύχοντος, καὶ κατ' ὀλίγον ὑπὸ τῶν νοσοποιῶν αἰτίων ἐξαπτομένου, ἐνδιδόασι τῷ ἀῤῥωστήματι, μέχρις ἂν εἰς ἀκμὴν προέλθῃ τὸ πάθος, οὐδεμίαν ἐκ τῶν σιτίων ἐπάγοντες τῷ ἀσθενοῦντι βοήθειαν. Ἐπειδὰν δὲ στάσιμον γένηται τὸ κακὸν, τότε τὴν τέχνην ἐπάγουσιν, ἐκφανείσης πάσης τῆς νόσου.

[1] Conc. 20. in Ps. 118. pag. 564. A. 2.

[2] Ambr. de Benedict. Patr. c. 11. — [3] Mat. 3. — [4] Ps. 13.

cum, et sospitatorem Dei Filium. Qui totus Gregorii locus descriptus est a Pseudocyrillo in libro contra Anthropomorphitas [1], quæ est farrago quædam variorum excerptorum, Cyrilli mentita nomen.

III. Idem præterea tradidit in epistola ad Theophilum, adversus Apollinarem : ubi (1) variis modis apparuisse Dei filium asserit ab initio rerum, pro eorum captu, quibus se offerebat, et virium modulo. Nam præstantiorem, Deoque congruentiorem iis objectam esse visionem, qui excelsitatem illam assequi poterant: minorem autem, longeque inferiorem iis, qui majori capiendæ non erant idonei. Tandem ergo, postquam [2] *omnes declinaverunt, et inutiles facti sunt*, ac magis, ut ita dixerim, carnales homines; eumdem se Dei filium ad illorum usum, et conditionem accommodasse, carnemque fieri voluisse, et exinanisse se. Etenim deteriorem fuisse generationem illam superioribus omnibus, quam adventu suo illustravit Dominus, ex eo probat, quod in Evangelio ipse dixit [3] : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista : et condemnabunt eam*, etc. Hæc Gregorius Nyssenus.

Theodoretus vero id quod est Gregorii Nysseni opinioni consentaneum, ad eamdem quæstionem expromit, adversus gentiles tarditatem Incarnationis exprobrantes. « (2) Quod si illud objicitis, *inquit*, cur tandem non id olim omnium rerum conditor fecit ? Reprehendite, si potestis, medicos, quod valentiora medicamenta postremo loco reservent. Nam lenibus usi antea, fortiora postmodum adhibent. » Subjicit deinde priora illa, et parabiliora remedia, quibus humano generi subvenire conatus est, mundi rerumque conditarum usum, et aspectum ; Legem deinde, ac Prophetas. « (3) Secundum quæ præpotens, et salutare illud pharmacum obtulit, quo morbum propulsavit. » Tertullianus in Scorpiaci capite 5. « Sed Dominus, inquit ad eamdem sententiam, sustentata fervura delicti, donec tempore medicina temperaretur, paulatim remedia composuit, omnes fidei disciplinas, et ipsas æmulas vitio, verbum mortis verbo vitæ rescindentes, auditum transgressionis auditu devotionis limantes. »

IV. Augustinus tract. 31. in Joan. « Multi dicunt, quare non ante venit Christus ? *inquit*. Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora. Sciebat enim quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum, et annorum prædicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat. »

Item in Epistola 49. quæstioni secundæ respondens, cur adventum suum tandiu distulit : suspicatur, « tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí. His enim temporibus, et his locis, quibus Evangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt, etc. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis noverat, ut eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat ? » Quæ Augustini ratio cum superiore illa consentit Eusebii, quæ priorum temporum corruptelam obstitisse statuit, ne tum Christus adveniret. Vide quæ de illo loco epistolæ suæ 49. disputat idem Augustinus [4] contra Pelagianorum reliquias, illius verbis abutentes.

V. At idem interrogatus alias [5], « Quare tanto post venit Dominus Jesus Christus, » quasdam velut ætates discernit humani generis, maxime pueritiam, quæ primis mundi temporibus convenit, et juventutem, quæ posteriora continet. Nec oportuit, *inquit*, venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Ad hoc

(1) Nyss. tom. 2. pag. 695. Οἰόμεθα γὰρ ὅτι κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἑκάστου δυνάμεως τῶν δεχομένων τὴν θείαν ἐπιφάνειαν, ἀεὶ γέγονε τῆς ὑπερεχούσης φύσεως ἡ ὀπτασία, μείζων μὲν, καὶ θεοπρεπεστέρα τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τοῦ ὕψους· ἐλάττων δὲ καὶ σμικροπρεπεστέρα τοῖς ἀχωρήτοις τοῦ μείζονος, etc.

(2) Theod. ser. 6. con. Gr. tom. 4. pag. 579. D. Εἰ δέ φατε, τί δήποτε μὴ πάλαι τοῦτο δέδρακεν ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς ; ἐπιπέμψασθε καὶ τοῖς ἰατροῖς, ὅτι ἔσχατα φυλάττουσι τῶν φαρμάκων τὰ ἰσχυρότερα· τοῖς γὰρ ἠπίοις πρότερον κεχρημένοι, τα δυνατώτερα προσφέρουσιν ὕστερον,

(3) Ibid. pag. 580. Ἕτερον τὸ παναλκὲς τοῦτο, καὶ σωτήριον προσενήνοχε φάρμακον, καὶ τὴν νόσον ἐξήλασε.

[1] Cap. 24. et seq. — [2] Ps. 52. 4. — [3] Mat. 12. 41. et Luc. 11. 31.

[4] Lib. de Præd. sanc. c. 9. et 2. Retr. 31. — [5] L. 83. qu. p. 44. tom. 4. ut refert in 1. Retrac. c. 26.

valet quod Apostolus dicit: Sub lege, tanquam sub pædagogo, parvulos custoditos, donec veniret cui servabatur, qui per prophetas promissus erat. »

Quod autem in primo libro de Genesi contra Manichæos [1], humanum itidem genus in certas partitus ætates, quinta ex iis, hoc est media inter juventutem et senectutem, aut etiam in senectute ipsa, ut in Retractationibus dicit, Christum advenisse scripserat, id sic explicat in iisdem Retractationibus, ut eadem ætas et juventus, et senectus appellari possit. « Potest enim intelligi utrumque in universitate hominum, quod non potest in ætatibus singulorum. Sicut in corpore non potest esse simul et juventus, et senectus; in animo autem potest: illa propter alacritatem; ista propter gravitatem. »

VI. Auctor libri Quæstionum ex novo Testamento qui inter Augustini opera cusus est [2], varias causas explicat tardioris adventus Christi: hanc vero præsertim; tunc eum venisse, quando scivit gratum fore beneficium: hoc est quando mortales morbi ac periculi sui sensum capientes, quem et ex mali sui experientia, et ex lege, aliisque documentis hauserant, remedii necessitatem melius intelligerent, et oblatum cupidius arriperent. Hanc etiam Leo papa tarditatis illius causam affert: « Ut hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis efficeret, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum: et nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus et antiquior præcessisset, et recentior. »

Apud Euthymium inter varias sententias de incarnatione Christi ex antiquis Patribus decerptas, una est, quæ causam aliam continet, ob quam illo potissimum, quo contigit, tempore facta est Incarnatio. « (1) Olim, *inquit*, ante mundi constitutionem prædestinata fuerat incarnatio Dei: verum usque ad sanctissimam Mariam, nondum Incarnatione digna inventa erat officina. Quæ simul atque est inventa, tunc demum incarnatus est. » Quo etiam allusisse videtur Basilius in homilia de Natali Christi: ubi rationes exquirens, cur de virgine viro desponsa natus sit Dominus, hanc inter alias exponit: « (2) Quoniam, *inquit*, incarnationi Dominicæ idoneum tempus advenerat, olim prædestinatum, et ordinatum, quo tempore Spiritum sanctum, et Altissimi virtutem oportebat deiferam illam formare carnem. Cum autem integritati Mariæ parem hominum ætas illa nullam haberet, quæ operationem Spiritus exciperet: ac tunc eadem illa desponsatione esset occupata, electa est beata Virgo: cujus virginitas nullum ex ista desponsatione detrimentum accepit. » Quæ verba Nicetas Serrarum episcopus in catenam suam transtulit in Matthæum editam [3].

VII. Superest caput alterum de duobus, quæ initio proposui, an ita conveniens, aut etiam necesse fuerit ad liberandos a peccato, et servandos homines, carnem a Deo suscipi, ut etsi peccatum non esset, nihilominus incarnatus fuisset. Hæc quæstio fuse, magnaque contentione disputatur in scholis. Sed nos, altercatione semota, quæ in antiquiore Theologia hoc loco nulla est, paucis illam explanabimus. Mihi idem, quod et S. Thomæ Aquinati [4], in hac qualicumque controversia placet; sic ad remedium humani generis, ac peccatorum expiationem, Dei Filium cum carne venisse, ut, si nemo peccasset, venturus omnino non fuerit. Quod eo sensu defendimus, uti nullam significationem nec ullum documentum capi dicamus, sive ex litteris sacris, sive ex aliis theologicorum decretorum regulis, unde aliud affirmare prudenter liceat. Nam ignotis de rebus, et in occulta Dei potestate, ac voluntate latentibus, quæ nullis indiciis proditæ sunt, temere vaticinari, non est considerati hominis, nedum perfecti sapientis, qualem esse, studio saltem et conatu, theologum oportet. Atqui,

(1) Euth. Panop. par. 1. tit. 7. pag. 142. lat. edit. Πάλαι μὲν, πρὸ καταβολῆς κόσμου, προωρίσθη ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησις· οὕπω δὲ μέχρι τῆς παναγίας Μαρίας ἄξιον εὑρέθη τῆς ἐνανθρωπήσεως ἐργαστήριον· ὅτε οὖν εὑρέθη, τότε ἐνηνθρώπησε.

(2) Basil. hom. 25. de nativ. Dom. tom. 1. pag. 588. Ὅτι ὁ ἐπιτήδειος πρὸς τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ Κυρίου καιρὸς πάλαι προωρισμένος, καὶ προδιατεταγμένος ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, τότε ἐνειστήκει, καθ' ὃν ἔδει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ὑψίστου τὴν θεοφόρον ἐκείνην συστήσασθαι σάρκα. Ἐπειδὴ δὲ ὁμότιμον τῆς καθαρότητος Μαρίας οὐκ εἶχεν ἡ κατ' ἐκείνην γενεὰ τῶν ἀνθρώπων, ὥστε ἐνέργειαν τοῦ Πνεύματος ὑποδέξασθαι, προκατειλήπτο δὲ διὰ τὴν μαστείαν, ἐξελέγη ἡ μακαρία παρθένος, μηδὲν τῆς παρθενίας ἐκ τῆς μνηστείας παραβλαβείσης.

[1] Cap. 14. tom. 2. p. 352. — [2] Qu. 83. in Append. tom. 4. p. 443. et in alio libro qu. 58. p. 488.

[3] Nicet. p. 20. — [4] Par. 3. qu. 1. art. 3.

quantum ex Scripturis divinis de tanto Dei beneficio scire, ac colligere fas est, nihil aliud assequimur : nisi hac una de causa missum esse Dei filium a Patre, ut hominem peccati, ac diaboli oppressum jugo liberaret, eique gratiam impertiret ac salutem. [1] *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.* Item [2], *Fidelis sermo, et omni acceptatione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et [3], *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alia generis ejusdem ac sententiæ pene innumerabilia. Quibus et synodorum omnium generalium decreta subscribunt [4], quæ Filium Dei testantur, *propter nos homines, et propter nostram salutem descendisse de cœlo, et hominem esse factum.* Divinare est ergo, comminisci causam aliam adventus illius, et susceptæ carnis, præter hanc, quam unicam tot illa fidei oracula, et cœlestia responsa personant.

VIII. Addamus his veterum aliquot testimonia Patrum, quæ idipsum persuadeant. Ex quibus disertissime omnium Irenæus libro 5. capite 14. « Si non haberet, *inquit*, caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. » Item Athanasius in oratione tertia contra Arianos [5] : qui Scripturam sacram admonet aliter loqui, cum de divinis Filii proprietatibus disserit, quam cum de iis agit, quæ ad assumptam hominis naturam pertinent. In illis enim causas non annectere dictorum. Ut cum ita loquitur [6] : *In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum.* Et [7], *Qui cum sit splendor substantiæ ejus*, etc. Hæc enim absolute dicuntur, causa nulla subjecta. At cum aliquid commemorat ad inferiorem naturam, carnemque spectans, subinde aliud adjungit, quod illius significationem habeat. Ita postquam scripsit Apostolus de Christo [8], *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, etc. statim adjicit : *Humiliavit semetipsum, factus obediens*, etc. « (1) Necesse est enim, ait Athanasius, causam illius præcedere, sine qua ne ipse quidem extitisset, etc. » Tum paulo post : « (2) Nam humanæ naturæ susceptionem antecedit hominum necessitas, sine qua carnem non induisset. » Quibus latius explanatis, iterum hoc adtexit : « (3) Quod autem homo est factus, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset. » Idipsum etiam significat in libro de Incarnatione non longe ab initio [9]. Gregorius Nazianzenus oratione trigesima sexta : « (4) Quænam, *inquit*, humanæ propter nos susceptæ naturæ causa extitit? Nempe ut nos omnes salutem adipisceremur. Quid enim aliud afferri potest? » Cui consonat Andreas Cretensis homil. 1. de Exaltat. Crucis, « (5) Nisi Crux, *inquit*, fuisset, Christus in terra versatus non esset. »

IX. Cyrillus item Alexandrinus in lib. 15. Thesaurorum, causam explicans, ob quam in Christo prædestinati sumus, et in filios adoptati, non obscure demonstrat, humanæ duntaxat recuperandæ salutis gratia constitutam a Deo Incarnationem fuisse. Etenim de illis agens Salomonis verbis, ut in græco leguntur : (6) *Dominus creavit me initium viarum suarum, in opera sua : ante seculum fundavit me;* Arianos refellit, qui de divina Filii natura locum illum capiebant. Ipse vero de assumpta humanitate prorsus intelligendum asserit; (7) ad quam suscipiendam destinatus idem est ille Dei filius ante mundi constitutionem; ut homo, quem in peccatum esse lapsurum præsciret Deus, paratum haberet remedium, cujus beneficio reconciliationem, et adoptionem obtineret. Quocirca antiquius esse peccato, ac maledicto idem istud remedium Cyrillus ait; quia prius a Deo provisum ac præfinitum fuit, et in destinatione divina

(1) ATHAN. pag. 228. Ἀνάγκη γὰρ προηγεῖσθαι τὴν αἰτίαν τούτου, ἧς ἄνευ, οὐκ ἂν οὐδὲ αὐτὸς ἐγεγόνει, etc.

(2) Ibid. Προηγεῖται γὰρ τοῦ γενέσθαι αὐτὸν ἄνθρωπον, ἡ τῶν ἀνθρώπων χρεία, ἧς ἄνευ οὐκ ἂν ἐνεδύσατο σάρκα.

(3) Ibid. pag. 230. Τὸ δὲ γενέσθαι αὐτὸν ἄνθρωπον, οὐκ ἂν ἐγένετο, εἰ μὴ τῶν ἀνθρώπων ἡ χρεία γέγονεν αἰτία.

(4) NAZIANZ. pag. 578. Τίς δὲ τῆς ἀνθρωπότητος, ἣν δι' ἡμᾶς ὑπέστη Θεὸς, αἰτία; τὸ σωθῆναι πάντας ἡμᾶς. Τί γὰρ ἕτερον;

(5) ANDR. pag. 99. Εἰ μὴ σταυρὸς, οὐκ ἂν ὁ Χριστὸς ἐπὶ γῆς.

(6) PROV. 8. 22. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με.

(7) CYRILL. lib. 15. Thes. pag. 174. Ἵν' ὅταν συμβῇ πεσεῖν εἰς θάνατον διὰ τὴν παράβασιν, ὥσπερ ἐξ ἀρχαίας ῥίζης πάλιν εἰς ζωὴν ἀναβλαστήσῃ, etc. προθεμελιοῦται τοίνυν ἡμῶν ὁ Χριστὸς καὶ ἐν αὐτῷ πάντες ἡμεῖς ἐποικοδομούμεθα, καὶ τοῦτο πρὸ καταβολῆς κόσμου, κατὰ πρόγνωσιν τοῦ πάντα εἰδότος Θεοῦ ἵνα, καθάπερ προείπομεν, ἀρχαιοτέραν ἔχωμεν τῆς κατάρας τὴν εὐλογίαν, καὶ τῆς εἰς τὸν θάνατον καταδίκης, τὴν εἰς ζωὴν ὑπόσχεσιν.

[1] Luc. 19. — [2] 1. Tim. 1. — [3] Joan. 3. — [4] Nic. Const. etc. — [5] Pag. 228. — [6] Joan. 1. — [7] Heb. 1. — [8] Phil. 2. 7. — [9] Ath. de Inc. pag. 40.

extitit, quam reipsa peccatum esset admissum. Confert enim morbi medicinam, quæ æterna Dei providentia, ex omni æternitate fixa, et ordinata est, cum hominis lapsu, et humani clade generis, reipsa, et, ut vulgo loquuntur, actu commissa : non amborum prænotiones, ac prædestinationes inter se comparat : ut perperam nonnulli putant : quos totus ille locus, et orationis contextus arguit. Hinc autem evidens est, ex Cyrilli sententia, unicam causam destinatæ a Deo Incarnationis fuisse peccatum, ac naturæ lapsum ; qui in Dei prævisione prius quodammodo fuit, quam remedii procuratio : tametsi hujus destinatio, illius *actualem*, ut vocant, *extantiam* antecessit.

X. Nec obstare credendum est, quod ibidem Cyrillus prolapsionem hominis, non tanquam revera factam præscientiæ illi divinæ subjici, sed quasi eventu dubio suspensam, cum sic scribit : Quemadmodum architectus sciens ædificium, quod molitur, variis ex causis ruere posse, diligenter providet, ac solidum, firmumque fundamentum jacit : ut si quo forsitan casu domus labefactata concidat, salva fundamenti structura, facilius instaurari possit : « (1) Eodem modo conditor omnium, salutis nostræ fundamentum posuit Christum etiam ante mundi creationem : ut cum illam per peccatum everti contigerit, in ipso rursus instauremur. » Non debet, inquam, ex eo colligi, Deum absolute, vel alium quempiam in finem, decrevisse filium suum hominem fieri, ac velut secundo loco providisse, ut idem ille præsto esset ad medendum humanæ naturæ morbis ac vulneribus, si quid forte interim accidisset. Verum similitudinis illius πρότασις ut vocant, ex architecto sumpta, communi usui hominum ac moribus servit. Nec enim certo prænoscunt artifices, quid futurum sit. Itaque in omnem eventum operis sui perpetuitati consulunt. Deus autem, cui ventura ex omni æternitate præsentia sunt, non ante Christum mittere statuit, quam futuram generis nostri calamitatem prævidit. Quare divinum consilium ac propositum, quod ante secula fixit Deus, de filio suo ad salutem hominum allegando, cum peccato ipso, et hominum exitio jam in tempore facto, et existente comparat Cyrillus : idque ex libri illius clausula constat, quam his verbis terminat, « (2) Quantum igitur attinet ad voluntatem, et propositum Patris, etiam ante seculum fundatur Christus : at opus ipsum suo tempore perfectum est, ita exigente rei necessitate. »

XI. Sic Origenes in homilia 24. in Numeros : ubi non hoc solum asserit, « Si non fuisset peccatum, non necesse fuisse, Filium Dei agnum fieri, nec opus fuisse, eum in carne positum jugulari : » quod de Christo passioni, mortique obnoxio dictum esse, qui contra sentiunt, excipere possent. Verum hoc absolutum subjicit, et abhorrens ab ista interpretandi calumnia : « Sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum. » Quibus verbis indicat, nihil præter divinam naturam habiturum fuisse Dei Filium, « nisi peccati necessitas propitiationem requisisset, quæ nonnisi per hostiam fit. » Cui simillimum illud est, Ambrosii in libro de Incarnatione, capite sexto : « Didicistis igitur, quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur ? » Ex quo colligitur eodem, id est absoluto sensu ceterorum quoque dicta veterum intelligenda esse, qui unicam hanc veniendi causam habuisse Dei Filium affirmant, ut peccata hominum deleret. Ut cum Augustinus ita scribit [1] : « Deus fecit hominem, substantiam fecit : atque utinam maneret in eo quod Deus fecit. Si maneret homo in eo quod Deus fecit, non ille infixus esset quem Deus genuit. Porro autem quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est, etc. venit Filius Dei ad limum profundi, et infixus est. » Hoc enim universe est accipiendum, et de qualicumque suscipiendæ carnis genere : maxime cum aliis in locis simpliciter ac generatim illud exprimat. Ut ad Psalmum 36. [2] « Si tu homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. » Item alio in loco : [3] « Attende Evangelium. Venit enim filius hominis quærere, et salvare quod perierat. Si homo non perisset, filius hominis non venisset. Ergo perierat homo : venit Deus homo, et inventus est homo. » Tum postea [4] : « Quare venit in mundum ? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum. Non eum de cœlo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt.

(1) CYRILL. ibid. pag. 175. Τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ὁ πάντων δημιουργὸς, τῆς ἡμετέρας σωτηρίας, προεθεμελίωσε τὸν Χριστὸν, καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου κατασκευῆς· ἵν' ἐπειδή περ συμβῇ πεσεῖν διὰ τὴν παράβασιν, αὖθις ἀναστισθῶμεν ἐπ' αὐτῷ.

(2) CYRILL. ibid. pag. 175. Ὅσον μὲν οὖν εἰς βουλήν τε, καὶ πρόθεσιν τοῦ Πατρὸς, καὶ πρὸ τοῦ αἰῶνος θεμελιοῦται Χριστός· τὸ δέ γε ἔργον οἰκείῳ γέγονε καιρῷ, οὕτως ἀπαιτούσης τῆς χρείας τοῦ πράγματος.

[1] In Psal. 68. p. 295. A. 1. — [2] Conc. 2. pag. 118. C. 1.

[3] Serm. 8. de verbis Apost. c. 2. — [4] Ibid. c. 7.

Hæc est causa cur veniret : peccatores salvos facere. » Vide Tertullianum libro de carne Christi, capite 14.

XII. Idem et Leonis papæ sensus est, ita scribentis[1] : « Si enim homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret : neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam servi, et similitudinem carnis peccati assumeret ; » necnon Gregorii itidem papæ[2] ; et illorum, quos testes citatos a plerisque video. His accedit Petrus Cellensis abbas : qui in libro de Panibus[3], « Non inclinaret, *inquit*, cœlos partus virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Evæ tactus temerarius. » Rupertus quoque Tuitiensis, Christum alloquens[4], « Et siquidem, *inquit*, multum tibi debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es : at tu e contra multum nobis debes, homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset, etc. Nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis. » Idem etiam indicat lib. 14. in Matthæum[5]. Quanquam alibi Rupertus contrarium docet[6] : nimirum « cum etiam citra peccatum sancti et electi nascituri fuerint secundum propositum Dei, absurdum esse putare, quod propter eos, ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit. » Quod idem de Christo « capite et rege omnium electorum, angelorum et hominum, sentiendum » esse dicit ; « ut ipse maxime causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis habiturus cum filiis hominum. » Atque hoc ille probare conatur ex his Salomonis verbis[7] : *Dominus possedit me initio viarum suarum*, etc. quæ sic accipit, tanquam ante omnia destinatus fuerit Christus, sive Deus homo in divino consilio, ac proposito : quod *tantæ charitatis propositum non evacuavit ex adverso veniens peccatum*, etc. Verum hæc Ruperti ratio firma non est, et falsa loci illius e Proverbiis interpretatione nititur : de quo alio in loco dixi[8]. Omnino vero prædestinatio illa sanctorum, quæ reipsa facta est a Deo, non aliter designata est, quam proviso, ordinatoque peccato ; adeoque Christi incarnatione constituta. Cujusmodi autem alterius conditio futura esset, si non peccati labes intercessisset, non est divinare nostrum. Itaque missam illam facimus : nec de incognitis, et incertis Dei consiliis ludicram ac temerariam sententiam dicimus.

[1] Serm. 3. de Pent. — [2] In lib. 4. Reg. col. 290. A. — [3] Tom. 9. Bibl. PP. col. 834. D. — [4] Lib. 2. de Oper. Spir. S. c. 6. tom. 4. p. 564.

[5] Rup. tom. 2. p. 129. — [6] Lib. 13. de glor. et hon. fil. hom. tom. 2. p. 129. A. 1. — [7] Prov. 8. — [8] Lib. 2. de Trin. c. 1.

LIBER TERTIUS.

IN QUO DE NATURARUM DUARUM CONJUNCTIONE, SIVE UNITIONE AGITUR.

—

CAPUT PRIMUM.

1. De unitione duarum in Christo naturarum, an de ea disputandum. — 2. quatenus id sit agendum. — 3. Unitionis notio ex professione catholici dogmatis statim occurit. — 4. Hujus definitio, et ratio ex uno sumpta. — 5. Variæ ejusdem species ex antiquis Patribus. — 7. Ejus, quæ Incarnationis propria est, diversa nomina.

I. Quod est institutæ hoc in opere disputationis præcipuum; de duarum conjunctione naturarum deinceps agemus, quam ἕνωσιν Græci, *unionem* vulgo latinæ scholæ nominant. Hæc enim velut forma, vel, ut eædem istæ loqui solent, *causa* est *formalis* Incarnationis : in qua caput et cardo vertitur omnium controversiarum, quæ in hoc mysterio tum plures, quam in ceteris, tum graviores, et molestiores extiterunt, ut Leontius adnotavit [1], doctus, et subtilis theologus, qui hoc insuper animadvertit : in istiusmodi tractatione «non de vocibus nobis esse disceptationem, sed de ipsis rebus, et harum unione, et naturali cohæsione. »

Neque vero illius ab rei inquisitione veterum nos absterreri quibusdam dictis oportet, quæ acrius ista scrutari prohibent : imprimisque Cyrilli, qui « (1) modum incarnationis, sive unitionis Verbi cum terrena carne curiose indagare, detrimenti expers esse » negat. « Siquidem quod mentem, et rationem excedit, id semper disquisitione præstantius est, nec se quæstionibus subjici patitur. » Etenim « (2) concurrerunt occulto quodam modo, cujusmodi neque mente capere, neque verbis explicare quisquam potest, ait idem alio loco, divinitas simul, et humanitas, ad aliquid constituendum, quod unum esse deinceps intelligitur. »

II. Gregorius item Nyssenus in libro Catechetico, (3) rem ipsam ita fide complecti jubet, ut ne scrutari quisquam audeat, quomodo ea facta sit : cum hoc sit ratione omni et cogitatione præstantius. Sic Hippolytus in libro contra Beronem, « (4) unitionem illam, qua duæ naturæ in unam hypostasim coaluerunt, ineffabilem, et irruptam » asserit, « omnem penitus creatæ cujuslibet rei cognitionem effugere. » Quibus et Theodoretus suffragatur in dialogo secundo [2].

Latius hoc Paulinus Aquileiensis exequitur initio libri tertii contra Felicem Urgelitanum [3]; et Gregorii papæ, atque Hieronymi testimoniis affirmat, non debere nos curiosius inquirere in hæc arcana omnipotentiæ divinæ : sed simplici fide esse contentos.

Verum eatenus hoc tam iste, quam ceteri præscribunt, ut, quod idem ex Gregorio Paulinus præcipit, « non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit : tum ut ne Dei omnipotentis, humanæque naturæ ineffabilem conjunctionem comprehendere posse nos intelligendo putemus; » quod ibidem de suo Paulinus adjecit.

(1) Cyr. Pasch. 16. tom. 4. pag. 221. Καὶ τίς μὲν ὁ τρόπος τῆς οἰκονομίας, ἤτοι τῆς ἑνώσεως τοῦ Λόγου, πρὸς τὸ ἀπὸ γῆς σαρκίον, πολυπραγμονεῖν, οὐκ ἀζήμιον. Τὸ γὰρ ὑπὲρ νοῦν, καὶ λόγον βασάνου κρεῖττον ἀεὶ, καὶ ὑποφέρεσθαι ταῖς ἐρεύναις οὐκ ἀξιοῖ.

(2) Id. Pasch. 17. pag. 227. Συνδεδραμήκασι γὰρ ἀποῤῥήτως, καὶ ὡς οὐκ ἂν ἔχοι τις ἢ νοεῖν, ἢ φράσαι, πρὸς ἕν τι λοιπὸν τὸ νοούμενον, θεότης τε ὁμοῦ, καὶ ἀνθρωπότης.

(3) Nyssen. Cat. cap. 11. Τὸ δὲ πῶς, ὡς μεῖζον ἡ κατὰ λογισμῶν ἔφεδρον διερευνᾶν παραιτούμεθα.

(4) Hippol. in coll. Anast. pag. 211. Καὶ ἄῤῥητός τις, καὶ ἄῤῥηκτος εἰς μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτέρων γέγονεν ἕνωσις, πᾶσαν παντὸς γεννητοῦ παντελῶς διαφεύγουσα γνῶσιν.

[1] Lib. 3. cont. Nest. et Euth. tom. 4. Bibl. col. 1010. E. et 1011. A.

[2] Dial. 2. p. 67. — [3] Tom. 4. Bibl. PP. Par. 2. col. 29.

In quo minime sane prætereunda videtur Leontii prudens, et utilis animadversio, qui hoc admonet; sub hac simplicis, et sinceræ fidei commendatione, quæ citra rationem, et subtiliorem inquisitionem catholicorum dogmatum, tantummodo credendi officium exigit, hæreticam posse fraudem subesse. Sæpe enim hostes Ecclesiæ ob id enucleatam, et limatam de Christianis mysteriis theologorum disputationem damnare, ac defugere; ne acriori pervestigatione tum insidiosus ipsorum deprehendatur error; tum hujus inimicæ veritati summa fiat indidem lucis, ac roboris accessio. Atque hoc ipsum Leontius de illa, quam explanare aggredimur, unitione naturarum agens, commodum observat; ut vel ad institutum nostrum approbandum, opportune hic illius verba, quod licet, hoc est latine versa reddantur.

« Quandoquidem universum bellum, *ait*, motum est de modo unionis, quem plerique ignorant, et idcirco omnibus in dubium venit; de hac unione philosophari oportet, ut scire possimus, utrum de hoc ipso dissentiamus: an vero nobis de hoc consentientibus, quæstio sit quid efficiat unio; et utrum de rebus ipsis sit controversia; an de vocibus res ipsas significantibus. Sic enim quæstione distincte habita, et veritate rerum ostensa, qui imperite, aut impie contradicit, patefiet, vel corrigendus, vel in judicio vituperandus. Unionem divinitatis cum humanitate alii secundum substantiam factam esse affirmarunt; alii secundum energiam; alii secundum voluntatem. Sunt autem qui nimiam reverentiam in Deum vel habentes, vel simulantes, nullo ex his modo factam esse dixerunt, sed ineffabilem esse, et carere nomine affirmarunt: sive ita haberent, sive non, metuebant certe, ne impietatis arguerentur. Vidimus enim etiam nunc quosdam, qui cum notionem unionis valde expressam, et tritam haberent, ἄῤῥητον, id est ineffabilem eam vocabant; ut non solum contrario contrarium efficerent, id est dicendo esse ineffabilem, vulgatam facerent: sed ut argumenta, quibus redarguerentur, effugerent; sicut alii sane, ut carnem Domini magis ficte apparere, quam in ea confusionem factam esse, defendere studerent, incarnatum esse ut voluit, et ut ipse novit, aiebant. Non enim ut hæc probent, ad reverentiam revera a reverentia alienam se conferunt; alioqui veritas hos ad lumen suum adduceret: sed ut licenter impietate abutantur, ad honesta nomina, tanquam ad propugnaculum quoddam validum, et inexpugnabile confugiunt. »

Sic auctor ille opusculorum quorumdam adversus Eutychianos, et Apollinaristas, quæ inter Athanasii opera leguntur, et Theodoreti esse videntur, ut alibi dixi, (1) eorumdem hæreticorum tergiversationem arguit; qui in fidei catholicæ dogmata vehementius inquiri vetabant, sed sola crēdulitate contentos esse oportere dicebant: quod et propria cuique fides sufficeret, et quæstionibus ejusmodi veritas magis obscura redderetur.

Verum nihil hæc et horum similia prohibere possunt, quominus de unitione ista laudabiliter, et fructuose disputent catholici theologi, itidem ut de Incarnatione ipsa, reliquisque fidei capitibus; non ut ea penitus explorata, perspectaque tenere se posse confidant; sed ut tantum assequantur, quantum per Scripturas, et Ecclesiæ magisterium doceri, et intelligere nos Deus ipse voluerit.

III. Ex quibus Christianæ pietatis, ac fidei regulis hoc imprimis habemus, quod libro superiore, capite secundo declaratum est; Filium Dei hominem nostra causa ita esse factum, ut ex utraque natura unus extiterit Christus, verus et perfectus Deus, itemque homo verus, et perfectus. Duæ quippe in eadem persona naturæ subsistunt, sine ulla confusione, vel alterius extinctione: quod ita Græci concipere solent, uti sexta Synodus in fidei definitione: (2) *Unum, et eumdem Christum Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis, inconfuse, inconvertibiliter, indivise cognoscendum.* Hoc vero neque fieri, nec animo percipi aliter potest, quam ut duæ quædam res mutuo sibi conjunctæ, et, ut trito jam, ac necessario utar nomine, *unitæ* cogitentur. Quare conjunctio, et *unio* aliqua, vel *unitio* statim occurrit, sive nexus, ac vinculum, quo naturæ illæ duæ utique diversæ copulantur. De hac naturarum junctione propositum est agere: et ut recta ineatur ratio, ab ipso rei vocabulo, ejusque significatione auspicari placet.

(1) ATH. tom. 2. pag. 248. Ἡμῖν δὲ ἰτέον πρὸς τὰ ἑξῆς, καὶ ἐξελεγκτέον τὴν τόλμαν τῶν περιττὴν εἶναι τὴν περὶ τὰς ἁγίας γραφὰς ἀποφαινομένων διατριβὴν, ὡς ἀρκούσης ἑκάστῳ τῆς οἰκείας πίστεως, καὶ μᾶλλον ἀσάφειαν ἐμποιούσης ἡμῖν τῆς ζητήσεως.

(2) Sex. Syn. act. 18. pag. 259. Ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν Υἱὸν Κύριον μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίστως, ἀδιαιρέτως γνωριζόμενον.

IV. Ea, quam græcum imitati nomen, ἕνωσιν, latini theologi *unitionem* vocant, ab *uno*, vel ab *unitate* deflectitur : et est forma qua unum fit e pluribus. Itaque definitur ab Anastasio Sinaita, ut sit (1) *rerum disjunctarum concursus ad mutuam communionem*. Quam definitionem inde transtulit Euthymius [1], recisa illa notatione nominis, quam magis argute, quam eleganter Anastasius exprompsit, ἕνωσιν ab eo dictam, quod est *in unum compellere*. Brevius apud Theodoretum Eranistes unionem definit, (2) *rerum disjunctarum copulationem*.

Unitionis ergo ratio ex unitate petenda, et explicanda est, hoc est τῆς ἑνώσεως ἀπὸ τοῦ ἑνός. De hac abunde multa scripsi in secundo libro de Deo, capite octavo [2], cum de monade, vel unitate sermonem facerem. Ibi statuimus, auctore Aristotele, τὸ ἓν id esse *quod non est multiplex*. Ex quo sequitur ἑνώσεως proprium esse, unum ex multis efficere. Cum autem unum, vel unitas pluribus modis intelligatur, neque συνωνύμως, sed ὁμωνύμως usurpetur, sicut et τὸ ὄν, quod est ens : hinc etiam ἕνωσις non una, et simplici ratione dicitur. Et varii ab antiquis tam unitatis, quam unionis modi adnotati sunt. Aristoteles quidem in quarto Metaphysicorum [3], de uno late disputat, ejusque plura genera distinguit, quæ ad negotium nostrum minus pertinent : præter hoc, quod « (3) universe *ait* unum vocari, quod divisione caret, quatenus ea caret. » Nunc de unitionis variis modis agemus potius, quando id magis præsentis interest instituti.

Cyrillus Alexandrinus in scholiis de Incarnatione quasdam illius species recenset : velut quam *socialem concordiam* vocat, « (4) qua qui antea voluntate invicem, et affectu discordes erant, in gratiam redeunt. » Item, « (5) Quæ sibi conglutinantur, sine aliis modis copulantur, appositione, mistione, temperatione; » præter quos, alius est multo præstantior qui in Incarnatione cernitur.

Maximus monachus et martyr in opusculo quodam a Turriano latine edito [4], decem unitionis modos enumerat : cujus verba Euthymius excerpsit in Panoplia, sed non eodem ordine, quo ex Turriano sunt edita. Quam utrum Euthymius inverterit, an Turrianus, mihi non liquet; apud hunc quidem melior est, quam apud illum, et naturæ magis consentaneus. Nos quia Euthymii græca præ manibus habebamus, non Maximi, cum neutra hactenus lucem viderint; ex Euthymio describemus, ac si quid discriminis inter utrumque sit, in singulis enucleandis generibus postmodum adnotabimus.

« (6) Unitio, inquit Euthymius, est rerum disjunctarum concursus in mutuam communionem; fit autem variis modis : vel temperatione; ut in liquidis, velut vino et aqua : vel accumulatione; ut in aridis, tritico, et hordeo : vel maceratione; ut in humido, et sicco, velut terra et aqua : vel commistione, ut in diversis farinis, vel confusione, ut in his quæ liquefiunt, velut auro, et argento, cera, et pice : vel coagmentatione, ut in lapidibus : vel oppositione, ut in tabulis : vel substantia, ut in individuis, Petro et Paulo, et equis, aut bobus aliquibus, atque animantibus ceteris : vel habitudine, ut in amicis, et in animis in eamdem voluntatem conspirantibus : vel compositione, ut in anima et corpore. Quæ autem in hypostasi fit, ea soli, quæ in Christo est, divinitati, et humanitati competit. »

V. At Anastasius Sinaita quinque unitionis genera facit. Aliam vocat « (7) confusaneam

(1) ANAST. in Ὁδηγῷ pag. 48. Ἕνωσις μὲν ἔστι διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή. Ἕνωσις δὲ εἴρηται διὰ τὸ εἰς ἓν ὦσαι· τουτέστι συνωθῆσαι τὰ πράγματα.

(2) THEOD. dial. 2. pag. 67. Ἡ δέ γε ἕνωσις τὴν τῶν διεστώτων συνάφειαν (δηλοῖ.)

(3) ARIST. 4. Met. cap. 6. Καθόλου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ἢ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται.

(4) CYR. tom. 3. pag. 782. Διῃρημένοι γάρ τινες κατὰ διάθεσιν, καὶ γνώμην, καὶ διχονοοῦντες πρὸς ἀλλήλους ἑνοῦσθαι λέγονται κατὰ συμφασιν φιλικήν.

(5) Ἑνοῦσθαι δέ φαμεν καὶ τὰ ἀλλήλοις κολλώμενα, ἤγουν συνηνωμένα καθ' ἕτερους τρόπους, ἤ κατὰ παράθεσιν, ἢ μίξιν, ἢ κρᾶσιν.

(6) EUTH. Panop. tit. 7. lat. ed. pag. 144. Ἕνωσίς ἐστι διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή· Γίνεται δὲ κατὰ διαφόρους τρόπους· ἢ γὰρ κατὰ κρᾶσιν, ὡς ἐπὶ ὑγρῶν, οἴνου, καὶ ὕδατος· ἢ κατὰ σωρείαν, ὡς ἐπὶ ξηρῶν, σίτου καὶ κριθῆς· ἢ κατὰ φύρσιν, ὡς ἐπὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, γῆς καὶ ὕδατος· ἢ κατὰ ἀνάμιξιν, ὡς ἐπὶ διαφόρων ἀλεύρων· ἢ κατὰ σύγχυσιν, ὡς ἐπὶ τηκτῶν, χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ κηροῦ, καὶ πίσσης· ἢ κατὰ ἁρμονίαν, ὡς ἐπὶ λίθων· ἢ κατὰ παράθεσιν, ὡς ἐπὶ σανίδων· ἢ κατὰ συναλοιφὴν, ὡς ἐπὶ λαμπάδος ἐκ πυρὸς προερχομένης, καὶ αὖθις ἑνουμένης· ἢ κατ' οὐσίαν, ὡς ἐπὶ ἀτόμων, Πέτρου, καὶ Παύλου, ἤ τινων ἵππων, ἢ βοῶν, ἢ ἑτέρων ζώων· ἢ κατὰ σχέσιν, ὡς ἐπὶ φίλων καὶ γνωμῶν εἰς ἓν θέλημα συνερχομένων· ἢ κατὰ σύνθεσιν, ὡς ἐπὶ ψυχῆς, καὶ σώματος· ἢ δὲ καθ' ὑπόστασιν, ἐπὶ μόνης λέγεται τῆς ἐν Χριστῷ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος.

(7) ANAST. Ὁδηγῷ pag. 48. Πενταχῶς δὲ λέγεται ἡ ἕνωσις· συγχυτικὴ, ὡς ἡ τοῦ οἴνου, καὶ τοῦ ὕδατος· διαιρετικὴ, ὡς ἡ ἀνθρώπου πρὸς ἄνθρωπον· σχετικὴ, ὡς τὰ ἔθνη ἐν τῇ πίστει· θετικὴ, ὡς χρυσὸς πρὸς χρυσόν. Ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἕνωσις ὑπὲρ πάσας ταύτας καθ' ὑπόστασιν εἴρηται.

[1] Euth. Pan. Par. 1. Tit. 7. — [2] Tom. 1. — [3] Cap. 6.

[4] Opusc. 12. ex 13. a Turriano edit. pag. 148.

unitionem, ut est vini cum aqua; aliam divisionis effectricem, ut hominis cum homine; (nam cum unum sint specie, numero, et individuis proprietatibus, unio ista distribuitur,) aliam secundum habitudinem, ut gentes unum sunt in fide ; aliam positione, ac situ, ut cum aurum auro apponitur. Super has omnes est unitio in Christo, quæ secundum hypostasim dicitur. »

Joannes quoque Damascenus in Dialectica[1], unionis aliquot species refert ex iis, quas Maximus, et Euthymius tradiderunt : quædam etiam addit explicandi gratia, quæ in singulis declarandis paulo post reddemus. Vide Nemesium capite tertio.

Denique Bernardus unitatis, sive unitionis partitionem instituit sic[2] : « Est unitas, *inquit*, quæ collectiva potest dici, cum, verbi causa, multi lapides faciunt acervum unum. Est et unitas constitutiva, cum multa membra unum corpus, vel multæ partes unum quodcumque totum constituunt. Est et conjugativa, qua fit ut duo jam non duo sint, sed una caro. Et est nativa, qua anima et caro unus nascitur homo. Est unitas potestativa, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed unus sibimet semper nititur inveniri. Est consentanea, cum per charitatem multorum hominum est cor unum, et anima una est. Est et votiva, cum anima votis omnibus adhærens Deo, unus spiritus est. Est et dignativa unitas, qua limus noster a Dei Verbo in unam assumptus est personam. Verum hæc omnia quid ad illud summum, atque, ut ita dicam, unice unum, ubi unitatem consubstantialitas facit? » Quare, uti mox subjicit, « Inter omnia, quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua personæ tres una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua e converso tres substantiæ una in Christi persona sunt. » Cetera unitatum, vel unionum genera eo præstantiora sunt, quo ad illa duo propius pertinent, hoc est quo ea, quibus constant, magis unum sunt, nempe minus a se mutuo separata, atque divisa.

VI. De summa et principali unione, qua divinæ personæ substantia sunt unum, dixi alias[3]. Nunc de ea disputandum, quæ proximo ab illa dignitatis gradu censetur, qua duæ in eadem persona naturæ copulantur. Hanc « (1) arcanam omnino, nec ulli cognitam esse, præterquam soli Deo, » Cyrillus merito prædicat. Ex quo illi contigit, quod excellentes res habent ceteræ, uti plures ac diversas appellationes caperet, cum ejus exprimendis dotibus, ac proprietatibus una satis esse non posset : quod de Deo, qui ob id πολυώνυμος a Patribus vocatur, alias animadvertimus[4]. Horum nominum, quibus ambarum in Christo naturarum conjunctionem græci primum, deinde latini theologi veteres explicare solent, præcipua colligam, quorum in memoriam modo mihi venit : postea si quid in illorum occurrit usu notatione dignum, breviter attingam. Græcis usitata vocabula sunt ejusmodi : Ἕνωσις, σύνοδος, συνδρομή, σύμβασις, σύνθεσις, ευσίωσις, συμφύια, συνάφεια, σύνδεσις, μίξις, κρᾶσις, ἀνάκρασις, σύγκρασις, ἑνότης, ταυτότης. Latinis autem hæc : *Unitio, adunatio, consertio, sociatio, concordia, fœdus, fœderatio, confœderatio, confibulatio, connexio, contextio, concretio, conventio, mistio, commistio, mistura, coaptatio, conversio, conjugatio :* qua voce usus est Augustinus cum dixit[5] : « Tanquam sponsus processit de thalamo suo : id est conjugatum Verbum carni humanæ, processit de utero virginali. »

(1) Cyrill. in schol. de Inc. tom. 5. pag. 782. Ἀπόῤῥητος δὲ παντελῶς, καὶ οὐδενὶ τάχα τῶν ὄντων διεγνωσμένος, πλὴν ὅτι μόνῳ τῷ πάντα εἰδότι Θεῷ.

[1] Cap. 64. pag. 669. — [2] Lib. 5. de Conf. c. 8. — [3] De Deo lib. 2. c. 8. et de Trin. lib. 4. c. 13. — [4] De Deo lib. 8. c. 6. § 10. — [5] Aug. 1. de Con. Evang. c. 30.

CAPUT SECUNDUM.

Nominum, quibus Incarnationis unitio significatur, accurata declaratio. — 1. Ἕνωσις quæ est *unitio*, et quibusdam *unio*; — 2. De Gelasio auctore libri de Duabus naturis obiter. — 3. *Unio* potius *unitatem*, et *singularitatem* denotat, quam conjunctionem. — 5. Σύνοδος, *conventus*, et *conventio*. — 6. Σύμβασις, *compositio*, οὐσίωσις. — 7. Συνάφεια. — 8. Μίξις, et ἀνάκρασις, id est, *mistio*, et *temperatio*, quid sint, et quemadmodum discrepent invicem, ex variis auctoribus exponitur. — 10. Quidam κράσεως nomen abjudicarunt. — 11. non tam abhorrentes a voce, quam ab ejus interpretatione, qua *confusionem* significare creditur, et Eutychianum errorem sapere. — 14. mistionis voce Catholici plerique sunt usi. — 15. Item κράσεως, et similium. — 18. Memorabilis Pselli locus de duplici illo vocabulo.

I. Inter nomina illa, quæ antecedenti capite recensita sunt, tritum imprimis, et usu celebratum est, ἡ ἕνωσις, quod, alioqui commune, Incarnatio sibi proprium fecit: adeo ut Nestoriani ab eo multum abhorrerent, uti postea dicam. Usus est hac voce antiquus auctor Irenæus a Theodoreto citatus: ut cum ait «(1) hominem unitum esse Deo; alioquin participem incorruptibilitatis esse minime potuisse.» Et alibi «(2) adunitionem Verbi Dei ad plasma suum» vocat, ut habet vetus interpres. Athanasius item non uno in loco [1], et Gregorius Nyssenus [2], Cyrillus Alexandrinus [3], Nemesius, Theodoretus [4], Joannes Damascenus [5], ceterique passim. Ac Theodoretus fuse contra hæreticos demonstrat, ἕνωσιν idem esse ac σάρκωσιν. Quanquam τῆς ἐπινοίας, id est *rationis* et *considerationis* interesse discrimen aliquod Joannes Damascenus observat, de quo postea.

Huic latinum respondet nomen *unitio*, pro quo recentiores de Schola theologi *unionem* libentius usurpant: cum prius illud apud latinos Patres sit frequentius. Utrumque tamen Fulgentius adhibuit [6], nisi exscriptorum error in eo versatus sit. «Nullatenus, *inquit*, humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens, atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret. Verbum quippe cum caro fieret, unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit. In qua tamen unitione deifica, et omnino mirabili Verbi Dei, divinitas mutata non est in carnem, etc.» Hic *unionem* suspicor irrepsisse pro *unitione*, quo nomine sæpius utitur Fulgentius tum eodem in libro, tum alibi, ut cum ita scribit [7], «Indissolubilis quippe facta est Verbi et carnis unitio.» Necnon Petrus diaconus in libro de Incarnatione, capite tertio.

II. Et ante hos Leo Magnus sermone octavo de Nativitate, «Incarnationem *ait* esse unitionem divinæ, humanæque naturæ;» necnon Gelasius papa in libro de Duabus naturis, quem Fulgentius idem in testimonium adducit, in responsione illa ad secundam Ferrandi quæstionem [8]. Quod quidem diligenter notari volo propter eruditos quosdam viros, qui librum illum de duabus naturis Gelasio Romano pontifici abjudicantes, Cyziceno illi Gelasio græco scriptori tribuunt. In quo dupliciter peccant. Nam et latini plane, non græci auctoris, opus illud esse argumento est stilus ipse: et ut e græco factus latinus putetur, cuivis potius, meo judicio, vindicandus erit, quam Cyziceno isti Gelasio, scriptori parum probato; quod jam supra me dixisse memini.

Igitur Gelasius papa (ut eum appellant Fulgentius, æqualis qui fuit illius; et qui brevi post eum tempore consecutus est, Joannes secundus Romanus pontifex [9]) unitionis nomen posuit, tum in illo loco, quem Fulgentius exscripsit, tum in aliis ejusdem opusculi; quæ autem apud Fulgentium leguntur, si cum Gelasii ipsius editione contendas [10], totam illam pericopen emendatiorem habere poteris. Usus est et Maxentius, illorum suppar ætati, *unitionis* vocabulo in Professione fidei [11].

III. Unionem porro frequentius ab Latinis accipi videas pro *unitate*, quam pro *unitione*. Ita Gelasius libro de Duabus naturis [12]: «Unitio,

(1) Iren. lib. 3. cap. 20. pag. 284. cit. a Theod. dial. 2. pag. 86. Εἰ μὴ συνηνώθη ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας.

(2) Id. lib. 4. cap. 66. apud Theod. ibid. pag. 87. Τὴν ἕνωσιν τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ πλάσμα αὐτοῦ.

[1] Or. 3. p. 323. et 324. et lib. de uno Chr. p. 519. et 521. — [2] Cit. a Theod. Dial. 2. p. 99 et 100. — [3] In Eph. Syn. p. 16. — [4] Cap. 3. fine Dial. 2. pag. 66. et seq. — [5] Lib. 3. c. 10. p. 207. — [6] Fulgen. lib. de Incarn. c. 4.

[7] Fulgen. Resp. 2. ad Ferrar. p. 221. A. 2. — [8] Pag. 219. — [9] In ep. ad Avienum etc. to. 4. Bib. col. 413. — [10] Ibid. col. 420. — [11] Tom. 4. Bibl. col 436. — [12] Tom. 4. Bibl. col. 420. E.

inquit, est duarum (naturarum), non cujuslibet alterius abolitio. Nam nec dici potest unitio, nisi duarum : alioqui dualitate submota, non unitio potest dici, vel esse, sed unio.» Unionem vocat *unitatem*, sive singularitatem naturæ, quam Eutychiani ex Cyrilli verbis asserebant, dicentis «unam fuisse naturam incarnatam : volentes hoc modo velut ostendere singularem,» ait idem postea Gelasius[1].

Sic Vigilius, qui falso Tridentinus episcopus et martyr inscribitur, in opere illo, quod contra Eutychen scripsit, unionem pro *unitate*, id est *monade* sumpsit : ut cum ita loquitur[2] : «Et quia est in Christo, et naturarum proprietas, et personæ unio, Nestorius proprietatem attendens naturarum, a personæ excidit unione.» Et in eodem libro[3] : «Propter hanc communionem, quam, salva naturarum proprietate, personæ unio præstat.» Ac deinceps sæpius eamdem vocem repetit, dum quid *secundum proprietatem naturæ*, et quid *secundum personæ unionem* dicatur, exponit.

De hac *unionis* voce, significationeque legenda sunt omnino, quæ in quarto[4], et octavo[5] libro de Trinitate scripsi : quo in posteriore[6] Hieronymi locum adnotavi, in quo *unionem* pro *unitione*, id est ἑνώσει, posuisse videtur.

Tertullianus omnibus istis antiquior[7], *unionem divinitatis* pro unitate scripsit, hoc est pro *una divinitate*, quod paulo ante dixerat. Unde et Sabelliani, qui *unionem*, hoc est *singularitatem* naturæ perinde ac personæ in Deo profitebantur, *unionitæ* vocati sunt, ut est apud Prudentium in Apotheosi[8]. Tum in libro primo contra Marcionem, capite quarto, *unionem imperii*, pro *singulari principatu*, id est μοναρχία dicit : et *unionem summi magni ;* quia unum est, et singulare summum magnum. Et capite quinto, «Post duo enim, *inquit*, multitudo, unione jam excessa,» id est singularitate.

IV. Prorsus itaque *unio* est μονότης Græcorum, hoc est *singularitas*, ut interpretatur Ambrosius [9], et ante hunc gallicani episcopi in synodo Parisiensi habita anno 362. [10] qui *unionem divinitatis* negant, *quia unio sit singularis*, et pro ea *unitatem* nominant. Bernardus in sermone ad Psalmum 23. *unionem carnalem*, et *sacramentalem* vocat, quam paulo ante *unitatem* dixerat, quæ tamen singularitas dici non debeat.

Quamvis autem tam *unionem* naturæ divinæ, quam *singularitatem* nonnulli veterum usurpari vetent, ut alias observavimus [11] : utrumque tamen citra erroris periculum ab aliis adhibetur, præsertim *singularitatis* nomen. Nam præter Maxentium, et Anselmum, qui ibidem laudati sunt a nobis : etiam Gregorius M. libro primo, epistola 41. *divinitatis singularitatem* diserte nuncupavit : ubi nihil referre scribit una, an triplici mersione baptismus administretur : « quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari.» Stulte itaque *nomenclator* ille *dæmonum* Biterrensis minister [12], quod ab Epiphanio scriptum est τὸ πᾶν τῆς μονότητος, cum de divinitate loquitur, *singularitatem* recte interpretari negat. Atqui μονότητα *singularitatem* esse latinus pater Ambrosius affirmat, ut paulo ante memini : et divinitatis singularitas ab nonnullis appellatur : quod imperite iste negat. Quemadmodum et in essentia unionem, quod idem esse monstravimus, ac singularitatem, post Tertullianum dixit Francofordiensis synodus[13]. *Unionem namque*, ait, *in essentia confitemur ; Trinitatem vero in personarum discretione prædicamus.*

Sic *naturæ unionem*, id est singularitatem, ex Eutychianorum falsa opinione, dixit, puto, Vigilius in primo contra Eutychen [14]. « Et hic sensus catholicus, *inquit*, naturarum in sese coeuntium unitatem, non naturæ unionem (male unitionem) admittit : dum duabus naturis iisdem manentibus, unus Deus, idemque homo creditur Christus.» Hic *unionem*, non *unitionem* legendum esse, perspicuum est. Ibidem vero *unitatem* pro *unitione* posuit : quemadmodum fieri passim videas apud latinos scriptores, ut apud Leonem sermone 8. de Nativit. « Unde utrique naturæ, *ait*, in suis proprietatibus permanenti, tanta est unitatis facta communio, etc.» Non enim *naturarum* unitas in Christo intelligi aliter potest. Maxentius quoque in dialogo secundo [15] Sabellianam *unionem* pro *unitate* dixit.

Ceterum Latini plerique ἕνωσιν, sive *unitionem*, *adunationem* appellant : ut Vigilius in eodem illo loco.

V. Dicitur et ab Græcis illa eadem *unitio* σύνοδος, ut ab Cyrillo libro 11. in Joannem (1),

(1) Cyrill. pag. 998. Διὰ τῆς ἀφράστου συνόδου τε, καὶ ἑνώσεως.

[1] Col. 421. B.— [2] Vig. lib. 2. tom. 4. Bibl. PP. col. 501. C.— [3] Ib. 502. D. — [4] Cap. 5. § 16. — [5] Cap. 8. § 5. et 6. — [6] § 6. — [7] Tert. lib. de Res. car. c. 2. p. 380. — [8] Ad marg. l. 2. Apot. to. 2. Bibl. p. 523. — [9] Lib. 5. de fide c. 1. — [10] Cit. l. 4. de Trin. c. 5. § 15. et 16. — [11] Lib. 4. de Trin. c. 14. § 11. et lib. 8. c. 8. § 6. — [12] Obs. in Nov. Testa. Par. 1. c. 20. pag. 160. — [13] To. 6. Conc. p. 169. E. 2. — [14] To. 4. Bibl. PP. col. 495. B. — [15] Ibid. 485. C.

ac plerumque addito altero vocabulo τῆς ἑνώσεως, vel εἰς ἕνωσιν. In dialogo de Incarnatione, « (1) Asseveramus, *inquit*, conventum quemdam, et concursum omni ratione superiorem ad unitionem inæqualium, et dissimilium factum esse naturarum : » quæ totidem verbis in Prosphonetico ad Theodosium imperatorem[1] leguntur, ex quo Euthymius in Panoplia illa descripsit[2].

Memorabilis est ad hanc rem ejusdem Cyrilli anathematismus tertius ; in quo usum, et notionem tam vocis hujus, quam aliarum superius recensitarum exprimit. (2) *Si quis*, inquit ex Dionysii exigui versione, *in uno Christo dividit substantias post unitionem, sola eas societate conjungens ea, quæ secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem, aut potestatem ; et non magis conventu ad unitatem naturalem, anathema sit.* Hic ἕνωσιν φυσικήν Dionysius *unitatem* reddidit, quam et *unitionem* appellare potuit, ut proxime ante fecerat. Et σύνοδον, *conventum*. Maxentius *conventionem* vocat[3], ubi Christum confitetur « in duabus substantiis, naturali, non personali conventione unitis. » Necnon Deusdedit episcopus Sardiniæ, in Lateranensi synodo sub Martino papa[4].

Idem et vox συνδρομὴ significat, quam τῇ συνόδῳ Cyrillus adjungit in loco priore, ex dialogo de Incarnatione. In quo et συνδρομὴν εἰς ἑνότητα postea vocat[5], quam εἰς ἕνωσιν dixerat, hoc est *concursum in unitatem*, quemadmodum et in secunda ad Successum epistola loquitur : quem locum citat Theorianus in legatione ad Armenos[6].

VI. Σύμβασις quoque in idem significatum recidit : qua Cyrillus utitur[7], σύμβασιν οἰκονομικὴν vocans. Necnon ejusdem originis verbo : ut in libro primo contra Nestorium, « (3) summam unitionem » appellat « convenientium inter se naturarum. » Et, « Convenisse invicem unitione inseparabili. » Sophronius item eam vocem usurpat in epistola ad Sergium[8]. Qui et verbis συντίθεσθαι, προσπλέκεσθαι, et συνάπτεσθαι, quod est *componi*, et *conjungi*, utitur[9].

Athanasius[10] *unitionem* illam vocat ἕνωσιν, καὶ σύνθεσιν. Andreas Cretensis[11], σύνθεσιν, καὶ οὐσίωσιν : quæ posterior vox *substantiatio* reddi potest, hoc est substantiva naturarum conjunctio. Joannes Damascenus in Dialectica scribit omnium consensu, naturarum in Christo copulationem nuncupari « (4) Unitionem, quæ fit secundum compositionem, » quam ita definit : « (5) Unitio secundum compositionem, *inquit*, est partium citra interitum coeuntium in se invicem existentia. » Quod conjunctioni in Christo naturarum duarum optime convenit ; ut et animæ, ac corporis in homine ; quod exemplum Damascenus affert. Quin et συμφυΐαν ibidem vocat, hoc est *naturalem conjunctionem*, necnon Gregorius Nyssenus in quarto adversus Eunomium[12]. Qui in Catechetici libri capite 11. « (6) animæ cum carne copulationem » eo nomine afficit. Et Basilius « (7) conjunctam sibi humanam naturam habere Verbum ait, et unitam. »

VII. Solet etiam συνάφεια nuncupari : quod vocabulum a verbo συνάπτεσθαι oritur. Quanquam Cyrillus hanc vocem a Nestorio ascitam respuit : ut postea dicemus. Verum usus est Basilius[13] ; et insigniter Chrysostomus his verbis : « (8) Etenim unitione, et copulatione unum est, Deus Verbum, et caro, sine ulla confusione, et interitu naturarum ; sed unitione quadam ineffabili, et inexplicabili. » Quem Chrysostomi locum descripsit Theodoretus in dialogo secundo[14]. Utitur et Joannes Damascenus[15]. Et

(1) Id. dial. de Incarn. tom. 5. pag. 688. Διϊσχυριζόμεθα δὲ, σύνοδον μέν τινα, καὶ τὴν ὑπὲρ λόγον συνδρομὴν εἰς ἕνωσιν ἀνίσων τε, καὶ ἀνομοίων πεπράχθαι φυσεῶν.

(2) Cyrill. anath. 3. 15. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ δυναστείαν· καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

(3) Cyrill. tom. 6. pag. 15. Τὴν εἰς ἄκρον ἕνωσιν τῶν ἀλλήλοις συμβεβηκότων. Mox : Συμβῆναι δέ φαμεν καθ' ἕνωσιν ἀδιασπαστον.

(4) Dam. dial. cap. 64. pag. 670. Τὴν κατὰ σύνθεσιν ἕνωσιν ἅπαντες ἐδέξαντο.

(5) Damasc. ibid. pag. 669. Ἡ δὲ κατὰ σύνθεσιν ἕνωσίς ἐστιν ἡ εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν, χωρὶς ἀφανισμοῦ, περιχώρησις, ὡς ἐπὶ ψυχῆς ἔχει καὶ σώματος.

(6) Nyss. pag. 498. tom. 2. Τὶς πρὸς τὴν σάρκα τῆς ψυχῆς ἡ συνάφεια.

(7) Basil. orat. de Nativ. tom. 2. pag. 586. Ἀλλὰ συμφυῆ ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἡνωμένην κατακτησάμενος.

(8) Chrys. tom. 12. in Joann. pag. 599. Τῇ γὰρ ἑνώσει, καὶ τῇ συναφείᾳ ἓν ἐστιν ὁ Θεὸς Λόγος, καὶ ἡ σὰρξ, οὐ συγχύσεως γενομένης, οὐδὲ ἀφανισμοῦ τῶν οὐσιῶν, ἀλλ' ἑνώσεως ἀῤῥήτου τινος, καὶ ἀῤῥάστου.

[1] Locus est in Eph. Syn. tom. 2. Conc. p. 31. — [2] Par. 1. Tit. 13. p. 534. Lat. ed. — [3] Dial. 1. col. 466. A. — [4] Conf. 5. tom. 4. Conc. p. 730. F. 2. — [5] Cyr. tom. 5. p. 701. — [6] To. 11. Bibl. p. 448. E. — [7] To. 5. in Dial. de Inc. p. 700.

[8] In Syn. 6. Act. 11. pag. 165. F. et 168. C. — [9] Ibid. p. 165. F. — [10] Lib. de uno Christo p. 519. ver. 3. — [11] Andr. Orat. de Transfig. pag. 39. — [12] Lib. 4. in Eun. p. 161. D. — [13] In Ps. 45. tom. 1. p. 270. — [14] P. 104. — [15] Dam. l. 3. c. 18.

Procopius ad caput secundum Isaiæ : ubi ait, « (1) carnem Domini per conjunctionem cum Deo in sublime evectam fuisse. » Denique Theodoretus [1] συνάφειαν, et ἕνωσιν appellat animæ conjunctionem cum corpore, et Sophronius [2] ἀσύγχυτον συνάφειαν vocat unitatem essentiæ in Trinitate. Cur autem in Nestorio displicuerit Cyrillo, dicemus postea : nunc unum illud adnotamus, in glossario veteri, varias illi voci significationes aptari. « Συνάφεια, *inquit*, contextus, conjunctio, continuatio, consortium, copulatio. » Huic ὁμώνυμος est vox σύνθεσις, id est *colligatio*, et *connexio :* quæ apud Cyrillum occurrit in Phosphonetico ad Theodosium imperatorem. Sane Cæsarius Dialogo primo, responsione ad interrogationem primam [3], συνάφειαν, usurpavit de unitate substantiæ personarum trium : ut et Chrysostomus in Joannem [4]. Gregorius item Nazianzenus oratione 20. quæ est de S. Basilio, p. 363. ver. pen. τὴν κατὰ τὴν ἁγίαν Τριάδα συνάφειαν καὶ ταυτοθείαν vocat; et oratione 25. in fine τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας.

Et Gregorius Nyssenus libro tertio contra Eunomium τὸ τοῦ Υἱοῦ πρὸς τὸν Πατέρα συναφὲς, καὶ ἀμεσίτευτον nominat, *Filii cum Patre copulationem, et immediatam unitionem,* pagina 131. C.

VIII. Reliqua sunt vocabula, quæ sunt ambigui magis usus, et in majori contentione versantur, μίξις, κρᾶσις, ἀνάκρασις, et similia, quibus latina respondent, *mistio*, *mistura*, *commistio*, et ejusdemmodi alia ; de quibus paulo nobis est accuratius disputandum : acprimum illorum discrimen, tum notionem, et proprietatem explicabimus.

Μίξις ab κράσει nonnihil discrepat : et sic habere videntur, ut μίξις latius pateat, sitque generis instar, κρᾶσιν tanquam speciem sub se continens. Quod Aristoteles significat, dum « (2) non omnem mistionem esse κρᾶσιν, id est temperationem, *ait*, quippe aridorum mistionem non esse κρᾶσιν. » Ergo mistio generale nomen est, quod tam arida, quam humida comprehendit. Idem porro philosophus, dum ex instituto *mistionis* naturam explicat, ad eam requirit, ut quæ μικτὰ dicuntur, hoc est *mistibilia*, ut sic loquar, « (3) agentium contrarietatem habeant : quippe quæ a se mutuo patiantur. » Ac denique μίξιν definit, ut sit (4) *mistibilium commutatorum unitio.*

IX. Mistionis et *temperaturæ* differentiam accurate Philo Judæus exponit in libro de Confusione linguarum : quem locum Hugo Grotius observavit in Florilegio ad jus Justinianeum [5]. Et primum quidem « (5) mistionem aridis in rebus spectari » dicit ; « temperaturam in humidis. Est autem mistio corporum diversorum sine ordine inter se appositio : ut si quis acervum faciat, in quo hordeum, triticum, ervum, aliaque semina in unum colligat. At temperatura non est appositio : sed dissimilium partium in se invicem subeuntium mutua per totum extensio, ita ut artificio quodam qualitates adhuc separari possint : quemadmodum in vino et aqua fieri dicunt. Quippe coeuntes duas illas substantias temperaturam efficere : quod autem temperatum est, recuperare rursus illas ex quibus constitit qualitates. Nam a spongia oleo imbuta aquam excipi, vinum relinqui, etc. »

« Confusio vero est corruptio originalium qualitatum, omnibus sui partibus coextensarum, ad unius diversæ rei productionem : ut in eo accidit, quod medici tetrapharmacum vocant. Hoc enim e cera, adipe, pice, ac resina inter se commistis efficitur. Quod ubi sic concrevit, non potest amplius in eas, ex quibus

(1) Procop. Καὶ ἡ σὰρξ δὲ τοῦ Κυρίου, γῆ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν ὑπάρχουσα, διὰ τῆς συναφείας τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀνυψώθη.

(2) Arist. 1. Top. cap. 1. Οὔτε ἡ μίξις ἅπασα, κρᾶσις. Ἡ γὰρ τῶν ξηρῶν μίξις, οὐκ ἔστι κρᾶσις.

(3) Arist. lib. 1. de Gen. cap. 10. Φανερὸν οὖν ὅτι ἐστὶ ταῦτα μικτὰ, ὅσα ἐναντίωσιν ἔχει τῶν ποιούντων· ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπ' ἀλλήλων παθητικά.

(4) Ibid. fine capitis, Ἡ δὲ μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις.

(5) Phil. de Conf. ling. pag. 347. Ἀλλ' ἡ μὲν μίξις ἐν ξηραῖς, ἡ δὲ κρᾶσις, ἐν ὑγραῖς οὐσίαις δοκιμάζεται. Μίξις μὲν οὖν σωμάτων διαφερόντων ἐστὶν οὐκ ἐν κόσμῳ παράθεσις· ὥσπερ ἂν εἴ τις σωρὸν ποιήσειε κριθὰς, καὶ πυροὺς, καὶ ὀροβους, καὶ τἆλλα τὰ εἴδη τῶν σπαρτῶν εἰς ταὐτὸ εἰσενεγκών. Κρᾶσις δὲ οὐ παράθεσις, ἀλλὰ τῶν ἀνομοίων μερῶν εἰς ἄλληλα εἰσδυομένων δι' ὅλων ἀντιπαρέκτασις, ἔτι δυναμένων ἐπιτεχνήσει τινὶ διακρίνεσθαι τῶν ποιοτήτων, ὡς ἐπὶ οἴνου καὶ ὕδατός φασι γίνεσθαι. Συνελθούσας μὲν γὰρ τὰς οὐσίας ἀποτελεῖν κρᾶσιν. Τὸ δὲ κραθὲν οὐδὲν ἧττον ἀποπληροῦσθαι πάλιν εἰς τὰς ἐξ ὧν ἀπετελέσθη ποιότητας. Σπόγγῳ γὰρ ἠλαιωμένῳ τὸ μὲν ὕδωρ ἀναλαμβάνεσθαι, τὸν δὲ οἶνον ἀπολείπεσθαι, etc.

Σύγχυσις δέ ἐστι φθορὰ τῶν ἐξ ἀρχῆς ποιοτήτων πᾶσι τοῖς μέρεσιν ἀντιπαρεκτεινομένων εἰς διαφερούσης μιᾶς γένεσιν, ὡς ἐπὶ τῆς ἐν ἰατρικῇ τετραφαρμάκου συντέτευχε· κηρὸς γὰρ, καὶ στέαρ, καὶ πίττα, ῥητίνη τε, σίμαι, συνελθόντα ταύτην ἀποτελεῖ· συνδεθείσης δὲ ἀμήχανον ἐπὶ τὰς ἐξ ὧν συνετέθη, διακριθῆναι δυνάμεις· ἀλλ' ἑκάστη μὲν αὐτῶν ἠφάνισται, πασῶν δὲ φθορὰ μίαν ἐξαίρετον ἄλλην ἐγέννησε δύναμιν.

[1] Dial. 3. pag. 117. — [2] Sophr. in Syn. 6. Act. 11. p. 161. — [3] Cæsar. to. 11. Bib. 549.

[4] Chrys. Hom. 39. in Joan. p. 717. ver. 32. — [5] Pag. 41.

compositum est, facultates dissolvi; verum earum singulæ periere : omnium autem interitus unam aliam ab illis diversam facultatem peperit. »

X. Totus hic Philonis locus, etsi paulo longior a nobis exscribi meruit, quod illorum unitionis generum proprietates pulcherrime declarat, quæ in hoc nostro Incarnationis mysterio magno sunt usui; et ad veterem, ac multiplicem catholici dogmatis cum hæreticis erroribus conflictum intelligendum, ac dirimendum, notata, et perspecta esse debent. Sunt autem iis, quæ ex Euthymio, et Maximo superiori capite descripsi, Philonis ista consentanea. Ex quibus etiam causa facile constat, cur antiquorum theologorum alii vocabula illa generum duum, μίξεως et κράσεως, passim et citra religionem, adhibuerint ad naturarum Christi duarum copulationem explicandam : alii removenda censuerint.

Cyrillus enim non uno loco κρᾶσιν, et similia vocabula damnasse videtur. Et Joannes Damascenus testatur, (1) ab quibusdam Patribus hujusmodi nomen ablegatum esse ab hoc mysterio. Chalcedonensis quoque synodus in definitione fidei [1], σύγχυσιν ab hæreticis invectam respuit.

Omnium acerrime Theodoretus illam insectatus est in refutatione anathematismi secundi Cyrilli, et in dialogo secundo [2]; (2) Amphilochius etiam in quodam fragmento vocem illam rejicit, negans κεκραμένον carni esse Deum.

XI. Sed nimirum idem hoc in nominum genere accidit, quod in ὁμοουσίῳ, et ὁμοιουσίῳ factum est Arianis temporibus. Nam utrumque aliquando Catholicorum alii repudiarunt, et pro impio condemnarunt : alii valde probarunt; quod posterius judicium de ὁμοουσίῳ potissimum vicit; de quo vide quæ in quarto libro de Trinitate pluribus exposita sunt. In hac vero contentione, non tam ab vocabulo ipso constat abhorruisse Patres illos, qui iis vocibus intercesserunt, quam ab notione, atque sensu, quo illarum usum corrumpebant, et inquinabant hæretici; qui in ὁμοουσίῳ partim profluvium nescio quod substantiæ, partim confusionem fingebant : in ὁμοιουσίῳ, substantiarum diversitatem similitudine sola congruentem. Sic in κράσει, et ejusmodi ceteris vocibus, plerisque displicuit, quod in his proferendis intelligere videbant hæreticos, naturæ alterutrius, vel ambarum etiam demutationem, et interitum ad tertiam aliquam componendam inter se coeuntium. Cyrillus certe cum illam segregat, solet alias velut idem significantes, ei adjungere, manifesta infamia confusionis imbutas. Ut in epistola, quam per Paulum Emisenum orientalium legatum misit ad Joannem Antiochenum : ubi ita scribit : « (3) Quicumque vero asserunt temperaturam, vel confusionem, aut conturbationem Dei Verbi cum carne esse factam, his ora tua sanctitas occludat. Verisimile est enim quosdam de me ista jactare, tanquam ita senserim, vel dixerim. » Ac subinde declarat, quo sensu obtrectatores sui nominum istorum calumniam aspergant; nempe ut mutationis aliquid et alterationis, ac passionis in Deum redundet.

XII. Idem apertius in epistola, vel commonitorio ad Eulogium demonstrat. « (4) Quoniam vero, *inquit*, orientales omnes existimant nos Catholicos Apollinaris dogmata sectari, ac putare, temperaturam quamdam, et confusionem esse factam : his enim vocabulis usi sunt et ipsi : quasi Deum Verbum in carnis naturam mutatum sit, et caro in naturam conversa divinitatis : concessimus ipsis, non ut in duos unus divideretur Christus : absit : sed ut hoc solum affirmaretur, neque confusionem factam esse, neque temperaturam : verum carnem quidem fuisse carnem, utpote sumptam de muliere, Verbum autem tanquam ex Patre natum, Verbum fuisse. »

Et in epistola priore ad Successum, eamdem a se propulsat invidiam, negans se σύγκρασιν,

(1) DAM. dial. cap. 64. Ἰστέον δὲ ὅτι τινὲς τῶν πατέρων τὸ τῆς κράσεως ὄνομα ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου οὐκ ἐδέξαντο.

(2) AMPHILOCH. in Excerptis pag. 142. Καὶ ἠνώθη αὐτῷ ἀῤῥήτως, καὶ ἀφράστῳ λόγῳ, οὐ κεκραμένος αὐτῷ.

(3) CYRIL. ad Joan. tom. v. pa.. 2. oper. Cyr. pag. 107. Τοὺς δὲ λέγοντας, ὅτι κρᾶσις, ἢ σύγχυσις, ἢ φυρμὸς ἐγένετο τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὴν σάρκα, καταξιωσάτω ἡ σὴ ὁσιότης ἐπιστομίζειν. Εἰκὸς γάρ τινας καὶ ταῦτα περὶ ἐμοῦ θρυλλεῖν, ὡς ἡ πεφρονηκότος, ἢ εἰρηκότος.

(4) CYRILL. ad Eulog. ibid. pag. 133. C. Ἐπειδὴ δὲ πάντες οἱ ἐκ τῆς ἀνατολῆς νομίζουσιν ἡμᾶς τοὺς ὀρθοδόξους ταῖς Ἀπολλιναρίου δόξαις ἀκολουθεῖν, καὶ φρονεῖν, ὅτι συγκρασις ἐγένετο, ἢ σύγχυσις· τοιαύταις γὰρ καὶ αὐτοὶ κέχρηνται φωναῖς, ὡς τοῦ Θεοῦ Λόγου μεταβεβληκότος εἰς φύσιν σαρκὸς, καὶ τῆς σαρκὸς τραπείσης εἰς φύσιν θεότητος. Συνεχωρήσαμεν αὐτοῖς οὐ διελεῖν εἰς δύο τὸν ἕνα Χριστόν· μὴ γένοιτο· ἀλλ' ὁμολογῆσαι μόνον, ὅτι οὔτε σύγχυσις ἐγένετο, οὔτε σύγκρασις· ἀλλ' ἡ μὲν σὰρξ, σὰρξ ἦν, ὡς ἐκ γυναικὸς ληφθεῖσα· ὁ δὲ Λόγος, ὡς ἐκ Πατρὸς γεννηθεὶς, Λόγος ἦν.

[1] Chalc. Concil. Part. 2. Act. 5. p. 329.

[2] Pag. 94.

hoc est *confusionem, et conturbationem* naturarum duarum admittere, « (1) quæ quidem corporis in divinitatem mutationem aliquam habeat ; cum unum asserit esse Christum, unitione accurata, et contemperata. » Ubi τοῦ συγκεκρᾶσθαι vocabulum non prorsus abjudicat : sed eatenus solum, si ex Apollinaris errore, naturæ cujuspiam, velut humanæ, mutationem, et videlicet interitum significet, ita ut integræ duæ non maneant. Id enim tum σύγχυσις est, tum φυρμός. Quæ vox posterior latine est *conturbare*, hoc est *rationes permiscere*, et *confundere*, quod decoctores, et mala nomina faciunt. Ita Cicero [1] φυρᾶν τὰς ψήφους dixit : et Glossæ veteres, *decoctor*, κρεωκόπος, φυρατής. Itaque naturarum in Christo conturbatio, sive confusio, hoc est σύγχυσις, et φυρμός, ad Apollinaris, et Eutychis hæresim proprie spectat : quam scimus Catholicis Nestorianos impingere solitos.

XIII. Theodoretus in oppugnatione anathematismi secundi Cyrilli, illud redarguens, quod Cyrillus unitionem καθ' ὑπόστασιν dixerat, hac locutione significari dicit κρᾶσιν factam esse carnis et divinitatis ; quam blasphemiam nominat ; et subinde impium, et hæreticum vocabuli istius sensum explicat. « (2) Necesse est, *inquit*, ex temperatione confusionem sequi. Porro confusio si admittitur, tollit naturæ cujusque proprietatem. Quæ enim temperantur, non manent qualia erant antea, etc. Quod si temperatio facta esset, neque Deus mansisset Deus : neque templum pro templo esset agnitum : sed et templum Deus, et Deus templum foret. Hoc enim temperationis ratio postulat. » Eadem mens est illius et in aliis locis, et quibus vocem istam rejicit, ut in dialogo secundo [2]. Et tamen in hoc ipso adversus hæreticum Apollinaristam, ac Monophysitam disputans, ostendit [3] non semper ἕνωσιν, id est *unitionem*, et κρᾶσιν, adjunctam habere confusionem, licet ea, qua conjunguntur, per totum invicem misceantur : ut in aere, ac luce accidit, et in ferro candente. Ac sub finem ejusdem dialogi, idem docentem Apollinarium citat : nimirum « (3) mistarum, ac temperatarum inter se rerum qualitates misceri, sed non interire : adeo ut nonnullæ ab iis, quibuscum mistæ sunt, separentur, uti vinum ab aqua. » Ex quo concludit sic : « Quod si corporum mistio sine alteratione fit, quanto magis illa divinitatis ? »

XIV. Atqui non hæreticus tantum Apollinaris : sed etiam plures alii arctissimam in Christo naturarum conjunctionem, μίξεως, et κράσεως, hoc est *mistionis*, et *temperationis* vocibus expresserunt. Tertullianus [4] « hominem Deo mixtum » dicit. Novatianus [5] « Divinitatem sermonis in ipsa concretione permixtam. » Cyprianus [6], « Deum cum homine misceri. » Zeno Veronensis [7], « Mixtus, *inquit*, humanæ carni se fingit infantem. » Hilarius in libro secundo, « Ut homo factus, *inquit*, ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret. » Luculentus est Augustini de hac re locus, *Quomodo Deus homini permixtus sit*, ubi et mixturæ illius modum a confusione vindicat, non dissimili ratione, ac paulo ante Theodoretus. Verba illius [8] necessario hic adscribenda sunt. « Nam sicut in unitate personæ, *inquit*, anima unitur corpori, ut homo sit ; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ et corporis ; in hac persona, mixtura est Dei, et hominis : si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam ; quanquam et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis, mixtura est animæ, et corporis, persona autem Christi, mixtura est Dei et hominis, etc. » Leporius in libello Emen-

(1) Ibid. pag. 136. Ἐπειδὴ δέ τινες ἐπιπλέκουσιν ἡμῖν τὰς Ἀπολλιναρίου δόξας, καί φασιν· ὅτι εἰ ἕνα λέγετε, καθ' ἕνωσιν ἀκριβῆ, καὶ συγκεκραμένην Υἱὸν, τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον ἐνανθρωπήσαντα, καὶ σεσαρκωμένον, τάχα που κἀκεῖνο φαντάζεσθαι, καὶ φρονεῖν ἐγνώκατε, ὅτι σύγκρασις, ἤτοι σύγχυσις, ἡ φυρμὸς γέγονε τοῦ Λόγου πρὸς σῶμα, ἤγουν τοῦ σώματος εἰς φύσιν θειότητος μεταβολή.

(2) Theodor. ad anath. 2. tom. 6. Cyril. p. 208. Ἀνάγκη γὰρ τῇ κράσει ἀκολουθῆσαι τὴν σύγχυσιν. Εἰσιοῦσα δὲ ἡ σύγχυσις ἀφαιρεῖ τῆς ἑκάστης φύσεως τὴν ἰδιότητα. Τὰ γὰρ κερανύμενα οὐ μένει ἃ πρότερον ἦν, etc. Mox : Εἰ δὲ κρᾶσις ἐγεγόνει, οὔτε Θεὸς ἐμεμενήκει Θεὸς, οὔτε ναὸς ἐγνωρίζετο ναός. Ἀλλὰ καὶ ὁ ναὸς, Θεὸς, καὶ ὁ Θεὸς, ναός· τοῦτο γὰρ ὁ τῆς κράσεως βούλεται λόγος.

(3) Apol. apud Theodoret. dial. 2. pag. 212. Τῶν συγκιρναμένων, αἱ ποιότητες κεράννυνται, οὐκ ἀπόλλυνται. Ὥστε τινὰ καὶ διίστανται ἀπὸ τῶν συγκερασθέντων, καθάπερ εἶνος ἀπὸ τοῦ ὕδατος, etc. εἰ δὲ τῶν σωμάτων ἡ μίξις οὐκ ἠλλάγε, πόσῳ μᾶλλον ἡ τῆς θειότητος ;

[1] Lib. 6. epist. ad Art. ep. 5. — [2] Pag. 76. et 94. — [3] Theodor. ibid. p. 77. et seq. — [4] De Car. Chr. c. 15. et Apol. c. 21. — [5] De Trin. cap. 11. — [6] Cypr. de Idol. vanit. p. 90. — [7] Zeno Serm. 3. de Nat. — [8] Aug. ep. 3. p. 5.

dationis, « Deus, *inquit*, misericorditer naturæ mixtus est humanæ ; non humana natura naturæ est mixta divinæ. »

Leo primus sermone tertio de nativitate Christi, « naturæ alteri alteram misceri, » ait. « Nec sic natura, *inquit*, in societatem sui creatoris est assumpta, ut ille habitator, et illa habitaculum esset : sed ita, ut naturæ alteri altera misceretur. » Usus est Claudianus *miscendi* verbo, libro tertio de Statu animæ ; et Paulinus in carmine de Celso puero paulo post initium. Vigilius in libro primo contra Eutychen [1], « carnis naturam *ait* ita per suscipientis commixtionem in Verbi transisse personam, ut non tamen fuerit in Verbo consumpta. » Et ; « Filium Dei carnem in sacræ Virginis utero ineffabili societatis permixtione ita sibi adunasse, ut Verbum homo, et homo Deus, idemque unus, non mutatis naturarum generibus fieret. »

XV. Κρᾶσιν itidem, et ἀνάκρασιν, aut σύγκρασιν, complures græcorum Patrum sine ulla cunctatione dixerunt. Gregorius Nazianzenus oratione 42. de Paschate ; « (1) O novam, *ait*, mixturam ! o admirandam temperationem ! » Et in epistola priore ad Cledonium [2], κιρναμένας τὰς φύσεις dixit, id est *commistas*, *et temperatas*. Idem in Carmine de vita sua, « (2) Dei Verbi κρᾶσιν » appellat « cum nostra carne. »

Quin Cyrillus ipse, « (3) unum esse Christum » asserit « ex humana natura, et Deo Verbo temperatum. » Addit tamen, quod nominis invidiam molliat : « Non ita tamen ut in id, quod non erat, conversio facta sit : sed ideo quod e Virgine templum assumpserit. » Sic in primo contra Nestorium ; quem locum mox referam. Chrysostomus item apud Damascenum in Eclogis « (4) divinitatem cum humanitate temperatam » dixit. Nemesius quoque in libro de Natura hominis, « (5) novum illum esse » scribit « temperationis, et unitionis modum. Temperatur, et manet omnis expers admistionis, confusionis, et corruptionis. »

Sane Christum per Eucharistiæ sacramentum συνανακίρνασθαι, (6) et uniri nobiscum Cyrillus asserit : ut procul ab illa voce intelligatur esse confusionis notio.

Jam ἀνακράσεως vocabulo usus est Athanasius. « (7) Nobis, *inquit*, benigne est unitus, primitias nostras induens sibi, et cum illis temperatus. » Gregorius Nyssenus in primo contra Eunomium, « (8) humanam naturam Deo contemperatam esse » dicit, « homine illo, qui in Christo est, mediatoris partes exequente : cui per assumptas nobis primitias, tota massa virtute contemperata est. » Et in Catechetico libro, « (9) temperationis illius modum, quo Deus cum homine junctus est, perspicere nos, et capere posse » negat.

Cyrillus Alexandrinus in epistola prima ad Monachos, ex duobus conflatum esse Christum ait, « (10) quæ in naturalem unitatem concurrerunt, et quod utrique proprium est velut inter se mutuo temperarunt. » Et in Paschali octava, « (11) neque verbis explicari, neque mente percipi omnino posse » dicit « modum illum temperationis. » Usus est et Sophronius in epistola ad Sergium [3]. Sic nomen συγκράσεως usurpavit Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola : qui locus in Ephesina synodo recitatus est ; ubi « (12) duas in Christo naturas unum temperatione esse » docet. Et in secunda, « (13) temperatum ex Deo et carne »

(1) NAZIANZ. pag. 682. Ὢ τῆς καινῆς μίξεως· ὢ τῆς παραδόξου κράσεως.

(2) Id. tom. 2. pag. 10. Ὃς τὴν πρὸς ἡμᾶς τοῦ Θεοῦ Λόγου κρᾶσιν.

(3) CYRILL. lib. 20. Thes. pag. 197. Εἷς γὰρ ὁ Χριστὸς ἔκ τε ἀνθρωπότητος, καὶ Θεοῦ Λόγου κεκερασμένος, οὐκ ἐκ τοῦ τετράφθαι πρὸς ὅπερ οὐκ ἦν, ἀλλ' ἐκ τοῦ προσλαβεῖν τὸν ἐκ παρθένου ναόν.

(4) CHRYS. in Eclog. Damasc. tit. 13. Θεότητι τὴν ἀνθρωπότητα κεράσας.

(5) NEM. cap. 2. pag. 737. tom. 12. bib. PP. Καὶ καινότερος οὗτος ὁ τρόπος τῆς κράσεως, ἢ ἑνώσεως· καὶ κιρνᾶται, καὶ μένει παντάπασιν ἄμικτος, καὶ ἀσυγχυτος, καὶ ἀδιαφθορος.

(6) CYR. 11. in Joan. pag. 1001. Γίνεται μὲν γὰρ ἐν ἡμῖν ὁ Υἱος, σωματικῶς μὲν ὡς ἄνθρωπος συνανακιρνάμενός τε, καὶ συνενούμενος δι' εὐλογίας τῆς μυστικῆς.

(7) ATHAN. orat. 5. cont. Arian. pag. 322. B. Ἥνωται δὲ φιλανθρώπως ἡμῖν, τὴν ἀπαρχὴν ἡμῶν περιθέμενος, καὶ ταύτῃ ἀνακραθείς.

(8) NYSS. lib. 1. con. Eun. pag. 45. Καὶ οὕτω συνανεκρίθη Θεῷ τὸ ἀνθρώπινον, τοῦ κατὰ Χριστὸν ἀνθρώπου τὴν μεσιτείαν ἐργασαμένου. Ὃ διὰ τῆς ἀναληφθείσης ἡμῖν ἀρχῆς, ὅλον τῇ δυνάμει συνανεκραθη τὸ φύραμα.

(9) Id. Cat. cap. 11. Τὸν δὲ τῆς ἀνακράσεως τρόπον, τοῦ θείου πρὸς τὸ ἀνθρώπινον, συνιδεῖν οὐ χωροῦμεν. Et cap. 27. Ἀνακιρνάμενος, dixit, et συνανάκρασιν.

(10) CYR. ep. 1. tom. 4. par. 2. pag. 9. Συνδεδραμηκότων δὲ ὥσπερ εἰς ἑνότητα φυσικὴν, καὶ οἷον ἀνακιρνάντων ἀλλήλοιν ὅπερ ἂν ὡς ἴδιον ἑκατέρῳ πρσῇ.

(11) Id. Pasch. 8. pag. 103. A. Καὶ ἄῤῥητος μέν πω ἦν, καὶ ἀπερινόητος ὁ τῆς ἀνακράσεως παντελῶς.

(12) NAZIANZ. or. 51. pag. 739. et Eph. syn. par. 2. act. 1. pag. 271. Τὰ γὰρ ἀμφότερα ἓν τῇ συγκράσει.

(13) Id. orat. 52. pag. 747. B. Τὸ ἐκ Θεοῦ καὶ σαρκὸς σύγκραμα.

[1] Vigil. tom. 4. Bib. PP. col. 494.

[2] Pag. 74. — [3] In 6. Syn. Act. 11. p. 168. B.

nominat. Gregorius item Nyssenus [1] animam dixit « συγκεκραμένην, id est commistam, et contemperatam esse corpori. »

XVI. Ut autem exactior nobis ratio constet istiusmodi vocum, quibus tam Catholici, quam hæretici, non eodem sensu, ac mente sunt usi : unius aut alterius ex antiquis Patribus de illis judicium, ac cautionem in medium afferam. Imprimis Cyrillus in primo contra Nestorium, κράσεως nomen, quod adhibere cunctabatur hæreticus ille, sic tuetur, ac purgat ab ejus calumnia. « (1) Etenim temperationis, *inquit*, vocabulum usurparunt aliqui sanctorum Patrum. Quoniam vero timere te dicis ne qua confusio contingere putetur, instar liquidorum, quæ inter se temperantur, libero te hoc metu. Non enim illorum iste sensus fuit, non utique, sed ea voce sunt abusi, dum summam unitionem eorum, quæ in se mutuo convenerunt, demonstrare student. »

Mox Apostoli eadem utentis voce testimonium citat, qui (2) *divinum sermonem nihil* veteribus Judæis *profuisse* scribit, *eo quod fide non sint contemperati iis qui audierant*. Ita enim Cyrillus legit, ut et Græci fere reliqui, cum in vulgatis occurrat συγκεκραμένος. Eulogius Alexandrinus patriarcha, quemadmodum testatur Photius, κράσεως nomine est usus; « (3) sed pie, et catholice, ut etiam profiteretur se non more amentis Apollinaris ita loqui, aut etiam Eutychis impii : sed ut pietatis lex præscribit : utpote qui unum Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis indivisis, et inconfusis confiteri sciret; in perfecta divinitate, et humanitate perfecta : adeo ut neque κράσεως vocabulum confusionem apud illum significet, neque ista (in duabus) locutio divisionem introducat. »

Sic Leontius Byzantinus libro primo contra Nestorium et Eutychem [2], naturas duas *unitas esse, non confusas* asserens, græce ita concepit, κραθέντα οὐ συγκέχυται, ut affirmat Franciscus Turrianus in notis ad illum locum.

XVII. Psellus in quæstionibus physicis ad Michaelem Ducem imperatorem, de unitione illa naturarum, deque vocibus, quibus explicari solet, erudite, et utiliter ad ea, quæ sunt a nobis commemorata, disputat : cujus verba, quia nondum librum illum editum esse arbitror, hic describam. Sic igitur capite 16. quod inscribitur *de mistione, et temperatione*, « (4) Est, *inquit*, mistio, unitio corporum, appositione facta; sicut olei et aquæ. Non enim per totum ista commiscentur, sed secundum solam aquæ superficiem. At temperatio fit, quando unita corpora per sese invicem miscentur : ut in vino et aqua. Atque illa quidem, quæ miscentur, corpora, ex parte copulantur, et inconfusa manent; quæ vero temperantur, sese invicem penetrant, ac secant, et secantur; et quidem confunduntur. Porro Dei nobiscum unitio, tum est mistio, quia nulla fit confusio; tum est temperatio, propter modum communionis proprietatum. Est igitur hoc ipsum ad id, quod assumitur, et mistio quædam nova, et admiranda temperatio. »

Hic Pselli locus conferendus est cum iis, quæ supra posita sunt hoc, et antecedenti capite : permagnam id lucem afferet ad ea capienda, quæ de unitionis genere isto dicuntur a Patribus : nec in eo finiendo aberrare nos patietur, aut ab confusione naturarum, et Eutychiana pravitate metuere.

XVIII. Etenim habet utraque vox, μίξις et κρᾶσις, quiddam, quod mysterio nostro convenit; simul et aliquid, quod minime consentit. Μίξις, quatenus ita jungi duo significat, ut non

(1) Cyr. 1. contra Nest. pag. 15. tom. 6. Cyr. Τὸ μὲν γὰρ τῆς κράσεως ὄνομα τεθείκασί τινες καὶ τῶν ἁγίων πατέρων. Ἐπειδὴ δεδιέναι φῂς, μὴ ἄρα τις σύγχυσις συμβῆναι νομισθῇ, καθάπερ ἐν τάξει τῶν ἀλλήλοις συγκεκραμένων ὑγρῶν, ἀπαλλάττω σε δειμάτων. Πεφρονήκασι γὰρ οὐχ ὧδε πόθεν; κατακέχρηνται δὲ τῇ λέξει τὴν εἰς ἄκρον ἕνωσιν τῶν ἀλλήλοις συμβεβηκότων καταδηλοῦν σπουδάζοντες.

(2) Hebr. 4. 2. Ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους, μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν.

(3) Phot. cod. 230. pag. 437. Κέχρηται δὲ καὶ τῇ λέξει τῆς κράσεως εὐσεβῶς μέν· πλὴν κέχρηται, μὴ κατὰ τὸν ἄνουν Ἀπολλινάριον τῇ φωνῇ κεχρῆσθαι διαμαρτυρόμενος· μὴ μέντοι γε κατὰ τὸν δυσσεβῆ Εὐτυχῆ· ἀλλ' ὡς τῆς εὐσεβείας νόμος βούλεται· ἅτε δὴ ἕνα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τρανολογεῖν ἐν δύο φύσεσιν ἀδιαιρέτοις τε, καὶ ἀσυγχύτοις εἰδὸς, ἐν τελείᾳ θεότητι, καὶ τελείᾳ ἀνθρωπότητι· οὔτε τῆς κράσεως σύγχυσιν αὐτῷ δηλούσης, οὔτε τῆς ἐν δύο φωνῆς διαίρεσιν παρεισαγούσης

(4) Psel. qu. 16. Περὶ μίξεως, καὶ ἀκακράσεως. Ἡ μὲν μίξις ἕνωσίς ἐστι σωμάτων κατὰ παράθεσιν, ὡς ἐλαίου καὶ ὕδατος. Οὐ γὰρ δι' ὅλου ταῦτα κιρνᾶται, ἀλλὰ κατὰ τὰς ἄκρας ἐπιφανείας τοῦ ὕδατος. Κρᾶσις δέ ἐστιν ὅταν τὰ ἑνούμενα σώματα δι' ἀλλήλων ἀνακραθῇ· ὡς ἐπὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Καὶ τὰ μὲν μιγνύμενα σώματα, ἐκ μέρους μὲν ἑνοῦνται, ἀσύγχυτα δὲ μένει. Τὰ δὲ κερανν ύμενα δι' ἀλλήλων μὲν διήκει καὶ τέμνει, καὶ τέμνεται, συγκέχυται δέ. Ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ πρὸς ἡμᾶς ἕνωσις, καὶ μίξις ἐστὶ διὰ τὸ ἀσύγχυτον, καὶ κρᾶσις διὰ τὸν τρόπον τῆς ἀντιδόσεως. Ἔστι οὖν αὐτὸ πρὸς τὸ πρόσλημμα, καὶ ἡ μίξις καινὴ καὶ ἡ κρᾶσις παράδοξος.

[1] Cit. a Theodoreto Dial. 2. p. 99. D. et in Cat. c. 37. pag. 534. tom. 2. Oper. Nyss.

[2] To. 4. Bib. PP. Par. 2. col. 967.

confundantur, ascisci potest : abhorret vero, quia non satis coalescunt quæ hoc uniuntur modo, et a se divelli facile, ac separari possunt. Ita κρᾶσις, qua mutuam penetrationem, ac pervasionem, id est duorum ex toto conjunctionem indicat, valde congruit : et ad retundendam Nestorii blasphemiam magnopere est opportuna. Sed confusionis, ac perturbationis cavenda suspicio est; quæ ad illam vocem adhærescit : ne in Eutychis, vel Apollinaris amentiam incidamus. Quamobrem faciendum id nobis est, quod Chrysostomus, vel, ut valde suspicor, alius quispiam, et fortasse Severianus Gabalitanus, admonet in quadam homilia, « (1) ut a dictionibus notiones separemus, apum imitatione, quæ ad flores advolantes, inde favos colligunt, et folia relinquunt. » Hoc modo fiet, ut citra periculum errandi, copiam habeamus vocum variarum, quibus ad illud declarandum mysterium utamur, cum illarum singulæ proprium quiddam ad catholicam intelligentiam conferant; quamvis adjunctum interim nescio quid continere videntur, quod alterutri faveat hæresi, hinc Eutychianorum, inde Nestorianorum, cujusmodi venena ut in singulis, ac separatim positis metuenda sunt; sic iisdem confertis, ac se invicem juvantibus, et castigantibus; quod in antidotorum ac theriacorum compositione medicorum ars instituit; ad usum catholicæ veritatis, et errorum contrariorum remedia proficiunt.

CAPUT TERTIUM.

2. Explicantur vocabula, et eorum proprietates, quibus Nestoriani usi sunt ad unitionem in Christo, Dei et hominis. — 3. Origo Nestorianæ labis in unitionis constituenda ratione. — 4. Ἑνώσεως nomen illis non placuisse, proque eo συνάφειαν usurpasse, — 5. quam disertius explicantes, sola dignitatis, ac voluntatis, et aliorum id genus communione metiebantur. — 7. Quinque vocabula, quibus Nestorii unitio declaratur; quorum primum est σχέσις, a qua σχετικὴ conjunctio dicitur. — 8. Cujusmodi illa sit. — 11. Altera formula explicandæ Nestorianæ συναφείας est κατὰ ἀναφοράν. — 12. Tertia est κατ' ἐνοίκησιν, secundum inhabitationem. — 13. Quarta est secundum operationem. — 14. Quinta est secundum personam. — 15. De persona, et unitione personali.

I. Est hoc usu prius omnium temporum, quam Augustini testimonio [1] comprobatum, « singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. » Ac tum « multa ad fidem catholicam pertinentia, ut alibi scribit[2], dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio. » Nec solis tunc argumentis, et sententiis catholica contra illorum impetus causa sic intructior : sed etiam delectu vocum, et cautione vigilantius ab eorum insidiis, calumniisque defenditur. « Cum enim graviora hostium prodiere certamina, ut ait Gregorius [3], tunc sunt profecto subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum. »

Experiri hoc licet in eo, quod modo tractamus, Incarnationis mysterio, quod duarum ex adverso pugnantium inter se hæresum incursione pulsatur : ut de eo jure possit usurpari, quod non absimili de re scripsit Novatianus [4] : « Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est : et ita excipit hæreticorum istorum et utroque latere sacrilega convicia. »

II. Igitur adversus utramque pestem, Nestorii, et Eutychis, non solum rerum, ac ratio-

(1) Hom. 18. tom. 5. oper. Chrys. p. 106. cujus initium videtur esse Chrysostomi; reliqua, quæ sunt assuta, alterius, et, ut ex stilo conjectamur, Severiani. Ἔλεγε τὰ νοήματα ἀπὸ τῶν λέξεων καθάπερ ἁρίστη μέλιττα ἁρπάσασα ἐνθέσι, καὶ τὸ κηρίον λαμβάνουσα; τὰς δὲ βοτάνας ἐῶσα.

[1] Aug. lib. 2. de dono persev. cap. 20. — [2] Id. l. 16. de Civit. Dei. c. 2. — [3] Lib. 23. Mor. c. 3. — [4] Nov. de Trinit. c. 30.

num comparata sunt præsidia : sed verborum etiam, quibus illæ continerentur, usus ad certas formulas alligatus est, et adstrictus. De quibus, quoniam inde auspicari placuit, porro uti cœpi, pergam dicere, ac de iis maxime, quæ *unitioni*, quam *unionem* vulgo vocant, explicandæ serviunt.

Cum autem pars hæc theologicæ tractationis tota fere ex hæresum contrariarum impugnatione nata sit ; tum Nestoriana magis, quam opposita illi Eutychis, copiam istam, et limatam peperit subtilitatem verborum, ac diligentiam. Nam Eutyches, qui naturarum differentiam sustulit, non tam conjunctionem, sive unitionem, quam unitatem, vel potius confusionem, et peremptionem invexit alterius. Itaque propriæ sunt, et familiares hæresi isti voces illæ, quæ conturbationem magis, quam copulationem significant : ut sunt κρᾶσις, ἀνάκρασις, σύγκρασις, de quibus capite antecedente dixi : quæ ex illorum tacito sensu σύγχυσιν, et ἀνάχυσιν, ἀνάλυσιν, συναλοιφὴν, φυρμὸν, hoc est *confusionem*, *refusionem*, *resolutionem*, *commistionem*, *conturbationem*, exprimerent : in quibus, ut dixi, vacat ἑνώσεως, hoc est *unitionis*, propria notio : quæ, nisi salvis, et integris iis, quæ jungi dicuntur, seipsam tueri non potest. Quamobrem nihil ex erroris Eutychiani notatione, ac refutatione profici potest ad veram, et catholicam τῆς ἑνώσεως, qua Incarnatio constat, investigandam rationem. Potest autem ex Nestoriani notitia, lucis aliquid accipi, si cum unitione illius ea, quæ est catholici dogmatis propria, conferatur. Hæc enim illius oppositione patefacta, et illustrata fuit, ac multis, et insignibus ad vim ejus declarandam locupletata nominibus. Quare antequam de *unitionis* catholicæ proprietate disseram, de Nestoriana nonnihil expromendum videtur, deque vocabulis iis, quibus maxime hæretici isti delectari solebant.

III. In libro primo operis hujus, capite nono ubi Nestorii hæresim exposui, fontem, ac stirpem ejus in illo constitui, quod hominem prius in utero Virginis genitum, et perfectum esse putaverit, quam a Verbo ad qualemcumque personæ, ac dignitatis communionem eveheretur. Ex quod id erat consequens, quantumvis dissimularet, ac ludificando cavillaretur hæreticus, ut non naturam, sed personam personæ revera copulatam esse sentiret : adeoque non οὐσιώδης, et substantiva esset, sed σχετικὴ, ac perfunctoria conjunctio : ex qua non unum per sese aliquid existeret, verum ex accidente solum, et cujusmodi unum inter se homines esse dicuntur, animo et voluntate sociati.

Declarat hanc Nestorianæ labis originem pluribus in locis Cyrillus ; præsertim in libro ejus argumenti, qui est dialogus quo *unum esse Christum* probat : « (1) Aiunt, *inquit*, Deum Verbum perfectum hominem assumpsisse ex Abrahami, et Davidis semine, etc. quem hominem natura similem nostri, virtute Spiritus sancti, in utero Virginis formatum, factum ex muliere, factum sub lege, ut omnes, nos a legis servitute redimeret, longe ante prædestinatam adoptionem recipientes, sibi ipsi communi modo copulavit. » Hunc vero non solide, neque substantive unum esse cum Deo, sed solo nominis ac dignitatis consortio, ut paulo post dicam.

IV. Imprimis ergo nomen illis displicebat ἑνώσεως, id est *unitionis*, pro quo συνάφειαν usurpabant, quæ est *conjunctio* simplex, et *sociatio*. Sic Nestorius apud Cyrillum, « (2) propterea Christum *ait* Deum Verbum nominari, quod perpetuam habet cum Christo sociationem : » quam et ἄκραν συνάφειαν subinde vocat, hoc est *summam*. Et Cyrillus ipse dialogo de uno Christo, fraudem illorum detegit, dum eos asserit, « (3) pessima fide, unum et natura, et revera filium hominem factum, et incarnatum in duos dividentes, repudiare nomen unitionis, et sociationis usurpare : quam forte quilibet alius cum Deo habeat, tanquam virtute, ac sanctificatione propemodum colligatus. »

Sic impius Nestorius in Schedis, quæ recitatæ sunt in Ephesina synodo, « (4) Christum secundum carnem, ex sociatione cum Deo Verbo, Deum appellatum esse » scripsit. Et

(1) Cyr. tom. 5. pag. 728. C. Φασὶ γὰρ, ὡς ὁ Θεὸς Λόγος ἄνθρωπον εἴληφε τέλειον ἐκ σπέρματος ὄντα Ἀβραὰμ, καὶ Δαβὶδ, etc. ὃν ἄνθρωπον ὄντα καθ' ἡμᾶς τὴν φύσιν, Πνεύματος ἁγίου δυνάμει, ἐν τῇ τῆς παρθένου μήτρᾳ διαπλασθέντα, γενόμενόν τε ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἵνα πάντας ἡμᾶς ἐξαγοράσῃ τῆς τοῦ νόμου δουλείας, τὴν πόρρωθεν προωρισμένην υἱοθεσίαν ἀπολαβόντας, κοινῶς συνῆψεν ἑαυτῷ.

(2) Apud Cyr. 2. cont. Nest. tom. 6. pag. 47. E. Διὰ τοῦτο καὶ Χριστὸς ὁ Θεὸς Λόγος ὀνομάζεται, ἐπεί περ ἔχει τὴν συνάφειαν τὴν πρὸς τὸν Χριστὸν δικνεκῆ.

(3) Cyril. tom. 5. pag. 633. Κακουργότατα τοίνυν τὸν ἕνα καὶ φύσει, καὶ ἀληθῶς Υἱὸν ἐνανθρωπήσαντα, καὶ σεσαρκωμένον διιστάντες εἰς δύο, παραιτοῦνται μὲν τὴν ἕνωσιν, συνάφειαν δὲ ὀνομάζουσιν, ἣν ἂν ἔχοι τυχὸν καὶ ἕτερός τις πρὸς τὸν Θεὸν, ὡς ἐξ ἀρετῆς, καὶ ἁγιασμοῦ μονονουχὶ συνδούμενος.

(4) Nestor. in Eph. syn. par. 2. act. 1. pag. 275. Οὕτω καὶ τὸν κατὰ σάρκα Χριστὸν ἐκ τῆς πρὸς Θεὸν Λόγον συναφείας, Θεὸν ὀνομάζομεν, etc. ὁμολογεῖ τὸν ἄνθρωπον πρότερον, καὶ τότε τῇ τοῦ Θεοῦ συναφείᾳ θεολογεῖ τὸ φαινόμενον, ἵνα μηδεὶς ἀνθρωπολατρείαν τὸν Χριστιανισμὸν ὑποπτεύσῃ.

subinde Apostoli verba illa [1], *Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus*, explicat sic : « Hominem ante confitetur, et tunc ex societate cum Deo, id quod apparet Deum esse prædicat ; ne quis Christianismum hominis cultum esse suspicetur. »

V. Ad hanc porro vocem συναφείας explicandam, alia quædam adjungit interdum Nestorius, et qui hujus mentem interpretatur Cyrillus : uti constet qualis sit ab illo agnita conjunctio Dei et hominis. Sic enim apud Cyrillum idem hæreticus *individuam* illam copulationem esse docet « (1) secundum dignitatem filiationis, non secundum naturas. » Nempe quod homo jam creatus et subsistens assumptus sit a Deo et ei sociatus. « (2) Quem modum conjunctionis mera, et sola nomenclatura constare, et homonymia, » Cyrillus ibidem asserit. Et alibi « (3) conjunctionem illam simplicem » vocat, « qua personæ duæ affectu, et voluntate copulantur. » Item « (4) ratione auctoritatis, et secundum vocabuli filii communionem. » Et in Anathematismo tertio, quem capite superiori descripsi [2], Nestorianam illam συνάφειαν damnat, quæ est « secundum dignitatem, et auctoritatem, ac potestatem : cui naturalem unitionem » opponit. Et in epistola ad Nestorium, qua Anathema illi denuntiat, nisi resipiscat (5), συνάφειαν illius respuit, quæ *in dignitatis unitate* consistit, *sive auctoritatis* ; atque universe nomen ipsum τῆς συναφείας damnat, « ut quæ unitioni illi significandæ non satis idonea sit. »

In epistola quoque ad clerum, populumque Constantinopolitanum, Nestorianæ mysteria hæresis paucis complectitur, dum ait, catholicos sedis illius antistites ante Nestorium constanter « (6) prædicasse, non duos Christos, sed unum, eumdemque Deum Verbum, et hominem, secundum carnem ex Virgine, non sociatione simplici, nec sola æqualitate dignitatum conjunctum hominem Deo. Hæc enim frigida, inutilia, et anilia sunt illius dogmata. »

VI. Ad hæc capite octavo et vicesimo scholiorum de Incarnatione [3], Nestorianos ait, « hominem seorsum, et separatim ponentes, qui est ex sancta Virgine procreatus ; deinde ei, quantum ipsis videtur, modum gloriæ tribuentes, adunatum fuisse dicere Verbo Dei et Patris : et rationem adunationis exponentes donatum esse ipsi dicere a Deo æqualitatem dignitatis, sive auctoritatis, et ut simili appellatione et Christus, et filius dicatur, et Dominus. » Vide ejusdem apologiam pro anathemate tertio contra Orientales [4], ubi Nestorii sententiam accurate explicat.

Eadem fusius quinta Synodus exponit in anathematismo quarto [5], Joannes quoque Damascenus unitionem ab Nestorio constitui dicit « (7) secundum dignitatem, honoris consortium, eamdem voluntatem, beneplacitum, et homonymiam. »

Petrus diaconus in libro de Incarnatione ad Fulgentium, et ceteros Africanos episcopos, capite tertio, omnia illa acervatim congerit, « secundum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem, aut personalem, vel subsistentialem, sive secundum auctoritatem, aut potentiam, aut æqualitatem honoris, unionem tentant astruere naturarum. » Nec non Maxentius in capitulo tertio contra Nestorianos [6].

Ita porro ante Nestorium docuerat Theodorus Mopsuestenus, ut testatur Rabbula episcopus Edessenus [7]. « Nec enim dicunt, *ait*, secundum substantiam, vel secundum subsistentiam, unitum esse Deo Verbo hominem, sed bona voluntate quadam ; tanquam divina natura non suscipiente alterum modum unitatis propter non circumscriptibile. » Quod uberius

(1) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. cont. Nest. p. 47. tom. 6. Ἀλλ' ἐπειδή περ ἐκείνῳ συνῆπται τῷ ἐν ἀρχῇ ὄντι Υἱῷ τῷ πρὸς αὐτὸν συναφθέντι, οὐ δύναται κατὰ τὸ ἀξίωμα τῆς ὑιότητος διαίρεσιν δέξασθαι· κατὰ τὸ ἀξίωμα φημὶ τῆς υἱότητος, οὐ κατα τας φυσεις.

(2) Ibid. pag. 49. Καὶ τῆς συναφείας ἡμῖν ὁ τρόπος κατὰ ψιλὴν, καὶ μόνην ἔσται τὴν κλῆσιν, ἤγουν τὴν ὁμωνύμιαν. Idem habet pag. 50. et 51.

(3) CYR. de recta Fide, tom. 5. par. 2. pag. 103. Καὶ κατὰ θέλησιν, ἤτοι συνάφειαν ἁπλῆν.

(4) Ibid. pag. 141. Καὶ συνῆψεν ἑαυτῷ κατὰ τὸν τῆς αἰθεντίας τρόπον, καὶ κατὰ τὴν τῆς υἱότητος ὁμωνυμίαν.

(5) Id. ep. ad Nestor. tom. 5. par. 2. pag. 71. Οὐχ ὡς συνάφειαν ἁπλῶς τῶν ὡς Θεὸν, ἑνότητι τῆς ἀξίας, ἤγουν αὐθεντίας, etc. μᾶλλον δὲ τὸ τῆς συναφείας ὄνομα παραιτούμεθα, ὡς οὐκ ἔχον ἱκανῶς σημῆναι τὴν ἕνωσιν.

(6) CYR. pag. 79. Ἐκήρυσσον δὲ οὐ δύο παρ' ὑμῖν Χριστοὺς, ἀλλ' ἕνα τὸν αὐτὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄνθρωπον κατὰ σάρκα, ἐκ γυναικὸς, οὐ συναφείᾳ ψιλῇ, καὶ ὡς ἐν ἰσότητι μόνῃ τῶν ἀξιωμάτων συντετμένον ἀνθρωπον Θεῷ. Ταῦτα γὰρ ἐκείνου ψυχρὰ, καὶ ἀνωφελῆ, καὶ γραώδη δόγματα.

(7) DAMASC. in Dialect. cap. 64. Ὁ δὲ Νεστόριος καὶ ἄλλας ἐπινοεῖ ἑνώσεις. Κατὰ τὴν ἀξίαν, φημὶ, καὶ ὁμοτιμίαν, καὶ ταὐτοβουλίαν, καὶ εὐδοκίαν, καὶ ὁμωνυμίαν. Et lib. 3. de Fide, cap. 3. pag. 173.

[1] Rom. 9. 5. — [2] § 5. — [3] To. 5. Oper. Cyr. p. 798. — [4] Cyr. ad Anath. 3. tom. 6. p. 165. et cont. Theod. pro Anath. 1. p. 207.

[5] Vide lib. 1. hujus operis, c. 9. § 9. — [6] To. 4. Par. 2. Bibl. PP. — [7] Rab. cit. in quinta Syn. Act. 5. Collat. 237.

a Leontio Byzantino proditum est in libro tertio contra Nestorium et Eutychem [1], ubi Mopsuesteni locum insignem refert.

Postremo cum Theodoretus [2] in oppugnatione anathematismi tertii Cyrilli, ejus verba reprehendisset, quibus συνάφειαν Nestorianam jugularat, eisque opposuerat σύνοδον τὴν καθ' ἕνωσιν φυσικήν, Cyrillus in confutatione ejusdem Theodoreti, recte hujus μικρολογίαν castigat, indicatque, non in vocabulo τῆς συναφείας simplici vim se fecisse, sed in eo duntaxat illius modo, quem Nestorius expresserat: nempe ut ejusmodi intelligatur συνάφεια, quæ sit solius dignitatis, auctoritatis, et id genus ceterorum, citra substantiam, et hypostaticam unitionem.

VII. Sed quinque fere sunt vocabula, quibus Nestoriana illa συνάφεια ab antiquis exponitur ; quæ bene perspecta nobis esse, valde ad institutum pertinet. Ea sunt, σχέσις, sive ἕξις, ἀνάφορα, ἐνοίκησις, προσωπικὴ, et κατ' ἐνεργείαν : de quibus dici singillatim necesse est.

Primum ergo σχετικὴ συνάφεια, vel κατὰ σχέσιν, ex illius opinione, Incarnationem obtinuit. Ita Cyrillus eam nominat, cum ait in secundo libro contra Nestorium, « (1) Unigenitum Dei filium cum natura Deus esset, hominem esse factum, non sociatione, ut ille dicit, extrinsecus cogitata, sive habitudinis. » Sic in Defensione anathematismi octavi contra Orientales [3], et decimi contra Theodoretum (2). Tum ad secundum adversus eumdem Theodoretum negat, « (3) communem hominem sola dignitatum æqualite honoratum, secundum habitudinem Deo Verbo copulatum esse. » Quam et ἐκτικὴν κόλλησιν vocat idem [4], id est *conglutinationem secundum habitudinem*. Maximus item martyr, et Joannes Damascenus σχετικὴν ἕνωσιν Nestorianam illam unitionem vocant : de quibus mox. Maxentius, *unitatem secundum affectionem* interpretatur [5]. *Affectualem* latinus interpres Synodi quintæ [6] ; quæ est in græco, ἡ κατὰ σχέσιν.

VIII. Jam quod ad nominis illius notationem attinet, inter diversas significationes τῆς σχέσεως, duæ sunt potissimum tenendæ : una, quæ est *cognationis*, et *propinquitatis*, vel *amicitiæ*, et universe *convenientiæ*, ac *congruentiæ*. Altera quæ est *relationis*, et *comparationis ad alterum*. Utramque tradit Hesychius in Onomastico : (4) qui σχέσιν exponit primum *cognationem* et *amicitiam*. Deinde σχετικὸν, *eum qui affectus est ad aliquem, et propinquus ejus est*. « Est autem vox hæc eorum, quæ ad alterum referuntur. » Addit plura Cyrillus in Lexico : « (5) Σχέσις, *inquit*, est impetus, conjunctio, cognatio, amicitia, charitas. Est autem eorum, quæ ad aliud referuntur. » Ad priorem notionem refertur latinæ vocis usus, quo *affectus* pro *uxore*, *liberis*, et iis, qui maxime cari habentur, inferioris seculi auctores accipiunt, ut Vulcatius in Cassio ; Capitolinus in Albino, Gordiano, etc. Salvianus item in primo de Gubernatione Dei, « Loth, *inquit*, cum affectibus piis urbe educitur. » Igitur Nestoriana συνάφεια, nominatur σχετιχὴ eo sensu, quod *gratiæ* duntaxat esset, et *charitatis*, vel *amicitiæ*. Etenim, ut scribit Maxentius [7], « non ex duabus naturis naturaliter unitis unam credunt Christi personam ; sed ex duabus personis per conjunctionem, et gratiam copulatis, unam personam Christi factam esse commemorant. » Græce, κατὰ συνάφειαν, καὶ κατὰ χάριν, cui opponitur naturalis unitio. Sic apud Cyrillum [8] σχετικῶς opponitur ei, quod est φυσικῶς.

IX. Joannes Damascenus unitionem σχετικὴν ait esse « (6) cujusmodi est amicorum inter se : » quæ est voluntatum mutua et consensio et concordia, qua devincti, et obstricti sibi invicem adhærescunt. Quemadmodum homines non modo mutuo, sed etiam cum Deo conjunguntur ; vel, ut Apostoli verbis utar, *agglutinantur*. (7) *An nescitis*, inquit, *quoniam qui adhæret meretrici*, (græce *agglutinatur*,) *unum corpus efficitur. Erunt enim*, inquit [9], *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Hæc erit ἐκτικὴ κόλλησις Cyrilli,

(1) Cyr. 2. cont. Nest. tom. 6. pag. 31. Ὅτι Θεὸς ὢν φύσει γέγονεν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς, οὐ κατὰ συνάφειαν ἁπλῶς, ὡς γοῦν ἐκεῖνός φησι, τὴν θύραθεν ἐπινοουμένην, ἤτοι σχετικήν.

(2) Id. cont. Theodoret. pag. 336. Συνάφειαν δὲ νοοῦσι, τὴν ἑξῶθέν τε, καὶ σχετικήν.

(3) Id. pag. 209. C. Οὔτε μὴν κοινὸν ἄνθρωπον ἰσότητι μόνῃ τῶν ἀξιωμάτων τετιμημένον σχετικῶς συνῆφθαι τῷ Λόγῳ διοριζόμεθα.

(4) Hes. Σχέσις, συγγένεια, φιλία. Σχετικὸς ὁ πρός τινα ἔχων σχέσιν, καὶ ἐγγύτητα· ἔστι δὲ τῶν πρός τι σχετικῶς, οἰκειωτικῶς.

(5) Cyr. Lexico. Σχέσις ὁρμὴ, συνάφεια, συγγένεια, φιλία, ἀγάπη. Ἔστι δὲ τῶν πρός τι.

(6) Damasc. dial. cap. 64. pag. 670. Καὶ ἕνωσις σχετικὴ, ὡς φίλου πρὸς φίλον.

(7) 1. Cor 6. 16. Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμα ἐστιν, etc. ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν Πνεῦμά ἐστιν.

[1] To. 4. Bib. PP. Par. 2. 1013. Vide tom. 3. nostrum lib. 8. c. 6. § 1. — [2] To. 6. Cyr. p. 210. et seq. — [3] Tom. 6. p. 179. — [4] Cyr. 10. in Joan. p. 866. — [5] In Profess. fid. Anat. 3. tom. 4. Bibl. 441. — [6] In Anat. 4. Syn. 5. Coll. ult. — [7] Dial. 2. tom. 4. Bibl. 487. — [8] Lib. 11. in Joan. p. 1001. D. — [9] Gen. 2. 24.

sive σχετικὴ, qua *multitudinis credentium cor unum, et anima una* fuisse dicitur in Ecclesiæ primordiis [1]. Hujusmodi enim *agglutinationem*, qua cum *Christo unum sumus*, « (1) liberæ voluntatis et electionis notione declarari » asserit, « et charitate, ac fide perficere. »

Maximus martyr in tractatu quodam de Cyrilli sententia in epistola ad Successum : « (2) Unitio, *inquit*, affectionis, est eorum, qui per se separatim in personalibus unitatibus subsistunt, par voluntatis motio, et animorum sine ulla varietate consensio. »

X. Videtur tamen σχέσεως, et σχετικῆς ἑνώσεως latius a Græcis porrigi significatio ; ut non solum animi affectum, et voluntatum consensionem explicet ; sed etiam qualemcumque *affectionem* vel *habitudinem*, ut vulgo nominant, et *respectum* ad alterum : adeo ut ratio denominationis extrinsecus sumpta sit, non intima, neque ex interioribus causis, et naturalibus ascita. Sic enim in iis, quæ κατ' ἀναλογίαν dicuntur, unum est quod proprie denominatur, quia principium, sive formam, a qua denominatio petitur, habet in sese : reliqua nonnisi κατὰ σχέσιν, hoc est *comparatione et respectu* ad principale. Ut, exempli causa, sanum dicitur animal proprie, et naturaliter, quoniam inest in eo sanitas : medicamentum vero, vel lotium, nonnisi σχετιχῶς, nempe κατὰ σχέσιν, vel causæ efficientis ad rem effectam, vel signi ad rem significatam. Sic homines dii nonnunquam vocantur similitudine quadam et participatione, vel imitatione divinæ alicujus proprietatis, ut excellentiæ, potestatis, bonitatis, σχετικῶς, non φυσικῶς. Ita enim opponi invicem solent ista duo.

Hierocles Pythagoreus ad illa verba Aureorum carminum, *Et terrestres cole dæmones*, hoc adnotat : « (3) Terrestris, *inquit*, appellatio nulli alteri congruit, præterquam ei, qui natura sit homo, affectione autem, et habitudine, dæmon : nempe qui sit δαήμων, hoc est doctus. »

Hoc modo Christum Deum esse fatebantur Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, non φύσει, hoc est *natura*, vel *substantia*, sed externa denominatione ; quod homo perfectus, et per sese subsistens adhæreret Deo, unumque cum illo factus, omnium ejus bonorum, et ornamentorum esset particeps. Tum etiam quia Dei organum erat, et per illum Deus operabatur, ac si quæ alia sunt capita conjunctionis, et unitionis illius ; quæ ex Nestorii decretis hoc ipso capite, et in primo libro accuratius exposuimus [2], ex quibus σχετικαὶ denominationes, non naturales, propriæque ducuntur.

XI. Nestorianæ conjunctionis exprimendæ formula secunda est, κατ' ἀναφοράν, quæ non tam *relatio* dicenda est, usitata dialecticorum in scholis potestate nominis, quam *rejectio in alterum*, vel *trajectio :* ut cum ad *auctorem* facti, aut consilii, vel quo quomodo participem, opus effectum referri dicitur. Sic ad Deum pertinere culpa dicitur, quæ contra principes, et magistratus ab illo constitutos, aut quamlibet potestatem ex ejus ordinatione venientem committitur. Ut cum Moses contumacem, ac refractarium populum ita castigat [3] ; *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum :* Et illud [4] : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit :* et alia pleraque, quæ κατ' ἀναφοράν dicuntur. Sic igitur omnia, quæ Dei propria sunt, in Christum cadere, et ipsum esse Deum, asserebat Nestorius, et hodieque novi Samosateni, ac Sociniani, κατ' ἀναφοράν, quoniam propter eximiam hominis illius functionem, et excellentem, ac singularem dignitatem, hujus ad Deum propria referuntur. Quemadmodum « (4) honor imagini delatus transire ad prototypum » dicitur ex vulgato Basilii dicto.

Sic Nestoriani dogmatis vim explicat Cyrillus, sub ejus persona, quem secum loquentem introducit, in dialogo de uno Christo : ubi ait « (5) Christum ab omni adorari creatura, tanquam individua cum natura divina copulatione præditum : adeo ut ob respectum ad Deum, et ejus notionem cum illo implicatam, creatura omnis adorationem ipsi deferat. » Quæ refellens Cyrillus, ἀναφορὰν illam, et

(1) CYRILL. 10. in Joan. pag. 866. D. Ἐκτικὴ μὲν ἡμῶν ἡ κόλλησις πρὸς Χριστον προαιρετικὴν ἔχουσα τῆς σαφηνείας τὴν δύναμιν, τελειοῦσα δὲ ἀγάπη, καὶ πίστει.

(2) MAXIM. apud Euth. in Panop. tit. 115. p. 601. Lat. ed. Σχετικὴ δὲ ἕνωσίς ἐστιν ἡ τῶν καθ' αὐτὰς ἰδικῶς ἐν μονάσι προσωπικαῖς ὑφεστώτων ἴση θελήματος κίνησις, καὶ γνωμικῆς ταὐτότητος ἀπαραλλαξία.

(3) HIER. ad ista, Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας. Ἡ γὰρ τοῦ καταχθονίου πρόσρησις οὐδενὶ ἄλλῳ προσήκει ἢ τῷ φύσει μὲν ὄντι ἀνθρώτῳ, σχέσει δὲ γενομένῳ δαίμονι.

(4) BASIL. cit. in 7. Syn. Ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ εἰς τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

(5) CYR. tom. 5. pag. 728. E. Τὴν παρὰ πάσης τῆς κτίσεως δέχεται προσκύνησιν, ὡς ἀχώριστον πρὸς τὴν θείαν φύσιν ἔχων τὴν συνάφειαν, ἀναφορᾷ Θεοῦ, καὶ ἐννοίᾳ, πάσης αὐτῷ τῆς κτίσεως τὴν προσκύνησιν ἀπονεμούσης. Vide et 731. E.

[1] Act. 4. 32. — [2] Cap. 9. et seq. [3] Exod. 16. 8. — [4] Luc. 10. 16.

ἔννοιαν Dei in Christo comprehensam eodem sensu accipit, quo paulo ante nos[1]; et similibus e Scriptura probat exemplis : velut Mosis, qui Judæorum contra se murmur ad Deum pertinere dixit. De hac ἀναφορᾷ disputat idem Cyrillus in Scholiis, capite 28.[2] et ex opinione Nestorii, quæcumque vilia, et molesta Christus passus est, ea dicit sola relatione ad Deum spectare.

Facundus libro 9. capite secundo, Nestorianam istam unitionem vocat « relationem dignitatis, vel auctoritatem personæ, vel gratiæ nuncupationem. »

Eulogius autem Alexandrinus eorum, quæ de Christo dicuntur, « (1) alia vere proprieque *ait* usurpari : alia secundum relationem. Referuntur enim a nobis ad ipsum, tanquam qui caput omnium nostrum fieri sustinuit, peccatum, et maledictum, et similia. » Quæ distinctio proba est, et a Catholicis recepta. Nam hujusmodi proprie non conveniunt Christo.

XII. Tertia Nestorianæ conjunctionis appellatio, est κατ' ἐνοίκησιν, hoc est *per inhabitationem*, qua Deus in Christo, velut in domo, vel templo suo, incoluisse dicitur : qua ratione Christum merum esse statuebat, et perfecte subsistentem hominem ; quem sibi copulavit Deus, et in eo deinceps habitavit. Ita Nestorius ipse citatus a Cyrillo, σάρκωσιν et ἐνανθρώπησιν declarans, nihil esse aliud docet, quam « (2) habitationem in homine ; non autem conversionem divinitatis in carnem. » Sic enim catholicum dogma calumniose detorquebat ad nefarium sensum, tanquam e substantiva conjunctione confusio, et divinæ naturæ conversio sequeretur.

Hanc inhabitationem genere ipso non dissimilem illius esse, qua in prophetis, et sanctis viris habitare dicitur Deus, fuit opinio Nestorii. Cujus modum late Theodorus Mopsuestenus apud Leontium[3] explicat : ex quo fragmentum illius in octavo de Trinitate libro descripsimus. Ibi nec *substantia*, nec *operatione*, sed sola εὐδοκίᾳ, id est *voluntate*, ac *benevolentia* constare *inhabitationem* istam, Theodorus affirmat.

Hunc modum conjunctionis ante illos Paulus Samosatenus invexerat : isque crimini illi datus est in Antiochena synodo posteriore contra ipsum habita, Imperatore Aureliano. Cujus synodi ex actis, et disputatione Malchionis presbyteri cum eodem hæretico, citat ista Petrus diaconus in libro de Incarnatione, cap. 3. « Et hoc etiam dicis, quod sapientia habitaret in eo. Habitamus et nos in domibus, ut alter in altero ; sed neque pars domorum nos sumus, nec nostra pars domus est. » Itaque ἐνοίκησις hujusmodi hæretica et Nestoriana hoc habuit, ut *alter in altero habitasse* diceretur : quod declarat Maxentius in Professione fidei[4]. Alioqui probo, et catholico sensu, et vere necessario in usum est recepta locutio ista : ut postea dicam.

XIII. Quarto Nestoriana ἕνωσις constituta est ab hæreticis illis, κατ' ἐνέργειαν, *secundum operationem*, vel *inoperationem*, ut Latini sæpe vertunt, et inter alios, Petrus diaconus, et Maxentius iis in locis, quorum proxime ante meminimus. Hunc modum explicat, et condemnat Gregorius Nazianzenus in epistola prima ad Cledonium : cujus verba ex Petri diaconi interpretatione reddemus. « (3) Si quis sicut in Propheta, secundum gratiam dicit inoperasse Domini Verbum, et non essentialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris. » Leontius in libro primo contra Nestorium et Eutychem[5] meminit istius unitionis, quæ κατ' ἐνέργειαν dicitur, cum ait : « Alios secundum substantiam illam affirmare esse factam : alios secundum energiam : alios secundum voluntatem. » Est autem unitio κατ' ἐνέργειαν, qualis est causæ efficientis, et instrumenti, quæ nullam οὐσιώδη, id est *substantivam*, et proprie dictam conjunctionem habet, « quæ colligat res, et in idipsum adducit ; » ut idem loquitur.

XIV. Quinto et postremo genere appellationis dicitur unitio Nestoriana *personalis*, græce προσωπικὴ, vel κατὰ πρόσωπον. Cyrillus in libro de recta Fide, Nestorianos ait existimasse, « (4) Christum hominem fuisse com-

(1) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 439. Ἔτι δὲ διαστολὴν τῶν ἐπὶ Χριστοῦ λεγομένων ποιεῖται, τὰ μὲν ἀληθῶς, καὶ κυρίως ὑποτιθέμενος λέγεσθαι, τὰ δὲ κατὰ ἀναφοράν. Ἀναφέρεται γὰρ ἀφ' ἡμῶν, ὡς κεφαλῆς πάντων ἡμῶν ἀνασχομένου γενέσθαι, ἥ τε ἁμαρτία, καὶ ἡ κατάρα, καὶ ὅσα παραπλήσια.

(2) Apud Cyr. lib. 1. cont. Nestor. tom. 6. p. 23. Οὐ τροπὴν τῆς ἰδίας φύσεως ὑπομεινάσης εἰς τὴν σάρκα, ἀλλὰ τὴν ἐνοίκησιν τὴν εἰς ἄνθρωπον.

(3) Naz. or. 51. pag. 739. Εἴ τις ὡς ἐν προφήτῃ λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας, μᾶλλον δὲ πλήρης τῆς ἐναντίας.

(4) Cyr. lib. de recta Fide, tom. 5. par. 2. p. 34.

[1] Cyr. ibid. p. 732. — [2] To. 5. p. 798. et seq. — [3] To. 2. lib. 8. c. 6. ex Leontii lib. 3. tom. 4. Par. 2. Bib. PP. col. 1012.

[4] Maxent. tom. 4. Bib. col. 436. — [5] To. 4. Bib. PP. 967.

munem, ex muliere natum, qui per incrementa, perque propriam, et humanam virtutem honore se dignum præstitit : tum personali cum divino Verbo consociatione : quique præscientia insigniter electus est. » Dixerat autem paulo antea, hanc esse συναφείας Nestorianæ vim, « (1) ut ambos in eamdem personam colligaret. Quippe unitionis veræ, quæ secundum naturam est, nullam illos rationem ducere. » Rursus in eodem libro, « (2) Igitur necessariam esse dicimus, *inquit*, unitionem illam, quæ est secundum hypostasim, Verbi cum carne, et non eam solam, quæ fit in personis, ac secundum voluntatem, sive simplicem coaptationem, ut quidam asserunt. » Vide epistolam ejusdem ad Nestorium secundam, quæ inter illius epistolas quarta censetur.

Joannes Damascenus [1] hanc unitionem προσωπικὴν vocat, id est *personalem* in libro tertio de Fide. Et Dialecticæ cap. 64. tametsi hoc in posteriore loco paulo aliter exponit. Nam « (3) personalem unitionem tunc esse» scribit, « cum aliquis personam subiens alterius, ejus vice loquitur quæ pro ipso dicenda sunt. » Maxentius vero *personalem* unitionem abjudicat Nestoriano illo sensu, ut postea dicemus.

XV. Nomen προσώπου, ut et *personæ*, quod alias observavimus [2], interdum pro hypostasi, et supposito sumitur : interdum vero qualitatem, conditionemque personæ significat. Ut cum dicimus sustinere aliquem regis, aut domini, vel privati servique personam. Hoc posteriore sensu, una hypostasis varias potest suscipere personas, ut Christus ipse fecit : et Sabellius ipse tres in una divinitatis hypostasi personas confitebatur, ut ibidem adnotavimus. Nec dubitandum est, quin Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, hujusmodi personarum in Christo diversitatem agnoverint : ut propter honoris, et dignitatis, imo divinitatis communionem, homo Christus pro Deo se gereret, et quæ Dei sunt propria dictis usurparet, et factis : ac vicissim quæ sunt hominis Deus Verbum in sese transferret : ita tamen ut σχετικῶς duntaxat, ac denominatione sola, et affectione, non οὐσιωδῶς, tanquam in una hypostasi, mutua illa communicatio fieri diceretur. Sed ad priorem maxime *personæ* significationem Nestorianus adhæsit error : quod hypostases duas arbitraretur in unam coiisse personam, non vera, proprieque dicta *unitate*, vel *unitione*, sed σχετικῇ : ut supra monuimus. Ita ex duabus naturalibus, et per se ac separatim existentibus subsistentiis, sive personis, unam factam esse personam aiebat, non tamen substantivam, aut naturalem ; verum sola consensione voluntatum, vel respectu, et habitudine mutua conflatam, quam *moralem unitatem* scholæ nuncupant.

XVI. Quocirca προσωπικὴ, sive *personalis unitio*, duplicem habet intelligentiæ rationem. Aut enim ex iis, quæ copulari inter se dicuntur : aut ex *effecto*, sive *termino*, in quem *unitio* redigitur, ducta est appellatio. Priore modo, Nestorius προσωπικὴν vocabat, quia duæ non modo naturæ, sed etiam personæ, atque hypostases, ex illius opinione, invicem conjunctæ sunt. Posteriore vero Catholici personalem eamdem *unitionem* nominarunt ; quod hæc in unam subsistentiam, ac personam desierit. Hinc Theorianus in legatione ad Armenos, « (4) Nestorium *ait* duas naturas affirmasse separatas, non conjunctas in unam personam. » Quod de *persona* proprie dicta, sive hypostasi par est accipere. Nam alioqui Nestorius unam *personam* in Christo inesse profitebatur ; sed verbo tenus, et ejusdem generis, cujus erat illius unitio. Vide quæ in libro primo capite 9. de Nestorii hæresi diximus [3]. Atque hoc synodus quinta recte notavit in canone, sive anathematismo quarto : ubi ait, « (5) Nestorianos secundum homonymiam, Deum Verbum, Jesum et Christum vocantes, et hominem separatim Christum, et Filium

Σκοπὸς δὲ τοῖς ἕτερα παρὰ τοῦτο φρονεῖν ῥηθεῖσι, καὶ κοινὸν ἄνθρωπον ἀποφαίνειν τὸν ἐκ γυναικὸς, ἐξ ἐπιδόσεως, ὡς ἔφην, καὶ ἐξ ἰδίας τε, καὶ ἀνθρωπίνης ἀρετῆς ἄξιον ἑαυτὸν παραστήσαντα τοῦ χρῆναι τιμᾶσθαι, καὶ συναφείᾳ προσώπου τῇ πρὸς τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον, καὶ ἀπολέκτον γενέσθαι κατὰ πρόγνωσιν.

(1) Ibid. pag. 53. Ὡσανεὶ τοῦ τῆς συναφείας λόγου, καθάπερ αὐτοί φασιν, εἰς ἓν αὐτοὺς πρόσωπον συνεισδέοντος. Ἑνώσεως γὰρ τῆς κατὰ φύσιν ἀληθοῦς οὐδεὶς λόγος αὐτοῖς.

(2) Ibid. pag. 103. Οὐκοῦν ἀναγκαίαν εἶναί φαμεν τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν τοῦ Λόγου πρὸς τὴν σάρκα· καὶ οὐχὶ δὴ μόνην τὴν ἐν προσώποις, καὶ κατὰ θέλησιν, ἥ τοι συνάφειαν, ἁπλῆν, καθά φασί τινες.

(3) DAMASC. dial. cap. 64. Πάλιν ἕνωσις λέγεται προσωπικὴ, ὅταν τις τὸ ἑτέρου ὑποδυόμενος πρόσωπον, ἀντ' αὐτοῦ τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ ποιῆται λόγους.

(4) THEOD. tom. 11. bibl. PP. Ἀλλ' ὁ Νεστόριος δύο φύσεις ἔλεγε κεχωρισμένας, οὐχ ἡνωμένας εἰς πρόσωπον ἕν.

(5) Syn. V. anath. 4. Ἢ καθ' ὁμωνυμίαν καθ' ἣν οἱ Νεστοριανοὶ τὸν Θεὸν Λόγον, Ἰησοῦν, καὶ Χριστὸν καλοῦντες, καὶ τὸν ἄνθρωπον κεχωρισμένως Χριστὸν, καὶ Υἱὸν ὀνομάζοντες, καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν, καὶ ἓν πρόσωπον, καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν.

[1] Lib. c. 3. 3. p. 173.

[2] Lib. 4. de Trin. cap. 4. — [3] § 7.

nominantes, et duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam, et unum Filium, et unum Christum confingere sese dicere.» Vide Justiniani imperatoris professionem fidei ad quintam Synodum adtextam [1]; ubi Nestorianam illam unitatem, quam et σχετικὴν vocat, inter personas duas, cum catholica confert; quæ inter personam unicam Verbi, et naturam duntaxat hominis intercessisse ponitur, quæ quidem προσωπικὴ dici debet; quïa in unam personam vere, ac proprie dictam desinit; non ex duabus efficitur, aut componitur; ut illa Theodori ac Nestorii.

CAPUT QUARTUM.

1. De tribus nominibus, a quibus unitionis in Christo appellatio petitur, φύσει, οὐσίᾳ, ὑποστάσει; ac primum de φυσικῇ unitione, quam primus ita nominavit Cyrillus. — 2. Ideo in reprehensionem quorumdam incidit. — 3. Ob quam coactus est mentem explicare suam : et primo idem esse dixit quod veram. — 5. Altera ratio denominationis, quod ex ea unum aliquid per se fit. — 6. Tertia, quod naturæ sit humanæ cum Deo, non personæ conjunctio. — 7. Cur vocetur unitio κατ' εὐδοκίαν. — 8. De secundo vocabulo unitionis, quo οὐσιώδης dicitur, hoc est *substantiva*, sive *essentialis*. — 9. Quia substantiæ ipsæ per se copulantur, non interventu accidentis. — 10. De tertio nomine unitionis, quo hypostatica dicitur, quæ appellatio ab Cyrillo primum usurpata. — 11. Hanc soli Incarnationi convenire. Hippolytum in fragmentis denominatione illa usum esse, de quo ideo dubitatur. — 12. Post Cyrillum frequens illius usus. — 13. Et probatus in Chalcedonensi synodo; — 14. et in sequentibus : necnon a Patribus. — 15. Quid proprie significet. — 16. Theodoretus hanc locutionem impugnavit : defendit Cyrillus. — 17. Summatim trium appellationum istarum ratio subducta.

I. Exposita naturarum in Christo falsa conjunctione, et cum auctoribus suis Theodoro Mopsuesteno, ac Nestorio proscripta, de ea nunc agendum est, quam in catholicæ fidei professionem receperunt Christiani theologi, et adversus impiam illam pluribus vocabulorum notis munitam reliquerunt. Occurrunt autem tria fere simplicia nomina, quæ in censum veniunt unitionis istius, et ex quorum vi ac proprietate, illius ratio, ac descriptio petitur; φύσις, οὐσία, et ὑπόστασις, de quorum significatione accurate disputatum est in quarto libro de Trinitate. Ab iis vero unitio illa φυσικὴ, οὐσιώδης, et ὑποστατικὴ vocatur, sive κατὰ φύσιν, κατ' οὐσίαν, et καθ' ὑπόστασιν, id est *secundum naturam, substantiam, et subsistentiam.*

De singulis dicendum nobis est, et quatenus quæque in usum sit ascita, vel e contrario repudiata, ratio est aliqua reddenda.

Nominis φύσεως ad Incarnationis propriam ἕνωσιν adhibendi, ut ea φυσικὴ, sive κατὰ φύσιν vocaretur, haud scio an princeps fuerit Cyrillus Alexandrinus. Plurimum hic quidem et insigniter eo loquendi genere est usus. In libro de recta Fide : « (1) Unitum esse secundum naturam carni Deum Verbum, sanctos omnes affirmare Patres » dicit. Et in eodem libro, « (2) veram » nominat « unitionem secundum naturam. »

Eamdem φυσικὴν appellat in Anathematismo tertio, et in epistola prima ad monachos [2] : Sophronius item [3] σύμβασιν φυσικὴν, id est *conventionem naturalem.*

Sic Maxentius Christum « in duabus substantiis » confitetur, « sed naturali, non personali conventione unitis. » Personalem unitionem abnegat eo sensu, quem superiori capite dixi; ita ut personæ duæ in unam, ex Nestorii opinione, coalescant. Petrus quoque diaconus [4], Verbum « essentialiter, sive naturaliter carni unitum esse » dicit. « Propterea etiam (addit) essentialem, sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur : » et *personalem* subinde, *ac subsi-*

(1) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 52. Ἡνῶσθαι δὲ κατὰ φύσιν διαβεβαιούμενοι τῇ σαρκὶ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον, etc.
(2) Ibid. pag. 53. Ἑνώσεως γὰρ τῆς κατὰ φύσιν ἀληθοῦς, οὐδεὶς λόγος αὐτοῖς. Et libro 2. con. Nestor. tom. 6. p. 34. et in epist. ad Nestor. tom. 5. par. 2. p. 70.

[1] Tom. 4. Concil. p. 346. — [2] Tom. 5. Par. 2. pag. 9. — [3] In Syn. 6. Act. 11. p. 165. F. tom. 5. Conc. [4] Lib. de Inc. c. 3. inter opera Fulg. p. 228.

stentialem abdicat perinde ac Maxentius ; qui iisdem vocibus usus est in anathematismo tertio [1].

II. Huic *naturalis* appellationi, cum de *Incarnatione*, et *unitione* sermo est, non solum Nestorius restitit; qui in Anathematismo quinto damnavit [2], *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium auderet dicere*, quo decreto Cyrillum tacito nomine perstrinxit: verum etiam Theodoretus eumdem Cyrillum ea de causa redarguit, quod in tertio Anathematismo, σύνοδον τὴν καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, id est *conventum ad unitatem naturalem*, ut vertit Dionysius exiguus, appellari jussisset ; vel *secundum unitionem naturalem*. Atque hoc ille ludicro, et parum acuto argumento refellit, quia « (1) natura res est necessitatem afferens ; et citra voluntatem. » Velut necessitate quadam esurimus, non arbitrio nostro, et voluntate. « Quare si naturalis facta est divinæ formæ cum humana secundum unitionem conventio, consequens erit, necessitate aliqua coactum, non benignitate utentem Deum Verbum, servili formæ copulatum. » Sed hanc Theodoreti jocularem in verbo calumniam irridet Cyrillus, et mentem suam explicat eo modo quem paulo post referam.

Validius id erat, quod Eutychiani, et Acephali ad oppugnandam illam Cyrilli vocem subministrabant. Nam illi, qui in omnibus auctorem Cyrillum præferebant, ab eoque hæresim se suam hausisse jactabant ; ex illa *naturalis unitionis* appellatione, unicam disputabant post unitionem in Christo esse naturam. Sic Acephalus apud Rusticum [3] argumentando colligit : et alioqui sua cuique ratio statim hujusmodi dubitationem objicit, cum naturalem audit unitionem , præsertim cum in persona, non in natura facta illa sit ; et « (2) quæ in Christo sunt duo, non natura unum sint, sed conventione, » ut scribit Gregorius Nazianzenus.

III. Merito itaque tam Ephesinæ synodi auctoritas, quam adversantium Orientalium jurgia, dicti illius interpretationem expresserunt ab Cyrillo. Eaque triplex ejus e scriptis conficitur. Prima, et usitatissima est, φυσικὴν idem esse atque ἀληθῆ, id est *veram*. Ita Cyrillus in prima anathematismorum enarratione, quam, ut dixi, rogatu Synodi conscripsit. Ibi enim rationem reddens anathematismi tertii, in quo ἕνωσιν φυσικὴν dixerat, ita se locutum asserit, ut Nestorii falsæ illi, et simulatæ unitioni intercederet : qua cum homine perfecto ac separatim subsistente, Dei Verbum sola dignitatis, et auctoritatis communione conjunctum esse dicebat ; adeo ut post istam copulationem, duo nihilominus manerent filii. Contra hunc igitur *naturalem* se *unitionem* asseverasse scribit, id est *veram*. Sic enim Apostolum intellexisse *naturalis* vocem, cum dixit [4], *Eramus natura filii iræ, sicut et ceteri*, hoc est *revera*. Idem et in anathematismi ejusdem defensione adversus Orientales excipit : qui et ipsi, perinde ac Theodoretus, ex necessitate, quæ naturam comitatur, invidiam faciebant unitioni naturali. Necessitatem porro non simplicem intelligebant ; sed violentam, et cogentem. Ideo Cyrillus, præsertim contra Theodoretum scribens, strenue hunc redarguit, et multa naturaliter fieri docet citra vim, et coactionem, quemadmodum homo natura sua ratione præditum est animal ; nec ejusmodi esse vi ulla cogitur. Deus item naturaliter est id quod est ; nec ei ulla vis adhibetur. De quo vide et Maxentium initio dialogi secundi.

Igitur φυσικὴ, id est *naturalis unitio ;* quod ibidem pugnat adversus Theodoretum ; vocatur ἡ ἀληθὴς, id est *vera*, et « (3) quæ nullam patitur conjunctarum rerum inter se conversionem, et confusionem. » Etenim cum eorum, quæ conjungi dicuntur, alterutrum interit, aut in alterum vertitur, aut a natura sua demutatur ; non est proprie ἕνωσις φυσικὴ, neque vera.

IV. Sic illud Apostoli in epistola ad Ephesios, *Eramus natura filii iræ*, græci accipiunt interpretes, ut sit, (4) *vere*, *ac legitime*, id est absque fuco, et simulatione. Et quod in epistola ad Galatas scriptum est [5] : *Iis, qui natura non sunt dii, serviebatis*, falsos gentilium deos, atque fictos, minimeque veros significat.

(1) THEODORETUS cont. anath. 3. Cyr. in par. 3. Eph. syn. pag. 483. Ἡ γὰρ φύσις ἀναγκαστικόν τί ἐστι, καὶ ἀδούλητον χρῆμα. MOX : Εἰ τοίνυν φυσικὴ γέγονε τῆς τοῦ Θεοῦ μορφῆς, καὶ τῆς τοῦ δούλου μορφῆς ἡ καθ' ἕνωσιν σύνοδος, ὑπ' ἀνάγκης τινὸς βιαζόμενος, ἀλλ' οὐχὶ φιλανθρωπίᾳ κεχρημένος ὁ Θεὸς Λόγος συνήφθη τῇ τοῦ δούλου μορφῇ.

(2) NAZIANZ. orat. 2. de Filio quæ est 36. p. 58. Εἰ γὰρ καὶ τὸ συναμφότερον ἕν, ἀλλ' οὐ τῇ φύσει, τῇ δὲ συνόδῳ.

(3) CYR. ad anath. 3. cont. Theod. in conc. Eph. tom. 2. Conc. pag. 485. Τουτέστι τὴν ἀληθῆ, καὶ τροπῆς ἐλευθέραν, καὶ ἀσύγχυτον παντελῶς τῶν ὑποστάσεων σύνοδον.

(4) ŒCUMEN. et THEOPH. Ἀληθῶς, καὶ γνησίως.

[1] Tom. 4. Bibl. PP. p. 441. — [2] Nest. in Par. 1. Ephes. Concil. p. 218.

[3] Tom. 4. Bibl. PP. col. 813. E. — [4] Eph. 2. 3. — [5] Gal. 4. 8.

Eadem notione φύσεως nomen usurpant etiam alii Patres, ut Epiphanius. Nonnunquam et opponunt ei, quod est χάριτι, hoc est *gratia*, sive liberali ac prolixa voluntate. Sic Athanasius in calce libri de Incarnatione verbi Dei, « (1) Christum *ait* in cœlum ascendisse in naturali gloria, non dono atque gratia. » Et alibi, « (2) exaltatum esse hominem unitione cum Excelso, et communione, natura, et veritate. » Et plerique veterum cum de proprietate Filii Dei, etiam in suscepta carne, contra Paulum Samosatenum, aut Theodorum Mopsuestenum, ac Nestorium disputant, accurate discernunt eum qui est φύσει, ab eo qui est χάριτι. Diodorus Tarsensis, qui cum Mopsuesteno Theodoro Nestorianæ prælusit hæresi, apud Leontium [1], ita loquitur : « Gratia filius, homo ex Maria natus : natura autem, Deus Verbum : illud gratia, et non natura : hoc autem natura, et non gratia. » Sic Paschasius Ratbertus libro de corpore et sanguine Domini capite 1. « Cogitet ergo quisque, panes illi in eremo quinque aut septem si habuerunt substantialiter ex se ut tot homines satiarent, etc. an in gratia fuit quod factum est Creatoris. » De hoc agemus postea, cum de adoptivo, ac vero Filio disputabimus. Rursus auctor libri cujusdam, qui inter Athanasii rejicula editus est, angelos qui ab Abrahamo excepti sunt sub hominum specie, et cibum sumpserunt, hoc illos « (3) non natura, sed visu, et apparenti specie fecisse » scribit.

Acephali, ut jam dixi, qui naturæ unitatem ex eo colligebant, quod Cyrillus *unitionem naturalem* vocasset, cum ejusdem interpretatione refellerentur a Catholicis, qua *naturale* pro *vero* positum a se docuit : aiebant illum invidiæ declinandæ causa, et κατὰ συγκατάβασιν, usum esse vocabulo ad eorum captum, quibuscum res illi erat, accommodato ; et nihilominus *verum* idem esse quod *naturale*, hoc est in *naturam unicam* conjunctione redactum. Verum Rusticus erudite cavillationem hanc discutit [2], ex eo quod Cyrillus in exemplum attulit ex Apostolo, *Eramus natura filii iræ ;* ubi naturæ proprietas locum habere non potest.

V. Altera est significatio *naturalis unitionis* apud Cyrillum, quod ex ea sit unum aliquid proprie, ac per se. Id enim naturale dicitur, quod non sola voluntate, aut cogitatione, aut externa quadam habitudine, ac relatione constare dicitur. Quemadmodum Christus, ex Verbi et humanæ naturæ conjunctione, unus aliquis existit, non aggregatione sola ; neque consensione voluntatum, neque metaphorice, vel ex accidenti : sed una est subsistentia, sive persona, ex duabus, et in duabus naturis substantivo nexu inter se devinctis. Quare opponitur unitio φυσικὴ ei quam σχετικὴν vocant, qualis ab Nestorio fingebatur.

Declarat hoc Cyrillus in libro secundo contra Nestorium. Ibi enim postquam συνάφειαν illam Nestorii « (4) extrinsecus adscitam, et affectione constantem » repudiavit, *veram* huic opponit *unitionem* : per quam « (5) unus, *inquit*, intelligitur, et solus : cui omnis sermo congruit, ac tanquam ab una persona omnia dicuntur. » « Unus enim idemque est, ut ait Leo [3], vere Dei filius, et vere hominis filius, » qui ex utraque natura, quæ sunt cujusque propria facit, ac loquitur. Tum ita distinctas in Christo ambas esse naturas idem Cyrillus asserit, ut « (6) unus ex ambabus intelligatur esse Christus, dum vera unitione congruant invicem divinitas, et humanitas. » Et in defensione anathematismi tertii contra Theodoretum [4], ubi rationem reddit, cur *naturalem* appellet unionem, ait propterea se ita loqui, ut falsam et σχετικὴν excludat ; ex qua non unus existit vere, proprieque Dei Filius, sed duo separati a se invicem et disjuncti, quod ipsum et in aliis anathematismi ejusdem declarationibus [5], et in ceteris contra Nestorium a se scriptis libris perpetuo commemorat. Non est autem vera, et naturalis unitio, quæ unum proprie non efficit, sed duo relinquit nullo inter se substantivo nexu copulata.

(1) ATHAN. pag. 463. Ἀνελθὼν εἰς τὸν οὐρανὸν ἐν δόξῃ φυσικῇ, καὶ οὐκ ἐν χάριτι.

(2) Id. lib. de salut. adv. Chr. pag. 500. Ὑψωσιν δὲ ἀσυλλόγιστον ἀναδείξαι τοῦ ἀνθρώπου, τῇ πρὸς τὸν ὕψιστον ἑνώσει, καὶ κοινωνίᾳ, φύσει, καὶ ἀληθείᾳ.

(3) ATHAN. tom. 2. pag. 266. C. Καί τοι τῆς ἁγίας γραφῆς οὐ τῇ φύσει τοῦτο γεγενῆσθαι, τῇ δὲ ὄψει μόνῃ σαφῶς παριστώσης.

(4) CYR. tom. 6. pag. 31. Τὴν θύραθεν ἐπινοουμένην, ἤτοι σχετικήν.

(5) Ibid. Οὕτω τε εἷς νοεῖται, καὶ μόνος. Ἅπας τε αὐτῷ πρέπει λόγος, καὶ ὡς ἑξ ἑνὸς προσώπου τὰ πάντα λελέξεται.

(6) CYRILL. ibid. Ἀλλ' εἷς ἐξ ἀμφοῖν νοεῖται Χριστὸς καθ' ἕνωσιν ἀληθῆ ἀλλήλοις συμβεβηκότων, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος.

[1] Tom. 4. Bib. PP. Par. 2. 1022. — [2] Tom. 4. Bibl. 418. — [3] Fp. ad Flav. 10. c. 4. — [4] Cyr. Par. 8. Eph. Conc. p. 345. — [5] Vide ib. pag. 436. et 447.

VI. Tertio *naturalis* unitio in Christo nominatur, quia natura sola hominis cum Verbo, non persona conjungitur : nec est προσώπων ἕνωσις, aut προσωπικὴ : ut ex Cyrillo, aliisque capite antecedente diximus [1]. Quo et Maxentius respexit paulo ante citatus [2], dum « naturali, non personali conventione unitas esse » duas in Christo substantias affirmat : necnon Petrus diaconus.

Theodoretus certe *unitionem* animæ cum corpore φυσικὴν vocat [3] ; nempe quia unum aliquod per sese faciunt, non sola voluntate, et εὐδοκίᾳ. Quanquam alia præterea causa subest, quæ in Christo minime cernitur. Siquidem anima et corpus in unius naturæ compositionem junguntur invicem, quos Rusticus diaconus parum expedita loquendi ratione ita concipit [4] : « Anima igitur rationalis, et corpus hominis identitatem naturæ circa unionem suscipiunt. » Idem porro Rusticus *naturalem unitionem* a Cyrillo nominari, ob eam causam, quam affirmamus, in illo ipso dialogo luculenter adstruit. Nam sciscitanti Acephalo [5], « Si non per unitionem una natura facta est ex duabus, quare unitionem dixerit naturalem ; » ita respondet : « Ad refellendum eos, qui dicunt, quia nostræ naturæ non ipsa divina Verbi natura unita sit : sed velut accidens aliquod Verbi tantummodo ; ut dignitas, ut auctoritas, ut potestas. Prætermittens enim quoniam non conjungendæ sunt subsistentiæ secundum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, solum tunc intulit ; sed secundum unitionem naturalem : id est, ipsarum naturarum : tanquam si quis dicat, chorus angelicus, id est chorus angelorum. Necnon ob hoc, quia non persona est unita personæ ; sed Deus Verbum nostram naturam sibimetipsi unire dignatus est, non vero nostram personam : ne non vera, neque in unam personam, neque in unum facta ponatur unitio. » Quibus in Rustici verbis illud observandum venit, *naturalem* ob id unitionem nominari, quod natura hominis personæ est conjuncta divinæ : eaque conjunctio non in accidente aliquo facta, velut in dignitate, aut potestate, ut putabat Nestorius ; sed in naturis ipsis, sive in natura, et persona : vel potius natura non subsistente, et natura subsistente. Hoc nisi esset, neque vera, nec in unum vere facta esset unitio.

VII. Etsi autem unitio ista, κατ' εὐδοκίαν, id est sola Dei benigna, et benefica voluntate perfecta sit : [6] *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* : nihilominus hac velut efficiente causa, et impulsione posita, naturalis et substantiva eo, quem dixi modo, secuta est naturarum connexio. Exposuit hoc diserte Nemesius in calce capitis tertii verbis istis : « (1) Non igitur benignum placitum modus est unitionis, uti claris quibusdam viris placet : sed natura ipsa causa est. Nam quod corpus suscepit, merito dici potest id benigna voluntate fecisse. Quod autem sine confusione est unitus, propria Dei natura fit, non benigno placito. » Cui simile quiddam apud Theodoretum legitur : cujus verba vel ejus gratia hic adscribenda sunt, quod vocem ipsam φυσικῆς ἑνώσεως, quam in Cyrillo tam acriter ante reprehenderat, melior postea mente præditus in usum assumpserit. « (2) In Christo Domino, *inquit*, benignæ voluntati, et humanitati, ac gratiæ totum est tribuendum. Verum cum naturalis hic unitio fit, integræ remanserunt naturarum proprietates. »

Ad extremum minime illud omitti debet, Cyrillum libro undecimo in Joannem, « (3) carnem Christi, » hoc est humanam ejus naturam, dicere « ad Deum Verbum, ac per hanc ad Patrem ascendisse σχετικῶς, non φυσικῶς ; » quod sic intelligendum esse ibidem demonstrat ; « (4) quod ex se, et suapte conditione non habet hoc, ut unum sit cum Deo. » Est tamen singularis, et notabilis ista loquendi formula, nec facile theologis imitanda : ne errandi in plerisque mysterii istius ansam præbeat : præsertim in constituenda Filii ratione, quod ad assumptum hominem spectat : sitne

(1) NEMES. Οὐκ εὐδοκία τοίνυν ὁ τρόπος τῆς ἑνώσεως, ὥς τισι τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν δοκεῖ· ἀλλ' ἡ φύσις αἰτία. Τὸ μὲν γὰρ ἀναλαβεῖν σῶμα κατ' εὐδοκίαν εἶποι τις ἂν εὐλόγως γεγενῆσθαι· τὸ δὲ ἐνοῦσθαι μὴ συγχυθῆναι κατὰ τὴν οἰκείαν τοῦ Θεοῦ φύσιν, οὐ κατ' εὐδοκίαν γίνεται.

(2) THEOD. dial. 2. tom. 4. pag. 71. Ἐπὶ δὲ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, τὸ ὅλον εὐδοκίας ἐστὶ, καὶ φιλανθρωπίας, καὶ χάριτος. Πλὴν καὶ φυσικῆς ἐνταῦθα τῆς ἑνώσεως οὔσης, ἀκέραια μεμένηκε τὰ τῶν φύσεων ἴδια.

(3) CYR. 11. in Joan. pag. 1001. Ὁ γὰρ τῆς πρὸς Θεὸν ἑνώσεως τρόπος οὐχ ἑτέραν ἔχει τὴν ὁδὸν, καὶ εἰ νοοῖτο τυχὸν ἐπὶ Χριστοῦ, καθὸ πέφηνέ τε, καὶ κεχρημάτικεν ἄνθρωπος, ἑνώσει τῇ πρὸς τὸ Πνεῦμα, κατὰ τὸν ἄῤῥητον τῆς συνοδου τρόπον ἁγιαζομένης δηλονότι τῆς σαρκὸς, οὕτω τε πρὸς ἕνωσιν ἀσυγχύτως ἀναβαινούσης αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν Δόγον, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα, σχετικῶς δηλονότι, καὶ οὐ φυσικῶς.

(4) Ibid. Οὐκ ἐχούσης οἰκεῖσθαι τὸ ἓν εἶναι πρὸς τὸν Θεόν.

[1] § 14. — [2] Hoc c. § 1. — [3] Dial. 2. p. 71. — [4] Dial. contra Aceph. col. 805.

[5] Rust. ib. col. 13. et seq. — [6] Joan. 3. 16.

adoptivus, an naturalis ; de quo inquirendum erit postea.

VIII. Post φύσιν, id est *naturam*, a qua naturalis unitio dicitur, sequitur vox secunda, quæ est οὐσία, a qua οὐσιώδης eadem vocatur unitio, vel κατ' οὐσίαν. Significat autem οὐσία proprie *substantiam* : de qua legenda sunt, quæ in quarto de Trinitate scripsi [1]. Gregorius Nazianzenus in epistola priore ad Cledonium, unitionem, qua Incarnatio constat, κατ' οὐσίαν esse factam, credi jubet sub anathematis interminatione. « (1) Si quis, *ait*, tanquam in Propheta gratia operatum esse Deum in Christo dicit, et non secundum substantiam conjunctum esse, ac conjungi, a præstantiore afflatu vacuus sit : imo contrario repleatur. »

Maximus martyr in scholiis ad caput septimum Dionysii de cœlesti Hierarchia, « (2) Carnem Domini secundum substantiam, et hypostasim unitam *ait* esse Deo Verbo. » Leontius in primo contra Nestorium et Eutychem [2] « unitionem itidem secundum substantiam » nominat, deque ea late disputat. Joannes Damascenus, « (3) Substantivam, *inquit*, unitionem dicimus, hoc est veram, et non secundum imaginationem : substantivam porro, non sic, tanquam naturæ duæ unam naturam compositam effecerint : sed ita, ut unitæ sint invicem revera in unam hypostasim compositam Filii Dei : ac salvam esse substantivam ipsarum differentiam statuimus. »

Theodorus Rhætuensis presbyter in Isagoge de incarnatione Domini, « (4) naturas duas substantive conjunctas nihilaliud significare » dicit, « nisi non esse intelligendam unitionem naturarum duarum, secundum benignam voluntatem, vel alteram quamdam habitudinis notionem : sed ipsa substantia, et subjecto, ac re simul illas subsistere, atque componi. »

Latini quoque Græcos imitati, *essentialem* hanc *unionem* non dubitarunt dicere [3]. Petrus diaconus, « Deum Verbum incarnatum, et hominem factum, atque essentialiter, sive naturaliter carni unitum » scripsit. « Propterea etiam essentialem, sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur : non sicut illi, qui, tanquam in Propheta, in Christo Dominum Verbum inoperasse contendunt. » Petrus item Damiani Opusculo primo, capite 8. « essentialiter counitum esse Filio » docet « humani corporis templum. » Et Paulinus Aquileiensis [4], « in ipso conceptu virginalis uteri Deum essentialiter factum esse Christum. »

IX. Ex iis intelligimus, οὐσιώδη conjunctionem illam nominari, quia substantiæ ipsæ per sese copulantur invicem, non accidenti aliquo intercedente, velut amore, aut simili affectione, quam σχέσιν vocant. Applicantur enim sibi mutuo naturæ, ac substantiæ duæ, et unum per se substantivum, hoc est personam unam constituunt : ac natura hominis ipsa, non efficientia sola divinitatis, vel relatione, vel habitudine alia quapiam, Dei fit particeps : sed divinitate ipsa, ut ita loquar, afficitur, et, quod ait Gregorius Nazianzenus, *substantialiter*, aut *essentiatur*. « Dabitur enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciunt, utamur verbis interdum inauditis : » ut cum Cicerone dicam [5]. Verba Gregorii melius se ipsa declarabunt :

(5) Dei totius particeps facta est hominis natura,
Non ut Propheta, vel quispiam alius divinitus afflatorum,
Qui non tam Dei particeps fuit, quam eorum, quæ Dei sunt.
Verum substantialus sic, tanquam radiis sol.

Denique Euthymius in Panoplia, οὐσιώδη interpretatur « (6) veram, et non specie sola constantem. »

Ad summam, οὐσίας vocabulum ab eo, quod

(1) NAZ. orat. 52. pag. 739. Εἴ τις, ὡς ἐν προφήτῃ, λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας, μᾶλλον δὲ πλήρης τῆς ἐναντίας.

(2) MAX. in Dion pag. 29. Ἀλλ' ἡ μὲν σὰρξ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου κατ' οὐσίαν, καὶ καθ' ὑπόστασιν ἥνωται αὐτῷ τῷ Θεῷ Λόγῳ.

(3) DAMASC. lib. 3. cap. 3. Οὐσιώδη γὰρ φαμὲν τὴν ἕνωσιν, τουτέστιν ἀληθῆ, καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν. Οὐσιώδη δὲ, οὐχ ὡς τῶν δύο φύσεων ἀποτελεσασῶν μίαν σύνθετον φύσιν, ἀλλ' ἑνωθεισῶν ἀλλήλαις κατὰ ἀλήθειαν εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνθετον τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ σώζεσθαι αὐτῶν τὴν οὐσιώδη διαφορὰν ὁριζόμεθα.

(4) THEODORUS tom. 11. bibl. PP. pag. 323. Διὰ δὲ τοῦ λέγειν, οὐσιωδῶς ἡνωμένας, σημαίνει τὸ μὴ κατ' εὐδοκίαν, ἢ ἑτέραν τινὰ σχετικὴν ἔννοιαν, νοεῖσθαι τὴν τῶν δύο φύσεων ἕνωσιν· ἀλλ' αὐτῇ οὐσίᾳ, καὶ ὑποκειμένῳ, καὶ πράγματι συνυφεστάναι ταύτας, καὶ συντεθεῖσθαι.

(5) GREGOR. Nazianz. Carm. de vita sua.

Θεοῦ δι' ὅλου μετέσχεν ἀνθρώπου φύσις,
Οὐχ ὡς Προφήτης, ἤ τις ἄλλος ἔνθεον,
Ὅς οὐ Θεοῦ μετέσχε, τῶν Θεοῦ δέ γε.
Ἀλλ' οὐσιωθεὶς ὥσπερ αὐγαῖς ἥλιος.

(6) EUTH. Pan. par. 1. tit. 7. pag. ed. lat. 144. Λέγεται δὲ καὶ οὐσιώδης ἡ τοιαύτη ἕνωσις, ἤγουν ἀληθὴς, καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν.

[1] Cap. 1. — [2] Tom. 4. Bib. PP. Par. 2. 967. et seq. — [3] Lib. de Incarn. cap. 3. — [4] Paul. lib. 1. cont. Fel. inter Alc. opera col. 1802. — [5] Cic. lib. 1. Acad. q.

est εἶναι, derivatum, vel pro eo simpliciter usurpatur, quod veram habet extantiam : vel Aristoteleo, et philosophico more, pro eo, quod per se est, et substantia dicitur, maxime prima, et individua. Utroque modo οὐσιώδης appellatur *unitio* naturarum in Christo. Nam et vera est, non opinione sola constans, ac specie : et quod ex ea consurgit, unum itidem vere est ac proprie dictum : et in unam, individuamque substantiam, hoc est particularem, non universalem, sive hypostasim, natura utraque coalescit : ex quo οὐσιώδης, id est substantiva merito censetur unitio.

X. Tertium vocabulum, quo ad *unitionis* naturarum in Christo declarandam proprietatem græci utuntur theologi, est ὑπόστασις, a qua ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, id est *unitio secundum hypostasim* vel ὑποστατικὴ dicitur. Ita passim Cyrillus : ut in epistola secunda ad Nestorium. In qua vim esse hujusmodi ait Incarnationis, et inhumanationis, non ut natura Verbi mutata, caro facta sit ; neque ut in totum hominem conversa, sed illud potius, « (1) ut animatam rationali carnem anima Verbum sibi secundum hypostasim univerit, et inexplicabili quadam ratione homo factus sit, hominisque filius, non sola voluntate, vel beneplacito. » Et in primo contra Nestorium [1] : nec non in Anathematismo secundo, ac pluribus aliis in locis unitionem istam ita nominat.

Euthymius in Panoplia, conjunctionem illam, quæ fit secundum hypostasim, « (2) ei soli convenire » dicit, « qua divinitas et humanitas junguntur in Christo. » Addit etiam, « primum omnium Cyrillum genus hoc unitionis in dogma catholicum invexisse. Cum enim Nestorius conjunctionem duarum in Christo naturarum sola affectione factam doceret ; ille, ut hujusmodi blasphemiæ resisteret, unitionem secundum hypostasim introduxit ; quæ hoc significat, naturas illas in una hypostasi, hoc est in una persona copulatas esse. »

XI. Hic duo notare obiter oportet. Alterum τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν soli Incarnationi convenire. Atqui inter Maximi opuscula tredecim ab Francisco Turriano collecta, unum est, in quo varia unitionis genera describit, et inter hæc illam complectitur, quæ est *secundum hypostasim* ; et « hanc in substantiis esse » dicit, « ut in anima et corpore. » Verum aliter unitio illa corporis, et animæ secundum hypostasim dicitur, quam in incarnatione Verbi. (Si hypostasis vulgata notione pro *supposito* capitur : quod nunc communi indulgemus usui, cum alioqui Cyrillus ὑπόστασιν paulo aliter intellexerit uti suo loco dicetur [2], cum ab hæretica illum calumnia vindicabimus.) Illic enim ideo sic vocatur, quia duæ illæ partes in unam conveniunt hypostasim hominis ; etsi neutra proprie est hypostasis. At in Christo non solum una fit hypostasis : sed etiam ex duobus componentibus alterum est hypostasis, ad quam alterum applicatur, quod hypostasi propria carens, in aliena subsistit.

Secundo quod principem ait Cyrillum unitionem secundum hypostasim dixisse, posset alicui dubium videri, propterea quod Hippolytus Portuensis in fragmento primo contra Beronem et Helicem [3], capite primo hujus libri laudatus a nobis, ἕνωσιν εἰς μίαν ὑπόστασιν dixit. Sed utrum Hippolyti illius antiquissimi scriptoris germana sint opuscula ista ab Anastasio collecta, merito dubitamus : præsertim cum hypostasis nomen per illa tempora constet pro essentia potius, quam pro persona consuevisse accipi, ut alibi demonstravimus [4]. Athanasius in libro de incarnatione Verbi, usus est eodem locutionis genere, cum ait « (3) id quod consubstantiale est, et impatibile, neque mortis capax, unitionem secundum hypostasim cum consubstantiali non recipere. » Ex quo conjectura fit, non esse germanum Athanasii hunc librum, quod neque Athanasius facile ὑπόστασιν pro persona usurpavit : neque τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν : cum primus hac usus sit Cyrillus. Vide infra, §. 16.

XII. Post Cyrillum, frequenti in usu theologorum, adeoque totius Ecclesiæ versata est

(1) CYR. ep. 4. tom. 5. par. 2. pag. 23. Ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον, ὅτι σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἑνώσας ὁ Λόγος ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, ἀῤῥαστος, καὶ ἀπερινοήτως γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ κεχρημάτικεν Υἱὸς ἀνθρώπου, οὐ κατὰ θέλησιν μόνην, ἢ εὐδοκίαν.

(2) EUTH. par. 1. tit. 7. pag. 144. et seq. edit. lat. Ἡ δὲ καθ' ὑπόστασιν ἐπὶ μόνης λέγεται τῆς ἐν Χριστῷ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος. Ἐδογμάτισε δὲ πρῶτος ταύτην ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος. Νεστορίου γὰρ κατὰ σχέσιν γενέσθαι τὴν ἕνωσιν τῶν ἐν Χριστῷ δύο φύσεων διδάσκοντος, αὐτὸς τῇ τοιαύτῃ βλασφημίᾳ ἀντικαθίσταμενος, τὴν καθ' ὑπόστασιν εἰσηγαγεν, δηλονσαν, ὅτι κατὰ μίαν ὑπόστασιν, ἤγουν ἓν πρόσωπον, ἑνώθησαν.

(3) ATHAN. pag. 487. A. Τὸ γὰρ ὁμοούσιον, καὶ ἀπαθὲς, καὶ ἀνεπιδεκτον θανάτου, πρὸς τὸ ὁμοούσιον ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν οὐκ ἐπιδεχόμενον ἐστι.

[1] Tom. 6. p. 4. 5. 19. etc. — [2] Lib. 6. cap. 3. — [3] § 2. ex Anastas. Collec. p. 221.

[4] Lib. 4. de Trinit. c. 2.

ἕνωσις ἡ καθ' ὑπόστασιν. Hanc primum Ephesina synodus probavit[1], dum secundam ad Nestorium epistolam Cyrilli coram perlectam, judicavit catholicam, et auctoritate sua ratam habuit. Qua in epistola diserte scriptum est, » (1) Deum verbum univisse sibi, secundum hypostasim, carnem animatam rationali anima. » Et paulo post : « (2) Quoniam propter nos, *inquit*, et propter nostram salutem, humana natura secundum hypostasim sibi unita, processit ex muliere. » Quod Ephesinæ synodi judicium non minus œcumenicarum ceterarum, ac pontificum Romanorum, totiusque adeo fuisse censendum est Ecclesiæ, cum communi omnium auctoritate tam illius decreta synodi, quam Cyrilli probatæ sint epistolæ.

Nominatim vero concilia quædam generalia loquendi formulam istam, *unitionis secundum hypostasim* expresserunt. Ut Chalcedonense in Definitione synodica ; cum ait, « (3) naturarum differentiam nullo modo sublatam esse propter unitionem : sed servari magis proprietatem utriusque naturæ, et in unam personam, atque unam hypostasim concurrere. » Hic ἕνωσιν aperte primum nominat : tum quid sit exponens, « concursum » vocat « utriusque naturæ in unam hypostasim. »

XIII. Frustra itaque Chalcedonensem synodum calumniabantur Acephali, (ut testatur Eulogius Alexandrinus in libro contra eosdem, et horum principes, Theodosium, et Severum, pro Leonis epistola ad Flavianum,) asserentes (4) nusquam ab illa usurpatam esse locutionem illam *unitionis secundum hypostasim*. Cui occurrebat Eulogius, plerosque veterum Patrum, tam ante, quam post Ephesinam synodum, iisdem illis vocibus usos non esse, sed aliis eamdem vim habentibus : ac vel ipsum Cyrillum vocibus istis abstinuisse in epistola ad Orientales. Atqui satis expresse ἕνωσιν illam τὴν καθ' ὑπόστασιν commendavit synodus Chalcedonensis illo in loco, quem citavimus : et Cyrillus ipse in epistola ad Orientales, cum dixisset, Christum Dominum « in una persona intelligi, » subjicit mox : « (5) Unus enim Dominus Jesus Christus : quamvis naturarum non ignoretur differentia, ex quibus arcanam illam unitionem factam esse dicimus. » Igitur *unitio* illa facta est *in una persona*, sive hypostasi ; quod qui dicit, profecto *unitionem* dicit *in unam hypostasim* esse factam. Siquidem in id esse factam oportuit, quod post unitionem, et ex ea Christus esse dicitur. Dicitur autem esse unus in una persona. Ita unitio in unam est facta personam, vel hypostasim.

Deinde Leonis epistola ad Flavianum a Chalcedonensi synodo recepta est, et ad fidei regulam adscita. At in ea ἡ τοῦ προσώπου ἕνωσις græce ponitur. (Siquidem græce latineque recitata est in Synodo, et in acta relata, ut est in actione secunda[2].) « (6) Propter hanc unitatem personæ, ait Leo, in utraque natura intelligendam. » Quem locum refert Eulogius [3], et ab Acephalorum cavillatione vindicat. Quin et ante verba ista, eadem epistola, Leo, « (7) Salva, *inquit*, proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte personam. » Ubi *coire in eamdem personam*, nihil aliud est, quam *uniri in unam hypostasim* ; ut vulgo interpretari solent.

XIV. Quinta Synodus eamdem locutionem usu suo, et auctoritate confirmat : ut ex illius anathematismis constat [4]. Tum quæ hanc secuta est, Sexta contra Monotheletas, in definitione fidei [5]. Ac Justinianum imperatorem in Professione fidei sic loquentem approbavit quinta [6] ; Sophronium patriarcham Hierosolymitanum, sexta Synodus [7]. Eadem asseruerunt adversus hæreticos eruditissimi ac sanctissimi quique catholicæ fidei propugnatores : et inter hos Eulogius [8], qui pro Leonis epistola contra

(1) Cyr. in ep. ad Nest. in par. 1. conc. Eph. p. 464. Ὅτι σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἑνώσας ὁ Λόγος ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν.

(2) Ibid. Ἐπειδὴ δὲ δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἑνώσας ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν τὸ ἀνθρώπινον, προῆλθεν ἐκ γυναικός.

(3) Chalc. syn. pag. 2. act. 5. pag. 340. Οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης.

(4) De Eul. Phot. cod. 226. pag. 400. Ἐπισυνάπτει δὲ τούτοις καὶ τὴν ἀθώωσιν τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, ὧν αὐτὴν ἡ αἱρετικὴ κατηγορεῖ γλωσσαλγία, τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν αὐταῖς λέξεσιν οὐ φαμένην φωνήν.

(5) Cyrill. in ep. ad Joan. in par. 3. Eph. syn. pag. 597. Καὶ ὡς ἐν ἑνὶ προσώπῳ νοούμενος. Εἷς γὰρ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, κἂν ἡ τῶν φύσεων μὴ ἀγνοῆται διαγορά, ἐξ ὧν τὴν ἀπορρήτον ἕνωσιν πεπράχθαί φαμεν.

(6) Leo papa in act. 2. synod. Chalc. pag. 219. Διὰ ταύτην τοίνυν τοῦ προσώπου τὴν ἕνωσιν, τὴν ἐν ἑκατέρᾳ φύσει νοεῖσθαι ὀφείλουσαν.

(7) Ibid. 217. Σωζομένης τοίνυν τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον συνιούσης.

[1] Ephes. Conc. Par. 2. Act. 1. pag. 240. — [2] Chalc. Syn. Act. 2. p. 214. — [3] Apud Phot. cod. 226. 398. — [4] Anat. 4. 5. 7. 8. in Coll. 8.

[5] Tom. 5. Concil. Act. 18. pag. 259. — [6] Tom. 4. Concil. p. 346. — [7] Tom. 5. Concil. pag. 166. — [8] Apud Phot. cod. 225. et seq.

profanos Acephalos scripsit: necnon Ephræmius Antiochenus patriarcha [1]. Maximus item apud Euthymium, paulo post laudandus; et in scholiis ad Dionysium [2]. Joannes Damascenus [3]: Andreas Cretensis, qui et « (1) hypostaticam unitatem convenientium inter se naturarum » vocat. Et ante hoc Proclus Constantinopolitanus ab Ephræmio Antiocheno citatus apud Photium.

Latini theologi *personalem unitatem* nominant, ut Fulgentius [4]; et Leporius [5]. Alii *unitatem secundum subsistentiam*, ut Rusticus [6]. Tametsi memoria tenendum illud est, quod capite tertio dixi [7], *subsistentialem*, ut loquitur Maxentius, vel *personalem*, et προσωπικὴν, aut ὑποστατικὴν *unitionem* eo nonnunquam accipi sensu, qui ab Catholicis, uti debuit, rejectus est: nimirum si duarum hypostaseon, aut personarum intelligatur conjunctio, qualem Nestorius introduxit: quæ quidem vera et substantiva esse non potest, ut supra meminimus.

XV. Aliter ergo *unitio secundum hypostasim* interpretanda est: quam sic Maximus definit: « (2) Unitio secundum hypostasim, *ait*, ex sententia Patrum, est, eorum quæ natura sunt diversa, concursus in unam hypostasim: cum utrumque conjunctorum cum altero, naturalem proprietatem sinceram, et immutabilem, atque indivisam retinet. » Et Eulogius apud Photium, « (3) nihil aliud significare unitionem secundum hypostasim Cyrillo » dicit, « nisi hypostasim Verbi cum humana natura sine ulla conversione copulatam fuisse. »

Joannes vero Damascenus, « (4) Unitio est secundum hypostasim, *ait*, qua ex naturis duabus res fit una subsistens. Ac rursus, unitio secundum hypostasim fit, ex duabus rebus, in una persona. Item unitio secundum hypostasim est, cum alteri hypostasi adjuncta natura est. »

Ex quibus omnibus unitionis in Christo proprietas hæc ostenditur, ut una tantummodo sit hypostasis Verbi, et in eamdem naturarum duarum concursus: quarum altera, quæ est hominis, adventitia est, et accessionis instar, velut substantiæ accidens; uti Thomas Aquinas docuit; de quo postea pluribus. Hinc Joannes Damascenus προστρέχειν, id est *accurere* dixit « naturam unam ad hypostasim alteram, » hoc est *alienam*, sive naturæ jam alterius propriam. Neque enim hypostasis cum hypostasi conjuncta potest unam hypostasim facere, sive unum aliquod οὐσιῶδες, et *substantivum*, ut Ephræmius Antiochenus observat [8]: et nos postea dicemus.

XVI. Theodoretus in Elencho anathematismi secundi Cyrilli, graviter in hunc invehitur, quod eam locutionem invexerit. « (5) Unitionem porro secundum hypostasim, *inquit*, funditus ignoramus, tanquam peregrinam, et alienam a sacris Scripturis, ac Patribus, qui eas interpretati sunt. » Quæ Theodoreti verba illud affirmant, quod supra asserentem vidimus Euthymium, primum omnium Cyrillum usurpasse τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. Mox Theodoretus maligne Cyrilli mentem interpretatus, illum redarguit; ac si quidem unitionem secundum hypostasim sic intelligat, ut κρᾶσιν, hoc est *temperationem carnis, et divinitatis*, factam velit, hanc esse blasphemiam dicit: quippe κρᾶσιν sequitur σύγχυσις, et confusio naturarum.

Verum Cyrillus cassos, et inanes adversarii illius impetus valenter excipit: respondetque, nullam se naturarum confusionem locutioni isti subjicere; (6) sed hoc unum declarare voluisse, naturam Verbi, sive hypostasim, hoc est Verbum ipsum, revera unitum naturæ ho-

(1) Andr. hom. de Transfig. pag. 39. Ὑποστατικὴ τῶν συνελθόντων ἑνότης. Et Proclus apud Phot. cod. 229. pag. 422. ver. 33. gr. edit.

(2) Maxim. apud Euth. in Panop. par. 2. tit. 15. lat. edit. pag. 599. Καθ' ὑπόστασιν μὲν οὖν ἕνωσίς ἐστι κατὰ τοὺς πατέρας, ἡ τῶν ἑτεροουσίων εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνοδος, ἑκατέρου τῶν κατ' αὐτὴν συγκειμένων πρὸς τὸ ἕτερον τὴν φυσικὴν ἰδιότητα ἀνέθευτόν τε, καὶ ἀμετάβλητον ἔχοντος, καὶ ἀδιαίρετον.

(3) Eulog. in cod. 226. Ph. pag. 400. Φησὶ δὲ ὅτι ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις τῷ θεσπεσίῳ Κυρίλλῳ βούλεται δηλοῦν, ὡς ἡ τοῦ Λόγου ὑπόστασις ἀνθρωπείᾳ φύσει ἡνώθη ἀτρέπτως.

(4) Dam. dial. cap. 64. pag. 670. Καθ' ὑπόστασιν μὲν οὖν ἐστι, τὸ ἐκ διαφόρων φύσεων ὑφεστὼς πρᾶγμα. Καὶ πάλιν καθ' ὑπόστασίν ἐστι, τὸ ἐκ δύο μὲν πραγμάτων, ἐν ἑνὶ δὲ προσώπῳ. Καὶ ἔτι καθ' ὑπόστασιν ἕνωσίς ἐστιν, ἡ ἑτέρᾳ ὑποστάσει προστρέχουσα φύσις.

(5) Theod. con. anat. 2. Cyr. in Eph. syn. par. 3. pag. 481. Τὴν δὲ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν παντάπασιν ἀγνοοῦμεν, ὡς ξένην, καὶ ἀλλόφυλον τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν ταύτας ἑρμηνευκότων πατέρων.

(6) Cyr. ibid. pag. 482. Τοῦ καθ' ὑπόστασιν οὐδὲν ἕτερον ἀποφαίνοντος, πλὴν ὅτι μόνον ἡ τοῦ Λόγου φύσις, ἤγουν ἡ ὑπόστασις, ὅ ἐστιν αὐτὸς ὁ Λόγος, ἀνθρωπείᾳ φύσει κατὰ ἀλήθειαν ἑνωθείς, τροπῆς τινος δίχα, καὶ συγχύσεως, καθὰ πλειστάκις εἰρήκαμεν, εἷς νοεῖται, καὶ ἔστι Χριστὸς ὁ αὐτὸς, Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος.

[1] Apud eumd. cod. 228. et 229. — [2] Cit. c. 4. § 8. — [3] In Dial. cap. 64. et lib. 3. de fide. c. 11. — [4] Fulgent. lib. de incarn. c. 4.

[5] In lib. emend. p. 10. — [6] Disput. contra Aceph. tomo 4. Bib. PP. col. 804. — [7] § 6. et 15. — [8] Apud Phot. cod. 228. pag. 406.

minis, citra conversionem, et confusionem, unum intelligi, et esse Christum : in quo naturæ duæ non σχετικῶς, id est sola *affectione* copulantur, ut putabat Nestorius. Et quidem suspicioni illi satis occurrerat Cyrillus in anathematismo illo secundo, dum ita Verbum unitum esse carni pronuntiavit secundum hypostasim, ut idem simul esset Deus, et homo. Hoc enim, nisi utraque salva, et cohærente natura, verum esse non potest. Hæc Cyrillus; qui ὑπόστασιν videtur promiscue habere cum φύσει, de quo postea diligentius statuendum erit.

Ceterum ad illam *confusionis* amovendam calumniam, græci theologi sæpius τῆς ἐνοικήσεως, id est *inhabitationis*, vocabulum ad unitionem adjunxerunt : ut Athanasius, « (1) Veram, *inquit*, inhabitationem, quam et unitionem aperte credimus. » Et Cyrillus [1] ad hoc valere nomen *habitationis* admonet, ut ne transisse credatur in carnem natura divina : quod peculiari quæstione suo loco disputabimus, ubi et hæreticum sensum eidem locutioni subjectum, ab vero, et catholico discernemus.

XVII. Postremo antequam ab hac tota de unitionis appellationibus disputatione recedamus, nominum illorum trium φύσεως, οὐσίας, et ὑποστάσεως, quatenus ad illius expressionem accommodantur, rationem ita subducemus. Triplicem esse constat ex dictis hactenus notionem illarum vocum, sive deflexarum ab iis, φυσικῆς, οὐσιώδης, et ὑποστατικῆς ἑνώσεως. Prima est, ut idem ac veram et extantem reipsa significent. Quod enim nihil est, naturam non habet, nec substantiam, nec ὑπόστασιν; quod tertium præ ceteris proprie, et usitate ad eum usum adhibetur. Siquidem ὑπόστασις nudam sæpe rei extantiam et veritatem significat : ut alias adnotavimus [2]. Itaque τὸ ἀνυπόστατον dicitur, quod fictum est, et sola specie, non rei veritate consistit.

Reliquæ duæ notiones trium illarum vocum, aut ab *unitionis* effecto, velut *formæ*, *causæve formalis*, aut ab rebus unitis, sive materia unitionis ipsa petuntur. Priore modo, unitio illa, φυσικὴ, et οὐσιώδης non recte dicitur : quia effectum illius et ἀποτέλεσμα non est unum aliquid natura, vel essentia, sive substantia : ὑποστατικὴ vero recte, et catholice nominatur : propterea quod naturæ illæ duæ, vel substantiæ in unam coeunt hypostasim : isque unitionis est effectus, una ex duabus, et in duabus persona subsistens. Posteriore modo, quia res unitæ, duæ sunt naturæ ac substantiæ, merito unitio φυσικὴ vocatur, et οὐσιώδης; non autem ὑποστατικὴ : quia duæ hypostases non junguntur, itidem ut naturæ. His tribus accedere potest notio quarta, ut illis vocibus excludatur id quod accidens dicitur : nimirum quod unitio illa non aliquid efficit; quod unum sit ex accidenti, sed quod proprie ac per se sit unum. Etenim cujusmodi est *unum*, talis habenda est *unitio*, quæ unum facit. Est autem Christus unum proprie, et non ex accidenti. Igitur et *unitio* non alterius est generis. Hoc autem tribus illis vocabulis declarari solet a græcis theologis.

CAPUT QUINTUM.

1. De effectu unitionis in incarnatione Dominica; sive de eo, quod unum ex duabus naturis existit. Id necesse est esse substantivum aliquid : adeoque vel naturam unam, vel subsistentiam : in quibus Nestorii, et Eutychis error versatus est. — 2. Eutyches dixit, ante unitionem duas naturas extitisse, et ex duabus esse, non in duabus, sed in una : Catholici tam ex duabus, quam in duabus : quod Patrum aliquot testimoniis ostenditur. — 6. Quid sit ex duabus naturis esse tam ex Nestorii sensu, quam ex catholico dogmate : quod non habet illud, ex duabus ante unitionem constitisse. — 7. Itaque ad plenam fidei professionem duo illa conjuncta sunt, ex duabus, et in duabus naturis. — 8. Imo eo non contenti quidam, addenda putarunt alia. — 9. De gravi altercatione in Chalcedonensi synodo exorta, super istis vocibus, cum Anatolius omisisset illud, *in duabus*. — 10. Quæ dissensionis illius causa fuerit. Inter Orientales, et Ægyptios perpetuæ fere simultates intercesserunt. — 11. Dubitatum de quibusdam ad decretum fidei in Chalcedonensi synodo pertinentibus, et loci cujusdam emendatio. — 12. Sufficere ex duabus naturis Christum fateri, tametsi non addatur, in duabus; et vicissim tantumdem esse in duabus, atque ex duabus.

I. Quoniam, ut ex dictis hactenus constat, unitio illa, quæ Incarnationis summam confi-

(1) ATH. or. 5. pag. 323. Τὴν δὲ ἀληθῆ οἴκησιν, ἣν καὶ ἕνωσιν σαφῶς πιστεύομεν.

cit, οὐσιώδης est, hoc est *substantiva*, tanquam substantias inter se duas connectens, et unum

[1] Lib. 1. cont. Nest. tom. 6. p. 4. et in Schol. c. 25. tom. 5. p. 794. — [2] To. 2. lib. 4. de Trin. c. 1. § 5.

aliquod per se, ac *substantivum* constituens : id cujusmodi sit, tum merito a nobis, tum ordine, ac tempore suo inquirendum hoc loco videtur. Ac sunt duo usu recepta theologorum, quæ substantiæ vocabulo censentur : alterum est *natura* : alterum subsistentia, sive ὑπόστασις, quæ in ratione præditis, *persona*, græce πρόσωπον, nominari solet. De quibus plenissime in quarto libro de Trinitate dixi : ubi quemadmodum sese habeant, et quid distent invicem accurate docui. Quamobrem *unum* illud, quod Incarnationis unitione fit, vel esse *naturam*, vel *personam unam*, prorsus est necesse. In quo definiendo tota illius mysterii ratio consistit, et repugnantium sibi ex adverso duarum hæresum, Nestorianæ, et Eutychianæ, summa contentio : quod Boetii verbis explicari satius sic erit [1]. « Quoniam natura est, *inquit*, cujuslibet substantiæ specificata proprietas ; persona vero, rationabilis naturæ individua substantia: hanc in Christo Nestorius duplicem esse constituit, eo scilicet traductus errore, quod putaverit in omnibus naturis dici posse personam. Hoc enim præsumpto, quoniam in Christo duplicem naturam esse censebat, duplicem quoque naturam esse confessus est, etc. » « [2] Eutyches vero, cum a veterum orbitis esset evagatus, in contrarium cucurrit errorem : asserens tantum abesse, ut in Christo gemina persona credatur, ut ne naturam quidem in eo duplicem oporteat confiteri. Ita quippe esse assumptum hominem, ut ea sit adunatio facta cum Deo, ut natura humana non manserit. Hujus error ex eodem, quo Nestorii, fonte prolabitur. Nam sicut Nestorius arbitratus, non posse esse naturam duplicem, quin persona fieret duplex, atque ideo cum in Christo naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit esse personam : ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem esse, sine duplicatione personæ. Et cum non confiteretur duplicem esse personam, arbitratus est consequens, ut una videretur esse natura. »

II. Hinc Eutyches, ut idem Boetius initio libri memorat, « ex duabus naturis Christum consistere confitebatur ; in duabus, negabat. » Quod in Constantinopolitana synodo, cui Flavianus præsidebat, palam est professus, ob idque lata in eum est sententia, ut in primo libro diximus [3]. Ac non tantum ex duabus esse naturis asserebat : sed addebat etiam, « ex duabus ante unitionem constitisse : » quasi duæ, antequam invicem copularentur, extitissent. Quod non satis animadversum esse ab Constantinopolitani concilii Patribus, ejusque præside Flaviano, queritur Leo Romanus pontifex, et acrius persequendum fuisse scribit [4]. Testatur hoc ipsum Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium [5]. Et Eulogius Alexandrinus [6] asserit eadem de causa damnatum esse Dioscorum Alexandrinum itidem patriarcham in Chalcedonensi synodo, quod ex duabus naturis fateretur esse Christum, non in duabus. Quibus subscribens Vigilius, antequam Romanum pontificatum adeptus esset, apud Liberatum ita professus est [7] : « Non duas Christum naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum unum Filium, unum Christum, unum Dominum. »

Nimirum *in duabus naturis* esse Christum, propterea negare se dicebant Eutychis alumni, quod hac locutione *secetur in duos*, ut refert Rusticus diaconus in libro contra Acephalos [8] : tanquam hoc dividere sit in duos filios, atque Christos, si in duabus naturis dicatur esse Christus. Unitione itaque unam ex duabus effici naturam asserebant ; et in hanc illam desinere, tanquam in effectum proprium.

III. Catholici vero e contrario tum ex duabus, tum in duabus naturis esse Christum aiebant, et hoc diserte Chalcedonensem synodum adversus Eutychis hæresim prædicasse : ut inter alios Ephræmius Antiochenus affirmat apud Photium [9], et ex synodali fidei Decreto illius approbat, in quo « (1) Christum eumdem perfectum in divinitate, et perfectum in humanitate, verum Deum, ac verum hominem esse » statuit. Hujusmodi formulam loquendi ab Gregorio Nazianzeno traditam theologi deinceps in usum susceperunt. Nicephorus in Historia contra Monophysitas disputans : « (2) Propterea magnus in Theologia Gregorius, *inquit*,

(1) Chalc. syn. act. 5. pag. 340. Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν Υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν, etc.

(2) Niceph. lib. 18. cap. 49. pag. 871. Διά τοι τοῦτο καὶ ὁ μέγας ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος, τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἅπερ, φησὶ, σώζονται, περὶ τῶν δύο φύσεων τοῦτο δογματίζων σοφώτατα τε, καὶ ἀκριβέστατα.

[1] Boet. de duabus nat. p. 951. — [2] Ibid. p. 952. — [3] Lib. 1. cap. 14. parag. 2. — [4] Ib. parag. 4. — [5] Cod 228. p. 407. — [6] Cod. 230. p. 450. et 451.

[7] Liber. cap. 22. — [8] To. 4. Bib. PP. col. 820. A. et 822. A. Vide et pag. 843. — [9] Apud Phot. cod. 230. p. 422.

loquitur sic : Ea ex quibus, et in quibus, et quæ est, servantem : de duabus naturis dogma istud sapientissime, accuratissimeque sanciens. »

Maximus martyr in opusculo quodam *de vocibus in Ecclesia catholica usu receptis*, nondum edito : « (1) Non cessamus, *inquit*, confitentes Christum ex duabus naturis, tanquam ex divinitate, et humanitate, uti dictum est : et in duabus naturis, tanquam in divinitate, et humanitate : et duas naturas, utpote Deum simul eumdem, et hominem credentes : quoniam non solum ex istis est, sed etiam ista : nec ista solum est, sed in istis quoque : velut ex partibus totum, et totum in partibus, et per partes totum agnoscentes. »

Joannes item Damascenus in libro de Duabus voluntatibus [1] probat ex duabus, et in duabus esse naturis eumdem Dominum Christum : ut et Thalassius monachus ac passim Græci [2].

IV. Nec minus latini Patres idem loquendi genus frequentarunt. Gelasius papa libro adversus Eutychem et Nestorium [3], ait « in utrisque naturis, ex quibus, vel in quibus conceptus, editus, nutritus, et conversatus in mundo est, et elevatus ad cœlum, unum atque eumdem manere Dominum Jesum Christum, etc. » Tum [4] : « Iisdem naturis veraciter permanentibus, ex quibus, vel in quibus unus atque idem verus homo Deus, et Deus homo verus existit, etc. » Gregorius item papa [5], « Manens, *inquit*, unus ex utraque, et in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus. » Agatho papa in epistola ad Constantinum imperatorem [6], « duas naturas prædicare se » dicit, « ex quibus et in quibus etiam post admirabilem, atque inseparabilem unitionem subsistit. » Sic Martinus I. in epistola ad Constantem [7].

Ferrandus diaconus in epistola ad Severum [8], « Si quis iterum, *ait*, unam Christi dicit esse naturam, et quamvis eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen substantiis confiteri veretur, aut dubitat, hic aut unius naturæ abolitionem, aut utrarumque asseverat confusionem. » Et Illyricianæ Ecclesiæ ad Symmachum papam [9], « unam personam » profitentur « ex duabus substantiis, et naturis, et in duabus substantiis, et naturis ; » non sicut hæretici dicunt, « ex duabus naturis unam naturam post adunationem. » Fulbertus quoque in Epistola prima, « ex duabus, et in duabus substantiis subsistere *ait* Dominum nostrum Jesum Christum. »

V. Itaque prior duarum istarum locutionum, quæ est, *ex duabus naturis*, sic a Catholicis usurpata fuit, ut ab Nestorii, ac Theodori Mopsuesteni veneno cavendum sibi putarent, qui naturas subsistentes duas ante copulationem, postea conjunctas fuisse dicebant; ut inter alios Justinianus imperator animadvertit in professione sua contra capitula tria (2) : vel etiam ab Origenis opinione falsa, qui Christi animam, ante incarnationem Verbi, extitisse credidit, imo etiam Verbo conjunctam fuisse. Sed ita videlicet, ut prius in rerum natura, quam uniretur, per sese subsisteret. Siquidem merito suo, ac dilectione Dei, et liberi arbitrii conatu talem dignitatem obtinuisse profanus ille censuit ; ut ante dictum est [10]. Hoc igitur errore seposito, *ex duabus naturis extitisse Christum*, nihil apud Catholicos significabat aliud, quam duas in unum concurrisse naturas ; quarum una sola, hoc est divina, ante unitionem perfecte consisteret, humana vero neutiquam extaret, sed eodem quo est assumpta momento esse cœperit.

Quinta Synodus utriusque locutionis vim expressit, et ab hæreticorum fraude vindicavit canone duplici. Nam in septimo, damnat eos qui verba ista, *in duabus naturis*, non sic intelligunt, « (3) ut naturarum tantum differentia significetur, ex quibus citra confusionem inexplicabilis unitio facta est : sed ad divisionem, quæ separatim ambas constituat, voces illas referunt. » In octavo vero, illos notat

(1) Maxim. Οὐ παυόμεθα ὁμολογοῦντες τὸν Χριστὸν ἐκ δύο φύσεων, ὡς ἐκ θεότητος τε καὶ ἀνθρωπότητος, καθὼς εἴρηται· καὶ ἐν δύο φύσεσιν, ὡς ἐν θεότητί τε, καὶ ἀνθρωπότητι· καὶ δύο φύσεις, ὡς Θεόν τε ὁμοῦ τὸν αὐτὸν ὄντα καὶ ἄνθρωπον πιστεύοντες, ὅτι μὴ ἐκ τούτων μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῦτα· οὐδὲ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τούτοις, ὡς ἐκ μερῶν ὅλον, καὶ ἐν μέρεσι, καὶ διὰ τῶν μερῶν ὅλον ὄντα γινώσκοντες.

(2) Just. in 5. Syn. pag. 354. Ἐκ τούτων τοίνυν διελέγχονται οἱ λέγοντες πρὸ τῆς ἑνώσεως δύο φύσεις, ὡς προϋποστάντα λέγουσιν ἄνθρωπον, καὶ οὕτως ἑνωθῆναι τῷ Θεῷ Λόγῳ, κατὰ τὴν μανίαν Θεοδώρου, καὶ Νεστορίου τῶν ἀσεβῶν.

(3) Syn. 5. Ἵνα διὰ τούτου σημάνῃ τὴν διαφορὰν τῶν φύσεων, ἐξ ὧν ἀσυγχύτως ἡ ἄφραστος ἕνωσις γέγονεν, etc. ἀλλ' ἐπὶ διαιρέσει τῇ ἀνὰ μέρος τὴν τοιαύτην λαμβάνει φωνὴν ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου.

[1] Pag. 472. — [2] Hecatont. 2. N. 95. to. 13. Bib. PP. p. 1189. — [3] To. 4. Bib. col. 419. E. — [4] Ibid. 420. A. — [5] Lib. 18. Mor. c. 27.

[6] In Syn. 6. Act. 4. p. 39. F. et p. 63. A. — [7] Mart. ep. 3. to. 4. Conc. p. 647. A. 2. — [8] To. 3. Bib. col. 337. B. — [9] To. eod. col. 141. — [10] Lib. 1. c. 15. § 5.

anathemate, qui verba hæc, *ex duabus naturis*, non sit accipiunt, « (1) ut ex divinitate et humanitate, secundum hypostasim unitis, unus effectus sit Christus; sed ex illis introducere conantur naturam unam, vel substantiam divinitatis, et carnis. »

VI. Hic vero diligenter hoc animadverti debet, quod intento in eam rem animo observasse mihi videor; Catholicos, formula ista sermonis utentes, quæ *ex duabus naturis* profitetur esse Christum, non dixisse, *ante unitionem* duas illas extitisse : quod Nestoriani, et ipse adeo Eutyches, ejusque sectæ adstipulatores usurparunt. Certe Cyrillus Alexandrinus, qui duas naturas convenisse, vel ex duabus naturis unitionem esse factam sæpe commemorat, ab istis vocibus, πρὸ τῆς ἑνώσεως, abstinuit. Ut in priore ad Successum, « (2) Duas *ait* naturas inter se convenisse, secundum indissolubilem unitionem. » Et, « Concursum in unitatem ex duabus naturis factum esse, etc. post unitionem vero, non dividi a se invicem. » Et in epistola ad Acacium Melitenensem : « (3) Propterea, *inquit*, ea, ex quibus est unus et solus Filius, ac Dominus Jesus Christus, velut cogitationibus complexi, duas quidem naturas unitas esse dicimus : post unitionem vero, tanquam sublata jam in duo sectione, unam esse credimus naturam Filii; verum inhumanati, et incarnati. »

Non dicit *ex duabus ante unitionem naturis* unum esse factum Dominum Jesum Christum, sed simpliciter ex duabus. Prius enim illud Nestorianam sapit amentiam. Quanquam Eutyches, ut jam narrare cœpi, non dubitavit *duas ante unitionem naturas* dicere, de quo in libro primo pluribus dixi [1].

VII. Quamobrem ut esset plena, et absoluta veritatis professio, ac ne Eutychis insaniæ affines haberentur Catholici, addendum alterum existimarunt, *in duabus naturis post unitionem esse Christum*, quæ locutio significat, integras, et sine confusione, salvis proprietatibus, incolumes manere substantias duas; ut observat Theodorus presbyter Raithuensis : « (4) Hæc, *inquit*, definitio aperte prædicat, stabilem, et immobilem naturæ utriusque manere proprietatem etiam in unitione ipsa : adeo ut facile dignoscatur quid proprium cujusque sit eorum quæ convenerunt, et quid proprium sibi communicet alterum alteri, ac vicissim accipiat ab eo quocum subsistit, et componitur. »

Maximus martyr in opusculo, quod paulo ante laudavimus, asserit istis vocibus, *in duabus naturis*, declarari, « (5) Christum post unitionem, ab neutra esse natura sejunctum, ex quibus componitur : sed in ipsis, ex quibus est, semper esse, atque cognosci. »

Neque vero periculum esse, ne duæ illæ substantiæ post unitionem divulsæ, ac separatæ videantur, si *in duabus esse* dicatur, ut fingebant Acephali, admonet Rusticus diaconus. Quippe unus in duabus et idem aut intelligitur, aut dicitur [2]. « Qui autem dividitur, vel partitur, sive separatur, non est unus in illis, in quibus separatur : non enim potest unus esse, et divisus esse; sed postquam fuerat aliquando unus, jam nunc non est unus, postquam separatus est. Hoc ergo significat impia divisio, vel separatio. At vero unum eumdemque in aliquibus esse, hoc magis cautius, et tenacius inseparabiliter unum esse est. Qui enim in duabus est, et idem ipse permanet, non solum partiri non potest, sed et sufficiens est, ut in seipso unita custodiat, in quibus secundum subsistentiam, id est substantive est; id est ea, quibus absque ulla medietate participat. »

Cyrillus in vita S. Euthymii [3], scribit ipsum pro Chalcedonensi synodo contra Theodosium pseudomonachum acriter decertantem, inter alia docuisse, illud, *in duabus naturis*, « recte additum esse a Synodo; non tanquam seorsum,

(1) Syn. in ead. can. 8. Ὅτι ἐκ τῆς θείας φύσεως, καὶ τῆς ἀνθρωπίνης τῆς ἑνώσεως καθ' ὑπόστασιν γενομένης, εἷς Χριστὸς ἀπετελέσθη. Ἀλλ' ἐκ τῶν τοιούτων φωνῶν μίαν φύσιν, ἤτοι οὐσίαν θεότητος καὶ σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ εἰσάγειν ἐπιχειροῦσι.

(2) Cyr. 1. ad Suc. tom. 5. pag. 137. Ὁρῶμεν ὅτι δύο φύσεις συνῆλθον ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον, etc. Οὐδὲν ἀδικοῦμεν τὴν εἰς ἑνότητα συνδρομὴν ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι λέγοντες· μετὰ μέν τοι τὴν ἕνωσιν, οὐ διαιροῦμεν τὰς φύσεις ἀπ' ἀλλήλων.

(3) Idem ad Acac. pag. 115. D. Ταύτῃ τοι τὰ ἐξ ὧν ἐστιν ὁ εἷς, καὶ μόνος Υἱὸς, καὶ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ὡς ἐν ἐννοίαις δεχόμενοι, δύο μὲν φύσεις ἀνῶσθαί φαμεν. Μετὰ δέ γε τὴν ἕνωσιν, ὡς ἀνῃρημένης ἤδη τῆς εἰς δύο διατομῆς, μίαν εἶναι πιστεύομεν τὴν τοῦ Υἱοῦ φύσιν, πλὴν ἐνανθρωπήσαντος, καὶ σεσαρκωμένου.

(4) Theod. tom. 11. bib. PP. pag. 324. E. Οὗτος γὰρ ὁ ὅρος διαῤῥήδην βοᾷ τὸ ἑδραίαν καὶ ἀνεκφοίτητον τὴν θατέρας φύσεως ἰδιότητα κἂν τῇ ἑνώσει μεμενηκέναι· ὥστε ῥᾳδίως διαγινώσκειν δύνασθαι, τί ἴδιον ἑκάστου τῶν συνελθόντων, καὶ τί τῶν οἰκείων ἕκαστον ἀλλήλοις παρέχον, τὰ παρὰ τοῦ συνυφεστῶτος, καὶ συγκειμένου ἄντικα μεταλαμβάνει.

(5) Maxim. Ὡς μηδεμιᾶς κεχωρισμένων κατὰ τὴν ἕνωσιν τῶν ἐξ ὧν συνέστηκε φύσεων, ἀλλ' ἐν αὐταῖς, ἐξ ὧν καί ἐστιν, ἀεὶ καὶ ὄντα, καὶ γνωριζόμενον.

[1] Cap. 14. § 2. et 4. — [2] Rust. tom. 4. Bib. PP. col. 823.

[3] Cyr. in vita S. Euth. cap. 12. Jan. 20. tom. 2. Bollandi.

et per partes Christum dividente; sed eumdem in utroque confitente, et utrumque in eodem. »

VIII. Verumtamen, ut illam qualemcumque Nestorianæ labis invidiam abstergerent catholici theologi, nonnulla insuper ad utramque formulam adjecerunt. Alii non solum *ex duabus*, et *in duabus* esse dixerunt, sed etiam *duas illas esse*, ut ex Maximo ante memini [1]. Alii « (1) naturas duas substantive unitas » nominabant, « ut hac accessione disjunctivam omnem notionem excluderent, » ait Theodorus presbyter. Alii, adverbiis quibusdam additis, unitionem illam catholicam in sententiam conformabant. Agatho papa in synodica epistola ad Constantinum Pogonatum, quæ est in sexta Synodo, « (2) Unum, *inquit*, eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei unigenitum ex duabus, et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere cognoscimus. » Et ante hanc, Romanæ itidem synodi alterius sub Martino primo habitæ definitio [2], « Unum eumdemque » decernit « Christum filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. » Antiochus quoque monachus Homilia 130. « (3) Unum ac solum Filium esse » scribit, « in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise cognitum. » Constantinus item Harmenopulus in fidei confessione [3], et alii innumeri : qui omnes loquendi modum istum ab synodo Chalcedonensi [4] mutuati sunt, et ex Cyrilli epistola 1. ad Successum, ubi sic scribit : « (4) Considerantes igitur, *inquit*, ut dixi, Incarnationis modum, videmus naturas duas inter se convenisse unitione indissolubili, inconfuse, et immutabiliter. »

Alii postremo adjiciendum esse crediderunt celebre illud, ac famosum Cyrilli dictum : *Post unitionem, unam esse naturam incarnatam ;* ut inter alios Ephræmius Antiochenus [5], de qua Cyrilli sententia accurate postea disputabimus.

IX. Ac ne quis fortasse supervacaneam, et nimis anxiam putet hujusmodi vocularum inquisitionem, et ab instituti theologici gravitate alienam ; velim in memoriam revocet, quanti res eadem illa momenti visa sit Chalcedonensibus Patribus ; et quemadmodum augustissimi illius et frequentissimi concilii exitus ac fructus, tum ob sollicitatam formulam istam pene interceptus fuerit, tum eadem ad integritatem revocata constiterit. Id qua ratione gestum sit, obiter attigimus in primo libro [6], et paulo accuratius modo declarandum est, ut eo magis vocum illarum vis et proprietas illustretur.

Post damnatum actione tertia, et depositum Dioscorum ; in actione quarta [7], negotium datum est Anatolio Constantinopolitano episcopo, ut allectis sibi aliquot episcopis, fidei formulam conscriberet. Ea cum Actione quinta coram omnibus recitata esset [8], Romanæ Sedis legati, cum quibusdam orientalibus, huic intercesserunt, quod cum Leonis epistola minime consentiret. Siquidem *ex duabus naturis esse Christum* erat in illa definitione fidei : non autem alterum inerat, *duas post unitionem esse naturas*. Atqui horum prius Eutyches, et Dioscorus fatebantur : alterum vero, *duas esse naturas*, ambo negabant, et hac de causa Flavianum Dioscorus episcopatu privaverat. Verum majori Synodi parte reclamante, et infestis vocibus Romanos legatos proturbari, ac facessere jubente, tanquam Nestorio faverent ; pervicit tamen horum auctoritas et constantia, cum sese discessuros alioqui minitarentur, et Romæ synodum aliam habiturum Pontificem, ut Marciani imperatoris jussu novus episcoporum delectus fieret ; quibuscum legati de fidei formula statuerent. Convenerunt igitur in certum fidei decretum : quod Actione quinta, et iterum sexta publice recitatum, ab universis approbatum est.

X. In toto hoc negotio, et in tanta episcoporum contentione super voculis istis, *ex duabus*, et *in duabus naturis*, tum in utraque illa

(1) THEOD. presb. tom. 11. bibl. pag. 522. E. Ἀλλὰ δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας, διὰ τῆς ἐπαγωγῆς ταύτης ἀποβάλλων πᾶσαν διαιρετικὴν ἔννοιαν.

(2) AGATHO in 6. Syn. act. 4. pag. 63. A. Ἕνα δηλαδὴ, καὶ τὸν αὐτὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ ἐκ δύο, καὶ ἐν δύο οὐσίαις ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως ὑποστῆναι γινώσκομεν. Vide et in D.

(3) ANTIOCH. tom. 12. bibl. PP. pag. 233. Ἕνα, καὶ μόνον Υἱὸν ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως γνωριζόμενον.

(4) CYR. tom. 5. par. 2. epist. pag. 137. Ἐννοοῦντες τοίνυν, ὡς ἔφην, τῆς ἐνανθρωπήσεως τὸν τρόπον, ὁρῶμεν ὅτι δύο φύσεις συνῆλθεν ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως.

[1] § 3. — [2] In Lateran. Synod. Consul. 5. To. 4. Conc. pag. 733. B. Vide et Anath. 7. et 8. — [3] To. 11. Bib. PP. 539. C. — [4] Chalc. Syn. Act. 5. p. 340.

[5] Apud Phot. cod. 228. p. 409. — [6] Lib. 1. cap. 13. § 12. — [7] Ex Conc. Act. 4. p. 289. et Leont. de Sect. Act. 8. to. 11. Bib. PP. pag. 515. — [8] Chalc. Syn. p. 334.

formula duo sunt observatione digna : atque illud imprimis, cur Anatolius in edenda fidei definitione illud omiserit, *in duabus naturis*, priore contentus illo, *ex duabus :* et cur aut isti subinde de illis inculcandis vocibus, aut illi de prætermittendis, tam pertinaci inter se conflictu certaverint. Non enim sine causa id ambo fecisse putandi sunt. Hanc vero non difficiliter assequentur historiæ ecclesiasticæ periti. Scient enim, inter Alexandrinam, sive Ægyptiacam Ecclesiam, et orientalem, cujus caput Antiochia fuit, æmulationis, ac simulationis nescio quid intercessisse : maxime ex quo et Joannes Chrysostomus Constantinopolitanam ad sedem Antiochia vocatus est invito Theophilo, tum ejusdem factione postmodum ejectus : et Nestorius Antiochenus et ipse, ad episcopatum ejusdem Constantinopolitanæ provectus urbis, Cyrillo præ ceteris annitente Alexandrino episcopo, in Ephesina synodo damnatus est.

Qua quidem in synodo, manifesta offensionis illius indicia Joannes Antiochenus, et ei subjecti orientales episcopi præbuerunt : qui de industria tempus extrahentes, ne damnare Nestorium cogerentur, jam perfecta re venerunt Ephesum, ac tumultuaria, et latrocinali collecta synodo, in Cyrillum, ac reliquos omnes, quorum ille concilio præerat, sententiam tulerunt. Ex quo deinceps accidit, ut etiam reddita Ecclesiæ pace, ac concordia inter partes constituta, non penitus oblitterata fuerint pristinæ illius simultatis vestigia. Quæ quidem Eutychianis temporibus iterum exarsit : quando Dioscorus Alexandrinus episcopus in Theodoretum, et Ibam, atque alios Orientales præcipue bacchatus est, ut ex actis Chalcedonensibus constat : ex quibus apparet, Ægyptios, et Orientales perpetuo sibi invicem infestos, et infensos fuisse.

Ac tametsi catholici essent utriusque generis episcopi, recteque de fide sentientes ; neutri ut faverent hæresi Nestorii aut Eutychis ; nescio quo pacto in re ipsa dogmatis concordes, verbis ac loquendi formulis a se mutuo dissidebant : adeo ut Orientales iis libentius uterentur, ab quibus minus abhorruisset gentilis suus Nestorius : Ægyptii vicissim iis, in quas inclinatior fuisset Dioscorus. Cum igitur Anatolius ex apocrisiario Dioscori, Constantinopolitanum ad thronum evectus esset, ut testatur Liberatus diaconus [1] ; in condenda fidei definitione, *ex duabus naturis esse Christum* non gravatus est scribere : quod ipsum Dioscorus, et Eutyches usurparant : alterum vero, *in duabus naturis post unitionem*, suppressit ; quod ut Nestorianis, et Orientalibus gratum, sic Alexandrinis Dioscori fautoribus invisum esse non dubitabat. Hinc altercationes illæ, conflictionesque partium extiterunt de concipienda fidei formula : quæ non aliter sopitæ, compressæque sunt, quam ubi Leonis Romani pontificis injecta mentio est : in cujus epistolæ verba consentire se omnes Catholici profitebantur : (1) eamque velut στήλην τῆς ὀρθοδοξίας, hoc est orthodoxæ columnam fidei, ac regulam sibi ex æquo præfiniebant.

XI. Alterum, quod in ista controversia dixi animadvertendum esse, ad formulam fidei, sive ὅρον, ac *definitionem* ab œcumenica synodo Chalcedonensi postremo editam spectat. Nam alii codices habent ἐκ δύο φύσεων ; alii ἐν δύο φύσεσι. Verba formulæ, ut in Romana editione leguntur, hic adscribam. Aiunt Patres, (2) *Christum, Filium, Dominum, unigenitum, ex duabus naturis* (alias *in duabus naturis*) *inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.* Duæ sunt in editis lectiones istius loci ; quidam enim codices habent ἐκ δύο φύσεων, alii ἐν δύο φύσεσι, quod posterius exhibet editio secunda Binii : cum tamen in latina versione sit, *ex duabus naturis,* ad marginem autem adscriptum sit, *in duabus naturis.* At vero in Romana editione græcolatina legitur ἐκ δύο φύσεων, cum in latino sit *in duabus naturis*, et ad marginem, *ex duabus.* Verum Romana editio latina Conciliorum anni Christi 1585. sub Sixto pontifice, ubi quadruplex editio collecta est, in omnibus reddit *in duabus :* nisi quod tertia exhibet *in duas naturas.* Equidem non dubito, quin mendosa sit altera lectio ἐκ δύο φύσεων, *ex duabus naturis ;* ac vera sit illa, quæ habet ἐν δύο φύσεσιν, *in duabus naturis*, quod certissimis argumentis efficitur.

Imprimis, scriptum est in actis concilii Chalcedonensis, et a Leontio proditum est, ut paulo ante memoravi [2], magistratus ac principes, qui jussu Imperatoris intererant concilio,

(1) In defin. fidei Chalc. pag. 340. vocant Patres, κοινὴν τινα στήλην κατὰ τῶν κακοδοξούντων.

(2) Conc. Chalc. act. 6. pag. 340. C. Καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν, Υἱὸν, Κύριον, μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον.

Cap. 12.

[2] Paragr. 9.

audita Romanorum legatorum, et Orientalium aliquot expostulatione de priore formula fidei, quam Anatolius conscripserat, quod minus accurate concepta videretur, vehementer institisse, ut ex illorum sententia aliquid ad eam adderetur, quo omnibus satisfieret : atque ut Leonis papæ decreto, et epistolæ omni ex parte consentanea regula conderetur; quando fidem se illius amplecti crebris, et magnis acclamationibus profitebantur. « (1) Igitur quæ in illa epistola continentur, *aiebant*, inserantur formulæ fidei. » Ac detrectantibus, et tumultuosius agentibus Orientalibus, de Imperatoris sententia rursus contendisse principes, et hac illos interrogatione pulsasse : « (2) Dioscorus aiebat : Christum ex duabus esse naturis assentior ; istud vero, duas in eo esse naturas, non admitto. Contra sanctissimus archiepiscopus Leo duas in Christo esse naturas asserit, citra confusionem, et conversionem, ac divisionem unitas in uno Filio unigenito salvatore nostro. Quem vos igitur amborum sequimini? Sanctissimum Leonem, an Dioscorum? » Ad hoc acclamantibus episcopis : Se itidem credere, ut Leo crederet : statim excepere principes : « (3) Addite ergo ad fidei formulam, secundum judicium sanctissimi Patris nostri Leonis, duas esse naturas unitas citra conversionem, et divisionem, et confusionem, in Christo. » Tum vero omnium rogatu principes cum Anatolio, et legatis Romanis, ac pluribus aliis episcopis in oratorium sanctæ Euphemiæ martyris ingressos, alteram fidei professionem concinnasse, referunt acta : quæ e vestigio ad Concilium perlata, et coram omnibus lecta, nemine dissentiente, totius Synodi subscriptionibus approbata est. Prior vero penitus oblitterata est, nec in acta relata [1] : sed hæc sola posterior. Quis ista legens dubitet, quin hæc ipsa secunda formula, tantis clamoribus, ac studiis expetita, ac sine controversia statim utrique probata parti, ex Romanorum voto, et principum præscripto concepta fuerit, ut in ea comprehenderetur illud, ἐν δύο φύσεσιν, *in duabus naturis :* nec alterum tantummodo, *ex naturis duabus?* Puto neminem esse, qui non exitum istum controversiæ illius expectet.

XII. Deinde quinta Synodus Justiniano Imperatore Constantinopoli habita, collatione sexta [2], Chalcedonensis concilii formulam refert; in eaque scriptum est, *in duabus naturis.*

Evagrius item libro primo Historiæ, capite quarto, eamdem formulam græce describit, et ἐν δύο φύσεσιν habet, hoc est *in duabus naturis.* Præterea complures, qui altero post concilium Chalcedonense seculo vixerunt, testari videntur, in ejus formula nominatim expressum fuisse ἐν δύο φύσεσιν. Anno Justiniani imperatoris labente sexto, vel septimo ineunte, Christi 532. Constantinopoli facta collatio est inter Eutychianos, sive Severianos, et Catholicos oppido celebris; in qua disputatum est de Chalcedonensi synodo. Ibi sciscitante Hypatio Ephesino episcopo, qui Catholicorum causam agebat, quid in ea synodo reprehenderent; Contradicentes responderunt, (sic enim illic adversarii partis Severi nominantur,) « [3] Ante omnia duarum naturarum novitatem. Beato enim Cyrillo, et antecessoribus ejus ex duabus naturis unam Dei Verbi incarnatam post unitionem prædicantibus, illi, *in duabus naturis*, innovare præsumpserunt. »

Leontius item in libro de Sectis, capite octavo refert, *Hæsitantes* (pars hæc Eutychianæ sectæ fuit, de qua priore in libro dixi) crimini hoc dare synodo Chalcedonensi solitos, quod dixerit, ἐν δύο φύσεσι.

Quin etiam S. Euthymius monachus [4], quo annum ætatis agente septuagesimum quintum synodus illa celebrata est, ut auctor est Cyrillus monachus in ejus vita, illud, *in duabus naturis*, » decreto additum a Synodo » fassus est; idque recte factum esse defendit, ut supra meminimus.

His omnibus certissimis, evidentissimisque testimoniis prorsus evincitur, Chalcedonensem synodum in posteriore formula sancivisse *in duabus naturis*, hoc est ἐν δύο φύσεσι, non ἐκ δύο φύσεων esse Christum.

Ceterum recte hoc Evagrius observat [5], horum utrumvis, sive *ex naturis* dixeris, sive *in naturis*, tantumdem valere, et ad perfectam mysterii illius professionem sufficere, si contendendi cupiditas absit, quæ majorem cogit

(1) Chalc. conc. act. 5. pag. 335. E. Οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· οὐκοῦν τὰ ἐν αὐτῇ ἐμφερόμενα ἔνθετα τῷ ὅρῳ.

(2) Ibid. pag. 336. D. Οἱ μεγαλοπρεπέστατοι, καὶ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον. Διόσκορος ἔλεγε· τὸ ἐκ δύο φύσεων δέχομαι· τὸ δὲ δύο οὐ δέχομαι. Ὁ δὲ ἁγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος Λέων, δύο φύσεις λέγει εἶναι ἐν τῷ Χριστῷ ἡνωμένας ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως, καὶ ἀδιαιρέτως ἐν τῷ ἑνὶ μονογενεῖ Υἱῷ τῷ Σωτῆρι ἡμῶν. Τίνι τοίνυν ἀκολουθεῖ τε, τῷ ἁγιωτάτῳ Λέοντι, ἢ Διοσκόρῳ;

(3) Ibid. E. Πρόσθετε οὖν τῷ ὅρῳ κατὰ τὴν ψῆφον τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν Λέοντος, δύο φύσεις εἶναι ἡνωμένας ἀτρέπτως, καὶ ἀμερίστως, καὶ ἀσυγχύτως ἐν τῷ Χριστῷ.

[1] Chalc. Conc. Act. 5. p. 334. — [2] Tom. 4. Conc. p. 277. col. 1. fine. — [3] Tom. 3. Conc. p. 854.

[4] Cyr. in Vita Euth. c. 12. Januar. 21. tom. 2. Boll. 313. — [5] Evagr. lib. 1. c. 4. fine.

interdum, quam ex sese res alioqui postulet, cautionem adhibere. Etenim qui ex duabus naturis ait esse Christum, *in duabus* quoque fatetur esse : et vicissim ex duabus esse dicit, qui *in duabus* affirmat. Flavianus ecce Constantinopolitanus episcopus, (1) cum in ea fidei professione, quam Theodosio imperatori obtulit, Christum in duabus naturis post Incarnationem professus esset; in synodo Constantinopolitana, in qua Eutychem condemnavit, eamdem fidem ita concepit : « (2) Ex duabus naturis confitemur esse Christum post Incarnationem. » Et vicissim Antiochus Homilia 130. fidei confessionem scribens, satis habuit, *in duabus naturis* Christum esse dicere, altero suppresso. « (3) Duæ enim naturæ, ait ille, convenerunt, unitione prorsus indissolubili. »

CAPUT SEXTUM.

Demonstratur ex unione duarum in Christo naturarum non unam coalescere naturam, sed duas manere. — 1. Quot modis una fingi posset. — 2. Imprimis altera extincta, unam minime superesse probatur ex Scripturis, quarum sententiæ identidem ex Patrum enarratione roborantur. — 6. Tum ex synodorum decretis idem duarum dogma naturarum adstruitur, præsertim œcumenicis. — 7. Item ex græcis Patribus, qui Eutychianam hæresim antecesserunt, et eam quodam præjudicio damnarunt.

I. Nunc propriis disciplinæ hujus argumentis adstruendum est, ex conjunctione duorum illorum, quæ in Christo convenisse scimus, non unam, et singularem prodiisse naturam. Sed ante constituendum est, quemadmodum ex duabus velut partibus, aut tanquam partibus, una possit natura coalescere; ne evagetur in incertum disputatio nostra, sed in definito aliquo rerum genere consistat.

Rem ex duabus unam effici tribus omnino modis intelligimus. Aut enim una pereunte, et in alteram velut absorpta, incolumis, et sola ista ipsa remanet : aut ex duabus mutatis fit aliqua tertia dissimilis ambarum : aut ex duabus salvis, et integris, tertia itidem, et diversa componitur. Primi generis exemplum habes in aquæ stilla, quæ in vini amphoram projecta, naturam mutat, et in vinum vertitur. Secundum genus in elementis apparet, ex quibus mistorum corporum substantia conflatur. Tertii denique generis exemplum inest in anima et corpore, ex quibus hominis natura constat. De hoc tertio genere postea : nunc de duobus primis agemus, quorum tractatio ad antiquiorum hæresum confutationem magis pertinet : quæ quidem alterutrius naturæ, vel ambarum etiam ἀλλοίωσιν, hoc est *mutationem*, vel, ut detrito in scholis nomine utar, *alterationem*, invexerunt. Utramque græci theologi συνουσίωσιν vocant, id est *substantiarum confusaneum coitum;* de quo postea.

II. Duplicem hanc componendarum in Christo naturarum rationem Ferrandus diaconus hac sententia complexus est [1] : « Si quis iterum unam Christi dicit esse naturam; et quamvis eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen substantiis confiteri veretur, aut dubitat : hic aut unius naturæ abolitionem, aut utrarumque asseverat confusionem. Nisi enim de duabus unam simul abstulerit, aut utrasque confuderit, unam quomodo prædicet, non habebit. »

Horum duorum modorum celebrior, et frequentior in usu veterum hæreticorum fuit ille, quo naturarum altera extincta, et conversa esse ponitur. Ita enim Apollinaris, et Eutychis discipuli humanam naturam totam in deitatem abiisse dicebant, velut si gutta mellis in oceanum jaciatur, et vertatur in aquam maritimam. Hac enim similitudine usos illos esse testatur Theodoretus, ut in

(1) Flav. in conc. Chalc. pag. 4. Καὶ γὰρ ἐν δύο φύσεσιν ὁμολογοῦντες τὸν Χριστὸν μετὰ τὴν σάρκωσιν.

(2) Idem act. 1. pag. 95. Καὶ γὰρ ἐκ δύο φύσεων ὁμολογοῦμεν τὸν Χριστὸν εἶναι μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν.

(3) Antioch. tom. 12. bib. 233. Δύο γὰρ φύσεις συνῆλθον ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον.

[1] Tom. 3. Bibl. col. 337. B. epist. ad Sev.

primo libro memini [1]. Alii longe crassiores, et hebetiores divinitatem in carnem conversam esse dixerunt. Sic ejusdem illius sectæ nonnulli communem hæresim interpretati sunt, ut illic diximus. Contra quos imprimis probandum istud est, in Christo Domino duas et distinctas naturas non fuisse tantum, quando ex iis compositus est, sed unitas etiam, et copulatas manere.

III. Ac primum auctoribus sacris libris illud asseritur; qui utramque in eo naturam significant, dum Deum et hominem esse testantur, et quæ ambarum propria sunt eidem tribuunt: præsertim Evangelica scriptura, quam Novatianus ait [2] « utramque substantiam in unam nativitatis Christi fœderasse concordiam. » Nam et Deum esse Christum pleraque testimonia persuadent, quæ a nobis allata sunt alio in loco, et hominem simul esse verum non obscure prædicant, ac suas singulis proprietates assignant, ut inter alios Gelasius notat [3] in libro contra Eutychem et Nestorium [4].

« Certum namque est (ait Albinus Flaccus libro primo contra Felicem Urgelitanum) Dominum Jesum Christum secundum catholicam fidem, et præconia Scripturarum, duas habere nativitates; unam de Patre sine tempore; alteram de matre sine virili conjunctione: et harum duarum nativitatum proprias habere naturas; Dei scilicet, qua de Patre natus; et hominis, qua est de matre progenitus: unus idemque Deus; unus idemque homo; unus idemque filius Jesus Christus. Gemina enim nativitas geminam uni Christo dedit naturam. Qui Deus est de Patre, idem Deus homo est de matre. » Validissimum huic asseverandæ professioni catholicæ firmamentum Joannes initio Evangelii suppeditat. Ubi postquam æternum cum Patre Verbum, et eumdem Deum esse docuit, ac per ipsum omnia esse facta; deinceps idem illud Verbum carnem esse factum asserit, et subinde hominem inter homines versatum esse; ac demum humanæ vitæ labores, cruciatus denique, ac mortem ipsam tolerasse scribit.

Hujus argumenti vim, recte ex filo, et contextu narrationis Novatianus expendit [5]: « Verbum, *inquit,* hoc illud est quod in sua venit, et sui eum non receperunt. Mundus enim per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Verbum autem hoc erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum. Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, Christum, cujus est nativitas, et quia caro factus est, esse hominem; et quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse. »

Epiphanius quoque in hæresi Dimœritarum, sive Apollinaristarum [6], observat, Evangelistam primo loco Verbum posuisse, deinde mentionem fecisse carnis; ut ostenderet primum e cœlo descendisse Verbum, ac sibi carnem e Mariæ virginis utero formasse. Non enim suspicari quispiam nisi insanus potest, *carnem,* sive humanam naturam, *in principio,* hoc est ab æterno, *et apud Deum* extitisse, aut *omnia fecisse*; ut animadvertit Theodoretus [7]. Quare necesse est naturarum in illo loco differentiam agnoscere. Vide et Fulgentium in primo ad Trasimundum, cap. 16.

IV. Rursus, ut ibidem Theodoretus disputat, eumdem illum, quem Joannes *Verbum carnem factum* asserit, Matthæus et Lucas ab Abrahamo et Davide, aliisque patriarchis oriundum esse testantur. Quod cum Joannis superioribus illis minime cohæret, nec verum potest utrumque esse, si una tantummodo natura sit Christi.

Item alio in loco, « Quem verum hominem novit Joannes (Fulgentii verba sunt [8]) audiens eum dicentem [9], *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum;* eumdem verum Deum monstrat, dicens [10], *Hic est verus Deus, et vita æterna.* » Quinetiam in exordio epistolæ suæ idem evangelista naturas in Christo duas manifeste distinguit, dum sic loquitur: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Hic perspicua est Dei et hominis in eodem Christo significatio: « Quis est enim qui manibus tractet Verbum, ait Augustinus [11], nisi quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis? » Et allusit, ut plerique veterum interpretati sunt, auctore Didymo [12], ad id, quod Christus fecisse narratur statim post resurrectionem, ut manus, et pedes videndos, palpandosque præberet apostolis. *Videte manus meas,* inquit [13], *et pedes, quia ego ipse sum; pal-*

[1] Vide l. 1. c. 14. parag. 7. — [2] Lib. de Trin. cap. 13. — [3] Gelas. tom. 4. Bib. 419. — [4] Qui sub nomine Paulini Aquil. editus est tom. 4. Bibl. PP. Par. 2. col. 6. — [5] Cap. 13. — [6] Hær. 77. § 29.

[7] Dial. 2 p. 68. — [8] Fulg. 1. ad Trasim c. 16. — [9] Joan. 8. 40. — [10] 1. Joan. 5. 20. — [11] August. Tract. 1. in epist. Joan. tom. 9. — [12] In ep. eamd. tom. 9. Bibl. PP. col. 68. — [13] Luc. 24. 38

pate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.

V. Ad hæc in epistola ad Romanos, Apostolus duplicem ejusdem filii Dei naturam indicat ita scribens [1], *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem : qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Ubi filium Dei, *unigenitum*, et *proprium*, *factum esse ex semine David*, nihil aliud est, quam quod Joannes dixit, *Verbum carnem esse factum.* Vide quæ de loco illo Apostoli scripsimus in tertio libro de Trinitate [2].

Præclarum quoque testimonium illud est in eadem epistola ; cum de Judaici populi prærogativa loquens [3], *Quorum patres*, inquit, *et ex quibus est Christus secundum carnem : qui est super omnia benedictus Deus in secula, Amen :* quomodo legit antiquissimus scriptor Irenæus libro tertio, capite 18.

Et in epistola ad Philippenses [4], *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.* Ibi formam pro natura perspicuum est sumi. « Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo, sed utrumque Deus propter accipientem Deum ; utrumque autem homo, propter acceptum hominem, » ait Augustinus ab Albino Flacco citatus in libro primo contra Felicem [5] : qui vulgo Paulinus inscribitur. Poterant e Scripturis plura ejusdemmodi testimonia proferri, sed non est necesse : præsertim cum alibi [6] haud pauca memorata sint, cum ex professo Deum esse Christum (quem hominem utique fatebantur) adversus varias hæreses, ex iisdem Scripturis ostendimus.

VI. Proximo ab Scripturis auctoritatis gradu censentur ecclesiasticæ Synodi, maxime generales. Quæ et ipsæ duplici in Christo naturæ suffragantur. Imprimis Nicæni concilii symbolum, postquam divinitatem asseveravit Filii, statuens hunc (1) *natum ex Patre, unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre ; per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, et in terra*, (ut Hilarius latine reddidit [7],) mox de suscepta hominis natura ista subjicit : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est ; passus est.* Cujus vim professionis, ac pondus exprimit Cyrillus Alexandrinus in libro de Symbolo [8], et in epistola quarta quæ est ad Nestorium ; necnon in defensione capituli primi contra Orientales. « Prius, inquit Vigilius [9], unius substantiæ vocabulum posuerunt ; quod pertinet ad illam Verbi naturam, de qua quæstio vertebatur : et postea incarnatum dixerunt, quod pertinet ad carnis ejus naturam, de qua nihil fuerat mutilatum. » Consentit huic Constantinopolitana prima synodus, quæ paucis mutatis eadem verba in symbolo suo repetiit.

Ephesina vero [10] symbolum aliud, quam quod Nicænæ fuerat editum, neque facere se professa est ; et fieri deinceps vetuit. Tum Flavianus in epistola ad Leonem, ex actis ejusdem synodi, et epistola ad Nestorium, quæ inter ea relata est, hæc verba refert, quæ sunt ex epistola Cyrilli ad Nestorium secunda : « (2) Quia diversæ quidem ad unitatem veram concurrere naturæ : unus autem ex ambobus Christus Dei filius ; non tanquam naturarum differentia sit perempta propter unitatem : sed potius effecerit nobis unum Dominum Jesum Christum, divinitatis, et humanitatis per ineffabilem, et intelligibilem ad unitatem concursionem. » Ibi ex Cyrilli græcis legendum, *divinitas, et humanitas* : quæ effecisse dicuntur unum Dominum Jesum Christum.

Idem sensus est Chalcedonensis synodi ; quæ ex instituto naturas duas professa est adversus Eutychis hæresim ; et superioribus probatis synodis [11], earumque symbolis, (3) expressius aliquid adjecit de earumdem naturarum discrimine.

Non aliud de quinta, contra tria capitula

(1) Nic. symb. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, τὸν μονογενῆ· τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, etc.

(2) Cyr. in epist. quæ est in Eph. syn. pag. 164. Καὶ ὅτι διάφορει μὲν αἱ πρὸς ἑνότητα τὴν ἀληθινὴν συναχθεῖσαι φύσεις· εἷς δὲ ἐξ ἀμφοτέρων Χριστὸς, καὶ Υἱὸς, οὐχ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀπῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, ἀποτελεσασῶν δὲ μᾶλλον ἡμῖν τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ Υἱὸν, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος, διὰ τῆς ἀῤῥήστου πρὸς ἑνότητα συνδρομῆς.

(3) Chalced. syn. pag. 340. Καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν,

[1] Rom. 1. 4. — [2] Cap. 3. § 9. et 10. — [3] Rom. 9. 5. — [4] Phil. 2. 6. — [5] Tom. 4. Bibl. PP. Par. 2. col. 6. — [6] Lib. 2. ex 3. de Trin. — [7] Lib. de Syn. — [8] Tom. 5. Par. 2. p. 180.

[9] Lib. 5. cont. Eut. Tom. 4. Bibl. PP. 520. — [10] Ephes. Concil. Par. 2. Act. 6. p. 336. — [11] Vide Defin. synodicam Act. 5. p. 337.

celebrata, deque sexta adversus Monotheletas judicium est, ac de ceteris omnibus, quæ deinceps habitæ sunt, sive generales, sive per provincias, et nationes coactæ. Nam omnes superiorum œcumenicarum decretis subscripserunt. Ac nos primo in libro, in singulis fere adversus Incarnationem hæresibus recensendis, catholicas synodos memoravimus, ab quibus illæ damnatæ sunt. Quæ totidem sunt Ecclesiæ Christi decreta, quibus catholicæ fidei de duabus in Christo manentibus naturis dogma comprobatur : ut appellare singulas hoc loco nihil necesse sit.

VII. Tertium genus theologicæ rationis est antiquorum auctoritas Patrum; qua si uti, quantum licet, hic velim, non infinita solum, sed fastidii quoque plena futura sit hæc nostra disputatio. Juvat tamen commemorare nonnullos, delectu eorum habito; quorum auctoritas vel, propter antiquitatis canitiem quamdam, plus habet dignitatis : vel, quod ab hæreticis ipsis, contra quos agitur, suscepti sunt, ad illos revincendos utilius adhibetur.

Omnium, qui quidem extant, scriptorum post canonicos antiquissimus Clemens Romanus pontifex, divinam, et humanam in Christo naturam haud obscure prodidit. Nam et Deum his verbis designat, quæ in tomo secundo de Trinitate descripsimus [1]; ubi et Jesum Christum nominat [2] « sceptrum majestatis divinæ :» et quæ ab Apostolo de eo prædicatur, ut sit [3] *splendor majestatis* Dei, *et tanto major angelis, quanto excellentius nomen hæreditavit,* ad eumdem accommodat : et trium personarum secundam illum numerat. Tum [4] ex Isaia [5] hominem fuisse docet, atque hunc dejectum, et humilem, ac laborum et plagarum patientem, qui propter peccata nostra mortem obierit : « (1) Sanguinem, *ait*, suum pro nobis Christus Dominus noster dedit, ex voluntate Dei, et carnem pro carne nostra; et animam pro animabus nostris. »

VIII. Post hunc merito recensendus est Ignatius martyr : cujus ex epistolis quædam ab antiquis laudata testimonia in prolegomenis librorum de Trinitate posui : quæ naturam utramque post unitionem perspicue demonstrant. Harum epistolarum apographum ex luculentissima bibliotheca magni Ducis Etruriæ descriptum ab eruditissimo juvene Isaaco Vossio Gerardi filio nuper accepimus, multum ab editis hactenus diversum : in quo omnia fere, quæ ab antiquis Patribus ex Ignatio loca citantur, totidem verbis invenimus, cum in cusis partim non extent, partim mirum quantum evarient. Ex illis locis, unus est [6] ad duarum in Christo naturarum fidem eximius, ab Athanasio, Theodoreto, et Gelasio ad idem, ac nos modo facimus, institutum allatus. Quem, ut apud Athanasium legitur, hic adscribam ex Gelasii interpretatione [7] : « (2) Unus medicus est, carnalis, et spiritualis, factus, et non factus : in homine Deus, in morte vita æterna, ex Maria, et ex Deo : primum passibilis, et tunc impassibilis, Dominus noster Jesus Christus. »

Apud Theodoretum [8], itidem ut in Florentino, scriptum est : γενητὸς ἐξ ἀγενήτου, *factus ex non facto;* vel, ut latini Patres reddere consueverunt, *genitus ex ingenito.* Quod eo sensu potest accipi, ut Filius Dei *ex non facto*, *factus* esse voluerit; id est *homo ex Deo.* Nisi quis forte suspicetur, ab aliquo commutatum olim istum esse locum; qui, cum animadverteret ἀγενήτου vocabulum proprie attribui Patri [9], et in eo personalem ejus proprietatem ab antiquis collocari, veritus sit, ne Sabelliani, et Patripassiani unam Patris et Filii personam inde colligerent : ideoque rescripserit, Filium esse γενητὸν ex ἀγενήτῳ Patre. Utut res habuerit, evidens est, duas ex illis utcumque conceptis verbis Christi naturas effici. In vulgatis porro longe diversa est lectio. Præter hunc locum, alia sunt in Ignatii epistolis pleraque non minus expressa [10]. Nam crebro de hoc argumento disputat adversus hæreses, quæ veram Christi incarnationem jam tum illis temporibus impugnare cœperant.

Υἱὸν, Κύριον μονογενῆ, ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον· οὐδαμοῦ τῆς φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, etc.

(1) Clem. in ep. 1. ad Cor. pag. 64. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν, ἐν θελήματι Θεοῦ καὶ τὴν σάρκα ὑπερ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

(2) Athan. lib. de Syn. pag. 709. Ἰγνάτιος οὖν ὁ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ κατασταθεὶς ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου, εἴρηκεν· εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς, καὶ πνευματικὸς, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ. Addit Theodoret. Πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν.

[1] In Proleg. c. 2. — [2] In Ep. 1. ad Cor. p. 20. — [3] Ib. p. 47. — [4] Id. p. 21. — [5] Isa. 53. — [6] Ignat. in epist. ad Eph.

[7] Gelas. tom. 4. Bib. 422. — [8] Dial. 1. p. 34. — [9] Vide lib. 5. de Trin. nostrum c. 1. et seq. — [10] Vide Gelas. et Theod.

Ex hac omni copia unum haud amplius adtexam, in paucis memorabile Ignatii ejusdem testimonium ex epistola ad Smyrnæos, quod ab Eusebio [1], et Theodoreto [2] citatum, totidem, atque apud illos extat, verbis in Florentino legimus : « (1) Ego vero, *inquit*, et post resurrectionem in carne ipsum novi, et credo ipsum esse. Et quando ad Petrum, et qui cum eo erant, venit, dixit eis : Accipite, attrectate me, et videte, non me esse dæmonium incorporeum : ac statim ipsum tetigerunt, et crediderunt. » Quo ex loco vere illud ab Joanne significari colligitur, quod supra memoravi [3] ; non solum Thomam, sed etiam reliquos apostolos Christi Domini palpasse corpus ; de quo Didymus in commentario ad Joannis epistolam dubitabat.

IX. Justinus martyr in Apologetico secundo, « (2) Jesum Christum *ait* esse Verbum formatum, et hominem factum. » Et postea : « (3) Princeps autem virtus post patrem omnium, et dominum, ac filius, est Verbum : quod quemadmodum incarnatum homo factum sit, dicemus postea. » Mox vero declarat, quomodo « (4) Verbum illud, qui et primogenitus est Dei filius, in Virginem subiens, et eam obumbrans, non per concubitum, sed per virtutem, prægnantem eam reddiderit. » Tum de illius cruciatu, et morte fuse disserit. Ac demum Jesum Christum, qui est verbum Dei, ejusque filius, sæpe veteribus sub diversis apparuisse formis ait : « (5) Tandem vero Dei voluntate, pro humano genere hominem factum, perpeti omnia sustinuisse, quibuscumque, procurantibus dæmonibus, stulti illum affecere Judæi. »

Sic in dialogo cum Tryphone, multa de Christi divinitate, deque suscepta hominis ab illo natura, et de perpessionibus ejusdem, ac morte disputat. Quorum summam Tryphon ita colligit : « (6) Nam quod tu asseris ante secula Deum hunc esse Christum, ac deinde nasci factum hominem voluisse, nec hominem esse ab homine propagatum ; non solum præter fidem mihi videtur esse, sed etiam stultum. » Quod deinceps Justinus constanter tuetur. Plerique ex libro de Expositione fidei, ejusdem scriptoris testimonia corrogant : sed non est opus illud Justini. Ita Leontius libro primo contra Nestorium et Eutychem [4], et Theorianus in Legatione [5].

X. Irenæus Lugdunensis episcopus et martyr toto fere in opere duas in Christo naturas agnoscit, ex quibus divinam adstruunt illa loca, quæ, ut institutum ferebat [6], alibi protulimus. Utramque vero commendant alia quamplurima, e quibus pauca nunc attingam.

In libro tertio cap. 18. contra hæreticos disputans, qui specie sola, hoc est *putative*, ut latine reddit interpres, apparuisse volebant Christum, « Joannes, *inquit*, unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum. » Ac deinceps toto capite, ex evangelistis, et Apostolo, hoc ipsum studiose, pluribusque confirmat.

Et in capite 21. refellit eos, qui ab Josepho genitum illum esse dicebant : « (7) Fraudantes hominem ab ea ascensione, quæ est ad Dominum ; et ingrati existentes Verbo Dei, quod incarnatum est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo ; et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei. »

Item alibi : « (8) Cum igitur spiritus præfinitæ œconomiæ gratia descenderit, et filius

(1) Ign. ad Smyr. sub init. Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λαβέτε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμι δαιμόνιον ἀσώματον, καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν.

(2) Just. pag. 43. Ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Λόγου μορφωθέντος, καὶ ἀνθρώπου γενομένου, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ κληθέντος.

(3) Ibid. pag. 57. Ἡ δὲ πρώτη δύναμις μετὰ τὸν Πατέρα πάντων, καὶ δεσπότην Θεὸν, καὶ Υἱὸς, ὁ Λόγος ἐστὶν· ὃς τίνα τρόπον σαρκοποιηθεὶς ἄνθρωπος γέγονεν, ἐν τοῖς ἑξῆς ἐροῦμεν.

(4) Ibid. pag. 58. Τὸν Λόγον, ὃς καὶ πρωτότοκος τῷ Θεῷ ἐστι, etc. καὶ τοῦτο (nempe Πνεῦμα, quem et Λόγον vocari ait) ἐλθὲν ἐπὶ τὴν παρθένον, καὶ ἐπισκιάσαν οὐ διὰ συνουσίας, ἀλλὰ διὰ δυνάμεως, ἐγκύμονα κατέστησε.

(5) Ibid. pag. 75. Νῦν δὲ διὰ θελήματος Θεοῦ ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπείου γένους ἄνθρωπος γενόμενος ὑπέμεινε καὶ παθεῖν ὅσα αὐτὸν ἐνήργησαν οἱ δαίμονες διατεθῆναι ὑπὸ τῶν ἀνοήτων Ἰουδαίων.

(6) Ibid. pag. 207. Τὸ γὰρ λέγειν σε πρεσπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων τοῦτον τὸν Χριστὸν, εἶτα καὶ γεννηθῆναι ἄνθρωπον γενόμενον ὑπομεῖναι, καὶ ὅτι οὐκ ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου, οὐ μόνον παράδοξον δοκεῖ μοι εἶναι, ἀλλὰ καὶ μωρόν. Vide et pag. 228. et seq.

(7) Theodoretus dial. 1. pag. 35. ex Iren. Καὶ ἀποστεροῦντας τὸν ἄνθρωπον τῆς εἰς Θεὸν ἀνόδου, καὶ ἀχαριστοῦντας τῷ ὑπὲρ αὐτῶν σαρκωθέντι Λόγῳ τοῦ Θεοῦ. Εἰς τοῦτο γὰρ ὁ Λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος χωρήσας τὸν Λόγον, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν, Υἱὸς γένηται Θεοῦ.

(8) Id. Iren. lib. 3. cap. 19. apud Theod. dial. 1.

[1] Lib. 3. Hist. c. 36. — [2] Dial. 2. p. 86. — [3] § 4. — [4] Tom. 4. Bibl. PP. Par. 2. col. 973. — [5] The. tom. 2. Bib. p. 451. — [6] In Præf. tom. 2. de Trin. c. 2. § 2. et l. 3. c. 11. § 14.

Dei unigenitus, qui et Verbum Patris est, veniente plenitudine temporis, incarnatus sit in homine, et omnem humanam administrationem expleverit Dominus noster Jesus, etc.» Ad hæc in libro 5. cap. 14. « Si enim non haberet caro salvari, *inquit*, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. »

XI. Origenes in secundo contra Celsum, docet, « (1) Primogenitum omnis creaturæ, » quem et αὐτολόγον, id est, *ipsum Verbum, et Dei filium* vocat, « assumpsisse corpus, et animam hominis. » Et in libro septimo [1] manifeste Verbum et hominem Christum fuisse dicit, et qua hominem, esse mortuum.

Rursus homilia quadam [2] : « Ipse corpore dormiebat, deitate vero concitabat, et conturbabat mare ; et iterum complacabat. » Et homilia 1. in Ezechielem : « Respondeant mihi hæretici, qui nativitatem illius ut phantasma eludunt, quare Christus filius hominis appellatur. Ego affirmo filium hominis ipsum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est ut ante passionem susceperit nativitatem. » Vide eumdem in tractatibus ad Joannem, et epistolam ad Romanos, et in secundo Periarchon capite 6. quod totum est de incarnatione Christi. Dionysius Alexandrinus, in epistola synodica, quam ad Paulum Samosatenum scripsit, et in responsione ad quæstiones illius, totus in eo argumento versatur, ut naturas duas approbet : ubi inter alia sic in epistola scribit : « (2) Nam Christus non solo nomine, sed ex rei veritate ante secula Verbum existens, Christus Dominus Jesus. Ipse enim factus est homo, qui incarnatus est ex Maria.»

Item : « (3) Deus, *inquit*, apparuit in carne, factus ex muliere; qui ex Deo Patre natus est ex utero ante Luciferum, tanquam ex corde verbum, editum ex Patre, et simplex, atque impartibile Verbum caro factum est. » Ac mox, eumdem esse dicit *sanctificantem*, et *sanctificatum*, nec duos esse, alterum hominem, alterum Deum.

Sic Antiochena synodus, quæ Pauli Samosateni confutavit hæresim, in epistola ad eum scripta, profitetur Dei Filium, et Verbum, qui « (4) ante secula est, non præscientia, sed substantia, et hypostasi Deum, Deique filium, etc.» « (5) a Patre de cœlo missum, et incarnatum, hominem esse factum. Idcirco corpus ex Maria natum, cum totam divinitatis plenitudinem cepisset, corporaliter divinitati, sine conversione, unitum est, et deificatum. »

XII. Clemens Alexandrinus, qui nescio quo modo mihi exciderat, eumdem esse Deum et hominem, Christum luculenter affirmat. De illius divinitate præclara sunt ea testimonia, quæ in primo de Trinitate reddidimus [3]. Hanc eamdem cum humana natura in uno revera conjunctam adstruunt quæ in primo Pædagogici, capite secundo scribit : ubi « (6) Deus in hominis specie » vocatur, « intactus, paternæ voluntatis minister, Verbum Deus, qui est in Patre, et a dextris Patris, et cum illa specie Deus ? » Item in capite tertio, cœlestem illum pædagogum ait, « (7) prodesse mortalibus tanquam hominem, et tanquam Deum : quippe peccata indulgentem, qua Deus est : ut autem est homo, pædagogi more ad non peccandum instituentem. » Idem præterea Christum alibi dicit, (8) humano ore locutum, et humana assumpta carne, docuisse homines. Ac vero corpore, non apparente solum, fuisse præditum, asserit in sexto Stromateon [4], et quidem de-

Τοῦ Πνεύματος οὖν κατελθόντος διὰ τὴν προωρισμένην οἰκονομίαν, καὶ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μονογενοῦς, ὃς καὶ Λόγος ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, ἐλθόντος τοῦ πληρώματος τοῦ χρόνου, σαρκωθέντος ἐν ἀνθρώπῳ, καὶ πᾶσαν τὴν κατ' ἄνθρωπον οἰκονομίαν ἐκπληρώσαντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ. Plura apud Theodoret. vide dial. 1. pag. 34.

(1) ORIG. 2. cont. Cel. pag. 81. Ὁ πάσης κτίσεως πρωτότοκος ἀνειληφὼς σῶμα, καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην.

(2) DION. ad Samos. tom. 11. bib. pag. 274. Ὁ γὰρ Χριστὸς οὐκ ὀνόματι μόνῳ, ἀλλ' ἀληθείᾳ πρὸ αἰώνων ὢν Λόγος, Χριστὸς Κύριος Ἰησοῦς. Αὐτὸς γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ σαρκωθεὶς ἐκ Μαρίας.

(3) Ibid. pag. 276. Θεὸς γὰρ ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, γενόμενος ἐκ γυναικὸς, ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς γεννηθεὶς ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου, ὡς ἀπὸ καρδίας Λόγος τικτόμενος ἐκ Πατρὸς, καὶ ὁ ἁπλοῦς, καὶ ἀμερὴς, γέγονε σὰρξ ὁ Λόγος.

(4) Antioch. syn. tom. 11. bib. PP. pag. 302. Πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ, καὶ ὑποστάσει Θεὸν, Θεοῦ Υἱὸν, etc.

(5) Ibid. 305. Ὑπὸ δὲ τοῦ Πατρὸς ἀποσταλέντα ἐξ οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐνηνθρωπηκέναι. Διόπερ καὶ τὸ ἐκ τῆς παρθένου σῶμα χωρήσαν πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, σωματικῶς τῇ θεότητι ἀτρέπτως ἥνωται, καὶ τεθεοποίηται.

(6) CLEM. 1. Pæd. cap. 2. Θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι ἄχραντος, πατρικῷ θελήματι διάκονος, Λόγος, Θεὸς, ὁ ἐν τῷ Πατρὶ, ὁ ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, σὺν καὶ τῷ σχήματι Θεός.

(7) Id. cap. 3. Πάντα ὀνίνησι ὁ Κύριος, καὶ πάντα ὠφελεῖ, καὶ ὡς ἄνθρωπος, καὶ ὡς Θεός· τὰ μὲν ἁμαρτήματα ὡς Θεὸς ἀφεὶς, εἰς δὲ τὸ μὴ ἐξαμαρτάνειν παιδαγωγῶν ὡς ἄνθρωπος.

(8) Strom. 7. pag. 528. A. Κύριός ἐστιν διὰ στόματος ἀνθρωπίνου Κύριος ἐνεργῶν. Ταύτῃ καὶ σάρκα ἀνείληφεν.

[1] P. 352. et seq. — [2] Hom. 6. in diver. tom. 2. p. 286. M. [3] Cap. 4. — [4] Pag. 468.

formi, ac vili [1]: quod etsi minime congruit, valet tamen ad fidem veræ carnis ab illo scriptore agnitæ, et utriusque naturæ.

XIII. Hippolytus episcopus et martyr Clementis æqualis, certe pervetus, idem dogma multis, ac præclaris illustravit sententiis, quas Theodoretus, Gelasius, et Leontius referunt; ex quibus unam alteramve, dicis causa, repræsentamus. In oratione quadam de talentorum distributione, hæreticos illos refellit, qui merum hominem fuisse Christum asserentes, divinitatem ei detrahebant, aut e contrario solam divinam tribuentes, humanam naturam adimebant: « (1) adeo ut ficta specie, ac velut spectro illusisse contuentium oculis illum dicerent. » Ambas igitur, veras et extantes reipsa, naturas in Christo confessus est Hippolytus.

Qui et alio in loco sic illud idem explicat, ex Gelasii interpretatione: « (2) Hic procedens in mundum, Deus et homo apparuit. Et hominem quidem eum (ejus) facile est intelligere, cum esurit, et fatigatur, etc. Divinitatem vero ejus videre, rursus clarum est, quando laudatur ab angelis (adoratur), etc. » Cetera loca apud Theodoretum legi possunt, et alios, quos nominavi, duos.

In fragmentis libri contra Beronem, et Helicem, quæ græce, latineque edita sunt ab R. P. Sirmondo, in Collectaneis Anastasii, eximia sunt, et apertissima Hippolyti testimonia de duabus naturis in Christo. Petrus Alexandrinus episcopus, et martyr, ab Leontio [2] laudatus: « Hæc et his similia, et signa omnia, quæ fecit, *inquit*, et virtutes demonstrant, esse eum Deum factum hominem, utraque itaque demonstrantur, et quod erat Deus natura, et quod fuit homo natura. »

Cyriacus episcopus Paphi, unus ex Nicænæ synodi Patribus, apud eumdem Leontium, « perfectum in ambabus substantiis Christum » vocat, « consubstantialem Deo, et Patri, et consubstantialem Virgini, et matri: sine matre supra ex patre: sine patre infra ex matre. »

XIV. Jam Athanasius innumeris in locis, et integris adeo libris, naturarum discrimen in Christo tenuit. Ut in epistola ad Epictetum, quam adversus Apollinaris dogma tunc primum vulgari cœptum elucubravit. Ibi inter alia, « (3) Potuitne Christianis ab hominibus, *inquit*, in dubium vocari, utrumnam Dominus noster ex Maria edictus, substantia, et natura Dei filius sit; at secundum carnem, ex semine Davidis, carne vero sanctæ Mariæ susceptus? » Et in libro quinto contra Arianos: « (4) Quomodo, *inquit*, Christus appellabitur homo merus? At idem Verbo copulatus merito Christus vocabitur, et Dei filius. » Rursus initio libri secundi contra Apollinarem, quo titulo citatur actione octava Synodi sextæ, vulgo autem, *de salutari adventu*, inscribitur [3]: « (5) Qui Dominum nostrum Jesum Christum, *ait*, non ex Deo et homine unum esse confitentur, sicut scriptum est in Evangelio [4]; *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, dicant nobis, quid de Deo illo sentiant, qui in forma Dei existens, servi formam accepit. »

Eustathius Antiochenus ab Gelasio papa citatus, in libro contra Arianos [5], « Si enim in Christo, *ait*, plenitudo divinitatis inhabitat, primum quidem aliud est quod inhabitat, aliud autem quod inhabitatur. Si autem naturæ differunt ab alterutris, neque mortis passionem, neque cibi appetitum, neque poculorum desiderium, etc. non aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coexistere fas est. » Idem in oratione ad illa verba, *Dominus creavit me*, etc. postquam docuit, Verbum nullum habuisse initium, nec ipsum ex mu-

(1) HIPPOL. apud Theodoret. dial. 2. pag. 89. Καὶ γὰρ κἀκεῖνοι, ἤτοι ψιλὸν ἄνθρωπον ὁμολογοῦσι περιηνέναι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν βίον, τῆς θεότητος αὐτοῦ τὸ τάλαντον ἀρνούμενοι· ἤτοι τὸν Θεὸν ὁμολογοῦντες, ἀναίνονται πάλιν τὸν ἄνθρωπον, πεφαντασιωκέναι διδάσκοντες τὰς ὄψεις αὐτῶν τῶν θεωμένων, ὡς ἄνθρωπον, οὐ φορέσαντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησιν φασματωδῶς μᾶλλον γεγονέναι.

(2) Id. in Ps. 2. apud Theod. ibid. pag. 90. et Gel. tom. 4. bib. 424. Οὗτος ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐφανερώθη. Καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον αὐτοῦ εὐκόλως ἐστὶ νοεῖν ὅτε πεινᾷ, καὶ κοπιᾷ, etc. τὸ δὲ θεϊκὸν αὐτοῦ πάλιν φανερῶς ἐστιν ἰδεῖν, ὅτε ὑπ' Ἀγγέλων προσκυνεῖται.

(3) ATH. ad Epict. pag. 454. Πῶς δὲ καὶ ἀμφιβάλλειν ἐτόλμησαν οἱ λεγόμενοι Χριστιανοί, εἰ ὁ ἐκ Μαρίας προελθὼν Κύριος, Υἱὸς μὲν τῇ οὐσίᾳ, καὶ τῇ φύσει τοῦ Θεοῦ ἐστι; τὸ δὲ κατὰ σάρκα ἐκ σπέρματός ἐστι Δαβίδ, σαρκὸς δὲ τῆς ἁγίας Μαρίας;

(4) ATHAN. cont. Ar. lib. 5. pag. 322. Πῶς δὲ κληθεὶη Χριστὸς ψιλὸς ἄνθρωπος; ἡνωμένος δὲ τῷ Λόγῳ εἰκότως κρηματίζει Χριστὸς καὶ Υἱὸς Θεοῦ;

(5) ATH. de Salut. adv. pag. 494. Οἱ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μὴ ἐκ Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου ἕνα ὁμολογοῦντες, ὡς γέγραπται ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, τοῦ Ἀδὰμ, τοῦ Θεοῦ, λεγέτωσαν πῶς τὸν ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχοντα Θεὸν, καὶ λαβόντα δούλου μορφὴν ὑπειλήφασιν.

[1] Ped. l. 3. c. 1. p. 158. et 6. Str. p. 496. E. — [2] Tom. 4. Par. 2. 974. — [3] Tom. 5. p. 102. — [4] Luc. 3. 38. — [5] Tom. 4. lib. 429.

liere factum : « (1) Est, *inquit*, natura sua Deus sibi sufficiens, infinitus, incomprehensus : ex muliere vero factus est homo, qui in utero virginali Spiritu sancto compactus est. »

XV. Eusebius Cæsariensis in primo Ecclesiasticæ historiæ libro, et in toto opere, quod de Evangelica demonstratione inscripsit, naturarum duarum frequenter meminit. In priori opere, « (2) Duobus modis *ait* considerari Christum ; et ex iis, quæ insunt ipsi, alterum, corporis capiti esse simile, quatenus cogitatur Deus ; alterum, cum pedibus conferri, quatenus hominem, cujusmodi nos sumus, et similibus affectionibus præditum, pro nostra salute subiit : » quod deinceps latius edisserit. Posterioris vero totius operis scopus est, demonstrare Christum Deum esse pariter et hominem.

Epiphanius porro [1] ejusdemmodi refertus est sententiis. Ut cum in libro primo de Incarnatione disserens, exponit quemadmodum Verbum a Deo Patre genitum, et ejusdem nobiscum substantiæ in utero B. Virginis carne suscepta, factus est homo : ac post mortem etiam, « (3) in cœlum ascendit eodem cum corpore et anima, et mente, omnibus illis in unam unitatem conjunctis, unamque spiritualem hypostasim : ac divinam illam faciens in Patris dextera collocavit. » Item Hæresi 77. « (4) Verbum *ait* perfecte hominem esse factum : quæ perfecti vox, non sic intelligenda est, ut duo sint Christi, sed ut idem sit Deus, et homo. »

Basilius in homilia de humana Christi generatione, utramque divinam, et humanam nativitatem plane, copioseque explicat. (5) « Deus, *inquit*, in carne, non ex intervallo operans, ut in prophetis ; sed copulatam sibi hominis naturam, et unitam obtinens. » Et in tractatu de Vera fide, Jesum Christum, *qui in principio erat apud Patrem, et Deus erat*, « (6) per nativitatem ex Virgine, formam *ait* accepisse servi, et habitu inventum ut hominem, omnia, quæ in ipsum, et de ipso scripta erant, complesse. »

XVI. Gregorius Nazianzenus in epistola priore ad Cledonium, in Christo negat duos vel filios esse, vel deos. « (7) Nam naturæ quidem duæ sunt, Deus, et homo : quemadmodum et anima, et corpus ; sed non duo filii sunt, aut dii : quemadmodum nec hic duo sunt homines. » Idem in Oratione 38. « (8) Missus est, *inquit*, sed tanquam homo. Nam duplex erat. » Et in carmine de Virginitate,

(9) Venit Deus, et homo, naturas duas in unum colligens ;
Unam occultatam, alteram manifestam hominibus.

Gregorius Nyssenus libro contra Apollinarem, « (10) Nos, *inquit*, salvam esse naturam humanam Verbo unitam, ex mysterio ipso didicimus, et credimus. Dei vero filium carneum, separatim et in seipso consideratum, neque didicimus, neque consequentiæ ullius necessitate cogimur intelligere. »

Amphilochius istorum æqualis, et amicissimus, « (11) Discerne naturas, *inquit*, unam

(1) Eust. a Theodoret. cit. dial. 1. pag. 38. Οὐκ ἄρα γέγονεν ἐκ γυναικὸς ὁ ὢν, καὶ τοῖς γεννητοῖς ἅπασιν αἴτιος ὤν. Ἀλλ' ἔστι τὴν φύσιν Θεὸς αὐτάρκης, ἄπειρος, ἀπερινόητος· ἐκ γυναικὸς δὲ γέγονεν ἄνθρωπος, ὁ ἐν τῇ παρθενικῇ μήτρᾳ Πνεύματι παγεὶς ἁγίῳ.

(2) Euseb. 1. Histor. C. 1. Διττοῦ δὲ ὄντος τοῦ κατ' αὐτὸν τρόπου, καὶ τοῦ μὲν, σώματος ἐοικότος κεφαλῇ, ἧ Θεὸς ἐπινοεῖται· τοῦ δὲ, ποσὶ παραβαλλομένου, ἧ τὸν ἐν ἡμῖν ἄνθρωπον ὁμοιοπαθῆ τῆς ἡμῶν ἕνεκεν ὑπέδυ σωτηρίας.

(3) Epiph. pag. 50. Καὶ ἀνελήφθη εἰς οὐρανὸν ἐν αὐτῷ τῷ σώματι, καὶ τῇ ψυχῇ, καὶ τῷ νῷ, συνενώσας εἰς μίαν ἑνότητα, καὶ μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν· καὶ ἔνθεον ἀποτελέσας ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρός.

(4) Epiph. hær. 77. § 29. Καὶ ὅτι μὲν τελείως ἐνηνθρώπησεν ἐλθὼν ὁ Λόγος, τοῦτο δῆλον, καὶ ἐὰν εἴπωμεν τελείως, οὐ δύο Χριστοὺς ἔχομεν, οὐ δύο βασιλέας υἱοὺς Θεοῦ· ἀλλὰ τὸν αὐτὸν Θεὸν, τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον.

(5) Basil. tom. 1. pag. 586. Θεὸς ἐν σαρκί· οὐκ ἐκ διαλειμμάτων ἐνεργῶν, ὡς ἐν τοῖς προφήταις· ἀλλὰ συμφυῆ ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἡνωμένην κατακτησάμενος.

(6) Id. tom. 2. pag. 254. Ὃς ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν, etc. καὶ διὰ τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως μορφὴν δούλου λαβὼν, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, πάντα τὰ εἰς αὐτὸν, καὶ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα ἐπλήρωσε.

(7) Naz. orat. 51. pag. 739. Φύσεις μὲν γὰρ δύο, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Ἐπεὶ καὶ ψυχὴ, καὶ σῶμα· υἱοὶ δὲ οὐ δύο, οὐδὲ θεοί. Οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα δύο ἄνθρωποι.

(8) Id. or. 38. pag. 621. Ἀπεστάλη μὲν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος· διπλοῦς γὰρ ἦν.

(9) Id. carm. 2. de Virg. pag. 45.

Ἦλθε Θεὸς, θνητός τε, φύσεις δύο εἰς ἓν ἀγείρας·
Τὴν μὲν κευθομένην, τὴν δ' ἀμφαδίην μερόπεσσι.

(10) Nyssen. tom. 2. pag. 696. Ἡμεῖς γὰρ σωθῆναι μὲν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἐνωθεῖσαν τῷ Λόγῳ, παρὰ τοῦ μυστηρίου καὶ μεμαθήκαμεν, καὶ πιστεύομεν· Υἱὸν δὲ Θεοῦ σάρκινον ἰδιαζόντως ἐφ' ἑαυτοῦ θεωρούμενον, οὔτε ἐμάθομεν, οὔτε ἐξ ἀκολουθίας τινὸς νοεῖν ἐναγόμεθα.

(11) Amphil. apud Theodoretum dial. 2. pag. 100. Διάκρινον λοιπὸν τὰς φύσεις, τήν τε τοῦ Θεοῦ, τήν τε τοῦ ἀνθρώπου. Οὔτε γὰρ κατ' ἔκπτωσιν ἐκ Θεοῦ γέγονεν ἄνθρωπος, οὔτε κατὰ προκοπὴν ἐξ ἀνθρώπου Θεός. Citat. in Chalc. syn. pag. 471.

[1] Pag. 47.

Dei, alteram hominis. Nam nec excidens, ex Deo factus est homo; neque proficiens, ex homine Deus. » Ephræm Syrus in Oratione de margarita pretiosa : « (1) Perfectam habet, *inquit*, duplicem naturam, ne duas perdat. Neque enim in una sola natura Deus super terram est visus; neque in altera sola homo in cœlos ascendit : verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus. »

Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. « (2) Duplex erat Christus, homo id quod cernebatur; Deus autem id quod non cernebatur. »

XVII. Joannes Chrysostomus in Psal. 44. multa de utraque Christi natura disserit; atque inter alia, « (3) Neque enim, *ait*, carnem ab divinitate separat, neque divinitatem a carne : non quod substantias confundat (absit) sed ut unitionem ostendat. » Et in hom. 11. in Joannem de his verbis agens, *Et Verbum caro factum est*, hæc adnotat : « (4) Non ipsa substantia in carnem demutata est, *ait*, hoc enim vel cogitare impium est, sed manens id quod est, ita servi formam suscepit. » Vide eumdem citatum supra capite secundo num. 7. Antiochus Ptolemaidis episcopus in Chalcedonensi laudatus synodo, « (5) Non confundas, *ait*, naturas : et non cunctaberis circa Incarnationem. »

Flavianus Antiochenus in Theophania : « (6) Humana natura divinitati conjungitur, *inquit*, utraque in seipsa manente. »

Theophilus Alex. in Epist. 1. paschali, « Venit in terram, *ait*, et de virginali utero, quem sanctificavit, egressus homo, etc. mirum in modum cœpit esse quod nos sumus, et non desiit esse quod fuerat, sic adsumens naturam humanam, ut quod erat ipse, non perderet. »

Severianus Gabalitanus hom. 6. de mundi Opificio, Mariam vocat « (7) matrem salutis, fontem sensibilis lucis, sensibilis propter carnem, intelligibilis propter divinitatem. »

Isidorus Pelusiota : « (8) Non licet, *inquit*, naturales demonstrationes eorum quærere, quæ naturam superant. Quamvis enim vera caro Verbum factum sit : non tamen nudus homo Christus est : quin potius Deus homo factus in utriusque naturis unus est Dei filius. »

Hactenus græci theologi, qui Ephesinam synodum antecesserunt, ac Nestorii, et Eutychis cum Ecclesia catholica litem, et controversiam : qui omnes, aut plerique saltem, et præter hos alii quoque, in Ephesina, Chalcedonensi, quinta, et sexta synodis, ac Lateranensi sub Martino papa, in duarum naturarum testimonium contra hæreticos illos adducti sunt : tum ab Cyrillo, Theodoreto, Gelasio papa, Leontio, et Anastasio Sinaita [1], ac multis aliis. Nunc de Latinorum numero, qui iisdem, ac Græci illi, seculis floruerunt, nonnulli seligendi sunt.

(1) EPHR. pag. 667. Τελείαν δὲ τὴν διπλῆν ἔχει φύσιν, ἵνα μὴ τὰς δύο ἀπολέσῃ.

(2) CYR. Hieros. cat. 4. pag. 27. Διπλοῦς ἦν ὁ Χριστὸς, ἄνθρωπος μὲν τὸ φαινόμενον, Θεὸς δὲ, τὸ μὴ φαινόμενον. Citatur a Gelasio papa tom. 4. bib. 979.

(3) CHRYS. in Psal. 44. pag. 635. ver. ult. Οὐδὲ γὰρ τὴν σάρκα διαιρεῖ τῆς θεότητος, οὔτε τὴν θεότητα τῆς σαρκὸς· οὐχὶ τὰς οὐσίας συγχέων (μὴ γένοιτο) ἀλλὰ τὴν ἕνωσιν δεικνύς.

(4) Id. in Joan. pag. 598. Οὐδὲ γὰρ ἡ οὐσία μετέπεσεν εἰς σάρκα (τοῦτο γὰρ τῆς ἀσεβείας ἐστὶν ἐννοῆσαι) ἀλλὰ μένουσα ὅπερ ἐστὶν, οὕτω τοῦ δούλου τὴν μορφὴν ἀνέλαβε.

(5) ANTIOCH. in Chalc. syn. par. 3. pag. 471. Μὴ συγχέῃς τὰς φύσεις, καὶ οὐχὶ ναρκήσεις περὶ τὴν εἰκονομίαν.

(6) FLAVIAN. ibid. citat. Ἀνθρωπίνη φύσις θεότητι συνάπτεται, μενούσης ἑ' ἑαυτῆς ἑκατέρας φύσεως.

(7) SEVER. tom. 7. oper. Chrys. Ἡ μήτηρ τῆς σωτηρίας, ἡ πηγὴ τοῦ αἰσθητοῦ φωτὸς, αἰσθητοῦ διὰ τὴν σάρκα, νοητοῦ διὰ τὴν θεότητα.

(8) ISID. lib. 1. ep. 405. Οὐκ ἔστι φυσικὰς ἀποδείξεις τῶν ὑπὲρ φύσιν ζητεῖν. Εἰ γὰρ καὶ σὰρξ ἀληθὴς ὁ Λόγος γεγένηται, ἀλλ' οὐ ψιλὸς ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς. Ἐνανθρωπήσας δὲ μᾶλλον Θεὸς, ἐν ἑκατέραις ταῖς φύσεσιν εἷς ὑπάρχει Υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

[1] Vide hunc præsertim in Ὁδηγῷ cap. 10.

CAPUT SEPTIMUM.

Idem de duabus post unitionem manentibus naturis fidei dogma ex latinis Patribus asseveratur, singillatim aliquot citatis testibus, qui Eutychiana hæresi antiquiores extiterunt. Tum universe omnium in illud consensio certis ex capitibus ostenditur.

I. Latinorum scriptorum vetustissimus Tertullianus utramque naturam inesse Christo, tam sæpe, quam perspicue declarat: præsertim cum adversus Marcionem, ac similes hæreticos, veram ab illo naturam hominis assumptam esse, veramque carnem probat. Ut in libro adversus Praxeam, capite 27. ubi quæstioni illi, *quomodo Sermo caro sit factus, utrumne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem?* ita respondet: « Imo indutus. Ceterum, Deum immutabilem, et informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus; et sermo Domini manet in ævum, perseverando scilicet in sua forma. » In libro de carne Christi, cap. 5. « Aliter non diceretur homo Christus, *inquit*, sine carne; nec hominis filius, sine aliquo parente homine: sicut nec Deus, sine spiritu Dei: nec Dei Filius, sine Deo patre. Ita utriusque substantiæ census, hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem. Quæ proprietas conditionum, divinæ, et humanæ, æqua utique naturæ utriusque veritate dispuncta est, eadem fide et spiritus, et carnis. Virtutes spiritum Dei; passiones carnem hominis probaverunt. »

Et capite 18. « Ergo jam Dei filius ex patris Dei semine, id est spiritu, ut esset et hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine, etc. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. » Ac paulo post: « Ita cum sit ipse de spiritu Dei, spiritus Deus est, et Deus ex Deo natus ipse est, et ex carne hominis, homo in carne generatur. » Item in Apologetico [1], postquam de Verbi ac Filii divinitate multa disseruit, eumque *Deum ex Deo, et Dei filium* esse docuit; mox, « Iste, *inquit*, igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus nascitur homo Deo mistus. »

Cyprianus hunc sequitur: qui in libro de Idolorum vanitate [2]: « Filius, *inquit*, Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator, et doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, et gloria; hic in Virginem illabitur; carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur; Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est: qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem. »

Idem in libro secundo Testimoniorum adversus Judæos, testimonium octavum proponit sic: « Quod cum a principio filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem. » Tum in sequente, « Quod hoc futurum esset signum nativitatis ejus, ut de Virgine nasceretur homo, et Deus, hominis et Dei filius. » Item in decimo: « Quod et homo et Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos, et Patrem posset. »

II. Novatianus in libro de Trinitate, capite 16. « Verbum, *inquit*, illud, quod est ante omnem creaturam, et ideo primogenitus omnis creaturæ, caro fit, et habitat in nobis; hoc est, adsumit hunc hominem, qui est post omnem creaturam: et sic cum illo, et in illo habitat in nobis, ut neque homo Christo subtrahatur, neque divinitas negetur. Nam si tantummodo ante omnem creaturam est, homo in illo subtractus est: si autem tantummodo homo est, divinitas, quæ ante omnem creaturam est, intercepta est. Utrumque ergo in Christo confœderatum est, et utrumque conjunctum est, et utrumque connexum est. Et merito dum est in illo aliquid, quod superat creaturam, pignerata in illo divinitatis et humilitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui mediator Dei et hominum effectus exprimitur, in se Deum, et hominem sociasse reperitur. »

Et capite 11. probare satagit, Christum non merum esse hominem, sed etiam Deum, « Quando si probatio hæc ex infirmitatibus Christi illuc proficit, ut homo ex infirmitatibus

[1] Cap. 21.

[2] Pag. 290.

comprobetur ; probatio divinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet, ut etiam Deus ex operibus adseratur. Si enim passiones ostendunt in illo humanam fragilitatem, cur opera non adserant in illo divinam potesta- « tem ? » Ac subinde præclarum illud : « Tam enim Scriptura, *inquit*, etiam Deum adnuntiat Christum, quam etiam ipsum hominem adnuntiat Deum : tam hominem descripsit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum filium esse proponit, sed et hominis : nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit : ut dum ex utroque est, utrumque sit ; ne si alterum sit, alterum esse non possit. »

III. Arnobius item Deum pariter, et hominem confitetur Christum : illum quidem sic [1] : « Deus ille sublimis fuit, *inquit*, Deus radice ab intima Deus, ab incognitis regnis, et ab omnium principe Deus sospitator est missus. » Utrumque vero aliquando post [2] : « Quis est enim mortalium, qui quæreret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, et qualem se ipse in sua esse noluit vel qualitate vel numine ? Assumpsit igitur hominis formam, et sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit ; ut et videri posset, et conspici ; verba faceret, et doceret, atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, summi Regis imperio, et dispositione servatus. » Quod autem *simulato homine* mox ea quæ fecit, egisse scribit, non propterea putavit Arnobius, Christum specie tenus et adumbratione, humanam in se suscepisse formam, verum *simulatus* idem ibi est, quod *similatus*, hoc est in *similitudinem hominum factus*, ut Apostolus loquitur [3]. Itaque statim ista subjicit : « Quis est ergo visus in patibulo pendere, quis mortuus est ? Homo quem induerat, et secum ipse portabat. »

Lactantius de duplici generatione Christi loquens [4], « In prima, *inquit*, nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit ; quia sine officio matris, a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit ; quoniam sine patris officio, virginali utero procreatus est ; ut mediam inter Deum, et hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere. »

Et subinde Milesii Apollinis oraculum quoddam enarrans, « Videtur, *inquit*, negasse illum Deum, sed cum fatetur secundum carnem fuisse mortalem, quod etiam nos prædicamus, consequens est ut secundum spiritum Deus fuerit : quod nos affirmamus. »

IV. Hilarius libro nono, sub initium, eamdem professionem diserte sic exprimit : « Nescit plane vitam suam, nescit, qui Jesum Christum ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat : et ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. » Qui locus a Theodoreto citatur [5]. Pergit deinceps Hilarius. « Mediator, *inquit*, ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum, et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset. »

Et ad Psalmum secundum : « Qui filius hominis est, idem et filius Dei est. Natura generositatis in filii hominis assumptione non deperit. Nam non idciro non Dei filius, quia et hominis est filius. Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio ; nec per consortium infirmitatis, contumeliam virtus excepit : quippe cum infirmitas honore sit donata virtutis. »

Phœbadius Aginnensis contra Arianos disputans [6] : « O duces, *inquit*, cæci ! o seculi ambitione decepti ! non distinguentes Dominicæ potentiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem ; et quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus hominis imbecillitate [7] societur. » Tum ambas in eodem naturas demonstrare pergit ex utriusque proprietatibus.

Idem postea : « Scimus enim nihil spiritum Dei passum, duntaxat suo nomine ; quia impassibilis Deus, quia Deus spiritus. Scimus quod omnis illa passio proprie carnis et animæ, id est hominis : in quo quidem homine, cum pateretur, erat et filius Dei, cohærens illi per naturam, a quo venerat, Patri, et unitatis vinculum servans in terris hominem gestabat, nec aberat a cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester utriusque substantiæ, etc. »

Marius Victorinus libro primo contra Arium [8] : « Et idcirco de Filio dicitur, *ait*, quod et impassibilis, et passibilis ; sed in progressu passio : maxime autem in extremo progressionis, hoc

[1] Arnob. lib. 1. pag. 40. — [2] Pag. 46. — [3] Phil. 2. 7. — [4] Lact. lib. 4. c. 5. — [5] Dial. 2. pag. 106. — [6] Phœb. tom. 4. Bib. col. 170. — [7] For. *saucietur*. — [8] Tom. 4. Bibl. col. 194. E.

est cum fuit in carne. » Et postea [1] : « Nos tamen impassibilem et filium dicimus, juxta quod Λόγος : (ut) autem caro factus est, passibilem. »

V. Damasus papa in epistola ad orientales episcopos, qua Apollinaris, ejusque discipuli Timothei damnavit hæresim, de duarum naturarum integritate sic statuit : « (1) Hunc si quis in deitate, sive in humanitate minus aliquid dixerit habuisse, plenus spiritu diaboli gehennæ seipsum filium demonstravit. »

Et in Romana synodo eamdem Apollinaris hæresim proscribens, notavit eos, qui « (2) duos filios » assererent, « unum ante secula, alium post carnis assumptionem ex Maria virgine. » Et in sequente anathematismo, « (3) Filium *ait* verbum Dei una cum corpore rationalem, et intelligibilem animam sine peccato assumpsisse atque salvasse. »

Faustinus in libro contra Arianos, Deum hominemque Christum esse fuse approbat ex Scripturæ testimoniis, atque ita concludit [2] : « Si ergo in sacramento fidei hoc accepimus, ut Christum Deum credamus et hominem, Deum quidem de Deo sine initio tantum, hominem autem, qua de Virgine in temporibus natum; non calumniemur divinitati ejus, cum pro nostra medela quæ sunt hominis exsequitur, habens in se acceptam hominis naturam : quia nec homo negandus est, cum propriæ divinitatis naturalem exerit potestatem accepta in se forma servili. »

VI. Ambrosius in libro de Incarnatione, de hoc argumento plene, aperteque disputat adversus Apollinarem; et inter alia [3] : « Ego quod erat illius non habebam, et ille quod meum est non habebat. Suscepit quod meum est, ut impertiret quod suum est : suscepit, non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem, Manichæus esse desiisti, nec tamen Ecclesiæ filius esse cœpisti, etc. » Et sequenti capite : « Adversum omnes tamen (hæreses) generalis est ista fides, *inquit*, quia Christus est Dei filius, et sempiternus ex Patre, et natus ex Virgine. Quem quasi gigantem sanctus David propheta describit, eo quod biformis, geminæque naturæ unus sit, consors divinitatis et corporis; qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit tanquam gigas ad currendam viam : sponsus animæ secundum Verbum; gigas terræ, quia usus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, Incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus : quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine : sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat, nec caro divinitati. » Huc etiam pertinet, quod in hymno in Natalem Domini, *geminæ gigas substantiæ* Christus ab eodem vocatur Ambrosio, quod inter alios usurpavit Leporius in libello emandationis [4].

Zeno quoque Veronensis [5] duplicem Christi nativitatem describit, divinam, atque carnalem. « Etenim Deus Dei filius, tempore constituto, dissimulata interim majestate, ab ætherea sede profectus in prædestinatæ Virginis templo sibimet castrametatur, quibus latenter infunditur, in hominem gignitur, ibidemque salvo quod erat, meditatur esse quod non erat. Mixtus itaque humanæ carni se fingit infantem. » Nam, ut sequenti sermone docet [6], « Hæc est potestas Dei, ut salvo quod est, possit esse quod non est. Hic est Deus noster, æterni Dei coæternus filius. Hic et homo, et Deus : quia inter Patrem, hominesque astitit medius, probans infirmitatibus carnem, et virtutibus majestatem. »

VII. Jam quod ad Augustinum spectat, innumera suppetunt ejus loca, quibus catholico dogmati suffragatur, e quibus pauca seligam. In epistola tertia ad Volusianum : « Verbum, *ait*, in principio, per quod facta sunt tempora, tempus elegit, quo susciperet carnem, non tempori cessit, ut verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus a se recessit, etc. » Et mox : « Cum enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul et animam suscepit et corpus. » Tum postea : « Verbum igitur Dei, idemque Dei filius, Patri coæternus, eademque virtus, et sapientia

(1) Damasc. apud Theod. lib. 5. Hist. cap. 9. et apud Tripar. lib. 9. cap. 15. Τοῦτον εἴ τις ἤτοι ἀνθρωπότητος, ἢ θεότητος ἔλαττον ἐσχηκέναι εἴποι, πνεύματος διαβόλου πεπληρωμένος, τῆς γεέννης Υἱὸν ἑαυτὸν ἀποδείκνυσιν.

(2) Apud eumdem Theodor. cap. 11. et Tripar. cap. 16. Ἀναθεματίζομεν καὶ τοὺς δύο εἶναι υἱοὺς διϊσχυριζομένους, ἕνα πρὸ τῶν αἰώνων, καὶ ἄλλον μετὰ τὴν τῆς σαρκὸς ἐκ τῆς Μαρίας ἀνάληψιν.

(3) Ibid. Αὐτὸς γὰρ οὗτος ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, οὐχὶ ἀντὶ τῆς λογικῆς, καὶ νοερᾶς ψυχῆς ἐν τῷ ἑαυτοῦ σώματι γέγονεν. Ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν, τουτέστι λογικὴν, καὶ νοερὰν ἄνευ τῆς ἁμαρτίας ψυχὴν ἀνέλαβε, καὶ ἔσωσεν.

[1] Ib. 208. C. — [2] Faust. cap. 3. col. 682. E. tom. 4. Bib. PP.

[3] Amb. de Inc. c. 4. — [4] Lepor. p. 13. — [5] Serm. 2. de Nativ. — [6] Ser. 3.

Dei, etc. longe alio modo quodam, quam eo, quo creaturis ceteris adest, suscepit hominem, seque et illum fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei, et hominum, æqualem Patri secundum divinitatem, minorem Patre secundum carnem, hoc est secundum hominem. » Et epistola 66. « Et homo scilicet factus, et permanens Deus. Homo enim assumptus est a Deo, non in homine consumptus est Deus. Ideo valde rationabiliter et Patre minor est homo Christus, et Patri æqualis est idem ipse Christus Deus. »

Sic in primo libro de Trinitate : « Ergo, *inquit*, quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque homo. Sed utrumque Deus, propter accipientem Deum ; utrumque autem homo, propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum, atque mutatum est : nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas : nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura. » Qua Augustini sententia hæresis utraque, Nestorii, et Eutychis, velut securi quadam succisa perimitur.

VIII. Hieronymus in libro secundo adversus Pelagianos [1] : « Carnis infirmitas, *inquit*, Deo habitatore gaudebat ; et tamen mensuram fragilitatis suæ excedere non potuit ; ut non τῷ δοκεῖ, juxta veteres hæreticos, sed vere Dei filius, hominis filius crederetur. »

Item in caput Matthæi ultimum [2] : « Dominus noster unus, atque idem filius Dei, et filius hominis, juxta utramque naturam, divinitatis et carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrat. »

Prudentius in Apotheosi sub finem,

Quisquis Deum Christum vult dicere ; dicat eumdem
Esse hominem, ne majestas sua fortia perdat.

Et in hymno undecimo Cathemerinon,

Emerge, dulcis pusio,
Quem matris edit castitas,
Parens, et expers conjugis,
Mediator, et duplex genus, etc.
Nam Verbum Deus, etc.

Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore
Mortis catenam frangeret ;
Hominemque portaret Patri.

Ruffinus in Symbolum, « Hunc quem supra dixit unicum filium Dei, et Dominum nostrum, nunc dicit, Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine. Hæc jam inter homines dispensationis nativitas est ; illa divinæ substantiæ : hæc dignationis est, illa naturæ. »

Et in eodem libro : « Consilium vanitatis est, quod Paulus Samosatenus, et ejus post hunc successor Photinus asseruit, Christum non fuisse ante secula natum ex Patre ; sed ex Maria cœpisse : et non eum Deum hominem natum, sed ex homine Deum factum existimat. »

IX. Paulinus item in epistola quarta : « Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, *inquit*, solvens (ut scriptum est) inimicitias in carne sua, et faciens utrumque unum, id est hominem et Deum ; quem in seipso connexuit Deus et homo Christus Jesus. » Et in epistola 57. « Certi autem sumus, quod et filium Dei ita prædicas, ut eumdem et filium hominis confiteri non erubescas : tam vere hominem in nostra natura, quam vere Deum in sua. » Rursus Cassianus in opere de Incarnatione, constantem ex utraque natura, et unum in utraque Christum luculenter exponit. Ut in libro tertio ; ubi de Apostoli verbis agens, quæ sunt initio epistolæ ad Galatas [3] : « Præclarus utique, et admirabilis, *inquit*, magister, sciens Dominum Jesum Christum, sicut verum Deum, ita et verum hominem prædicandum ; ita semper majestatem divinitatis in eo prædicat, ut Incarnationis confessionem penitus non relinquat : excludens utique et phantasma Marcionis Incarnatione vera, et paupertatem Hebionis divinitate perfecta : ne scilicet per alterutram blasphemiæ perversitatem, Dominus Jesus Christus homo penitus sine Deo, aut Deus sine homine credatur. » Et libro quarto capite 5. « Patet itaque quod per sacramentum uniti cum homine Verbi Dei, et Verbum, quod ad salvandum missum est, salvator dicitur ; et salvator in carne natus per Verbi utique consortium, Dei filius nuncupatur : ac sic indiscreta utriusque nominis majestate, quia unitus est cum homine Deus, quidquid est homo et Deus, totum penitus nuncupatur Deus. » Atque item capite 7. « Secundum suscepti corporis sacramentum, et filius Dei factus est filius hominis, et in filio hominis crucifixus est Dominus majestatis. » Hæc et alia pleraque Cassianus, quibus ita Nestorianam evertit hæresim, ut et Eutychis errorem jugulet, unam veri Dei, et hominis esse personam, hoc est unum in duabus, et ex duabus ostendens esse Christum.

X. Sic Leporius in libello emendationis [4] : « Confitemur, *inquit*, Dominum, ac Deum nostrum Jesum Christum, unicum filium Dei, qui ante secula natus ex Patre est, novissimo

[1] Tom. 1. col. 862. — [2] Tom. 3. col. 732. — [3] Cass. lib. 3. de Inc. c. 5. — [4] Pag. 7. Opusc. Dogm.

tempore de Spiritu sancto, et Maria semper virgine factum, hominem Deum natum : et confitentes utramque substantiam carnis et Verbi, unum eumdemque Deum, atque hominem pia fidei credulitate suscipimus : et ex tempore susceptæ carnis, sic omnia dicimus, quæ erant Dei, transisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis in Deum venirent : et hac intelligentia Verbum factum sit caro, non ut conversione, aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat; sed ut potentia divinæ dispensationis Verbum Patris, nunquam a Patre discedens, homo proprie fieri dignaretur, incarnatusque sit unigenitus secreto illo mysterio, quod ipse novit, etc. Novit enim sine sui corruptione misceri, et tamen in veritate misceri. » Tum illud [1] : « Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixta partis utriusque corruptio est. » Et paucis interjectis [2], « Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu sancto, ex Maria semper virgine Deus homo Jesus Christus filius Dei, ac sic in alterutrum unum fit Verbum et caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui præjudicio, et humanitati divina communicent; et divinitati humana participent; nec alter Deus, alter homo; sed idem ipse Deus, qui et homo, et vicissim homo, qui et Deus Jesus Christus, unus Dei filius et nuncupatur, et vere sit. »

Capreolus quoque Carthaginensis episcopus in rescripto ad Vitalem et Constantinum, « Deus, *ait*, in homine nasci dignatus est, qui semper erat, ut homo nasceretur, qualis ante non fuerat. Qui enim sine matre in cœlis æterne genitus, ipse in terris sine patre in utero Virginis homo de Spiritu sancto creatus est. Et ideo in Christo Jesu separari, vel subdividi Dei hominisque nullo modo credimus posse personam; ne non jam in divinitate Trinitas, sed quaternitas numeretur. »

XI. Hæc latinorum, græcorumque multitudo testium singillatim appellata perpetuum Ecclesiæ consensum indicat, de duabus in eamdem personam convenientibus naturis, et post unitionem, sine ulla confusione vel exstinctione alterutrius, in Christo remanentibus. Quam quidem conspirantem eorumdem, id est Ecclesiæ totius, in illud catholicæ fidei dogma vocem, et sententiam, certa in loca redactam, generatim ita complectar. Christum Dominum Deum esse pariter, atque hominem, et ex duabus constare naturis, distinctis invicem, et in unam personam coeuntibus, plerique veterum perspicue significant : primo dum in Scripturis observant diversa quædam, ac secum pugnantia de eodem affirmari Christo; quæ conciliari alio modo nequeant, quam ut alia divinæ, humanæ alia naturæ tribuantur; ex quo hæreticorum calumnias, et sophisticas argutias elidunt, qui ad unius oppugnandam naturæ fidem, quæ propria sunt alterius adhibebant. Horum exempla passim in tomo secundo, qui est de Trinitate, suppetunt præsertim in secundo libro [3]; quibus nunc adjungimus singularem Gregorii Nysseni locum initio libri quinti adversus Eunomium. Sic generationem, et nativitatem ejusdem duplicem discernunt. Sic eumdem imbecillum, et fortem; immensum, et loco circumscriptum; passum, et non passum; mortuum, et non mortuum; ac cetera ἐναντιοφανῆ de eodem perscripta solent interpretari, de quibus postmodum uberius agam.

Rursus quod Ariani plurimum objicere consueverant ex Proverbiorum octavo capite, *Dominus creavit me in initium viarum suarum, etc.* ut inde creatum esse concluderent Filium Dei; hoc veterum complures allato discrimine naturarum illius explicant, et ista verba de Christo, qua homo est, intelligenda sentiunt, ut in eodem secundo libro de Trinitate dixi [4]. Item illud iisdem ab hæreticis vexatum sæpius, *Pater major me est*, Græci non pauci, sed longe plures Latini, non alia ratione dissolvunt, quod ibidem exposui [5].

Præterea tritum illud est, et ab compluribus usurpatum [6], Trinitatis mysterium ab Incarnatione discrepare in eo maxime, quod in priori natura unica est, hypostases tres : in posteriori vice versa naturæ duæ sunt, una vero hypostasis. Ita Leontius in libro contra Severum apud Euthymium.

Ad hæc post mortem Christi, vulgo negant ab corpore et anima divulsis a se mutuo separatum fuisse Verbum; vel copulam illam, qua semel junctæ sunt ambæ naturæ, disruptam esse, sed eam perseverasse volunt : id quod suo loco demonstrabimus.

Præterea quod de Christo scriptum est, *profecisse ipsum ætate, et sapientia*, diem ignorasse judicii, et id genus alia, haud pauci ex Patribus ut ad divinam pertinere negant, sic de humana dici natura profitentur : quæ qui-

[1] Ibid. p. 9. — [2] Ibid. p. 11. — [3] In Proœm. § 5. — [4] Cap. 1.

[5] Cap. 2. § 11. — [6] Vide Euth. Panop. Tit. 15. p. Lat. 625.

dem, ut et alia pleraque, in secundo illo de Trinitate, et in tertio sunt a nobis fusius exposita.

Quinetiam bene multi ex Patribus, adversus Arium, et Apollinarem asserunt, Verbum ipsum non animæ, mentisve loco assumptæ carni fuisse : sed corpore animaque integris, ac nulla sui parte mutilatis, itidem ut divinitate, constare Christum : uti libro hujus operis primo memoravimus, et plenius postea persequemur.

Postremo minime prætereundum est, quod Eulogius Alexandrinus adnotavit [1], cum plerique veterum naturas duas aperte professi sint in Christo, tum vero Chalcedonensem synodum, ut Eutychis, et Apollinaris hæresim per id tempus grassantem, et invalescentem comprimeret, id apertius, constantiusque esse confessam; quemadmodum Nicæna τὸ ὁμοούσιον usurpatum quidem ante ab nonnullis Patribus, sed ab aliis tamen repudiatum, ita postulantibus Ecclesiæ et catholicæ fidei temporibus, ascivit.

CAPUT OCTAVUM.

Argumentis theologicis probatur ex unitione divinæ naturæ et humanæ non unam aliquam simplicem effici naturam, sed duas. — 1. Primum ex ipsa *unitionis* voce, ac significatione. — 2. Secundum, quod nec humana esset illa, nec divina. — 4. Tertium, quod natura una simplex contrarias proprietates non capit; cujusmodi insunt Christo Domino : — 7. Quartum, quod consubstantialis natura una simplex esse nequit naturis pluribus : at Christus consubstantialis est Deo Patri, et matri. — 8. Quintum, quia Christus Deus est, et homo : quod una simplici natura esse non potest.

I. Quarto genere theologicarum probationum, quod in argumenti conclusione positum est, et nunc ordine sequitur, idem conficitur naturarum par in Christo : et unitionem, qua duo inter se junguntur, necessario desinere in duas ostenditur, non singulari aliqua circumscribi.

Ex iis argumentis primum illud est, quod ex *unitione* ipsa ducitur, sive *adunatione*, ut vocat Maxentius. Nam vox ista, duarum copulationem significat. Quippe, ut ait Cyrillus in commonitorio ad Eulogium, «(1)Ubicumque nominatur unitio, non unius tantum rei conjunctio significatur : sed vel duarum, vel plurium, et natura inter se differentium. » Atqui *naturarum*, sive, ut Apostolus loquitur [2], *formarum* duarum junctio facta est in Christo, *qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit;* ubi formam appellari naturam, Thomas Aquinas observat [3]. Ita « (2) duarum naturarum unitio est facta; » quæ cum perpetua sit, nec ullo dissidio interrupta, necesse est eumdem naturarum perseverare binarium. Hujus vim ratiocinationis pressius, ac subtilius expendit Maxentius his verbis [4] : « Si una post adunationem in Christo natura est, ergo nec adunatio carnis facta est. Quod si coadunatio carnis facta non est, cur adunationis fit mentio ? Si vero adunatio carnis facta est, jam non tantum divina, sed et carnis natura in Christo est. Duæ igitur naturæ, sine ulla dubitatione, post adunationem in Christo sunt. » Gelasius papa libro contra Eutychem [5] : « Unitio est, *inquit*, duarum; non cujuslibet alterius abolitio. Nam nec dici potest unitio, nisi duarum, alioqui dualitate submota, non unitio potest vel dici, vel esse, sed unio. » Jam vero unitio, vel adunatio ista, ex fidei Christianæ principiis colligitur : quæ Deum, Deique Filium asserunt hominem esse factum; ut Joannes docet, cum ait, *Verbum carnem esse factum*. Ex quibus verbis intelligitur, duas inter se convenisse naturas, et unitas esse.

II. Hinc alterum existit argumentum, quod

(1) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 133. Ὅπου γὰρ ἕνωσις ὀνομάζεται, οὐχ ἑνὸς πράγματος σημαίνεται σύνοδος, ἀλλ' ἢ δύο, ἢ πλειόνων, καὶ διαφόρων ἀλλήλοις κατὰ τὴν φύσιν.

(2) Cyr. in epist. ad Joan. pag. 106. Δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε.

[1] Apud Phot. cod. 230. p. 448. — [2] Phil. 2. 6. — [3] Lib. 4. contra gent. c. 35.

[4] Max. lib. contra Aceph. tom. 4. col. 460. — [5] Gelas. tom. 4. Bib. PP. 420. E.

apud Theodorum Abucaram occurrit [1] : Si est una tantummodo natura, ea vel divina est, vel humana; vel divina simul et humana; vel neutra. Si sola est divina Christus, non est homo. Si humana sola, Deus non est. Si neutra; nec homo, nec Deus. Si utraque; neque Dei est natura talis, neque hominis. Ita neutrum erit Christus : quem tamen verum esse Deum, ac verum hominem, Scriptura clamat; et Christiana prædicat religio. Ac de natura una composita ex duabus separatim agetur paulo post; nunc de una simplici disputamus, quæ in duarum locum, ex quibus extitit, succedere non potuit, sine alterutrius interitu : ut vel divina degeneraverit in humanam : vel hæc in illam transierit. At utrumque horum ex æquo profanum est, et impium, atque ab communi sensu, et ratione penitus alienum.

« Qui ex naturis duabus in Domino Jesu Christo, ait Ferrandus in epistola ad Anatolium [2], unam factam fatetur, dicat mihi quæ harum perivit, ut una fieret ex duabus : divina perire non potuit, humana non debuit. Aut si nullus audet adserere perditionem, dicat utrum sit altera in alteram commutata; et si alteram in alteram potuisse commutari suspicatur, dicat rursus, utrum divinitas in carnem, an in divinitatem caro conversa sit. Si enim divinitas ad inferiorem carnis redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur : et jam sibi Creator bonus miseriam procuravit, quam nobis misericorditer præstitit. Si vero permanens inviolata divinitas absorbuit substantiam carnis, ut hoc esse inciperet caro quod Verbum, quis tolerabiliter audiat creaturam, prius cuncta accidentia recipientem, pervenisse ad genus et potentiam Creatoris, ut esset subito sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, sine habitu, perdita conditione facturæ, solo faciendi vigore subnixa ? »

III. Sic in libro de Duabus naturis Boetius eamdem ratiocinationem instituens [3], « Aut, *inquit*, divinitas in humanitatem translata est, aut humanitas in divinitatem, aut utræque in se ita temperatæ sunt, atque commistæ, ut neutra substantia propriam formam teneret. Sed si divinitas in humanitatem translata est, factum est, quod credi nefas est, ut in humanitate, immutabili substantia permanente, divinitas verteretur : et quod passibile, atque mutabile naturaliter creditur, id in rem mutabilem verteretur. » Tum humanitatem in divinitatem nequisse verti, fusius probat, eo quod humana natura ex anima et corpore constat. At neque corpus in spiritum converti potest : quoniam nulla communis est amborum materia, sine qua mutatio non potest fieri corporum : neque spiritus in alium spiritum. « Quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti, ac permutari queunt. »

Faustus item Regiensis in epistola tertia [4], « Quis unius, *inquit*, naturæ asserit Deum redemptorem; aut hominem in divinitate, aut Deum negavit in corpore : cum redemptio nostra non ex alterutro, sed ex utroque perfecta sit ? » Ac, si divinitas in carnem mutata dicatur, « ergo in substantia majestatis suæ, divinitas crucifixa est. Si unam Dei solius naturam dicis, in substantia sua majestas mortua, vel sepulta est : quæ omnia Deus non in se, sed in natura suscepti hominis excepit. »

Egregie quoque Gelasius papa neutram ambarum in alteram transisse demonstrat [5] : « Etenim si aliquid, quod absit, vel divinitatis, vel humanitatis, inde decesserit, sequitur ineffabilis resolutio sacramenti : et quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam deitas perseverat : vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita permaneat. Nec glorificata videatur nostra conditio unitione deitatis, sed potius esse consumpta, si non eadem subsistit in gloria, sed, sola existente deitate, humanitas illic esse jam destitit. Videbitur autem, quod abhorret animus dicere, sed cogit necessitas non tacere, divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa conversa; vel sic est in deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietas ejus esse desierit. Si enim ex seipsa ex toto jam non est, restat, ut accesserit, adcreveritque deitati; sic in deitatis naturam scilicet transeundo, ut esse destiterit prorsus humanitas : ubi modis omnibus divina substantia mutabilitatem recipere judicetur, quæ cum nec minui possit omnino, nec crescere, transfusione humanitatis adjectæ, velut aucta videatur. »

IV. Tertium genus argumentationis hoc principio nititur, quod Joannes Damascenus usurpavit : « (1) Fieri minime posse, ut in una natura contrariæ sint naturales proprietates. » At vero insunt ejusmodi in Christo; deque

(1) DAMASC. lib. 4. cap. 19. Ἀδύνατον γὰρ ἐν μιᾷ φύσει ἅμα τὰ ἐναντία φυσικὰ γενέσθαι.

[1] Theodor. Ab. Opus. 4. tom. 11. Bibl. PP. p. 391. E. — [2] Tom. 3. Bib. PP. 326. B. — [3] Pag. 954. — [4] Tom. 2. Bib. col. 46. A. — [5] Gelas. tom. 4. Bib. PP. 417.

ipso pronuntiantur in sacris libris, quæ secum invicem pugnant, hoc est, in unam, eamdemque cadere naturam nequeunt; sed alia ei necessario tribuenda sunt, qui verus sit homo, ac vera carne præditus; alia nonnisi verum in Deum competunt. « Qui legunt ergo hominis filium, ait Novatianus [1], hominem Christum Jesum, legant hunc eumdem et Deum, et Dei filium nuncupatum. Nam quomodo, qua homo, ex Abraham; sic est etiam, qua Deus, ante ipsum Abraham. Et quomodo, qua homo, filius David; ita dominus David, qua Deus, nuncupatus est. Et quomodo, qua homo, sub lege factus est; ita, qua Deus, Sabbati dominus expressus est. Et quomodo, qua homo, sententiam patitur; sic omne, qua Deus, de vivis et mortuis judicium habere reperitur. Et quomodo post mundum qua homo nascitur, si ante mundum qua Deus fuisse perhibetur. Et quomodo ex semine David qua homo genitus est, sic ita per ipsum qua Deum mundus dicitur institutus. Et quomodo qua homo post multos, sic qua Deus ante omnes. Et quomodo ceteris qua homo inferior, sic omnibus qua Deus major. Et quomodo in cœlum qua homo ascendit, sic inde qua Deus ante descendit. » Quocirca, ut Gregorius Nyssenus adversus Apollinarem conclusit, « (1) si in contrariis proprietatibus horum utriusvis natura spectatur, carnis, inquam, et divinitatis, quinam duæ sunt una natura? »

V. Etenim, ut impressius (quomodo Tertullianus amat loqui) instat Gelasius Romanus pontifex [2], « Cum dicimus de uno eodemque Domino nostro, quid secundum Deum, quid secundum hominem dixerit, feceritque; vel etiam si dicamus hoc: Ut homo Deus dixit, aut fecit, et hoc ut Deus homo dixit, et fecit; quæro utrum vel cum secundum hominem dicimus dictum, factumque aliquid, vel Deus homo fecit, aut dixit aliquid, utrumne in eo homo sit verus aut falsus. Si falsus, Manichæus, Apollinaris, Marcionistæ, atque hujusmodi, pestes consequenter exultant, quæ in Christo Domino veritatem corporis abnegaverunt, aut putativum esse dixerunt: ut alias interim perniciosiores, quæ hoc dogmate continentur, hæreses nunc omittam. Si autem cum hominem Christum quoquo modo nuncupamus, verus illic intelligendus est homo; sicut fidem catholicam tenere manifestum est; vera illic ergo est humanæ naturæ substantia: quia aliter esse verus homo non possit, nisi naturæ suæ substantialiter verus proprietate subsistens. »

Ideo Paulus apostolus non raro de Christo diversa illa, et inter se contraria profitens, quædam adjicit, quæ quatenus ambo ista cadant in eumdem, ignorari non sinunt. Sic initio epistolæ ad Romanos, cum ita dixisset, *de filio suo, qui factus est ei ex semine David*, statim subjecit, *secundum carnem*: et post ista: *qui prædestinatus est Filius Dei*, addidit, *in virtute*; hoc est *secundum divinitatem*, ut alias exposui [3].

VI. « (2) Quamobrem cum de uno filio contrarias voces audieris, (ait auctor Expositionis fidei Justino tributæ perperam,) convenienter in naturas, quæ sunt dicta partire. Ac si majus aliquid, et divinum fuerit, adscribe divinæ; sin parvum, et humanum, humanæ itidem attribue. Ita enim et quod in vocibus absonum est vitabis, cum quod sibi insitum est, natura quæque receperit, et unum filium tum ante omnia secula, tum recentem, ex Scripturis profiteberis. » Et Fulbertus Carnotensis apposite ad eamdem rem [4]; « Nobis, *inquit*, hanc substantiarum diversitatem ex hoc perpendere promptum est: quod alia est illa nativitas, vel natura, in qua, juxta Apostolum [5], *factus est ex muliere, factus sub lege*; alia qua erat in principio apud Deum: alia qua creatus ex virgine Maria, humiliatus in terra: alia qua sine initio manens creavit cœlum et terram: alia qua dicitur in mœrore doluisse, in lassitudine dormisse, inedia esurisse, flevisse; alia qua dicitur paralyticos curasse, etc. »

Quibus in Fulberti verbis observabis *naturam* idem dici ac *nativitatem*: et ex duplici nativitate, duplicem perinde colligi naturam. Etenim, ut ab Aristotele proditum est, (3) *na-*

(1) Nyss. apud Ephræm. in libro Phot. cod. 229. Καὶ ὁ Νύσσης δὲ Γρηγόριος ἐν τῷ κατὰ Ἀπολλιναρίου γράφων· εἰ ἐν τοῖς ἐναντίοις, φησὶν, ἰδιώμασιν, ἡ θατέρου τούτων θεωρεῖται φύσις, τῆς σαρκὸς λέγω, καὶ τῆς θεότητος, πῶς μία αἱ δύο;

(2) Auctor. Expos. fid. inter opera Just. pag. 299. Ὅταν οὖν ἀκούσῃς περὶ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ τὰς ἐναντίας φωνὰς, καταλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα. Ἂν μέγα τι, καὶ θεῖον, τῇ θείᾳ φύσει προσνέμων· ἂν δέ τι μικρὸν, καὶ ἀνθρώπινον, τῇ ἀνθρωπίνῃ λογιζόμενος. Οὕτω γὰρ καὶ τὸ τῶν φωνῶν ἀσύμφωνον διαφεύξῃ, ἑκάστης ἃ πέφυκε δεχομένης φύσεως, καὶ τὸν Υἱὸν τὸν ἕνα καὶ πρὸ πάντων αἰώνων, καὶ πρόσφατον, κατὰ τὰς θείας γραφὰς ὁμολογήσεις.

(3) Arist. 4. Met. cap. 4. Φύσις δὲ λέγεται, ἕνα μὲν

[1] Nov. de Trin. c. 11. — [2] Gelas. tom. 4. Bib. PP. 421. B. — [3] Tom. 2. lib. 3. de Trin. c. 3. § 10.

[4] Ep. 1. tom. 3. Bib. PP. 435. — [5] Gal. 4. 4.

tura uno, et quidem primo, *modo vocatur nascentium generatio* : φύσις, inquit ille, quæ υ correptum habet, ab eo dicitur, quod est φῦσις, producta eadem littera υ. Cum igitur *nativitas*, sive generatio duplex Christi in sacris libris diserte prodita sit; una, qua de Patre ante secula natus est; altera, qua de matre Virgine, deque Davidis stirpe procreatus, tam hominis, quam Dei Filius nominatur; non potest non in eo duplex inesse natura.

VII. Addendum est eodem, quod quarti loco argumenti esse debet, Christum in Scripturis significari, ὁμοούσιον, id est *consubstantialem* esse tam Deo Patri, quam hominibus. Nam et χαρακτὴρ, id est *figura substantiæ* Patris dicitur, ejusdemque Verbum, hoc est *imago substantiva;* et, *Quia pueri*, id est homines, *communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, ut ait Apostolus [1], qui et alibi [2] dicit eumdem, *cum in forma Dei esset, formam servi accepisse, et in similitudinem hominum factum, et habitu inventum ut hominem.* Ex quo ita cum Vigilio [3] concludimus: « Quia si secundum divinitatem, unius cum Patre substantiæ, et rursum unius est nobiscum secundum incarnationem naturæ, geminæ est profecto naturæ. » Quippe natura una, præsertim simplex, pluribus consubstantialis esse non potest specie diversis : alioqui totidem et ipsa species habeat necesse est, id est una eademque specie, sit multiplex specie : quod ad perspicuam repugnantiam implicatum est. « Absolute namque, uti Ferrandus argumentatur [4], quantumlibet reclamat hæreticus, una natura non potest Deo hominibusque esse communis ; quia Deus creator, nos creaturæ sumus ; Deus æternus, nos temporales : Deus incomprehensibilis, nos comprehensibiles : Deus sine loco ; nos circumscripti, et determinati. » Vide totum hunc locum ex epistola ad Anatolium : ubi copiosam de hoc argumento disputationem explicat. Sic Rusticus diaconus in libro contra Acephalos [5] ; « Quia igitur his, qui in duabus naturis sunt, consubstantialis est Christus; id est tam Patri, quam nobis ; omne vero consubstantiale consubstantialium naturalem coæquat quantitatem ; Christus igitur consubstantialium naturalem coæquat quantitatem. Christo vero consubstantialium duæ naturæ sunt nihilominus. Et Christi igitur duæ naturæ sunt nihilominus, sive substantiæ. »

Hinc recte Facundus Hermianensis Acephalos, et Eutychianos arguit, quod dum unam Christo naturam imputant, duas inviti, imprudentesque statuant, et in Nestorianam hæresim incidant [6]. « Nam si quæratur ab eis, utrum Filium Dei, quem unius dicunt esse naturæ, consubstantialem Patri fateantur, negare non poterunt. Deinde si hoc ab eis quæritur, utrum simplicis naturæ sit Pater, hoc quoque similiter fatebuntur. Igitur filium Dei, quem unius dicunt esse naturæ, Patrique consubstantialem, etiam simplicis, id est divinæ tantum dicere compellentur : ac per hoc alterius erit substantiæ homo Christus Jesus, cui separatim deputetur humana natura. »

VIII. Postremo, ut summatim cum Leontio colligam, « (1) Si Deus est et homo Christus, post unitionem; cum non sit idem natura Deus, et homo, nec eadem natura, qua Deus est, homo esse potest. » Cui Theorianus consentiens in legatione ad Armenos; « (2) Verbum, *inquit*, non est ejusdem substantiæ, nec ejusdem naturæ Verbum cum corpore. Quod si nec ejusdem est substantiæ, nec ejusdem naturæ Verbum cum corpore; nimirum diversæ ab eo substantiæ est, diversæque naturæ. Quod si diversæ naturæ est, prorsus diversa est natura Verbi, ab natura corporis. Quare non est Christus una natura. » Atqui tam Deus, quam caro, vel homo, fuisse traditur in Scripturis Christus Dominus. « Neque enim in una sola natura Deus super terram est visus, ait Ephræm Syrus [7], neque in altera sola, homo in cœlos ascendit : verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus. » Quod hac etiam ratione demonstrat auctor opusculi cujusdam adversus Monophysitas, quod pro Athanasii ger-

τρόπον, ἡ τῶν φυομένων γένεσις, οἷον εἴ τις ἐπεκτείνας λέγοι τὸ ῦ. Et 2. Phys. cap. Vide S. Thom. 1. par. qu. 29. art. 1. ad 4. et 3. par. qu. 2. art. 1. et 4. con. gen. cap. 35.

(1) LEONT. apud Euth. par. 2. tit. 15. pag. 627. lat. edit. Εἰ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος καὶ κατ' αὐτοὺς ὁ Χριστὸς, καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν· εἴπερ μηδὲ ταὐτὸν τῇ φύσει Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, μηδὲ τῇ αὐτῇ φύσει, ἥπερ ἐστὶ Θεὸς, ταύτῃ ἐστὶ καὶ ἄνθρωπος.

(2) THEOR. tom. 11. bib. PP. pag. 447. Ὁ Λόγος τῷ σώματι οὐκ ἔστιν ὁμοούσιος, οὐδὲ ὁμοφυής. Εἰ δὲ οὔτε ὁμοούσιος, οὔτε ὁμοφυὴς τῷ σώματι ὁ Λόγος, δῆλον ὅτι ἑτερούσιος, καὶ ἑτεροφυής. Καὶ εἰ ἑτεροφυής, ἑτέρα πάντως φύσις τοῦ Λόγου, καὶ ἑτέρα τοῦ σώματος. Οὐκ ἄρα μία φύσις ὁ Χριστός.

[1] Heb. 2. 14. — [2] Phil. 2. 6. — [3] Vig. contra Eut. col. 515. Tom. 4. Bib. PP. — [4] Tom. 3. Bibl. 324.

[5] Rust. tom. 4. Bib. PP. col. 800. — [6] Facun. lib. 7. c. 6. p. 48. — [7] Ephr. de mar. pret. p. 667.

mano editum est. « (1) Si, *inquit*, aliud est Verbum, et aliud caro, duo sunt, non unum. Quod si idem Verbum est cum carne, quod scribitur in Evangelio, factum est, in nihilum abit. Non enim Verbum factum est Verbum. »

Denique Vigilius in quarto adversus Eutychem [1] : « Si non est conversus, *ait*, in carnem, et factus est homo permanens Deus, hoc ipsum, quod factus est homo, quia immutatio dici non potest, adsumptio dicatur necesse est : ac sic geminum quiddam erit id quod erat, et mutatum non est; et id quod non erat et factum est, vel adsumptum : quia id quod erat, non est mutatum in carnem, et tamen habet carnem : sicut ipse ait : Caro mea vera est ; ut et Petrus : Neque caro ejus vidit corruptionem. Quia ergo non est idipsum, haberi et habere ; Verbum quippe habet, habetur autem caro : perspicue, et liquido comprobatur, Christum utriusque esse naturæ, unius vero personæ.

Vide Quintiani episcopi Asculani epistolam ad Petrum Cnapheum [2] : in qua pluribus argumentis acervatim collectis catholico patrocinatur dogmati, et duas, ac distinctas probat esse naturas.

CAPUT NONUM.

1. An Christus naturam unam habeat ex duabus compositam ; itidem ut homo ex anima, et corpore componitur. — 2. hoc Ariani, et Apollinaristæ sensisse videntur ; — 3. maxime vero Eutychis fautores. — 4. quatuor modis unum compositum ex pluribus posse fieri : nullo vero istorum in Christo naturam unam esse posse. — 5. Id probatur primum ex eo quod Christus nec Patri, nec matri consubstantialis esset. — 6. Proprium hoc esse compositorum ex partibus, ut aliud sint, et nominentur, quam singulæ partes : quod in Christo non evenit. — 7. De differentia unitionis animæ et corporis in homine, et duarum naturarum in Christo. — 8. Alterum argumentum, quod si esset una natura, partes componentes mutationem paterentur. — 10. Item quod Christus Deus, et homo vocatur. — 12. Rursus ex eo refellitur natura una composita, quod nullum habeat nomen. — 14. Non universalis est, neque particularis. — 15. Christi vocabulum proxime naturas duas significat, non unam.

I. Postremus modus superest de tribus, quorum aliquo unam ex duabus naturam in Christo fieri oportuisse capite sexto diximus; quando integris, et illibatis manentibus naturis, tertia quædam ex illis composita, et coagmentata conficitur : quemadmodum ex anima spiritali, et corpore, una existit hominis natura dissimilis duarum, ex quibus tanquam partibus constat.

Hoc enim hominis exemplo, velut ad divinæ cum humana naturæ copulationem explicandam aptissimo, tum catholici theologi multum usi sunt, tum hæretici Monophysitæ : illi ut integras, et distinctas post unitionem remanere naturas probarent : isti, ut unam esse Christi compositam naturam, eadem similitudine monstrarent, quod ex Theodoreti dialogis, et ex Eulogio, Rustico diacono, Sophronio Hierosolymitano, Maximo martyre, Ferrando diacono, Leontio, Joanne Damasceno, Theoriano, aliisque constat; qui adversus Eutychianos disputantes, illud eorum validissimum fuisse telum indicant, et ad hoc retundendum, pro se quique ingenii ac doctrinæ præsidia conferunt.

II. Phœbadius Aginnensis [3] auctor est, Arianos, et unum ex iis principem Potamium, « adseruisse, carne, et spiritu Christi coagulalatis per sanguinem Mariæ, et in unum corpus redactis, passibilem Deum factum : » ac sic « fecisse illos, *ait*, de Spiritu Dei, et carne hominis, nescio quid tertium. » Ephræmius vero Antiochenus apud Photium scribit, « (2) neminem unquam substantiam Christi compositam ausum esse dicere præter Apollinarem. »

Eulogius certe Alexandrinus patriarcha apud

(1) Tom. 2. Ath. pag. 250. Εἰ μὲν γὰρ ἄλλο ὁ Λόγος, καὶ ἄλλο σὰρξ, δύο, καὶ οὐχ ἕν. Εἰ δὲ τὸ αὐτὸ ὁ Λόγος, καὶ ἡ σὰρξ, τὸ ἐγένετο λέλυται. Οὐ γὰρ Λόγος, Λόγος ἐγένετο.

(2) Phot. cod. 220. pag. 420. Σύνθετον δὲ οὐσίαν οὐδεὶς εἰπεῖν ἐτόλμησε πλὴν Ἀπολλιναρίου.

[1] Tom. 4. Bib. col. 511. — [2] Quint. in tomo Zonaræ in Canon. p. 554.

[3] Tom. 4. Bib. col. 170.

eumdem Photium, Apollinaris verba refert ex libro de Incarnatione, quibus exclamat sic : « (1) O novam creaturam, et divinam mistionem ! Deus et caro unam effecere naturam, » quam et Valentini, et Manichæi fuisse sententiam refert, qui unam ejus quod visibile, et invisibile est, naturam in Christo constituebant; ac duarum naturarum propugnatores irridebant.

Atqui in eodem loco Polemonis Apollinaristæ verba describit, eadem antiquioribus Patribus exprobrantis, quæ Chalcedonensi postea synodo Severiani objecere. « (2) Sed et illud haud abs re fuerit animo cogitare. Nam cum eumdem Deum et hominem esse dicant, non eos pudet unam Verbi naturam incarnatam, tanquam unam compositam, profiteri. Etenim si Deus perfectus, et homo perfectus idem est; ergo duæ naturæ idem est; quemadmodum Cappadocum novitas invexit, et Athanasii superbia, et Italorum fastus. Ac specie quidem, tanquam nostri sint, præ se ferunt, se sancti patris nostri Apollinaris dogma defendere : reipsa tamen, itidem ut Gregorii, naturarum binarium prædicant. »

Hic Apollinaris fautor iste, quantum arbitror, non eos redarguit, qui unam naturam incarnatam Christo tribuebant, (hoc enim Apollinaris tradidit, et quidem primus, ut aliqui sentiunt, de quo postea,) sed eatenus castigat, quod ita sententiam illam interpretabantur, ut duas ex ea naturas profiterentur, sive unam ex duabus compositam. Ita *compositam naturam* dici non patitur Apollinaris discipulus; cujus tamen auctor usurpandi fuisse ille ipse dicitur ab Ephræmio. Sed in explicanda hæresi sua non valde sibi constitit Apollinaris, ut in primo libro memini [1]. Itaque fieri potest, ut in illo quoque ab seipso dissenserit.

III. Utcumque res habet, verum illud est, quod dixi, naturam unam compositam Acephalos, id est Eutychianos, maxime posteriores, asseverasse : quod testantur nominati paulo ante scriptores, et inter hos Sophronius [2], ac Nicephorus Callisti [3] : qui erudite de hac opinione disserit, et hanc hæresis Eutychianæ propaginem exquisitiorem, subtilioremque ceteris fuisse scribit, quod auctores, ac defensores nacta sit summos philosophos, et inter alios Joannem Philoponum Tritheitarum sectæ conditorem. Atque hoc illa plausibilior, et vendibilior fuit Eutychianorum factio, quod minus abhorrere ab communi hominum sensu, et insita de Deo notione videbatur, quam mera illa Eutychis insania, quæ vel divinitatem in carnis substantiam, vel hanc in illam mutatam pari utrobique scelere, ac furore docebat. Tum præ oculis simile quoddam, et ad fidem faciendam proximum exemplum natura ipsa constituisse videbatur in homine; cujus una ex duabus, et dissimilibus natura coalescit, anima et corpore : quo nihil ad Incarnationis adumbrandum mysterium aptius occurrit.

Quocirca magnus, ut in re difficili, et ad investigandum operosa, labor est adhibendus, uti vera nobis, et idonea ratio constet, cur non itidem ut in hominis structura fit, una ex divinitate, et humanitate copulatis inter se natura consurgat, quæ Christi Dei pariter et hominis peculiaris habeatur.

Sed antea demonstrandum istud ipsum est, non unam esse Christi naturam, etiam compositam; postquam non esse simplicem, tribus antecedentibus capitibus ostendimus.

IV. Complures antiquorum Patrum, qui subtilius in hac tractanda quæstione versati sunt, ut illud naturæ unius et compositæ commentum everterent, modos omnes enumerarunt, quibus unum quippiam e duobus, aut pluribus inter se conjunctis effici potest : quos in primo libri hujus capite complexi sumus. Majore compendio S. Thomas tum in quarto contra Gentiles [4], tum in Summæ theologicæ parte tertia [5] collegit omnes, sed hic paulo brevius. In illo vero adversus Gentiles libro latius eam partitionem diffudit. Ex quo quadrifariam ita dividemus. Primus est modus, quo ex multis per se absolutis et integris manentibus, unum aliquid ordine vel compositione insuper existit; ut ex pluribus militibus exercitus unus, ex domibus multis civitas una : item ex lapidibus, et lignis ordinate inter se coagmentatis ædificium unum strui-

(1) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 447. Ὦ καινὴ κτίσις, καὶ μίξις θεσπεσία, Θεὸς καὶ σὰρξ μίαν ἀπετέλεσαν φύσιν.

(2) Polemo apud Eulog. cod. 230. Phot. p. 448. Οὐδὲ χεῖρον ἐννοῆσαι κἀκεῖνο. Θεὸν γὰρ λέγοντες, καὶ ἄνθρωπον τὸν αὐτὸν, οὐκ αἰσχύνονται μίαν φύσιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, καθάπερ μίαν σύνθετον ὁμολογοῦντες. Εἰ γὰρ Θεὸς τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, δύο φύσεις ἄρα ὁ αὐτὸς· καθάπερ ἡ τῶν Καππαδοκῶν εἰσηγεῖται καινοτομία, καὶ Ἀθανασίου ἡ εἴησις, καὶ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ ὁ τύφος. Καὶ σχηματίζονται μὲν, ὡς δῆθεν ἡμέτεροι, φρονεῖν τὰ τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Ἀπολλιναρίου, κηρύττουσι δὲ καθάπερ οἱ Γρηγόριοι τὴν τῶν φύσεων δυάδα.

[1] Cap. 6. — [2] In ep. ad Serg. Act. 11. Syn. 6. p. 170. — [3] Nic. lib. 18. c. 46. — [4] Cap. 35. — [5] Quæst. 2. art. 1.

tur. Secunda species est, cum unum quidpiam commistione plurium efficitur; sicut corpora ex elementis composita sunt : aut ut inter se liquida miscentur. Tertius modus est, cum ex pluribus integris, nec mutatis, totum aliquod conflatur, quod *integrans* vulgo dicitur. Quartus et postremus est, cum ex duobus minime perfectis, quorum alterum *potentia*, alterum *actus* vocatur, unum exoritur *naturale*, ut appellant, *compositum*.

Quatuor hæc sunt genera compositionis ejusmodi, a quibus ad Incarnationem transferri similitudo debet. Sed nullum ex omnibus istis quadrare, per se quivis intelligit. Nam quod primum est, non unum aliquid proprie conficit, sed ex accidenti, et arte potius quam natura. Ideo non una inde natura componitur. Secundum genus idcirco alienum est ab hoc mysterio, quod mutationem affert, et extinctionem partis alterius, aut etiam omnium. Siquidem sola ea sic junguntur ad naturæ unius effectionem, quæ « communem habent materiam, atque in se, et a se faciendi, ac patiendi potestate prædita sunt, » ut ait Boetius [1].

Quod si unum e duobus vi et qualitate, vel etiam quantitate multum excedit : « ut si multum fuerit aquæ, vini vero paululum : non dicuntur immista, sed alterum alterius qualitate corrumpitur. » Cujusmodi exemplo usos esse Acephalos hæreticos, et Monophysitas supra diximus [2]. Reliqua duo non minus segreganda sunt ab Incarnatione; quoniam ex iis constant, quæ in compositionem totius imperfecta veniunt, tanquam ipsius partes; quod a Deo procul abesse debet. Sed nec humana ipsa natura est imperfecta, ut suo loco dicemus; neque pars esse potest naturæ alterius; aut materiæ instar, divinitatem, velut formam, accipere. Hæc universe demonstrant, nulla ratione naturam ex duabus unam in Christo compositam existere.

V. Verum sic in angustum ista coacta, et convoluta minus aliquando delectant : et ut scholasticis concertationibus aptiora sint, uberiori isti, ac pleniori, quam persequimur, Theologiæ haud satis congruunt. Itaque collatanda paululum ac diducenda sunt, et veterum theologorum illuminanda sententiis : ex quibus certa conficiemus argumentationum capita, quæ hoc probent; nullo modo unicam in Christo naturam ex divinæ et humanæ concursu, et unitione constitui.

Primus argumentandi locus, ex eorum, quæ in tertii cujuspiam compositionem veniunt, conditione, ac proprietate sumitur : quod sic Joannes Damascenus informat. « (1) Natura, *inquit*, una composita ex differentibus naturis tunc fieri dicitur, quando copulatis inter se naturis, aliud quiddam præter eas, quæ copulatæ sunt, efficitur : ac quod est effectum, neque hoc proprie, nec illud est, sed diversum. » Ex quo ratiocinando colligitur sic : Quoties tertia quædam ex duabus extat natura composita, ea neutri ambarum, ex quibus constat, ὁμοούσιος dicitur.

At vero Christus ex Deo, et homine, vel potius ex Deo, et humana natura contextus, utrique illorum, ab quibus in Deum, hominemque progenitus est, consubstantialis habetur. Nam et Deus est ex Deo, et ejusdem cum Patre substantiæ, ac per omnia non modo similis, sed idem prorsus est natura, solaque differens ab eo personæ proprietate, tum homo est ex matre perfectus, et ejusdem cum illa naturæ; « (2) Non esset autem ejusdem cum utroque substantiæ, ac naturæ, si esset composita Christi ex divinitate, et humanitate natura, ut ait idem Joannes Damascenus, etenim non esset Patri consubstantialis, quia Pater non est compositæ naturæ ex divinitate, et humanitate, sed simplicis. Sed nec matri consubstantialis esset, quippe mater ex divinitate, et humanitate composita non est. » Eodem argumento utitur in libro tertio de Fide [3], et in libro de duabus Christi voluntatibus : ubi contortius, et valentius ita ratiocinationem exprimit : « (3) Quæ ex diversis naturis composita est natura, nulli earum consubstantialis est. Nam unaquæque suam tantum habet defi-

(1) Damasc. lib. de Nat. compos. pag. 567. Μία φύσις συνθετος ἐκ διαφόρων φύσεων γίνεται, ὅταν ἑνωμένων φύσεων, ἕτερόν τι παρὰ τὰς ἑνωθείσας φύσεις ἀποτελεσθῇ. Καὶ τὸ ἀποτελούμενον δὲ οὔτε τὸ κυρίως ἐστὶν, οὔτε λέγεται, οὔτε τοῦτο, κυρίως ἐστὶν.

(2) Damasc. ibid. Ἐὰν οὖν συνθέτου φύσεως ἐστὶν ὁ Χριστὸς μιᾶς ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος, οὐκ ἔστιν ὁμοούσιος τῷ Πατρί· ὁ γὰρ Πατὴρ οὐκ ἔστι συνθέτου φύσεως ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος, ἀλλ' ἁπλῆς. Ἀλλ' οὐδὲ τῇ μητρὶ ἔσται ὁμοούσιος. Οὐδὲ γὰρ ἡ μήτηρ ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος ἐστι συντεθειμένη.

(3) Damasc. pag. 472. et 473. Πάλιν ἡ ἐκ διαφόρων συντεθειμένη φύσις, οὐδεμιᾷ αὐτῶν ἐστιν ὁμοούσιος. Ἡ μὲν γὰρ ἑκάστη τὸν ἑαυτῆς ὅρον ἔχει μόνον· ἡ δὲ σύνθετος, ἄλλον ὅρον ἔχει σύνθετον. Ἀδύνατον δὲ τὰ ἕτερα, καὶ ἕτερον ὅρον δεχόμενα, ὁμοούσια εἶναι. Εἰ οὖν μία φύσις ὁ Χριστὸς, πῶς τῷ Πατρὶ

[1] Lib. de duab. nat. p. 954.

[2] Lib. 1. cap. 14. § 7. — [3] Cap. 3. p. 171.

nitionem : composita vero aliam definitionem habet compositam. Impossibile est autem ea, quæ diversa sunt, et diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiæ. Igitur si Christus una est natura, quomodo consubstantialis Patri erit, ac matri? Ille enim Deus est, hæc homo; Dei autem et hominis non est una natura. »

VI. (1) Auctor Expositionis fidei, qui falso Justinus inscribitur, et est eruditus, atque elegans, in hoc differentiam agnoscit unitionis illius, qua homo constat, animæ atque corporis, et ejus, qua cum divina natura copulatur humana; « quod homo, etsi duas in se naturas ostendit, non est naturæ duæ, sed ex duabus. » Sic et corpus ex igne, aere, aqua, et terra componitur, non tamen corpus ignem esse dixeris, nec aerem, nec aliud ceterorum. Ita domus ex lapidibus, lignis, et alia diversa materia construitur : non tamen aliquid horum esse dicitur. « At vero Christus non ex divinitate, et humanitate Christus efficitur, » (nimirum tanquam natura quædam ex utroque composita : alioquin enim hypostasis una est ex naturis composita duabus; ut Græci omnes asseverant, de quo postea,) « cum alius non sit quam duo illa : verum utraque, est, Deus videlicet et homo. »

Sic Justinianus imperator in Professione fidei adversus tria capitula [1], unam ab Christo naturam abjudicandam eadem ratione probat. Ferrandus quoque diaconus in epistola ad Anatolium, ex eo, quod Christus mediator est, et duplici adeo natura constans, ac Deo, et homini consubstantialis, colligit unam non posse esse naturam [2]. « Quia hæc una natura (quoniam Dei, et hominum mediator est) aut cum Deo illa erit utique communis, aut cum hominibus. » Tum adversus eos, qui « ex duabus unam potuisse fieri » jactabant, proprie disputans [3], « Require, *inquit*, diligentius, si Verbum, et caro una cœpit esse natura, utrum possit caro et Deus Pater unius essentiæ prædicari. » Nam [4] « si una est Christi natura composita ex duabus, non talis Patris natura, non est talis Spiritus sancti; quomodo ergo erit filius homousios Patri, vel Spiritui sancto? Una Patris Spiritusque sancti natura simplex est, caret compositione. Christi autem quæ facta firmatur ex duabus natura, composita est, caret simplicitate. »

VII. At enim una, eademque natura ex duabus composita, potest ὁμοούσιος iisdem censeri, ut Acephalus apud Rusticum diaconum objicit [5]. « Homo enim, *inquit*, secundum substantiam mentis consubstantialis est angelis : secundum corpus vero, pecudibus simul ac bestiis. » Sed occurrit Rusticus, recteque asserit, consubstantiale dici aliquid, non secundum naturæ partem aliquam, sed secundum totam, et integram. Quare etsi anima consubstantialis esset angelis, quod falso ab illis assumitur, non tamen consubstantialis iisdem homo diceretur, quoniam anima non est homo. Atque hoc idem et de corpore dicendum est. « Consubstantialitas, *inquit*, pro parte et non pro totietate substantiæ, imperfecta est. » Quare cum Christus perfecte Deus, ac perfecte sit homo secundum totam quamlibet naturam : utrique naturæ consubstantialis esse debet.

Facundus Hermianensis idem illud argumentum explicat sic [6] : « Et quia, cum naturæ natura confertur, non potest ibi pronuntiari consubstantialitas, nisi tota toti æquetur, ut definitionis nulla diversitas intercedat : non autem potest una esse definitio naturæ ex divinitate, et humanitate compositæ, si de Filio sic credatur, et simplicis naturæ Patris, quæ tantum divina est, aut nostræ, quæ tantum humana est. Non ergo erit Filius et Patri consubstantialis, et nobis. »

Leontius item apud Euthymium, « (2) Simplex, *inquit*, natura, compositæ naturæ non est consubstantialis. Quare si simplex natura Patris est, Filii vero composita, non erit consub-

ἔσται ὁμοούσιος, καὶ τῇ μητρί; ὁ μὲν γὰρ Θεὸς, ὁ δὲ ἄνθρωπος οὐ μία φύσις. Deesse videntur aliqua, et ita leg. Θεοῦ δὲ καὶ ἀνθρώπου οὐ μία φύσις.

(1) JUST. pag. 300. Ὁ γὰρ ἄνθρωπος, εἰ καὶ διττὰς ἐν αὐτῷ δεικνύει φύσεις, οὐ δύο φύσεις ἐστὶν, ἀλλ' ἐκ τῶν δύο, etc. ὁ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος ἀπετελέσθη Χριστὸς, οὐκ ἄλλος ὢν παρὰ τὰ δύο, ἀλλὰ καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἑκάτερα τυγχάνει.

(2) LEONT. apud Euth. Panop. par. 2. tit. 15. pag. 626. Lat. Ἡ ἁπλῆ φύσις τῇ συνθέτῳ φύσει οὐχ ὁμοούσιος. Εἰ δὲ ἁπλῆ μὲν ἡ τοῦ Πατρὸς φύσις, σύνθετος δὲ ἡ τοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἄρα ὁμοούσιον ἡ τοῦ Πατρὸς φύσις τῇ φύσει τοῦ Χριστοῦ. Ἀλλὰ μὴν ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν Χριστὸν, καὶ ἡμῖν ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν λέγειν προσποιοῦνται. Λεγέτωσαν τοίνυν εἰ ἐνδέχεται τὴν μίαν, ὡς αὐτοί φασι, σύνθετον τοῦ Χριστοῦ φύσιν, ἐξ ὅλου εἶναι τῷ Πατρὶ ὁμοούσιον, καὶ ὅλην πάλιν ἡμῖν ὁμοούσιον· καὶ εἰ μὴ εἰς τὴν τοῦ Πατρὸς ὁμοουσιότητα τοῦτο καὶ ἡμᾶς ἀναφέρει. Εἰ δὲ λέγοιεν, μὴ κατὰ τὸ ὅλον τὴν μίαν τοῦ Χριστοῦ φύσιν τῷ τε Πατρὶ καὶ ἡμῖν ὁμοούσιον, λείπεται τῆς μιᾶς φύσεως τὸ μὲν ἥμισυ εἶναι τῷ Πατρὶ, τὸ δὲ ἥμισυ ἡμῖν ὁμοούσιον.

[1] In 5. Syn. tom. 4. Conc. p. 350. — [2] Ferrandus tom. 3. Bib. col. 324. — [3] Ib. col. 325. — [4] Ib. col. 327. A. — [5] Tom. 4. Bib. col. 805. — [6] Lib. 2. c. 5. p. 37.

stantialis Patris natura naturæ Filii. Atqui consubstantialem Patri Christum, et eumdem nobis consubstantialem, profiteri se simulant. Dicant igitur, an fieri possit, ut una, et composita, quemadmodum asserunt, natura Christi ex toto sit Patri consubstantialis, et consubstantialis sit eadem tota nobis : et an non istud ad eamdem nos cum Patre substantiam evehat. Quod si dixerint, unam Christi naturam Patri simul ac nobis non ex toto esse consubstantialem, restat ut unius naturæ illius dimidia pars Patri, dimidia nobis consubstantialis sit. Hoc autem quid aliud est, quam istam ipsam dividere, quam vocant Christi naturam, in id quod ejusdem, et id quod diversæ est substantiæ, atque in multesimas partes, quot ex illorum opinione, unam complent naturam Christi compositam? »

VIII. Rursus alterum hoc argumentum contra naturæ unius compositæ molitionem, ex antiquorum placitis, atque ex natura rerum ipsa sic instruitur. Perfectæ duæ res, et naturæ in unius tertiæ coagmentationem convenire nequeunt, nisi in se mutationis aliquid capiant : quod in elementis cernitur, quæ mista invicem, et immutata unius corporis naturam, ac substantiam constituunt. Ac ne illa quidem, quæ imperfecta sunt, et naturales totius cujuspiam partes, sine aliqua mutatione, in illius tertiæ naturæ compositionem veniunt, inter seque junguntur.

Ut in hominis structura, quæ sit ex anima et corpore, hoc est materia et forma, tametsi sempiternæ sint partes, et incorruptæ, mutationis tamen in materia nonnihil intervenit ; quæ ad formam excipiendam certis qualitatibus præparatur, et quodammodo fingitur, eo mutationis genere, quod ἀλλοίωσιν, vulgo *alterationem* nominant.

At vero naturæ illæ duæ, ex quibus Christi persona conflatur, perfectæ sunt, neque partium loco censeri possunt. « Christus, inquit Augustinus [1], una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus, et homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dicit potest: alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus ; et crevit, cum homo divinitati ejus accessit. » Atqui multo id verosimilius videri posset, personæ Christi partem esse Deum, quam naturæ. Nam personam, ut paulo ante memini, græci Patres fere σύνθετον, id est *compositam*, esse dicunt : de quo postea ; naturam vero compositam nemo hactenus qui diceret est illorum repertus. Non potest igitur pars appellari communis ullius in Christo naturæ Deus. Sed nec homo potest : qui et ipse perfectus est, neque per se ac natura sua id requirit, ut cum altero, nedum cum Deo substantive connexus, atque aptus, unam efficiat substantiam.

IX. Eleganter hujus vim argumentationis explanat eruditus ac politus scriptor, Theorianus in disputatione contra Armenos. « (1) Si naturam, *ait*, uuam dicis compositam, mutationem, et confusionem inducis naturarum, ex quibus una est composita facta natura. » Probat hoc deinceps exemplo corporis ex elementis compositi, quæ non aliter, quam mutata, conveniunt in illius compositionem, nec eorum quippiam esse dicitur tertium illud ex istis conflatum. Non enim lignum vocatur ignis, aut aer, aut aqua, aut terra denique. « (2) At in Salvatore, pergit ille, non ita res habet : verum naturæ conversionis, ac mutationis expertes manserunt, et indissolubili unitione convenerunt in unius hypostasis absolutionem. Et nunc est, et dicitur naturarum quælibet in unum consociatarum, mutationis expers. Ob id perfectus Deus, et perfectus homo idem est, ac dicitur. »

De quo etiam Ferrandum diaconum audire præstat docte, et diserte disputantem [2]. « Carnem quippe suscipiendo, *ait*, naturas adunavit, non personam duplicavit. Naturas plane adunavit, sine confusione permanentes, et in secula permansuras. Sic enim adunavit, ut nec divinitas in humanitatem mutaretur, nec humanitas a divinitate absorberetur ; sed utraque natura incolumis custodita, suis officiis uteretur, suis operibus agnosceretur, suis nominibus vocaretur : verumtamen personis propriis non distingueretur. Non sic enim

Καὶ τοῦτο τί ἕτερόν ἐστιν, ἢ μερίζειν ἣν αὐτοὶ λέγουσι μίαν Χριστοῦ φύσιν, εἴς τε ὁμοουσιότητα, καὶ εἰς τὴν ἑτεροουσιότητα, καὶ εἰς πολλοστημόρια τῶν συμπληρούντων αὐτοῖς τὴν μίαν τοῦ Χριστοῦ φύσιν τὴν σύνθετον ;

(1) THEOR. tom. 11. bibl. PP. pag. 458. Εἰ μίαν φύσιν σύνθετον λέγεις, τροπὴν, καὶ σύγχυσιν εἰσάγεις τῶν φύσεων, ἐξ ὧν ἡ μία σύνθετος ἐγένετο φύσις.

(2) Ibid. Ἐπὶ δὲ τοῦ Σωτῆρος οὐχ οὕτως. Ἀλλὰ μεμενήκασιν αἱ φύσεις ἄτρεπτοι, καὶ ἀναλλοίωτοι, συνελθοῦσαι καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον εἰς μιᾶς συμπλήρωσιν ὑποστάσεως. Καὶ νῦν καὶ ἔστι, καὶ λέγεται ἑκάστη τῶν συνελθουσῶν φύσεων ἀμετάβλητος. Διὸ τέλειος Θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς καὶ ἔστι, καὶ λέγεται.

[1] Aug. 3. contra Max. cap. 10. p. 303.

[2] In ep. ad Sev. to. 3. Bibl. 339.

adunatæ sunt duæ substantiæ, divina scilicet et humana, ut fieret una substantia; sed ut esset unius personæ, atque ex eis, et in eis unus semper existeret Christus. Absit enim ut dum unam cogit veritas prædicare personam, duas audeamus negare naturas. Si enim Creator factus est creatura, si Verbum factum est caro, si Deus habitu inventus est ut homo, nec Creator creari, nec Verbum caro fieri, nec Deus esse potuit homo sine alterius susceptione naturæ; et si altera est natura suscepta, duæ sunt profecto naturæ, non una. »

X. Hinc tertium existit argumentum, vel superiorum potius appendix duorum, ex appellatione ipsa deductum : quod Christus tum separatim homo, vel Deus dicitur; tum conjunctim Deus et homo, quod profecto vel ad pervicacissimo quoque, qui quidem pudoris cum ratione nonnihil habeat, confessionem exprimit naturarum duarum; unam autem negare cogit. Non enim Christus hominem absolute se diceret : non Deus item in Scripturis absolute vocaretur : nisi perfecte esset utrumque, quia quod perfectioni deest substantiæ, vel essentiæ, deest etiam appellationi; eo quod nec natura sine eo quod suum est manet; nec naturæ nomen, cui vera non subest natura, constat. « Omnia periclitabuntur, ait Tertullianus [1], aliter accipi, quam sunt, et amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter, quam sunt, cognominantur; fides nominum, salus est proprietatum. »

Nam quod homo nonnumquam in Scriptura simpliciter terra dicitur, nihil ad rem pertinet. Certe enim vera ex terra componitur hominis corpus : et illa eadem, sive substantia commutata, sive qualitatibus tantum (variant enim philosophorum de eo sententiæ) in composito remanet. At neque divina Christi, nec humana natura mutationis in re ulla quippiam patitur. Salva igitur, et integra restet utraque necesse est. Non esset autem, si in unam ambæ convenirent tertiam, ac diversam substantiam. Adde locutiones illas, quibus homo terra nominatur, aut etiam anima, omnium confessione figuratas et tropicas, adeoque non proprias esse : Christum vero improprie, tropiceque vel Deum appellari, vel hominem, citra impietatem, et sacrilegium ne cogitari quidem potest.

Neque vero naturæ unitatem et compositionem hoc solum removet, quod Christus ipse singularum in se naturarum appellationem recipit; sed etiam quod altera nomen alterius tanquam sibi proprium assumit. Nam et homo Deus, et Deus homo vocatur, non autem anima, corpus; aut corpus, anima : quod Bernardus in libro quinto de Consideratione capite nono animadvertit. « Tantam denique, *ait*, tamque expressam unionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus, et homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris; Deum videlicet hominem, et hominem Deum vere catholiceque pronuntians. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissime prædices, etsi similiter anima et caro unus sit homo. »

XI. Huc illa facit Tertulliani eodem illo in loco disputatio; ubi hæreticos quosdam redarguens animam Christi putantes in carnem esse mutatam; itidem ut nos, ex nominum proprietate ad illos convincendos rationem colligit. « Etiam quum demutantur qualitates, *inquit*, accipiunt vocabulorum possessiones. Verbi gratia, argilla excocta, testæ vocabulum suscipit; nec communicat vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere. Proinde et anima Christi caro facta, non potest non id esse quod facta est, et id non esse quod fuerit, aliud scilicet facta. » Ut igitur caro Christi si esset mutata, caro non amplius vocaretur; nec anima, si mutata esset, anima : ita si vel Dei Verbi, vel hominis in Christo natura mutationis aliquid caperet, neuter ille proprie, Deus vel homo diceretur. At utrumque, separatim etiam, nominatus legitur.

Animadvertit hoc jampridem Athanasius, ut quidem ab Euthymio citatur. (Nam alium fuisse de stilo, et scribendi genere conjecturam facimus.) Hic igitur qualiscumque scriptor, in libro contra naturæ unius in Christo compositæ defensores simili argumento usus observat, « (1) Dominum Christum duorum illorum perfectorum usurpare nomina, Dei, et hominis, propter illam ipsam amborum perfectionem.

(1) EUTH. Panop. par. 2. tit. 15. pag. 593. lat. Τοῦ δεσπότου Χριστοῦ τοῦ τὰ δύο τέλεια καλουμένου, καὶ Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου, διὰ τὸ τέλειον ἀμφοτέρων. Οὕτω γοῦν ἡ σωτήριος τοῦ Χριστοῦ προσηγορία νῦν μὲν δηλοῖ μόνην τὴν θεότητα, ὡς ἀνενδεῆ, καὶ τελείαν· νῦν δὲ τὴν ἀνθρωπότητα, ὡς μηδὲν ἔχουσαν τῇ κατασκευῇ ἐλλιπές· νῦν δὲ τὸ συναμφότερον, ἵνα δειχθῇ καὶ τῶν δύο φύσεων τὸ διάφορόν τε, καὶ τέλειον. Vide eumd. par. 1. tit. 7. pag. 145. lat.

1 Tert. de car. Chr. c. 13.

Sic ergo Christi salutaris appellatio nunc solam divinitatem significat, tanquam nullius indigentem, et perfectam : nunc humanitatem ; utpote cujus absolutæ conditioni desit nihil : nunc utramque ; ut ostendatur naturarum duarum discrimen, et perfectio. »

Ambrosius quoque in secundo libro de Fide, capite quarto, simili argumento duas adstruit perfectas in Christo naturas : « Servemus, *inquit*, distinctionem divinitatis, et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Attende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est : quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. » Qui Ambrosii locus in Ephesina synodo [1] et a Patribus plerisque [2] citatur.

Quod si una esset composita Christi natura, « (1) neque Deus appellaretur, neque homo, sed tantummodo Christus : ita ut Christi vox non sit hypostasis ipsius nomen, sed unius, ut illi placet, naturæ : » ut ait Joannes Damascenus. Qui et in libro de natura composita adversus Acephalos, fusius hanc ratiocinationem edisserit : « (2) Dominus noster, *inquit*, Jesus Christus cum ex divinitate, et humanitate sit, est etiam in divinitate, et humanitate, ac Deus est, diciturque perfectus, et homo perfectus, totus Deus, et totus homo : quod in natura composita dici non potest. Non enim totius corpus est ignis, neque totius est aer : uti neque terra, nec aqua ; nec totus mulus, equus est, nec totus, asinus : neque perfectus equus, nec perfectus asinus. At vero Christus, ut dixi, perfectus est Deus, et perfectus homo ; totus Deus, et totus homo. » Hic locus Joannis Damasceni memorabilis est, commodeque quod volumus oculis ipsis subjicit, ac denique ratione ac judicio quemlibet utentem ab suspicione compositæ in Christo naturæ unius absterret.

XII. His quarta succedit argumentatio, quam ex Ferrando, Maximo martyre, aliisque theologis informamus in hunc modum. Si enim ex divina, humanaque natura, tertia quædam composita fieret, nova hæc esset, et novo nomine censeretur : cujusmodi autem illa esse debeat, et quo nomine afficienda sit, nemo hactenus ne somniavit quidem. « Si ex duabus facta esse asseritur una, ait Ferrandus [3], quæ facta sit, debet primitus dici. Quamvis enim duabus ex substantiis una aliqua vix valeat fieri sine ambarum confusione, aut unius abolitione ; tamen quotiens ex duobus fit aliquid unum, nova res fit. Et si nova res fit, novum necessario naturæ nomen existendo noviter sumit. Verbi gratia, alia est in nobis natura animæ, alia corporis : illa spiritualis, ista terrena : illa invisibilis, ista visibilis. Et quia ex his duabus una est facta natura, novum naturæ nomen adepta est, ut diceretur homo, etc. Proinde si divina natura, et humana confirmantur unam fecisse naturam, inveniatur nomen. At nunquam natura invenietur, quæ nec divina appelletur, nec humana : sed sicut nova, ita novo nomine nuncupata. » Mox [4] crebrioribus, ac subtilioribus velut aculeis disputationis pungens adversarios, quærit non solum quo sit appellanda nomine ; sed etiam quæ, et cujusmodi nova illa sit : « An tota sit æqualis Patri, aut tota Patre minor : an impassibilis, aut passibilis : invisibilis, an visibilis : ubique diffusa, an localis : » cum totidem illa, quamlibet pugnantia, de eodem asseverent Christo Scripturæ sanctæ : ex quo naturarum differentia consequitur. Vide Theodorum Abucaram Opusculo secundo [5].

XIII. Sic Maxentius in libello contra Acephalos [6], eosdem istos hæreticos affirmantes unam componi ex duabus naturam, jubet hujus nomen edere. Quia « nulla rei natura est, quæ non proprio, et singulari nomine secundum specialem videlicet appelletur significationem. » Quod autem responderi posset, naturam illam vel esse *Verbum incarnatum*, sive *unam naturam Dei Verbi incarnatam*, vel esse Christum ; utrumque refellit sic. Prius

(1) Damasc. lib. 3. de Fide cap. 3. pag. 171. Οὔτε δὲ Θεὸς ὀνομασθήσεται, οὐδὲ ἄνθρωπος, ἀλλὰ Χριστὸς μόνον, καὶ ἔσται τὸ Χριστὸς, οὐ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ὄνομα, ἀλλὰ τῆς μιᾶς κατ' αὐτὸν φύσεως.

(2) Id. pag. 567. Ὁ δὲ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ θεότητος ὢν, καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ ἐν θεότητί ἐστι, καὶ ἀνθρωπότητι. Καὶ Θεός ἐστι, καὶ λέγεται τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος, καὶ ὅλος Θεὸς, καὶ ὅλος ἄνθρωπος. Ὅπερ ἐπὶ τῆς συνθέτου φύσεως οὐκ ἔστιν εἰπεῖν. Οὐ γὰρ ὅλου τὸ σῶμα πῦρ ἐστιν, οὐδ' ὅλου ἀήρ. Ὁμοίως οὔτε γῆ, οὔτε ὕδωρ. Οὔτε ὅλη ἡ ἡμίονος ἱππός ἐστιν, οὔτε ὅλη ὄνος, οὐδὲ τέλειος ἵππος, οὐδὲ τέλειος ὄνος. Ὁ δὲ Χριστὸς, ὡς εἶπον, τέλειός ἐστι Θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, καὶ ὅλος Θεὸς, καὶ ὅλος ἄνθρωπος.

[1] Par. 1. p. 270. — [2] Leo ep. 95. cap. 5. Theod. Dial. 2. pag. 95. Rust. contra Aceph. tom. 4. Bibl. col. 802. — [3] Ferr. ad Anat. tom. 3. Bib. col. 339.

[4] Ibid. col. 340. Vide et 326. D. E. — [5] Tom. 11. Bibl. pag. pag. 383. — [6] Maxent. tom. 4. Bibl. PP. col. 462.

quidem, quoniam « eo ipso, quo Verbum incarnatum dicunt, duas proculdubio dicere convincuntur in Christo naturas, duarumque, non unius, nomina naturarum; ejus videlicet, qui incarnatus est, id est Verbi Dei; et ejus, quæ ab ipso assumpta est, id est carnis, » ac tantumdem est naturam unam Verbi incarnatam dicere, ac Verbum carnem esse factum, uti suo loco demonstrabitur.

Jam quod ad Christi vocabulum spectat, « non est hoc naturæ nomen, ait idem Maxentius, sed unctionis, unde et multi Christi dicti sunt in vetere Testamento. » Vel, ut Ferrandus ait [1], « Christus nomen est officii, Emmanuel nomen est utrasve substantias, quas adunatas contestatur, insinuans. » Ut sit *Emmanuelis* eadem ratio, *ac Verbi incarnati:* nec una utrobique natura, sed duæ significentur. Idem porro Ferrandus aliquanto postea [2] de Christi nomine; « Christus, *inquit*, nomen officii est, non naturæ: ab unctione enim Christus. Unctio vero temporalis dispensationis indicium, non substantiæ videtur esse vocabulum. » Sed et Cyrillus ab Leontio laudatus, Christi nomen affirmat « (1) non naturam, aut substantiam significare, sed personam, » quem locum e Cyrillo S. Maximus affert in quodam opusculo.

XIV. Rursus adversus commentum illud naturæ compositæ quintum argumentum ita conficitur ex Maximi martyris contra istos disputatione [3]. Natura hujusmodi tertia ex divinitate, et humanitate consurgens vel universalis erit, vel singularis; universalem vocat, quæ communis est cum pluribus. At neutra esse potest. Nam si communis est, plures erunt Christi; certe esse poterunt: ut de Phœnice vulgo produnt philosophi. Creari enim plures a Deo nihil repugnat, si est avis illius aliqua species. Ita propagari natura illa Christi in multos poterit: saltem creatione: quod dictu est impium; quippe Deus non est Christus, si creari potest. Est autem ejusmodi, hoc est Christus, natura illa sua composita, et a divina, humanaque discrepante: a qua illud habet, ut nec Deus sit, nec homo.

« (2) Jam si eadem natura singularis est, et solitaria, pergit Maximus, neque cum Deo, ac Patre, neque cum hominibus ejusdem erit substantiæ. Quod enim natura sua singulare prorsus est, id ab omni plane cum altero quocumque, naturali cognatione disjungitur. » Eodem modo disputat Theorianus, asserens (3) φύσεως, id est *naturæ*, vocem quiddam esse commune, et universale, nec ad unum individuum, aut hypostasim adstringi. Idcirco individua non habere propriam definitionem, quæ naturam declarat, sed communi comprehendi. Quare cum Christus non communi quadam natura censeatur, sed ex sese sit unicus, et singularis, natura non constat una.

Sic etiam S. Thomas in libro quarto contra Gentes, capite 35. ratiocinatione hac utitur. Quippe « ex forma, et materia semper constituitur una species, *inquit*, quæ est prædicabilis de pluribus actu, vel potentia, quantum est de ratione speciei. Si igitur humanæ naturæ divina natura quasi forma adveniat, oportebit quod ex commistione utriusque, quædam communis species resultet, quæ sit a multis participabilis: quod patet esse falsum. Non enim est nisi unus Jesus Christus Deus et homo. « Ita et Justinianus imperator in Professione fidei contra tria capitula [4].

XV. Quocirca Christi nomen ita unam hypostasim significat, ut naturas duas proxime, et ἀμέσως indicet, hoc est τὸ συναμφότερον, ut loquitur Athanasius [5]. Et Maximus martyr in epistola ad Nicandrum: « (4) Deus, *inquit*, natura, et homo, Christus, et aliud omnino nihil. » Atque hoc sextum numerari potest argumentum; quod sic in formam dirigit Theorianus in legatione ad Armenos: « (5) Quemadmodum negatio affirmationi est opposita; ita dicere, Christus est naturæ duæ, oppositum est ei, quod dicitur, est una. » Tum ita ratiocinari pergit: Quidquid unum est, et multa simul, non eadem ratione est unum, qua est

(1) Leont. cap. 27. con. Sev. apud Euth. Panop. par. 2. tit. 15. pag. 627. lat. Τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸν διδάσκαλον οὐ φύσιν δηλοῦντος, ἀλλ' ὑπόστασιν.

(2) Maxim. apud Euth. Εἴπερ δὲ μοναδικὴ φύσις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, οὔτε τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ ὁμοούσιος ἔστιν, οὔτε τοῖς ἀνθρώποις. Τὸ γὰρ πάντη κατὰ φύσιν μοναδικὸν, τῆς πρὸς ὅ, τιοῦν ἄλλο παντελῶς φυσικῆς ἠλλοτρίωται συγγενείας.

(3) Theor. tom. 11. Bib. 459. Ἡ φύσις ἐπὶ τῶν καθόλου, καὶ κοινῶν λέγεται, οὐκ ἐπὶ τῶν μερικῶν, καὶ ἀτόμων.

(4) Maxim. apud Euth. Panop. par. 2. tit. 18. pag. 655. lat. Θεὸς φύσει καὶ ἄνθρωπος ἔστιν ὁ Χριστὸς, καὶ ἄλλο τὸ παράπαν οὐδέν.

(5) Theor. pag. 457. Ὥσπερ γὰρ καταφάσει ἀπόφασις ἀντίκειται, οὕτω καὶ τῷ λέγειν, δύο φύσεις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, τὸ λέγειν, μία.

[1] Ep. ad Anat. 326. E. — [2] Ibid. col. 340. — [3] Apud Euth. Pan. Par. 2. Tit. 15. p. 607. Lat.

[4] Tom. 4. Conc. pag. 349. — [5] Orat. 5. pag. 323.

multa; sed alia et alia est utrumque : ut in sancta Trinitate cernimus. Hæc enim cum sit unum, et multa, diversa ratione ambo esse dicitur; natura, unum; persona, multiplex. Quod si quis vel unum persona, vel multiplex quiddam natura Trinitatem esse dicat, is omnium execratione vexetur. « (1) Idem et in Christo usuvenit, ait ille, hunc enim hypostasi unum esse, pro confesso habetur; at rursus in confesso est, ex sanctorum Patrum sententiis, duo esse Christum secundum naturas. Quare fieri nequit, ut unum sit secundum naturas.» Ad extremum, libet Maximi ejusdem argumentationem hic describere, quæ summa vi compositam ex duabus unam naturam evertere sic aggreditur : « (2) Si Christus natura est composita, ut illi asserunt, aut generalis hæc erit, aut singularis. Nam ne fingi quidem media inter ambas ulla potest. Si generalis est natura Christus, de multis utique, ac differentibus numero prædicabitur; et ratione sola in his erit, in quibus habet extantiam : neque per sese in propria quadam hypostasi cognitus, citra accidentia, quæ in subjectis sibi individuis considerantur. Hujusmodi enim est omnis naturæ generalis ratio, ac definitio; atque hoc modo Christorum pro uno plurium turba nobis introducitur, qui nullo pacto idem sunt cum Deo, vel cum hominibus, etc. Quod si natura singularis est Christus, ut hoc omittamus, nullam omnino naturam esse persona unica circumscriptam : » (quippe ne phœnix quidem ille vulgo decantatus, solus est; cum plures saltem sibi ordine succedant; atque etiam generari, et interire singillatim eos oporteat; ut solitarii, ac singulares esse nequeant:) illud imprimis absurdum sequetur, « neque Deo ac Patri consubstantialem istum fore singularem Christum, neque hominibus. Quod enim penitus est singulare natura, id ab alterius cujuscumque cognatione esse debet alienum. »

CAPUT DECIMUM.

De hominis natura composita ex anima rationali et corpore, quo exemplo compositam Christi naturam adstruebant hæretici. — 1. Ratio dissimilitudinis a Patribus allata, quod hominis partes ante compositionem seorsim existant. — 2. non videtur firma, nisi ita declaretur : loqui Patres de eo, quod naturaliter fit; tum corpus, quod hominem componit, esse organicum. Ad hæc ea quibus homo constat, veras esse partes, et natura imperfectas; ideo posse unum aliquid per se componere, non itidem duas naturas in Christo. — 5. Leontius, asserens partes hominem componentes esse perfectas, exponitur. — 6. Vera ratio, propter quam in Christo natura una ex duabus nomine componitur, ut in homine fit, est, quod ambæ illic perfectæ sunt. At omnis vera compositio fit ex actu et potentia. — 7. Quæ similia sint in structura hominis, cum naturarum duarum in Christo conjunctione. — 8. Testimonia veterum contra naturam unam compositam universe ad certa capita revocantur.

I. Ex iis omnibus, quæ hucusque pertractata sunt, illud perspicue constare arbitror, non eo valere hominis exemplum ex duabus compositi partibus, quo ad Incarnationem approbandam crebro Patres utuntur, uti par sit ad unius naturæ constitutionem amborum ratio. Nam ita in quibusdam congruit similitudo ista hominis, ut in pluribus discrepet : uti Expositionis fidei auctor observat (3) sub nomine Justini editus. « Nec recte faciunt, ut ait Leon-

(1) THEOR. ibid. Οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ ὁμολογεῖται ἓν εἶναι κατὰ τὴν ὑπόστασιν· πάλιν ὁμολογεῖται κατὰ τὰς χρήσεις τῶν ἁγίων πατέρων, δύο εἶναι τὸν Χριστὸν κατὰ τὰς φύσεις. Ἀδύνατον λοιπὸν, ἓν εἶναι κατὰ τὰς φύσεις.

(2) MAXIM. apud Euth. Panop. tit. 15. pag. 607. Εἰ δὲ κατ' αὐτοὺς ἐκείνους, ὁ Χριστὸς σύνθετός ἐστι φύσις, ἡ θαυμαστὴ τῶν Σεβήρου λόγων ἀκριτόλις, ἡ γενικὴ πάντως ἐστὶν, ἢ μοναδική. Τούτων γὰρ ἄλλην ἐπινοῆσαι μέσην ἀμήχανον. Καὶ εἰ μὲν γενικὴ φύσις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, κατὰ πολλῶν ἔσται δηλονότι, καὶ διαφερόντων ἀριθμῷ κατηγορούμενος· καὶ κατ' ἐπίνοιαν ἔσται μόνην ἐν οἷς τὴν ὕπαρξιν ἔχει, καὶ οὐ καθ' ἑαυτὸν ἐν ἰδίᾳ τινὶ ὑποστάσει γνωριζόμενος, χωρὶς τῶν ἐπιθεωρουμένων τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀτόποις συμβεβηκότων. Τοιοῦτος γὰρ ὁ πάσης γενικῆς φύσεως ὅρος τε, καὶ λόγος. Καὶ εἰσῆλθε πλῆθος ἡμῖν Χριστῶν ἀνθ' ἑνὸς, κατὰ μηδένα τρόπον, τὴν οἰανοῦν ἐχόντων πρὸς τὸν Θεὸν, ἢ τοὺς ἀνθρώπους ταὐτότητα, etc. εἰ δὲ μοναδικὴ φύσις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ἵνα παρῶμεν λέγειν ὡς οὐδαμῶς ἐστι τὸ σύνολον φύσις ἑνὶ προσώπῳ περιγεγραμμένη, etc. οὔτε τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ ὁμοούσιός ἐστιν, οὔτε τοῖς ἀνθρώποις· τὸ γὰρ πάντη κατὰ τὴν φύσιν μοναδικὸν, τῆς πρὸς ὁτιοῦν ἄλλο παντελῶς φυσικῆς ἠλλοτρίωται συγγενείας.

(3) JUSTIN. pag. 300. Ὥστε τοῦ ἀνθρώπου τὸ παράδειγμα κατά τι μὲν δεκτέον, κατά τι δὲ φευκτέον.

tius [1], qui vim adhibent, ut sic se habeat exemplum, ut prototypum. Non enim esset jam exemplum, nisi haberet aliquid dissimile.» Quæ varietas efficit, ut ex duabus oppositis inter se atque ex adverso pugnantibus hæresibus, Nestorii, et Eutychis, illa ab hujusmodi abhorreret exemplo, verita ne divisioni personarum, cui studebat, officeret : illa vehementer adamaret, quod ex eo confici naturæ unitatem arbitraretur. Ita Leontius in libro adversus hæresim utramque [2].

Ex iis porro, quæ utrobique dissimilia sunt, et similitudinis absolutam congruentiam impediunt, illud ab Nestorianis allatum esse scribit idem Leontius, quo et Catholici contra Eutychianos nituntur ; « quod homo, etsi ex differentibus specie compositus est, neutrum tamen sine altero habet essentiam. Verbum autem ante humanitatem est. » Sic Maxentius in libello contra Acephalos [3], « hoc exemplum Filio Dei minime » existimat « convenire, cui subsistendi causa caro non fuit. Quippe qui ante secula a Patre natus in propria persona incommutabiliter subsistit, sed cum Verbum caro fieret misericordiæ fuit. Animam autem humanam ante carnem alicubi subsistere, et postmodum carni inseri, nemo ausus est affirmare. »

Non aliter apud Euthymium Athanasius (quem tamen ψευδώνυμον antea dixi mihi videri) unius naturæ patronos tali exemplo perperam utentes redarguit, quod non eadem sit hominis ex anima et corpore coagmentati, quæ Christi ratio ex Deo, et homine consurgentis : « (1) Quoniam illic neutra pars antecedit alteram, nec ea prius subsistit ; neque servat naturæ definitionem : cum ambo simul initium extandi ab utero sumpserint, ac sic in vitam introducta, unum animal constituerint. »

II. Sed hæc discriminis ratio parum firma videri potest. Quid si enim longe ante corporis humani fabricationem Deus animam procreasset ; num ea res obstaret, quominus infusa deinde corpori, in naturæ unius effectionem cum illo conveniret ? Non opinor. Quare ut non repudianda, sic explicanda, et conformanda paululum est ista veterum theologorum argumentatio, ad quod commode faciendum præit nobis Gelasius papa in libro adversus Eutychem et Nestorium de duabus naturis [4] : ubi Acephalos refellens, qui eodem illo exemplo naturam unam in Christo compositam probare studebant, ita scribit : « Non considerare istos, quia cum una natura dicatur humana, quæ tamen ex duabus constet, id est ex anima, et corpore principaliter, illa causa est, quia nec initialiter anima alibi possit existere, quam in corpore, nec corpus valeat constare sine anima ; et merito quæ alterutro sibi sit causa existendi, pariter unam abusive dici posse naturam, quæ sibi invicem causam præbeat, ut ex alterutro natura subsistat humana, salva proprietate duntaxat duarum. » Quo ex Gelasii loco mentem eorum interpretandam arbitror, qui propterea unam ex anima et corpore naturam hominis fieri dixerunt, quod ambo simul existant, nec unum ante alterum subsistat : quod secus in Verbo accidit. Ad hoc enim respectum habuerunt qui ita ratiocinati sunt, quod est in natura rerum, et quod insitum habent componentes hominis partes. Hæ vero natura sua ita comparatæ sunt, ut a se mutuo pendeant, et copulari inter se, ac conjungi postulent. Nam sunt ex sese ac suapte natura partes, et ad se mutuo referuntur, sicut δύναμις et ἐντελέχεια, id est *actus* et *potentia*. Idcirco et *sibi invicem* causæ sunt, utpote *materia* et *forma ;* et natura sua mutuam junctionem expetunt, adeoque tertiam ex seipsis compositam naturam efficiunt. Quæ autem ejusmodi sunt, non prius naturaliter existunt, quam inter se copulentur. Perspicuum est autem, cum ex anima et corpore constare homo dicitur, ut et animal quodlibet, non qualecumque corpus intelligendum esse, neque materiam simplicem ; sed ejusmodi, quo cum anima conjungi potest. Tale vero est membris variis, et dissimilibus contextum, quæ ὄργανα Græci vocant, ut et corpus, ὀργανικόν. Ideo definit Aristoteles animam sic, ut sit « (2) primus actus corporis naturalis organici. » Hoc igitur corpus eodem momento creatam, et infusam animam excipit, quo ab artifice natura idonee perpolitum est, et elaboratum. Ita verum est ambas illas partes extare simul, eaque re differre ab naturis illis, quæ in per-

(1) Eut. Pan. par. 2. tit. 15. pag. 592. lat. Διὰ τὸ μηδέτερον χωρὶς τοῦ ἑτέρου προάγουσαν ἔχειν ὑπόστασιν, μηδὲ σώζειν τὸν ὅρον τῆς φύσεως, κατὰ ταὐτὸν μὲν ἀρχὴν τοῦ εἶναι λαβόντα ἐκ γαστρὸς, καὶ οὕτως εἰς τὸν βίον ἐρχόμενα, ἑνὸς δὲ ζώου σύστασιν ἐργαζόμενα.

(2) Arist. 2. de An. cap. 1. tex. 7. Εἰ δέ τι κοινὸν πάσης ψυχῆς δεῖ λέγειν, εἴη ἂν ἡ πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ.

[1] Lib. 1. cont. Nest. tom. 4. Bib. 961. — [2] Ibid. 960. E.

[3] To. 4. Bib. col. 461. C. — [4] To. 4. Bib. col. 420.

sonæ Christi structuram, vel, ut Augustinus loquitur, *misturam* conveniunt.

III. Cum hac dissimilitudinis ratione illa congruit, eodemque plane recidit, quæ identidem se in sermonem nostrum insinuavit; quod homo ex duabus imperfectis naturis, vereque dictis partibus constat; Christus ex perfectis, et absolutis. Perfectum id appello, « cui nihil deest eorum quæ debent inesse, » ut alibi [1] ex Aristotele [2] docui, ac declaravi pluribus. Sic naturæ Christi duæ perfectæ dicuntur, quia nihil ad earum essentiam deest. Sunt enim completæ, nec aliud desiderant, quo ad naturæ perfectionem adducantur. At illæ ex quibus homo constituitur, natura sua minime sunt perfectæ: quia nonnisi partes sunt totius, et perfecti. Quippe inter ceteras *partis* notiones, hanc enumerat Aristoteles, ut eæ partes censeantur, « (1) quæ in ratione, vel definitione unumquodque declarante locum habent: uti genus speciei pars est. »

Constat autem totius naturalis compositi ratio ex forma, et materia, tanquam propriis, et *essentialibus*, ut vocantur, partibus: quæ et respectum ad sese mutuum habent, et habitudinem quamdam. Ideo naturali propensione, quem *appetitum* etiam nominant, in alteram est altera proclivis. Quod enim de corporis humani membris scriptum est a Chrysostomo: « (2) Non sic illa in propria natura id habere ut sint, quam ut in corpore sint unum; » de iis omnibus, quæ natura sua partes sunt totius, intelligi debet; ut perinde secum invicem esse, et ad unum componendum copulari appetant, si hoc appetitus nomine vocari oportet, quam esse simpliciter, et in rerum numero censeri. Quæ res argumento est, non eas per se, ac solitarias esse perfectas: utpote ad complementum totius natura sua, et essentia factas. Quod non ita est in Christo Domino. « (3) Hic enim non ex rebus imperfectis habet ut sit, ait apud Euthymium paulo ante laudatus Athanasius, sed perfectarum naturarum concursum ostendit in seipso. Atque illic quidem partes hominis sunt, anima, et corpus; hic autem neque caro pars est Verbi, neque Verbum pars est carnis. Nam illorum utrumque, vel ante unionem, perfectam naturam demonstrat: adeo ut nihil omnino vel divinitati desit ad propriam rationem, vel humanitati. Aliud est enim compleri substantiam ex duabus partibus; aliud uniri duas substantias, quarum unaquæque perfecta est. Ideo tam forma Dei, quam servi forma nominatur. At in homine, neque anima sola est homo, neque caro sola. »

IV. Hic suspicetur aliquis, parum consentanee comparationem esse factam, atque ita conformari debuisse: *Hominis partes sunt anima, et corpus: Christi vero neque caro pars est, neque Verbum*; non autem sic: *Alterutra pars est alterius:* alioqui dicendum etiam fuisset, animam carnis, et carnem animæ esse partem. Verum non est reprehendendus. Intellexit enim id, quod supra dixi; Christum proxime, et ἀμέσως hominem esse pariter ac Deum, nec aliam naturam, quam duas istas Christi vocabulo subjici. Quare ut similitudinis ratio responderet; hoc est, ut divinitas et humanitas aliquam in Christo naturam componerent; sicut anima, et corpus in homine: permisceri oporteret inter se divinitatem, et humanitatem: quia duas necesse est compositas esse naturas in Christo, si est ulla composita; eo quod nonnisi duæ insunt in illo, nec præter eas alia est ulla, quæ composita dicatur, atque hoc modo et Verbi pars esset homo, et Verbum hominis: quippe nulla præter Verbum et hominem est natura Christi. Denique perfectas esse naturas in illo Dei et hominis, recte inde concludit, quod Christus proprie tam homo dicatur, quam Deus, quod non procederet, si non perfectum haberet, imo si non perfecte esset utrumque. Etenim homo minime natura et essentia perfectus, homo non est; nec hominis definitione, adeoque nec appellatione censetur: quemadmodum nec anima est homo, neque corpus homo: ac vicissim

(1) ARIST. lib. 4. Met. cap. 25. Ἔτι τὰ ἐν τῷ λόγῳ τῷ δηλοῦντι ἕκαστον, καὶ ταῦτα μόρια τοῦ ὅλου. Διὸ τὸ γένος τοῦ εἴδους μόριον λέγεται.

(2) CHRYS. hom. 31. in 1. ad Cor. pag. 445. Οὐ γὰρ οὕτως ἐν τῇ οἰκείᾳ φύσει τὸ εἶναι ἔχουσιν, ὡς ἐν τῷ σώματι εἶναι εν.

(3) EUT. pag. 592. lat. Ὁ δὲ Κύριος Ἰησοῦς, οὐκ ἐξ ἀτελῶν πραγμάτων τὸ εἶναι δέχεται, ἀλλὰ τελείων φύσεων ἐν ἑαυτῷ σύνοδον δείκνυσι. Κἀκεῖ μὲν, μέρη ἀνθρώπου ψυχὴ καὶ σῶμα. Ἐνταῦθα δὲ, οὔτε ἡ σὰρξ, μέρος τοῦ Λόγου, οὔτε ὁ Λόγος, μέρος τῆς σαρκός. Ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν, καὶ πρὸ τῆς ἑνώσεως, τελείαν δείκνυσι τὴν φύσιν, ὡς μηδὲν ὅλως λείπειν, μήτε τῇ θεότητι εἰς τὸν ἴδιον λόγον, μήτε τῇ ἀνθρωπότητι. Ἄλλο γάρ ἐστι τὸ ἀναπληροῦσθαι οὐσίαν ἐκ δύο μερῶν, καὶ ἄλλο ἑνοῦσθαι δύο οὐσίας, ὧν ἑκατέρα ἔχει τὸ τέλειον. Διὸ καὶ μορφὴ Θεοῦ λέγεται, καὶ μορφὴ δούλου. Ἐπὶ δὲ τοῦ ἀνθρώπου, οὔτε ἡ ψυχὴ μόνη, ἄνθρωπος, οὔτε ἡ σάρξ.

[1] To. 1. lib. 6. cap. 7.

[2] Lib. 4. Metaph. cap. 16.

homo proprie nec est, nec vocatur anima, vel corpus.

V. At Leontius [1] negat hominem ex imperfectis constare partibus, « secundum rationem essentiæ : quamvis quoad definitionem totius hominis, non recipiunt partes rationem totius, tanquam totius. Quid enim deest animæ habenti separatam et propriam vitam, ad hoc ut sit substantia incorporea, semper mobilis? etc. Quid rursus deest corpori, ut sit corpus? Quod quidem qui definiunt, aiunt esse corpus triplici dimensione ; aut corpus naturale organicum potestate vitam habens; utraque enim definitio apte conveniet corpori nostro. Non sunt igitur hæc imperfecta sumpta per se ; tametsi imperfecta dicuntur, quoad hypostasim totius, in quo sunt partes. » Atque eodem modo rem habere ait in Christo. Siquidem Verbum, etsi perfectum est in se ; tamen non est perfectus Christus. Verum nominis est disceptatio, non rei. Nam anima perfecta dici eatenus potest, quod totum inest ipsi, quo animæ natura, et essentia constat. Hujusmodi vero est hoc ipsum, quod imperfecta dicitur : quia per sese, et suapte natura, pars est totius, et cum parte altera copulatur. Quod neque Verbo, nec humanæ naturæ competit, quæ ambo perfecta sunt ; illud natura, et hypostasi : hæc natura : neque naturaliter utravis conjunctionem, et accessionem requirit alterius. Christi porro naturæ non est vocabulum, quod paulo ante dixi ; ut sine alterutra, velut parte, imperfecta natura dicatur. De eodem vero, quatenus hypostasis nomen est, agemus postea.

VI. Omnibus igitur, quæ hactenus dicta sunt, animadversis, vera, et germana constat ratio, propter quam non fit in Christo natura una, vel οὐσία ex duabus in unum concurrentibus : fit autem ex duabus una partibus, ex quibus homo componitur ; hujus, inquam, rei causa hæc est unica, quod in Christo naturæ, vel οὐσίαι, ambæ perfectæ sunt, nec altera est ἐντελέχεια, altera δύναμις, mutua se habitudine respicientes : quod ad naturam proprie, et non ex accidenti unam constituendam necessarium est. Non enim ex duplici ἐντελεχείᾳ, id est *actu*, unum per se componi potest. « (1) Quippe actus cujusque, ait Aristoteles, in eo quod est potentia, et in propria materia naturaliter existit. » Nam (2) οὐσία, id est *substantia*, quæ scilicet est εἶδος, et *forma*, cum sit *actus*, ut ibidem scriptum est, non potest ex duplici οὐσία, sive *forma*, una confiteri natura. Quem ad Aristotelis locum Themistius in elegantissima paraphrasi, hoc adnotavit : « (3) Cum in composita substantia, neque ambo possint esse subjecta, neque ambo formæ, etc. necesse est omnino, animam esse formam, et actum. Etenim non potest aliter dici animal ex anima, et corpore constare, nisi tanquam ex materia, et forma. » Quoniam ergo Dei Filius, idemque Deus, perfectam sibi naturam nostram copulavit ; « assumpsit cum substantia nostræ naturæ perfectæ, ait Rusticus [2], etiam quantitatem, (hoc est unitatem, ut una natura dicatur, et unus homo,) pro qua eum unum hominem vocat Apostolus, et hoc sæpe. Hæc igitur perfectæ nostræ naturæ integra unitas, integræ divinitatis unitati concurrens, dualitatem naturarum rationabiliter coadimplet. »

Rursus in septimo libro Metaphysicorum, « (4) impossibile esse » dicit Aristoteles, οὐσίαν, id est *naturam*, vel *substantiam*, « ex substantiis esse, quæ tanquam actu insint. Quæ enim ita sunt actu duo, nunquam unum erant actu, etc. Quare si substantia unum est, non erit ex substantiis existentibus in ea. » Ex quibus recte concluditur, ex duabus naturis, quæ sunt actus, et quarum neutra potentiam habet, non posse unam effici tertiam. Sunt autem perfectæ naturæ, ἐντελέχειαι, id est *actus*, quare una ex illis natura nequit fieri.

VII. Quamobrem frustra exemplum sibi ex homine sumpserunt hæretici, ut unam compositam ex Verbo, et homine naturam approbarent. Cum enim rei nulla similitudo tanta sit cum alia re, quin aliquid sit, quo ab ea discrepet, videndum est, quid potissimum spectaverit, qui comparatione rerum illarum inter se sit usus. « Non enim res toti rei necesse

(1) ARIST. de Anima, cap. 2. tex. 46. Ἑκάστου γὰρ ἡ ἐντελέχεια, ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι, καὶ τῇ οἰκείᾳ ὕλῃ πέφυκε γίνεσθαι.

(2) ARIST. ibid. cap. 1. tex. 5. Ἡ δὲ οὐσία ἐντελέχεια.

(3) THEMIST. init. lib. 2. de An. Ἐπεὶ γὰρ ἐν τῇ συνθέτῳ οὐσίᾳ οὔτε ἄμφω ὑποκείμενα οἷόν τε εἶναι, οὔτε ἄμφω εἴδη, etc. ἀνάγκη πᾶσα τὸ εἶδος εἶναι τὴν ψυχὴν, καὶ ἐντελέχειαν. Καὶ γὰρ οὐδ' ἂν ἄλλως ἔχομεν εἰπεῖν τὸ ζῶον ἐκ σώματος, καὶ ψυχῆς, εἰ μὴ ὡς ἐξ ὕλης, καὶ εἴδους.

(4) ARIST. 7. Met. cap. 43. Ἀδύνατον γὰρ οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι, ἐνυπαρχουσῶν οὕτως, ὡς ἐντελεχείᾳ. Τὰ γὰρ δύο οὕτως ἐντελεχείᾳ, οὐδέποτε ἓν ἐντελεχείᾳ, etc. ὥστε εἰ οὐσία ἕν, οὐκ ἔσται ἐξ οὐσιῶν ἐνυπαρχουσῶν.

[1] Tom. 4. Bib. col. 961.

[2] Lib. con. Aceph. tom. 4. Bib. PP. col. 832.

est similis sit, ait auctor Rhetoricorum ad Herennium, sed ad idipsum, ad quod confertur, similitudinem habeat oportet. » Dictum hoc est auctore illo, qui sub Justini nomine vulgo est editus, in Expositione fidei, et ab Leontio, ut jam memoravimus. Ac tam ii, quam reliqui theologi in eo conspirant, ut sint quædam in hominis structura, ex anima, et corpore, quæ longe secus habent in Christo ex Deo, et homine constituto : ad id vero accommodatam hanc esse similitudinem, quod utrobique cernitur ; ut [1] quemadmodum unus homo ex diversis naturis componitur, quæ propriam servant in unitione differentiam : sic etiam unus Christus, Deique filius ex naturis ambabus existit, quæ proprietates suas sine ulla confusione retinent. « Usi sunt igitur Patres, ait Rusticus [2], hoc exemplo, ut ostenderent unum filium, unum Christum, unum Dominum, et ejus unam personam substantialem. »

Ita etiam Eulogius Alexandrinus patriarcha apud Photium [3], necnon Theorianus in legatione ad Armenos [4]. Nempe, quod idem observat [5], ad Nestorium confutandum, similitudo ista potissimum usurpata est ; cum ex illius hæresi consequens esset, duos revera Christos esse, ac personas duas. « Nam sicut in unitate personæ, ait Augustinus [6], anima unitur corpori, ut homo sit ; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. » Quod et Athanasii vulgatum symbolum habet, ut Abaelardus notavit [7].

VIII. Restare hoc unum videbatur, ut adversus compositæ naturæ in Christo propugnatores hæreticos, testes appellaremus more nostro Patres antiquos ; imo etiam Scripturam ipsam, et generales synodos in medium adduceremus. Sed nihil necesse est. Nam quæ tribus antecedentibus capitibus adhibita testimonia sunt, et argumenta, ad astruendam duarum in Christo naturarum differentiam, valent eadem ad evertendam naturam illam tertiam ex duabus compositam.

Sic cum dicit Scriptura, et ex ejus auctoritate decernunt Concilia, Patresque demonstrant, Christum esse Deum : vel esse hominem : vel Deum simul et hominem : unam negant, etiam compositam, esse naturam. Quod enim ex duobus compositum proprie est, eorum, ex quibus constat neque nomen habere, neque naturis constare dicitur : sed naturam habet ab utroque diversam ; nomen item ex illorum derivatum nominibus, non singulorum proprium. Nam homo non est anima rationalis, neque corpus : nec ita nominatur, nisi tropice : proprie vero animal, vel animatus, et corporeus dicitur. Deinde nemo animam carnem esse factam audeat dicere, quemadmodum dicitur, *Verbum caro factum*, quod argumento est, duas omnino et integras in Christo naturas esse, non unam ex illis compositam.

Item cum verum, aut perfectum esse Deum, et hominem asserunt Christum, tollunt naturæ compositæ suspicionem. Nam nec vera, nec perfecta anima dicitur homo, nec verum perfectumque corpus ; sed ex utraque parte constare, vel utramque habere. Etenim vera anima corpus non est ; nec in illius definitione locum habet *recto* casu, sed *obliquo*, quatenus *corporis actus* dicitur. At Christus tam Deus, quam homo verus, ac perfectus est.

Sic etiam dum ambarum propria naturarum eidem convenire personæ Christi docent, nullo prorsus excepto, distinctas illas easdem, non confusas, nec in unam aliquam temperatas esse significant.

IX. Denique idem omnino sentiunt, qui Christum asserunt esse ex duobus, et in duobus, et hæc eadem esse duo. Hoc enim nec in hominis constitutione verum est, nec alia ratione potest esse, quam ut duæ sint naturæ differentes, non tertia quæpiam ex duabus conflata. Ideo Gregorium Nazianzenum scripsisse ait Nicephorus, « (1) Christum ea servare ex quibus, et in quibus, et quæ est. » Siquidem cum ait, Christum esse illa quæ habet, ostendit duo esse, hoc est naturas duas, non unam compositam. Quod quidem in homine longe aliter usuvenit : qui non ea esse dicitur, ex quibus est, ut observat Eulogius apud Photium [8]. Meminit hujus rei, formulæque tanquam propriæ Incarnationis, Maximus martyr, in opusculo quodam de loquendi modis, quibus catholica fides explicatur. Ac recte Joannes Damascenus « (2)

(1) NICEPH. Call. lib. 18. cap. 46. Διά τοι τοῦτο καὶ ὁ μέγας ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἅπερ, φησὶ, σώζοντα, etc.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 172. Ἡμεῖς δὲ οὐ μιᾶς συνθέτου φύσεως τὸν Χριστὸν δογματίζομεν, οὐδὲ ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ὥσπερ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ἄνθρωπον· ἢ ὡς ἐκ τεσ-

[1] Leont. tom. 4. col. 961. et apud Euth. Pan. Part. 2. Tit. 5. — [2] Rust. tom. 4. Bibl. col. 809. et 817. D. — [3] Cod. 230. p. 446. — [4] Tom. 11. Bib. pag. 458. — [5] Ibid. 458. — [6] Ep. 5. p. 5. — [7] Lib. 3. Introd. c. 6. p. 1128. — [8] Cod. 230.

Christum *ait* non unius esse compositæ naturæ, nec ex aliis aliud : velut ex anima et corpore hominem : vel sicut ex quatuor elementis, corpus : sed ex diversis, hæc eadem ipsa. Nam ex divinitate, et humanitate perfectum Deum, et perfectum hominem eumdem et esse, et appellari, ex duabus, et in duabus naturis confitemur. »

Horum omnium exempla reperies iis expressa testimoniis veterum, quibus naturam unam in superioribus capitibus refellimus. Hæc enim non minus de una composita, quam de simplici persuadent, verumque id esse demonstrant : quod ex Gregorio Nazianzeno in orat. 2. de Filio, Theorianus citat in legatione ad Armenos : « (1) Licet utraque natura copulata sit unum; non tamen unum esse natura, sed propter conventionem. » Atque hanc præterea naturæ compositæ unitatem diserte castigat Sœbadius auctor antiquus [1], usurpatam ab Ariano Potamio. « Fecistis igitur, *inquit*, de spiritu Dei et carne hominis, nescio quid tertium : quia nec vere etiam Deus est, si Verbum esse desivit, caro enim factus est, neque vere homo, quia non proprie caro : fuit enim Verbum : ac sic ex utroque jam neutrum est. »

Tum universe consensus antiquorum theologorum in eamdem sententiam, ex eo colligitur, quod supra commemoravimus, neminem illorum dixisse, vel etiam levissime significasse, naturam unam in Christo fuisse compositam, præter Apollinarem. De quo Maximi martyris hic locum adtexam : « (2) Unam, *inquit*, naturam compositam dicere esse Christum refugimus omnino, non solum propter rationes superius allatas; verum etiam ideo, quod nullus selectorum Patrum hactenus visus est hujusmodi vocem usurpasse : tum quod manifeste Apollinaris hæretici, ejusque discipulorum fetus iste fuerit. »

X. Sed Tertulliani minime prætereunda sunt verba : qui in libro contra Praxeam [2], Verbum, salvis manentibus naturis, nec in unam conflatis, sine ulla sui mutatione factum esse carnem adstruit sic : « Si enim sermo ex transfiguratione, et demutatione substantiæ caro factus est, una jam erit substantia Jesus ex duabus, ex carne et spiritu mixtura quædam, ut electrum ex auro et argento; et incipit nec aurum esse, id est spiritus, nec argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur, et tertium quid efficitur. Neque ergo Deus erit Jesus. Sermo enim desiit esse, qui caro factus est : neque caro, id est homo, caro enim non proprie est, qui homo fuit. Ita ex utroque neutrum est : aliud longe tertium est, quam utrumque. » Et paulo post : « Sed enim invenimus illum directo et Deum et hominem expositum, ipso hoc Psalmo suggerente [3] : Quoniam Deus homo natus in illa, ædificavit eam voluntate Patris : certe usquequaque filium Dei, et filium hominis, cum Deum et hominem sine dubio secundum utramque substantiam credamus in sua proprietate distantem : quia neque Sermo aliud quam Deus, neque caro aliud quam homo. » Tum allati Apostoli verbis [4], ita concludit : « Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum hominem Jesum. » Qui locus ad catholicum de Incarnatione tuendum dogma contra Arianos, Apollinaristas, Eutychianos, et Monophysitas in paucis exquisitus est. Cujus reliqua operæ pretium sit apud auctorem ipsum legere.

σάρων στοιχείων σῶμα, ἀλλ' ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτὰ. Ἐκ θεότητος γὰρ, καὶ ἀνθρωπότητος, Θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον τὸν αὐτὸν καὶ εἶναι καὶ λέγεσθαι, ἐκ δύο τε, καὶ ἐν δυσὶν ὁμολογοῦμεν φύσεσιν.

(1) NAZIANZ. cit. a Theoriano. Εἰ γὰρ καὶ τὸ συναμφότερον ἕν, ἀλλ' οὐ τῇ φύσει, τῇ δὲ συνόδῳ.

(2) MAXIM. in lib. de voce hac *in duabus naturis* apud Eut. Pan. par. 2. tit. 15. pag. 608. lat. ed. Μίαν δὲ φύσιν σύνθετον Χριστὸν παντελῶς παραιτούμεθα λέγειν, οὐ μόνον διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας· ἀλλ' ὅτι καὶ μηδεὶς καθόλου τῶν ἐγκρίτων πατέρων πέφανται μέχρι τοῦ δεῦρο ταύτην εἰρακὼς τὴν φωνήν· καὶ ὡς προδήλως Ἀπολλιναρίου τοῦ αἱρετικοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ φοιτητῶν ὑπάρχουσαν γέννημα.

[1] Sœb. col. 170. tom. 4. Bib.

[2] Cap. 27. — [3] Psal. 86. — [4] Rom. 1.

CAPUT UNDECIMUM.

Constituitur *unitionis*, quæ in Incarnatione fit, proprius, et formalis effectus, — 1. qui est una Christi persona naturis constans duabus, unusque Dei, et hominis filius.— 3. Id e Scripturis probatur primum. — 7. tum e Conciliis, eorumque symbolis. — 8. Post veterum Patrum sententiis. — 12. ac denique theologicis argumentis.

I. Quoniam, ut in antecedentibus capitibus exposuimus, *unitionis* illius, quæ Incarnationem, formæ instar, efficit, fructus, ac *terminus*, ut loqui consueverunt scholæ, non in natura ipsa consistit : necessario alibi a nobis inquirendus est. Ac mihi puto concessuros omnes, in eo constituendum esse *unitionis* effectum, et *terminum*, quod unum existit ex naturarum junctione. Hoc autem non natura est aliqua tertia, quod jam ostendimus : quia nulla prorsus hujusmodi in Christo cernitur. Et tamen non extra hunc ipsum, quem nominavimus, Christum, unum illud quodcumque tandem consurgit tertium, investigari potest. Quippe nihil præter Christum naturas in se continet duas, aut unum ex duabus constat. Necesse est igitur proprium, et *formalem*, ut vocant, τῆς ἑνώσεως effectum non aliud esse, quam quod Cyrillus in epistola ad monachos Ægyptios affirmat. « (1) Ex duabus rebus, *inquit*, divinitate scilicet, et humanitate, certissime constat Emmanuel : idem vero unus Dominus Jesus Christus, unus et verus filius, Deus simul, et homo, non Deus factus eorum more, qui id gratia consequuntur : sed Deus potius, qui vere in humana forma propter nos apparuit. » Atque hoc Flavianus Constantinopolitanus episcopus, eximius martyr, ex Ephesini concilii auctoritate, id est ejusdem epistola Cyrilli ad Nestorium, in illa synodo probata, et in acta relata declarat sic : « (2) Quia diversæ quidem ad unitatem veram concurrere naturæ, unus autem ex ambabus Christus Dei filius : non tanquam naturarum differentia sit perempta propter unitatem, sed potius effecerit nobis unum Dominum Jesum Christum, et Filium. »

II. Athanasius in epistola ad Epictetum Corinthi episcopum magno cum stomacho novam in hæresim invehitur, « (3) quæ Christum in carne passum, et affixum cruci negabat esse Dominum et salvatorem, ac Deum, Patrisque filium. » Ita duos asseverabant esse, Christum hominem, et Verbum Dei filium. Quos hoc uno perbrevi responso absolvendos ait : « (4) Neque hanc esse catholicæ Ecclesiæ fidem, neque sensum hunc Patrum extitisse. » Quæ duo ab Athanasio præscripta probationis capita breviter hoc loco persequemur, ac primum e Scripturis, et Conciliis, tum ex antiquis Patribus, illud, quod statuimus effectum *unitionis* et incarnationis, adstruemus. Sed illud prius, quod exciderat, adnotandum putamus : veterem hanc esse labem opinionis, quæ in Christo duos agnoscebat a se distinctos, atque divisos. Quos in calce libri de carne Christi Tertullianus exagitat : « Sicut et definiens, *ait*, ipsum quoque Christum unum, multiformis Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum, alium elapsum de mediis turbis, alium detentum, etc. » Verum isti Christos duos ; sive Christum ab Jesu separabant. Nestorius vero, quem contra potissimum hic disputamus, Deum ab homine hypostasi divellebat, duos reipsa constituens ; tametsi verbo unum duntaxat asserebat Christum atque Filium ; ut suo loco demonstravimus[1]. Ostendamus modo, id

(1) CYR. ep. 2. ad monachos Eph. conc. par. 1. p. 15. Οὐκοῦν ἐκ δυεῖν μὲν πραγμάτων ὁμολογουμένως, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος, ὁ Ἐμμανουὴλ. Μιᾷ δὲ εἷς Κύριος Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, εἷς τε, καὶ ἀληθῶς Υἱὸς, Θεός τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος οὐ θεοποιηθεὶς ἐν ἴσῳ τοῖς κατὰ χάριν, Θεὸς δὲ μᾶλλον ἀληθινῶς ἐν ἀνθρωπείᾳ μορφῇ πεφηνὼς δι' ἡμᾶς.

(2) FLAVIAN. ep. ad Leon. Chalced. syn. cap. 4. pag. 3. ex Cyr. ep. 2. ad Nestor. in Eph. syn. cap. 8. pag. 164. D. Καὶ ὅτι διάφοροι μὲν αἱ πρὸς ἑνότητα τὴν ἀληθινὴν συναχθεῖσαι φύσεις· εἷς δὲ ἐξ ἀμφοτέρων Χριστὸς, καὶ Υἱὸς· οὐχ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν· ἀποτελεσασῶν δὲ μᾶλλον ἡμῖν τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ Υἱόν.

(3) ATHAN. ad Epict. pag. 454. E. Τίνες δὲ ἄρα οὕτω τολμηροὶ γεγόνασιν, ὥστε εἰπεῖν, τὸν Χριστὸν τὸν σαρκὶ παθόντα, καὶ ἐσταυρωμένον, μὴ εἶναι Κύριον, καὶ Σωτῆρα, καὶ Θεὸν, καὶ Υἱὸν τοῦ Πατρός ;

(4) Ibid. 455. B. Ἡ τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἰπεῖν ἀρκεῖ, ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα οἱ πατέρες ἐφρόνησαν.

[1] Lib. 1. c. 9. § 6.

quod nobis propositum est, *unitionem*, et incarnationem eo recidisse, « ut non sit alter Deus, alter homo; sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius Virginis, idem naturalis est filius Dei, » ait Petrus diaconus[1]. Et Leporius apud Cassianum[2] : « Nec alter Deus, alter homo : sed idem ipse Deus, qui et homo : et vicissim homo, qui et Deus, Jesus Christus unus Dei filius nuncupetur, et vere sit. »

III. Ut igitur ab Scripturis ordiamur, testis est Cyrillus, « (1) divinitus inspiratas omnes litteras, Deum prædicare filium, et hominem factum, et eumdem unum ubique nominare. » Atque ut pauca quædam ex innumeris testimonia seligam, illud imprimis subit animo tritum, sed insigne ex Evangelii Joannis initio, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, etc. Ex quo Leo papa ista disserit[3] : « Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta : cujus utique nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera, sancto Spiritu fœcundata, et nunquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei filius unitur, ut qui erat intemporaliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus. »

Proclus item in epistola ad Armenos indidem argumentatur; quia scripsit Joannes « (2) factum esse carnem, non in perfectum hominem subiisse. » Et subinde : « Primum factum est caro, non in carnem conversum : absit : manet enim divinitas mutatione omni superior : quoniam mutabilitas naturæ præterfluentis affectio est, immutabilitas autem sempiternæ, et eodem modo semper habentis propria est. » Cum igitur *Verbum carnem fieri*, non sit in carnem mutari, vel quod proprium et naturale sibi est, amittere; sed alteram sibi quam arctissimo nexu copulare naturam, consequens est, unum in duabus esse naturis, et subsistere Christum : hoc est unam ex duabus naturis personam consistere.

IV. Alter locus ex epistolæ ad Philippenses capite secundo, ubi de Christo loquitur sic Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Hic vero manifeste unum in duabus naturis existere Christum, hoc est unam personam Deum esse simul et hominem, significat. Nam et qui se *exinanivit*, Deum oportet esse; qui in forma, hoc est natura divina prius fuerit : et idem non alia ratione semetipsum *exinanivit*, quam se vilem et imbecillum hominem faciendo, quod deinceps esse cœpit. Unus ergo in duabus naturis est incarnatus, Λόγος, ac Dei Filius. Bene hujus argumenti, et apostolici testimonii vim expendit Cyrillus in epistola prima ad monachos : et animadvertit, frustra illos esse, qui Christum in duas personas dividentes, Deum et hominem, asserunt exinanitionem illam in hominem cadere. (Non enim depressionis istius et abjectionis capax est sola in sese divinitas.) Etenim qui se *exinanivit*, ille est ipse, qui antea Deo Patri erat æqualis; et hoc natura, non usurpatione habuit, quemadmodum angelus olim Deo esse similis voluerat. « (3) Atqui creata res est nulla, quæ si propria in natura spectetur, æqualis Patri esse possit. Quonam igitur pacto exinanitus esse dicitur, si cum natura sua esset homo, itidem ut nos, ex muliere natus est? Quanam porro ex antiquiore præstantia, quæ humanum modum excederet, ad hoc delapsus est, ut homo fieret? Quomodo denique intelligi potest formam accepisse servi, quasi antea non habuisset, qui natura sua inter servos censebatur, et servili jugo erat obnoxius? » Vide Augustinum sermone 31. de verbis Apostoli.

Ac ne quis exinanitum esse Dei Filium eo sensu putet, quod in homine simpliciter habitaverit, recte huic Cyrillus occurrit in eodem

(1) Cyr. in Symb. tom. 5. par. 2. inter epist. pag. 182. Τί τοίνυν ἀντιστρέφουσι τῆς οἰκονομίας τοὺς λόγους, καὶ παρασημαίνουσι τὴν ἀλήθειαν, οἱ πάσαις ἀντανιστάμενοι ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς, αἳ Θεὸν ὄντα γινώσκουσι, καὶ ἐνανθρωπήσαντα τὸν Υἱὸν, ἕνα τε ὀνομάζουσι πανταχοῦ ;

(2) Procl. ep. ad Arm. pag. 612. oper. illius. Οὐδὲ γὰρ λέγει ὁ Εὐαγγελιστὴς ὅτι εἰσῆλθεν εἰς τέλειον ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐγένετο σάρξ. Mox pag. 613. Πρῶτον γέγονε σὰρξ, οὐ τραπεὶς εἰς σάρκα· μὴ γένοιτο· μένει γὰρ ἡ θεότης ἀλλοιώσεως ἀνωτέρα· ἐπεί περ τὸ τρεπτὸν παραῤῥεούσης φύσεως πάθος, τῆς δὲ ἀϊδίου, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχούσης τὸ ἄτρεπτον ἴδιον.

(3) Cyr. epist. ad monac. in Eph. syn. pag. 12. Ἀλλ' οὐδέν ἐστι τῶν πεποιημένων, εἰ κατ' ἰδίαν νοοῖτο φύσιν, τὸ ἐν ἰσότητι τοῦ Πατρός. Πῶς οὖν ἄρα κεκενῶσθαι λέγεται, εἰ τὴν φύσιν ἄνθρωπος ὤν, γεγέννηται καθ' ἡμᾶς ἐκ γυναικός ; καὶ ἐκ ποίας, εἰπέ μοι, πρεσβυτέρας ὑπεροχῆς τῆς τοῦ ἀνθρώπου μείζονος εἰς τὸ ἄνθρωπος εἶναι κατέβη ; ἢ πῶς ἂν νοοῖτο λαβεῖν, ὡς οὐκ ἔχων ἐν ἀρχῇ, τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ὁ φύσει τελῶν ἐν οἰκέταις, καὶ ὑπὸ ζυγὸν δουλείαν κείμενος; Vide eumd. l. 10. in Joan. pag. 836. D.

[1] in ep. ad Fulg. de Inc. cap. 5.

[2] Cass. 1. de Inc. c. 5. — [3] Serm. 7. de Nativ.

loco. Quippe non minus Pater, et Spiritus sanctus *exinaniti* esse dicentur quam Filius, cum et ipsi in eo habitent, qui mandata Christi servet, ut Christus affirmat [1]. Tum Spiritus sanctus *in nobis habitare* dicitur. Vide de hoc Apostoli loco inter alios Ambrosium epistola octava [2].

V. Rursus in epistola ad Hebræos, cujus divinam excellentiam, et dignitatem tam luculento præconio celebraverat Apostolus in primo capite, ejusdem mox Filii incarnationem prædicat; unum esse significans, qui [3] et *splendor sit gloriæ, ac figura substantiæ Patris :* per quem [4] *secula* ipsa *facta sunt :* qui [5] angelis omnibus antecellens ab iis adoretur [6] : et qui [7], propterea quod *pueri*, id est homines, *communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem ; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* Nam unum et eumdem esse, in quem cadit utrumque, Paulus ibi aperte demonstrat : quippe qui hoc sibi illa in epistola proposuit, ut Jesum Christum, quem hominem fuisse constabat inter illos ad quos scribebat, non unum habendum esse de multis, sed eumdem Deum, Deique naturalem filium ostenderet.

Huc omnia revocari possunt testimonia Scripturæ, quibus efficitur, non alium, atque alium, sed unum, et eumdem esse, in quem et divinæ, et humanæ naturæ proprietates conveniunt. Nonnulla ex iis Athanasius refert [8], velut quod de se ipse Christus profitetur [9] : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Et [10], *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Item illud [11] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Tum [12], *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super cœlos, ut impleret omnia.* In quibus, et similibus locis demonstratur, non duos esse, sed unum plane, qui ambo illa diversa, et contraria susceperit : ut et in cœlo esset, et in cœlum ascensurus postea foret; et apud Patrem ex æterno manens, ab eodem missus, homo factus sit, et mortem sustinuerit. Vide Athanasium in oratione de uno Christo [13], et Cyrillum in ejusdem argumenti dialogo [14]. Sic illud quod legimus [15], *Dominum majestatis crucifixum esse,* interpretatur Ambrosius [16], « non quasi in majestate sua crucifixum putemus : sed quia idem Deus, et homo; per divinitatem Deus; per susceptionem carnis homo, Jesus Christus, Dominus majestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, id est humanæ, atque divinæ : in terra hominis subiit passionem, ut indiscrete et Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo. »

VI. Multa ejusdemmodi suppeditabunt Cyrilli Thesauri; imo pene omnes hujus libri : necnon Cassianus in libris septem de Incarnatione [17]. Augustinus item, præsertim in primo libro de Trinitate, capite 13. ubi « eumdem esse Filium hominis propter formam servi, quam accepit, qui est filius Dei, propter Dei formam, in qua est, » Scripturæ testimoniis pluribus approbat. Vide et Agobardum in libro contra Felicem Urgelitanum.

Ad hæc Scripturæ passim Jesum Christum, tanquam unum et eumdem, adjungunt, et annumerant Patri : *Unus Deus Pater, ex quo omnia*, inquit Apostolus [18], *et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, etc.* Et [19], *Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.* Ac nonnunquam etiam Patri præponitur, ut in secunda ad Thessalonicenses [20]. Alias [21] etiam additur et Spiritus sanctus. Hæc iisque plura Theodoretus observavit [22] in epistola 146. Jam vero unum esse Christum, non duos, ex eo concluditur, quod si duo essent, quatuor jam personæ essent divinæ, et ὁμότιμοι, quæ videlicet in divinitatis mentione junguntur, atque in summæ majestatis, et auctoritatis communionem vocantur. Itaque recte Augustinus [23], « Non enim duo, Deus et homo, ut jam non faciamus, vel noverimus Trinitatem, sed quaternitatem. » Sed de hac quæstione et quaternitate postea.

VII. Non minus catholicæ fidei Symbola eidem Christi in naturis duabus unitati suffragantur, tam vetus, quam quæ in generalibus postea conciliis edita fuerunt. Cassianus certe ex Nicæno illud ipsum argumentando concludit sic [24] : « Dicens ergo Symbolum Dominum Jesum Christum Deum verum ex Deo vero, homousion Patri, per quem secula compaginata sunt, et omnia facta, hoc inseparabili

[1] Joan. 14. 23. — [2] 2. Tim. 1. — [3] Hebr. 1. 3. — [4] Ib. 2. — [5] Ib. 4. et seq. — [6] Ib. 6. — [7] Hebr. 2. 14. — [8] In brevi serm. de Inc. pag. 462. — [9] Joan. 3. 13. — [10] Joan. 6. 62. — [11] Gal. 4. 4. — [12] Eph. 4. 9. — [13] Pag. 518. — [14] Tom. 5. Oper. Cyr. — [15] 1. Cor. 2. 8.

[16] Lib. 2. de Fide. c. 4. — [17] Maxime in 4. c. 5. et seq. et in lib. 6. c. 22. — [18] 1. Cor. 8. 6. — [19] 1. Thess. 3. 11. — [20] 2. Thess. 2. 16. — [21] Rom. 15. 30. et 2. Cor. 13. 13. — [22] Tom. 3. — [23] Serm. 12. de Diver. c. 6, tom 10. p. 462. — [24] Cass. lib. 6. de Incar. c. 8.

statim connexione subjunxit: Qui propter nos, inquit, venit, et natus est ex Maria virgine. Ille ergo, qui verus Deus, qui homousius Patri, qui creator seculorum, qui factor omnium, ille, inquam, venit in mundum, et natus ex Maria virgine. » Tum ex eo, quod *venisse* tam in Symbolo, quam in Scriptura dicitur, eumdem, antequam nasceretur e Virgine, extitisse docet: ac proinde unum esse, qui et [1] *antequam Abraham fieret*, fuisse se dicit, et qui homo deinde factus est. « Vides ergo, *ait*, quomodo ipso adventus nomine fuisse ante designatur adveniens; qui facultatem non habuerat, nisi cui ex hoc ipso quod erat, suppetere poterat ut veniret. Homo autem ante conceptum omnino non fuit. Ergo in se non habuit, ut venire posset. Deum ergo venisse certum est, etc. » Legendus et Cyrillus libro de Symbolo [2], et in epistola prima ad monachos [3]: et Arnobius in dialogo cum Serapione. Ac nos supra, capite sexto [4], locum istum, qui ex generalium synodorum auctoritate petitur, satis enucleavimus.

VIII. Quod autem singulorum ad Patrum testimonia spectat, quod est argumenti theologici genus tertium, complura sunt a nobis allata eodem in sexto capite, ac sequenti, ut duas ostenderemus esse naturas in Christo, quorum pleraque ita hoc, quod tunc agebatur, efficiunt, ex duabus illis constare Christum; ut et unum esse probent, hoc est personam unicam, non pro naturarum numero, duos. His non pauca de multis adjungam, quæ diserte unum esse, vel unicam personam, Deum hominemque declarant.

Ignatius in epistola ad Ephesios: « (1) Deus, *inquit*, noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei, ex semine David». Ita hunc locum citat Theodoretus [5]: quemadmodum et manuscriptus codex Florentinus exhibet; cum aliter in cusis legatur. Ibi ergo Deum ipsum in utero Mariæ gestatum, adeoque de semine David genitum esse testatur.

Et in epistola eadem apud Theodoretum, et Gelasium: « (2) Singuli viri communiter omnes in gratia, ex nomine convenite in una fide, et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, filio hominis, et filio Dei. » Vides ut *unum Jesum Christum filium Dei, et filium hominis* appellat: vel, ut in Florentino codice extat, *Filium Dei, et hominis*, quod in cusis minime comparet.

Irenæus in libro tertio, toto capite 18. luculenter e Scripturis adstruit, « unum, et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum, Dominum nostrum;» ac qui in duos illum partiuntur, acriter redarguit; quos et *solvere Jesum Christum* ait, ut Joannes loquitur [6], hoc est dividere, et arctissimam illam unitionem dirimere.

Tertullianus in calce libri de carne Christi, ad illa Pauli verba [7] respiciens, *Unus Dominus Jesus Christus*, ita scribit: « Sicut et definiens ipsum quoque Christum unum, multiformis Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum, alium elapsum de mediis turbis, alium detentum, etc. » Cyprianus in libro secundo Testimoniorum, capite 10. probat ex sacris libris, « Quod et homo, et Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos, et Patrem posset. » Hic et hominem, et Deum esse testatur Christum, ut appareat ipsum non una quapiam ex duabus composita natura constare; alioqui non singularum in se partium vocabula susciperet: et tamen eumdem ex utraque *concretum*, hoc est coagmentatum, et conflatum esse dicit, quod in personam ipsam convenire necesse est, quæ ex Dei et hominis natura coalescit: quod Græci dicunt συμπεφυκέναι. Unde Glossarium vetus *concretum* græce interpretatur συμπεφυκός. Idem et Novatianus toto libro de Trinitate adstruit, dum Christum Deum pariter hominemque esse defendit, et Lactantius aliique; quorum proferre sententias nihil hic attinet, et sunt in capite septimo nonnullæ a nobis excerptæ.

IX. Jam Dionysius Alexandrinus in epistola Synodica, quam scripsit ad Paulum Samosatenum, hæreticum istum redarguit, « (3) duas hypostases, et duas personas asseverantem unius Christi, et Christos duos, duosque filios: » quod deinceps copiosa disputatione refellit.

(1) IGNAT. ad Eph. sub fin. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, etc.

(2) Ib. Οἱ κατ' ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν τῇ χάριτι ἓξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει, καὶ ἑνὶ Ἰησοῦ Χριστῷ, κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ Υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ.

(3) Tom. 11. Bib. pag. 273. Δύο ὑποστάσεις λέγοντός σου, καὶ δύο πρόσωπα τοῦ ἑνὸς ἡμῶν Χριστοῦ, καὶ δύο Χριστοὺς, καὶ δύο υἱούς.

[1] Jo. 8. — [2] Tom. 5. p. 186. — [3] Ibid. p. 6. — [4] § 6. — [5] Dial. 1. p. 34. — [6] 1. Joan. 4. 3. — [7] 1. Cor. 8.

Athanasius in libello de Incarnatione confirmat, « (1) Sicut homo persona est una, et animal unum e spiritu, et carne concretum : ita Christum intelligi debere, unum esse, et non personas duas, quod recens impietas violenter invehere conabatur. » Vide et orationem illius quintam, sub finem[1]. Basilius libro quarto contra Eunomium, allatis diversis Scripturæ locis, quorum alius Christum a Patre genitum, alius creatum significat; prius ad Dei Filium, posterius ad formam servi pertinere dicit. Ac statim, ne quis duas suspicetur, ita pergit : « (2) In istis porro omnibus, non duos dicimus, Deum seorsim, et hominem seorsim, (quippe unus erat,) sed cogitatione mentis singulorum naturam consideramus. »

Grègorius Nazianzenus Oratione 31. « (3) Non duo factus, *inquit*, sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, et quod est assumptum : naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii. Nolo contemperationem illam ementita ratione quispiam explicet. » Hilarius sub initium libri noni, « Mediator, *inquit*, ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset. » Præclarum omnino mysterii illius elogium, quo et naturas post Incarnationem salvas esse duas contra Monophysitas ostendit; et adversus Paulum Samosatenum, ac Nestorium, unum esse, id est personam unicam profitetur. Mox vero fucum in hoc genere fidem oppugnantium hæreticorum detegit : « Hinc itaque fallendi simplices, *inquit*, atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur : et quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendunt. Nec sane negamus, totum illum, qui ejus manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus est, et neque cum homo, tum primum Deus : neque cum homo, tum non etiam et Deus : neque post hominem in Deo non totus homo totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse quod generis. »

X. Ambrosius in symbolum Apostolorum[2] : « Vescentes pariter, *inquit*, ac bibentes cum eo, hominem verum, ac Deum videbant. Non tamen quod alter Deus, alter homo esset; sed unus atque idem esset filius Dei, et filius hominis. » Vide et librum ejusdem tertium de Incarnatione, capite 5. quem locum supra descripsimus[3].

Hieronymus in caput primum epistolæ ad Ephesios[4]; « Benedictus, *inquit*, Deus ejus, qui assumptus est, hominis, et pater ejus, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius assumptus homo, et alius sit Sermo, qui assumpserit; sed quo unus atque idem, pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur. » Et in caput sextum[5], cum dixisset vocabulum, *Jesus*, « interdum hominem » significare, « qui a Deo Verbo assumptus est; interdum vero Deum Verbum, » mox ita subtexit : « Hæc autem dicimus, non Jesum a Christo separantes; nec rursum Deum Verbum ab eo, quem assumpsit, hominem alterum esse dicentes : sed secundum intelligentias effectuum, vel locorum, illum, quem unum esse credimus filium hominis, et filium Dei, et ante virginem, et post virginem, alium atque alium nuncupantes. »

Augustinus vero innumeris in locis idem asserit, ut in Enchiridio, capite 36. « Ut quemadmodum, *inquit*, est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro; ita sit Christus una persona, Verbum et homo. » Et libro tertio contra Maximum[6] : « Porro autem Christus, *ait*, una persona est geminæ substantiæ; quia Deus et homo est. » Item in libro de Correptione et gratia, capite 11. « Deus, *inquit*, naturam nostram, id est animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mira-

(1) Ath. pag. 462. Ὁ δὲ ἄνθρωπος ἓν πρόσωπον, καὶ ζῶον ἀπό τε Πνεύματος, καὶ σαρκός. Κατὰ δὲ τὸ ὁμοίωμα αὐτοῦ νοητέον τὸν Χριστὸν ἕνα, καὶ οὐ δύο πρόσωπα, ὅπερ ἡ νῦν ἀπιστία βιάζεται.

(2) Basil. lib. 4. cont. Eunom. pag. 105. D. Ἐν πᾶσι δὲ τούτοις οὐ δύο λέγομεν, Θεὸν ἰδίᾳ καὶ ἄνθρωπον ἰδίᾳ, (εἷς γὰρ ἦν) ἀλλὰ κατ' ἐπίνοιαν τὴν ἑκάστου φύσιν λογιζόμενοι.

(3) Nazianz. orat. 31. pag. 497. Οὐ δύο γενόμενος, ἀλλ' ἓν ἐκ τῶν δύο γενέσθαι ἀναρχόμενος· Θεὸς γὰρ ἀμφότερα, τό τε προσλαβὸν, καὶ τὸ προσληφθὲν, δύο φύσεις εἰς ἓν συνδραμοῦσαι, οὐχ υἱοὶ δύο. Μὴ καταψευδέσθω ἡ σύγκρασις.

[1] Pag. 323. D. — [2] Cap. 31. — [3] Cap. 7. § 6.

[4] Col. 957. — [5] Col. 998. — [6] Cap. 10. tom. 6. p. 303.

bili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, filius Dei sic esset ab initio, quo esse homo cœpisset, ut ipse et Verbum, quod sine initio est, una persona esset. » Tum in tractatu 20. in Joannem[1], « Filius hominis habet animam, habet corpus : Filius Dei, quod est verbum Dei, habet hominem, tanquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem : sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. »

XI. Cyrillum Alexandrinum hoc loco testem citare, supervacanea res est. Hic enim ex professo Dei et hominis unitatem in Christo, non essentiæ, sed personæ contra Nestorium approbavit omnibus in libris. Unitatem dico personæ, non eo sensu, quo et Nestorius illam confitebatur, ut in primo libro docui : sed bona fide, uti catholica eam Ecclesia profitetur. Nimirum unum esse Christum, *unitate* substantiva, quomodo unus est homo, sive una hominis persona, et hypostasis. De quo integrum librum edidit, ὅτι εἷς ὁ Χριστός[2] : et passim, uti dixi, istud inculcat, ut in libris contra Nestorium, in Anathematismis, in libro de recta Fide : ubi antiquos Patres aliquot ejusdem dogmatis suffragatores in medium affert.

Denique unam esse hypostasim, et personam, unitate illa, quam vocant οὐσιώδη, testes sunt omnes ad unum Patres, qui eumdem Christum esse docent hominem ac Deum : aut unum esse filium Dei, qui et filius hominis est, asseverant : aut qui compositam esse illius hypostasim tradunt : de quibus partim agetur postea, partim ante disputavimus[3], cum naturas esse duas, non unam, neque simplicem, neque ex utraque compositam, iisdem ex antiquis ostendimus.

XII. Nunc illud idem postremo theologicis rationibus conficitur. Quorum prima ex Boetio[4] petitur hujusmodi : Si ut sunt in Christo naturæ duæ, ita personæ duæ sunt ; « nulla facta est hominis, Deique conjunctio ; nisi forte qualis est, cum duo corpora sibimet apponuntur, ut tantum locis juncta sint, et nihil in alterum ex alterius qualitate perveniat. Quem conjunctionis Græci modum κατὰ παράθεσιν vocant. (Male in cusis παράφρασιν legitur.) Sed si ita divinitas humanitati conjuncta est, nihil unum ex utrisque confectum est, ac per hoc nihil est Christus. » Unum intellige per se, atque proprie, ut supra notavimus. Nam unum ex accidenti esse potest, velut acervus unus ex lapidibus pluribus. Itaque vere hoc ab eodem scriptum est Boetio, « Omnino ex duabus personis nihil unquam fieri posse. » Cur autem non sic unus Christus appelletur, quomodo unus, exempli causa, cumulus, aut ejusmodi aliquid sola coacervatione, vel appositione conflatum : ratio manifesta est ex iis, quæ ante significavimus. Etenim in conjunctione ista, quæ fit ex accidenti, non est mutua partium inter se communio ; ut unius nomen, et nomini subjecta proprietas derivetur in alterum. Ut, si tritici, ac piperis in unum grana colligantur, non dixeris triticum esse piper, aut piper triticum. At in Christo, tum hic homo Deus ; tum hic Deus homo nominantur ; si utrobique subsistentem intelligimus naturam. Major itaque, ac longe dispar est nexus in Christo superioris illius, quo personæ duæ copulantur.

XIII. Alterum argumentum ex eodem Boetio, et Joanne Damasceno[5] in hunc modum procedit : Si duæ personæ in uno junctæ sunt Christo, unus esse non potest proprie, absoluteque Christus : neque vel nomen idem utrique convenire, nisi æquivoce : vel una aliqua definitione comprehendi ; quemadmodum si Socratem adjungas Bucephalo, unum ambobus proprium, ac proxime congruens nomen accommodare nequeas ; multo vero minus rationem aliquam nomini subjectam. Atqui Christos esse duos, vel filios, Christianis auribus inaudita, detestandaque vox est : quæ inde tamen necessario sequeretur ; uti si communi utcumque animantis nomine Socratem et Bucephalum vocares, non unum ambos, animal ; sed animalia duo cogerere dicere ; quia nullum satis idoneum vinculum, aut unitatis genus est, quod illos a pluralitate vindicet. Rupertus libro secundo commentariorum in Joannem idem probat hoc argumento, quia « nullum est nomen speciale, aut generale præter hoc, quod generalissimum est, scilicet substantia, quo simul Deus, et homo possint appellari generaliter. Atqui equus cum homine personarum non faciunt numerum, etc. » quæ fusius exponit. Sed hæc argumentatio non valde necessario concludit.

Addit Joannes Damascenus, etiam istud : Cum ad dexteram Patris Christus assideat,

[1] Pag. 70. D. — [2] Qui est in fine tom. 5. Par. primæ. — [3] Cap. 6. et 7.

[4] Lib. de duab. nat. et una person. Christ. pag. 951. — [5] Lib. de duab. volunt. pag. 473.

duas illic personas constituendas esse, adeoque quatuor ab Christianis adorandas ; quod argumentum postea meliori in luce ponetur.

XIV. Tertio ita ratiocinatur Boetius : Si Deus cum homine ex accidente solum, et non οὐσιώδει aliquo nexu conjunctus est, nihil admodum novi, ac singularis, vel tantopere admirandi hoc in mysterio Incarnationis inesse. « Quando enim non fuit divinitatis propria, humanitatisque persona? quando vero non erit ; vel quid amplius in Jesu generatione contingit, quam in cujuslibet alterius? » Nam quod vel propter excellentem quamdam operationem, vel ob eximiam sanctitatem, vel ob extrinsecus affusam dignitatem quampiam, homo iste Dominicus singulari titulo affectus existimari potest; hoc nihil est. Debent enim tam vere proprieque Christi, ac Dei nominari censerique justi omnes ac sancti, quam B. Virginis filius, etsi ab eo longo intervallo superentur ; quandiu in eodem unitatis, et unitionis genere consistitur ; non secus ac justi omnes, et sancti, et amici Dei proprie dicuntur, tametsi inæquales inter se sint, ac dispares.

Quartum a Boetio sic ex antecedentibus colligitur : « Jam vero, *inquit*, sequitur, ut personis manentibus nullo modo a divinitate humanitas credatur assumpta. Omnino enim disjuncta sunt, quæ æque personis, naturisque separantur ; prorsus, inquam, disjuncta sunt. Nec magis inter se homines, bovesque disjuncti, quam divinitas in Christo, humanitasque discreta est, si mansere personæ. Homines quippe, ac boves una animalis communitate junguntur. Est enim illis secundum genus communis substantia, eademque in universalitatis collectione natura. Deo vero atque homini quid non erit diversa ratione disjunctum, si sub diversitate naturæ, personarum quoque credatur mansisse discretio ? »

Plura alia poterunt ex adductis superius Patrum testimoniis argumenta confici, quibus personæ unitas ab theologo via, et ratione colligatur. Vide Anselmum libro de incarnatione Christi, capite quinto.

CAPUT DUODECIMUM.

Illustratur ratio, et proprietas personæ, sive hypostasis unius incarnati Verbi. — 1. Hypostasis vox varie accepta. — 2. Ejus ratio, ac definitio strictim explicata. — 3. Severi objectio discussa opponentis, ridicule ex duabus naturis duas naturas effici : cui respondetur, unam hypostasim fieri compositam. — 4. Hinc nata quæstio, an sit hypostasis Christi composita : idque affirmatur ex Patribus, qui hoc ipsum dicunt, hypostasim Christi compositam esse ; — 6. vel Christum esse compositum. — 9. Duplicem esse Christum quo sensu neget Cyrillus.

1. Sublatam arbitror penitusque detersam superiori disputatione labem opinionis utriusque, quæ vel naturam ex duabus unam in Christo ; vel personas totidem, quot inesse naturæ creduntur, invexit. Hoc enim solidissimis rationibus approbatum est, unum ex naturarum conjugatione Christum, et Emmanuelem extitisse, Deum, et hominem, eumdemque Dei in utraque natura subsistentem Filium ; quod personam, hypostasim, subsistentiam, suppositum unum theologi consueverunt dicere. Ex quo unus intelligitur esse Christus, vera, proprieque dicta, hoc est οὐσιώδει et substantiva unitate, non tamen unum : quia non est una natura : quam similes voces in neutro genere significant : sicut in masculino positæ, ad personam referuntur : de quo post erit dicendi locus.

Ac de hypostasi minime est omittendum, quod identidem necesse est repeti ; ambiguum hujus esse nominis usum apud antiquos theologos, non diversos duntaxat ; sed eosdem interdum, uti Cyrillum. Nam pro natura sæpe, maxime antiqui, pro persona fere recentiores usurparunt. Horum nos consuetudinem modo potius, quam superiorum, sequimur, quod in omnibus de divinis rebus loquendi formulis tenendum esse, priscorum Patrum auctoritas, et exemplum nos admonet : qui suis usitata temporibus vocabula, et communes, ac receptas horum notiones antiquis, obsoletisque prætulerunt.

Itaque cum de vocabulorum usu conveniat; de horum propria significatione, sive definitione, non minus concordare debemus. Ac certa constituenda proprietas est hypostasis, sive alterius nominis, quocumque tandem appellari gaudet id, quod unum in Christo fieri conjunctione illa, quæ unitio dicitur, intelligunt ac profitentur omnes Christiano digni nomine.

II. Mihi vero commode illam expressisse videtur, et ad veterum perinde, ac recentiorum sensum aptissime, Leontius, aliique porro : qui personam, sive hypostasim definiunt, ut sit « (1) individua substantia per semetipsam existens, et propria terminatione circumscripta : » Cyrillus vero [1], et Joannes Damascenus [2], idem voce ἰδιοσύστατος significant, quæ idem est, ac *per se, propriaque extantia consistens.* Dionysius Alexandrinus [3] vocat αὐτοτελῆ, *perfectam ex sese.*

Quæ omnia, et iis plura, accurate pertractata sunt in quarto libro de Trinitate [4]; ut ad illa, quæ ibi disputavimus, nihil adjici oporteat. Hinc igitur efficitur, personam hoc habere, ut sit perfecta et absoluta substantia, per seque consistens, et proprio termino definita; hoc est in nullius compositionem natura sua cum altero conveniens. Quod postremum annectimus ideo, ut naturales quasdam formas excludamus a personæ nomine, quæ separatæ extant : ut hominis anima. In quo Rusticus diaconus fallitur [5], qui id omne, quod sejunctum ab quocumque subsistit altero, personam esse censuit; unde, « Si, quod gentiles opinati sunt, præextitissent animæ rationales corporibus suis, duæ, inquit, nihilominus essent perfectissimæ substantiæ, ac naturæ, Deus et mens, » totidemque personæ : proindeque non esset una persona Christi. « Ex duabus enim præexistentibus personis unam personam impossibile est fieri. » Sed hallucinari Rusticum, nec animam rationalem perfectam esse substantiam, sive personam; quamvis extra corpus existat; inter omnes convenit : de quo in illo quarti de Trinitate libri octavo capite dixi [6].

Jam ergo liquido definitum istud est, quod in secunda ad Successum epistola scribit Cyrillus Alexandrinus; « (2) Cum Deus homo factus est, nec Deus esse destiterit, sed potius carnem, et sanguinem assumpserit; unum esse filium, Deum, ac Dominum, ejusque personam unicam. »

Quod et Novatianus [7] egregie declarat, asserens « Christum Jesum Dominum ex utroque connexum (ut ita dixerim) ex utroque contextum atque concretum, et in eadem utriusque substantiæ concordia mutui ad invicem fœderis confibulatione sociatum, hominem et Deum esse. »

III. Hic vero Severianorum existit acerrima conflictio; qui unam illam ex duarum naturarum conjunctione personam, et hypostasim ab Catholicis constitutam, veteratorio, callidoque commento in hunc oppugnabant modum, quem in opusculo quodam de *Hypostasi composita* nondum edito Maximus refert, ex quo Euthymius in Panopliam suam nonnulla transtulit. « (3) Ad illud, *inquit,* postremo imbecillum et inane Severi commentum confugiunt; quod ab illo, velut apprime callidum, ubique profertur. Aiunt igitur ridiculam rem esse ex duabus naturis duas rursus effectas esse naturas dicere. » Huic sophisticæ versutiæ statim ita respondet Maximus : falso istud a Severo sumi, Catholicos affirmare, ex duabus naturis duas naturas fieri : hoc est effectum *unitionis* illius, quæ duas inter se naturas copulat, has ipsas esse naturas duas. Neminem quippe id hactenus asseverasse, verum unam potius effici ex illa conjunctione compositam hypostasim. Verba Maximi sunt ista : « (4) A quonam vero, qui quidem divinis Ecclesiæ dogmatibus esset imbutus, audierunt unquam, unitionem ex duabus naturis duas facere naturas? Nunquam hoc se a quoquam audisse dicere potuerunt, si qua est illis cura veritatis.

(1) LEONT. de Sect. act. 1. tom. 11. bib. p. 493. C. Ὑπόστασιν δὲ, ἤτοι πρόσωπον καλοῦσι, ὅπερ οἱ φιλόσοφοι ἄτομον οὐσίαν λέγουσι. Et act. 7. pag. 418. A. Εἰ γὰρ ἐκ δύο φύσεων λέγετε τὸν Χριστὸν, οὐκοῦν δύο ὑποστάσεις, καὶ δύο πρόσωπα καθ' ἑαυτὰ, καὶ ἰδιοπεριόριστα.

(2) CYR. 2. ad Suc. tom. 5. par. 2. pag. 148. Θεὸς γὰρ ὢν γέγονεν ἄνθρωπος, οὐ τὸ εἶναι Θεὸς ἀφεὶς, ἐν προσλήψει δὲ μᾶλλον σαρκὸς, καὶ αἵματος γεγονώς. Ἐπειδὴ δὲ εἷς ἐστιν Υἱὸς, καὶ Θεὸς, καὶ Κύριος, ἓν αὐτοῦ καὶ πρόσωπον εἶναί φαμεν.

(3) MAXIM. apud Euth. Pan. par. 2. tit. 15. p. 610. lat. ed. Ἐκεῖνο καταφεύγουσι τελευταῖον τὸ σαθρὸν, καὶ διάκενον Σευήρου εὕρημα, τὸ πάνυ παρ' αὐτοῦ ὥσπερ τι σοφὸν πανταχοῦ φερόμενον φάσκοντες· γελοῖον εἶναι ἐκ δύο φύσεων δύο φύσεις πάλιν ἀναδείχθῆναι λέγειν.

(4) MAX. ibid. Τίνος γὰρ ἤκουσαν τῶν τὰ θεῖα τῆς ἐκκλησίας πεπαιδευμένων δόγματα, ὡς ἕνωσις ἐκ δύο φύσεων δύο ἀπετέλεσε φύσεις; ἀλλ' οὐδαμῶς ἀκηκόεναι εἰπεῖν δυνήσονται, ἀληθείας φροντίζοντες. Λέγομεν δὲ, ἐκ δύο μὲν φύσεων τὴν ἕνωσιν γεγενῆσθαι· μίαν δὲ τὴν ἐξ αὐτῶν ὑπόστασιν ἀποτελεῖν τοῦ Χριστοῦ σύνθετον.

[1] Citatus lib. 4. de Trin. c. 8. § 2. — [2] Dam. 3. de fide c. 9. — [3] In ep. ad Samos. — [4] Maxime in c. 8. — [5] Rust. in Disp. contra Aceph. tom. 4. Bibl. col. 809. — [6] § 4. — [7] Lib. de Trin. cap. 19.

Itaque dicimus, ex duabus naturis unitionem esse factam : eam vero unam ex ipsis constituere hypostasim Christi compositam. » Sic est omnino ; ridiculum est et putidum, quod impostor ille Catholicis objectabat, ex eorum sententia sequi, effectum, ut vocant, formale unitionis duarum naturarum, esse naturas duas. Hoc iste falso colligebat. Una est hypostasis ex duabus composita naturis ; vel naturæ duæ in unam personam, et hypostasim conjunctæ, fructus, et effectus est unitionis. Sicut ex multis humani corporis partibus in unum coagmentatis non partes multæ fieri dicuntur, sed unum aliquid, et totum ex illis compositum partibus.

IV. Quod hoc loco Maximus scribit, unam hypostasim compositam ex duabus naturis existere, idque proprium unitionis effectum esse, magnopere animadvertendum. Hinc est enim vehemens inter subtiles de Schola disputatores orta controversia, an composita dici debeat hypostasis, sive persona Christi : deque eo plurimum altercantur, ac duas in partes discedunt recentiores duntaxat. Nam apud antiquos theologos, et Patres nulla est hujusmodi quæstio : neque dubitatum fuit unquam quin Christus, et hypostasis Christi componeretur ex naturis duabus. Hoc ubi pro instituto nostro demonstraverimus, tum de subtilium illorum causa facilius erit judicium. Christi ergo personam, sive hypostasim esse, appellarique compositam, auctores sunt haud pauci ex antiquis, præsertim græcis, qui accuratius in mysterii illius explanationem, et propugnationem adversus hæreticos incubuerunt.

In Catena Nicetæ Serrarum episcopi in Matthæum, a P. Balthasare Corderio nuper edita, citatur Nazianzenus hunc in modum istud significans : « (1) Quis potest solvere, *inquit*, et interpretari Verbi nobiscum copulationem? et quomodo ille, qui simplex est, compositus sit assumptione carnis; et materiæ expers particeps materiæ factus? »

Cyrillus item libro Thesauri vicesimo, « (2) Unus, *ait*, Christus est ex humanitate, et Deo Verbo mistus, non eo, quod conversus sit in id quod erat, sed quod ex Virgine templum assumpserit. »

Flavianus quoque Constantinopolitanus episcopus in Tomo dogmatico, quem de Incarnatione scripsit ad Leonem papam, apud Anastasium Sinaitam in *Viæ duce*.

Ita Maximus monachus et martyr illo in loco, quem paulo ante descripsimus. Qui et alibi Monophysitarum naturam compositam refellens, negat usurpari fas istud esse : « (3) Sed potius hypostasim unam Christi compositam, et naturas duas. » Et in responsione 62. ad Thalassium, Christum ait « (4) secundum hypostasim esse compositum. »

Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium : « (5) In unitione, *ait*, quæ est secundum hypostasim, merito compositionem pia fides profitetur. At compositam essentiam nemo dicere est ausus, præter Apollinarem. Porro Dominus ostendens hypostasim suam esse compositam, non autem naturam, etc. » Ac subinde istud repetit, « (6) compositam esse Christi hypostasim. »

(7) Sophronius Hierosolymitanus patriarcha, in epistola synodica ad Sergium Constantinopolitanum, quæ in actione extat undecima sextæ Synodi, Nestorium redarguit, quod « unam incarnatam naturam, vel unam Christi compositam hypostasim profiteri vereretur. » Paulo post ὑπόστασιν, καὶ πρόσωπον σύνθετον vocat, id est *hypostasim, et personam compositam*.

Joannes vero Damascenus crebro hac locutione utitur : ut in libro tertio de Fide, capite tertio, in fine. « (8) Conjunguntur, *inquit*, naturæ ipsius hypostasi, unam habentes compositam hypostasim. » Et in capite 14 [1], Mono-

(1) Cat. Nic. in cap. 3. Mat. pag. 81. Τίς γὰρ δύναται λῦσαι, καὶ ἑρμηνεῦσαι τὴν πρὸς ἡμᾶς τοῦ Λόγου συνάφειαν; καὶ πῶς ὁ ἁπλοῦς συνετέθη προσλήψει σαρκὸς, καὶ ἄϋλος ἐν μεθέξει ὕλης ἐγένετο;

(2) Cyr. tom. 5. pag. 197. A. Εἷς γὰρ ὁ Χριστὸς ἔκ τε ἀνθρωπότητος, καὶ Θεοῦ Λόγου κεκραμένος, οὐκ ἐκ τοῦ τετράφθαι πρὸς ὅπερ οὐκ ἦν, ἀλλ' ἐκ τοῦ προσλαβεῖν τὸν ἐκ παρθένου ναὸν.

(3) Maxim. tract. contra unam nat. comp. Οὐ θέμις οὖν μίαν τοῦ Χριστοῦ λέγειν σύνθετον φύσιν τοὺς εὐσεβεῖς, etc. Ὑπόστασιν δὲ μᾶλλον Χριστοῦ σύνθετον μίαν ὁμολογεῖν, καὶ δύο φύσεις.

(4) Apud Euth. Panop. par. 2. tit. 15. pag. 604. Ὡς εἶδεν αὐτὸς γενόμενος καθ' ὑπόστασιν σύνθετος.

(5) Ephræm. Phot. cod. 229. pag. 420. Καὶ ἐπὶ μὲν τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως δικαίως παρὰ τῆς εὐσεβείας τὸ σύνθετον λέγεται. Σύνθετον δὲ οὐσίαν οὐδεὶς εἰπεῖν ἐτόλμησε πλὴν Ἀπολλιναρίου. Δηλῶν δὲ καὶ ὁ Κύριος, ὅτι σύνθετος μὲν αὐτοῦ ἡ ὑπόστασις, οὐκέτι δὲ καὶ ἡ φύσις, etc.

(6) Ibid. Σύνθετος γὰρ αὖτη.

(7) Sophr. tom. 5. Conc. pag. 167. Ὁ δὲ μίαν καθομολογεῖν τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην συστέλλεται, ἢ καὶ μίαν αὐτοῦ σύνθετον λέγειν ὑπόστασιν δέδοικε : et pag. 170. F.

(8) Damasc. pag. 174. Συνάπτονται γὰρ αἱ φύσεις αὐτοῦ τῇ ὑποστάσει, μίαν ὑπόστασιν σύνθετον ἔχουσαι. Vide et cap. 5. et 7. pag. 193.

[1] Pag. 222.

thelas refellit, qui unam ex divina, et humana compositam voluntatem in Christo itidem esse dicebant, ut est hypostasis una ex duabus naturis composita. Idem docet et in libro quarto, capite quinto : et in libro de duabus Christi voluntatibus. Theodorus item Abucara, « (1) Orthodoxos *ait* unam asseverare Christi compositam hypostasim : » de quo rursus agemus postea.

Psellus quoque in Politicis versibus hanc esse « (2) fidei definitionem » asserit, « ut una dicatur ex duabus esse naturis hypostasis composita. » Ita et Theophylactus ad caput tertium Joannis, ejusque comma decimumtertium.

Eodem spectat et quod Augustinus ait [1], « personam Christi misturam esse hominis, et Dei. »

Accedit et quinta Synodus œcumenica, quæ in canone, sive anathematismo quarto, « (3) unitionem » neganti « Verbi cum humana natura, secundum compositionem, hoc est secundum hypostasim, » anathema dicit, eamque vocem sæpius repetit, ἕνωσις κατὰ σύνθεσιν. Ergo id est compositio illa, quæ fit ex naturis duabus cum hypostasi Christi.

Adstipulantur et illi Patres, qui *unam hypostasim incarnatam* esse Christum docent : de quibus postea. Nam hypostasis incarnata utique divinam, et humanam naturam complectitur.

Ad hos adscribendus est Gregorius Nazianzenus, dum ita scribit, « (4) Qui abs te modo contemnitur, aliquando supra te fuit. Qui nunc homo est, compositionis expers erat. » Cum enim sic loquitur, *hunc, qui homo nunc est, antea non fuisse compositum*, significat eumdem modo esse compositum ex divina humanaque natura. In actis Ephesinæ synodi affertur illud ab Nicæno concilio contra Paulum Samosatenum de Christo proditum : « (5) Unam personam, compositam ex divinitate cœlesti, et humana carne. »

VI. Jam vero complures Christum ipsum compositum ex duabus esse naturis diserte significant. Cyrillus in libro de recta fide ad Theodosium imperatorem, « (6) Mediatorem Dei, hominumque » dicit « compositum esse ex humanitate nostra, secundum propriam rationem perfecta, et ex eo, qui ex Deo Patre prodiit secundum naturam filius, hoc est ex Unigenito. » Quæ totidem verbis leguntur in dialogo de Incarnatione [2]. Hic enim prorsus idem est cum Prosphonetico ad Theodosium.

Dionysius libro de Divinis nominibus, capite primo, « (7) Deum » scribit « cum nostris rebus vere, et ex toto communicasse in una suarum hypostaseon, revocantem ad sese, attollentemque humanam extremitatem : ex qua, inexplicabili modo, simplex Jesus compositus est. »

Justinianus imperator in Professione fidei contra tria capitula, quæ in Synodo quinta continetur, « (8) Christum unum ex utraque natura, divina et humana, compositum » vocat. Et paulo post : « (9) Compositum Christum profitemur, sanctorum Patrum doctrinam secuti. Siquidem in Christi mysterio, unitio illa, quæ compositione fit, confusionem, et divisionem excludit. » Quæ Justiniani verba magnam nobis testium copiam suppeditant, eorum videlicet omnium, qui unitionem illam, qua duæ naturæ copulantur, σύνθεσιν, hoc est *compositionem*, appellant, aut affinibus vocabulis, de quibus dictum est supra [3]. Ac cum unitio illa *hypostatica* sit ; prorsus qui eam-

(1) THEOD. Abuc. opusc. 2. tom. 11. bibl. pag. 383. Ὡς ἡμεῖς οἱ ὀρθόδοξοι τὸν Χριστὸν μίαν εἶναι σύνθετον ὑπόστασιν λέγοντες.

(2) PSELLUS. Ἐκ δὲ τῶν δύο φύσεων μίαν ἀποτελεῖσθαι,

Σύνθετον τὴν ὑπόστασιν· οὕτω πίστεως ὅρος.

(3) Syn. 5. collat. 8. Ἀλλ' οὐχ ὁμολογεῖ τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ, καὶ νοερᾷ κατὰ σύνθεσιν, ἤγουν καθ' ὑπόστασιν, γεγεννῆσθαι.

(4) NAZIANZ. orat. 35. pag. 575. Οὗτος γὰρ ὁ νῦν σοι καταφρονούμενος, ἦν ὅτε καὶ ὑπερ σέ ἦν· ὁ νῦν ἄνθρωπος, καὶ ἀσύνθετος ἦν.

(5) In Eph. syn. gr. a Com. edita, pag. 138. Ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος οὐρανίου καὶ ἀνθρωπείας σαρκός.

(6) CYR. in Eph. syn. pag. 31. Τὸν Θεοῦ μεσίτην, καὶ ἀνθρώπων, κατὰ τὰς γραφὰς συγκεῖσθαί φαμεν ἔκ τε τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, καὶ ἐκ τοῦ πεφηνότος ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν Υἱοῦ, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς.

(7) DION. cap. 1. de Div. nom. pag. 245. Φιλανθρώπων δὲ διαφερόντως, ὅτι τοῖς καθ' ἡμᾶς πρὸς ἀλήθειαν ὁλικῶς ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν, ἀνακαλουμένη πρὸς ἑαυτήν, καὶ ἀνατιθεῖσα τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατιάν· ἐξ ἧς ἀῤῥήτως ὁ ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη.

(8) JUSTIN. in tom. 2. Conc. pag. 345. Ὅθεν ἐξ ἑκατέρας φύσεως, τουτέστιν ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, ἕνα Χριστὸν σύνθετον λέγοντες.

(9) Ibid. pag. 347. Σύνθετον δὲ τὸν Χριστὸν ὁμολογοῦμεν τῇ τῶν ἁγίων πατέρων ἀκολουθοῦντες διδασκαλίᾳ. Ἐπὶ γὰρ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου ἡ κατὰ σύνθεσιν ἕνωσις τὴν σύγχυσιν, καὶ διαίρεσιν ἀποβάλλεται.

[1] Epist. 3. pag. 5. — [2] Tom. 5. Cyr. pag. 688. et 702.

[3] Vide c. 1. et 2. et seq.

dem, *compositionem*, aut *compositione* factam asserunt, *compositam* esse tum hypostasim Christi; tum, quod idem est, Christum ipsum significant. Quemadmodum et qui Christum aiunt esse naturas duas, sive συναμφότερον, hoc est *ambo*, ex quibus constat : ut Athanasius [1]. Qui in tractatu etiam de uno Christo, hæreticos queritur, « (1) pro unitate, et compositione, solam operationem humanam admittere. » Quem locum citat Petrus diaconus ex Athanasio : de quo tamen dubitare me dixi an ab illo sit scriptus.

Tum qui dicunt ex duabus, et in duabus naturis Christum subsistere : de quibus actum est supra [2].

VII. Petrus diaconus in libro de Incarnatione, qui est inter opera Fulgentii, « Hinc etiam, *ait*, a sanctis Patribus adunatione ex divinitate, et humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paulus Samosatenus confiteri damnatus est ab Antiocheno concilio, Malchione presbytero ejusdem Antiochenæ Ecclesiæ viro per omnia eruditissimo, et ab universis sacerdotibus, qui contra eumdem Paulum convenerant, tunc electo. » Mox ejusdem Malchionis verba subjicit, ex ea disputatione, quam contra Paulum Samosatenum compositionem illam negantem instituit. « Ex simplicibus, *inquit*, fit certe compositum, ut in Christo Jesu, qui ex Deo, et Verbo, et humano corpore, et quod est ex semine David, unus factus est, nequaquam ulterius divisione aliqua, sed unitate subsistens. Tu vero videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundum participationem. Hoc enim dixisti, quod sapientia dispendium patiatur, et ideo composita esse possit. » Hæc Malchio, in quibus argumentatio continetur firma sane, ac momenti multum habens ad compositionem probandam. Nam nisi compositus sit Christus ex Verbo, sive divina sapientia, et humana natura compositus, consequens est, sapientiam in illo non esse subsistentem. Si enim substantia foret, fieret necessario ex duabus naturis, sive substantiis, non ex accidenti, sed substantive, per seque copulatis unum aliquod compositum.

Maxentius item Petri diaconi socius in secundo dialogo [3], « Quamvis ex divinitate, *inquit*, et humanitate Deum nostrum Jesum Christum compositum, sive unitum esse fateamur, confusionem tamen naturarum penitus refugimus, quia utrasque naturas credimus manere perfectas. » Pergit vero deinceps de compositione ista pluribus disputare, de quibus dicam postea.

Postremo Novatianus in libro de Trinitate, paulo ante laudatus [4] assentitur, dum Christum ex duabus naturis « contextum, atque concretum *ait*, et in utriusque substantiæ concordia, confibulatione sociatum. »

VIII. Non minus compositum esse Christum declarant antiqui illi, qui eum *geminum*, vel *duplicem* esse dicunt, ut imprimis Gregorius Nazianzenus (2) oratione secunda de Filio, et in 38. de Nativitate, qui διπλοῦν appellat ipsum : eoque testimonio Theorianus utitur in legatione ad Armenos [5]. Athanasius ab Euthymio citatus ex libro contra Valentinianos, « (3) Duplex, *inquit*, naturis est Christus, et hypostasi singularis. »

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quarta, « (4) Duplex erat Christus, *ait*, homo quidem id quod apparebat; Deus autem quod non apparebat ». Qui locus ab Leontio est allatus in libro 1. contra Nestorium et Eutychem, et nos cap. 6. jam eum adscripsimus. Antiochus Ptolemaidis episcopus ab Ephræmio Antiocheno citatus ita Christum compellat : (5) « Domine fili David, duplex, et simplex; duo et simplex; duo et unum. » Quod Amphilochius explicat sic Iconii episcopus, ut sit « (6) duplex substantia, sive natura : non autem duplex hypostasi. »

Affertur et ex Joanne Chrysostomo, libro primo in Joannis Evangelium, locus ab Ephræmio eodem apud Photium; ubi ita loquitur : « (7) Quid facies, cum ille nobis simplex natura, duplex ingreditur.

(1) ATHAN. pag. 519. Καὶ ἀντὶ ἑνώσεως, καὶ συνθέσεως, ἐνέργειαν ἀνθρωπίνην.

(2) Orat. 36. pag. 583. Καὶ γὰρ ἦν διπλοῦς. Et 38. pag. 621. cit. a Leontio tom. 4. bibl. PP. col. 975.

(3) EUTH. Pan. par. 1. tit. 9. cap. 2. Ἐπεὶ διπλοῦς ὢν ταῖς φύσεσιν ὁ Χριστὸς, μοναδικός ἐστι τὴν ὑπόστασιν.

(4) CYR. pag. 27. Διπλοῦς ἦν ὁ Χριστὸς· ἄνθρωπος μὲν τὸ φαινόμενον· Θεὸς δὲ τὸ μὴ φαινόμενον.

(5) ANTIOCH. apud Phot. cod. 229. pag. 411. Κύριε Υἱὲ Δαβὶδ ὁ διπλοῦς, καὶ ἁπλοῦς, ὁ δύο καὶ ἕν.

(6) AMPHIL. apud Phot. ibid. pag. 413. Διπλοῦν τὴν οὐσίαν, ἤτοι κατὰ τὴν φύσιν, οὐ διπλοῦν δὲ τὴν ὑπόστασιν.

(7) Apud Phot. ibid. pag. 430. Ἐπεὶ τί ποιήσεις, ὅταν ἡμῖν ὁ ἁπλοῦς τὴν φύσιν, εἰσβαίνει διπλοῦς;

[1] Orat. 5. p. 323. et p. 520. et seq. — [2] Vide c. 5. et seq. — [3] Tom. 4. Bib. col. 474. — [4] § 2. — [5] Tom. 11. Bib. p. 449.

Sophronius quoque in Synodica supra citata, « (1) Ideo, *inquit*, ex divinitate, et humanitate, et ex duabus naturis Christum nominantes, eumdem Deum et hominem, et biformem, et duplicem secundum naturas prædicamus. »

Cui Constantinus Pogonatus imperator assentiens, edicto illo, quod in eadem synodo probatum, publiceque propositum est, « (2) Simplex, *ait*, cum esset Verbum, secundum divinam, paternam, et sempiternam generationem, duplex processit secundum maternam, et temporalem, et corpoream generationem. »

IX. Atenim duplicem esse Christum negat Cyrillus in epistola ad Nestorium [1], in defensione anathematismi quarti contra Orientales [2]; et in excerptis libri septimi et octavi in Joannem [3], ubi eadem verba repetit : facilis est ad hoc responsio. Nam duplicem intelligit persona, et hypostasi, non natura, ut ex antecedentibus discimus. Sic autem scribit : « (3) Voces autem salvatoris nostri, quæ in Evangelio leguntur, nec in hypostases duas, nec in personas dividimus. Non enim duplex est unus ille, ac solus Christus tametsi duabus, et diversis ex rebus constare intelligatur. » Quemadmodum homo ex anima et corpore conflatus, non duplex est, sed unus ex ambobus, ait ibidem : hoc est non homo duplex est, vel persona duplex. Ita Maximus in definitione fidei ad Joannem cubicularium ait, « (4) non esse duplicem hypostasi, sive persona. » Quo etiam modo intelligendus est Cassianus in libro quinto de Incarnatione, capite septimo, ubi « id omni modo ab apostolis cautum esse » dicit, « ne aliqua videretur in Christo esse divisio : et unitus in filio hominis Filius Dei inciperet per erraticas interpretationes duas habere personas ; ac per pravas, et impias opiniones, qui esset scilicet in se unus, duplex fieret in nobis. »

Verissimam esse nostram illam interpretationem confirmat Flaviani locus ab Anastasio Sinaita citatus in libro, qui Ὁδηγὸς inscribitur, ex tomo dogmatico ad Leonem papam. Ibi enim apostolicam, et evangelicam auctoritatem, quæ de Emmanuele tradita est, bifariam ait dividi ; « (5) ut partim singularem ipsius personam esse testetur, partim naturas duas. Nam et erat, et est duplex unus, et solus Jesus, et Christus : ac duplex ejus ratio, non ante, sed post inexplicabilem unitionem. Perfectus idem, ut in divinitate, sic in humanitate. »

Declarat hoc idem anonymus quidam in opusculo, in quo de Eutyche agit, et Jacobitarum hæresi. Ubi « (6) orthodoxam, et catholicam Ecclesiam profiteri » dicit, « Dominum nostrum Jesum Christum unam hypostasim esse compositam ex duabus naturis, divinitate, et humanitate; et has ipsas conservare naturas duas inconfusas, inconvertibiles, immutabiles. Duplicem enim profitemur ipsum, nempe Deum, et hominem. »

(1) In act. 11. Syn. sex. pag. 167. Καὶ διὰ τοῦτο ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ ἐκ δύο φύσεων τὸν Χριστὸν ὀνομάζοντες, καὶ Θεὸν τὸν αὐτὸν καὶ ἄνθρωπον, καὶ διφυᾶ, καὶ διπλοῦν κατὰ τὰς φύσεις κηρύττομεν.

(2) CONST. act. 18. pag. 290. Ἁπλοῦς γὰρ ὢν ὁ Λόγος κατὰ τὴν θείαν, καὶ πατρικὴν, καὶ ἀΐδιον γέννησιν, διπλοῦς προῆλθε κατὰ τὴν μητρικήν τε, καὶ χρονικὴν, καὶ ἐνσώματον γέννησιν.

(3) CYR. epist. ad Nestor. Τὰς δέ γε ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν φωνὰς οὔτε ὑποστάσεσι δυσὶν, οὔτε μὴν προσώποις καταμερίζομεν. Οὐδὲ γὰρ ἐστι διπλοῦς ὁ εἷς, καὶ μόνος Χριστὸς, κἂν ἐκ δύο νοῆται, καὶ διαφόρων πραγμάτων.

(4) MAXIM. in opusc. nondum edito, οὐ διπλοῦν δὲ τὴν ὑπόστασιν, ἤτοι τὸ πρόσωπον.

(5) FLAVIAN. apud Anast. pag. 194. Πῇ μὲν τὸ μοναδικὸν αὐτοῦ δηλοῦσα πρόσωπον, πῇ δὲ, τὰς δύο αὐτοῦ μαρτυροῦσα φύσεις. Καὶ γὰρ ἦν, καί ἐστι διπλοῦς ὁ εἷς καὶ μόνος Ἰησοῦς καὶ Χριστός· καὶ διπλοῦς ὁ ἐπ' αὐτῷ λόγος, οὐ πρὸ τῆς ἑνώσεως, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἄφραστον ἕνωσιν· τέλειος ὁ αὐτὸς ὥσπερ ἐν θεότητι, οὕτω καὶ ἐν ἀνθρωπότητι.

(6) Anon. nuper editus. Καὶ ἡ μὲν ὀρθόδοξος, καὶ καθολικὴ ἐκκλησία δοξάζει τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μίαν ὑπόστασιν εἶναι σύνθετον ἐκ δύο φύσεων, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος. Καὶ ταύτας τὰς δύο φύσεις φυλάττειν ἀσυγχύτους, ἀτρέπτους, ἀναλλοιώτους. Διπλοῦν γὰρ τοῦτον ὁμολογοῦμεν, ἤγουν Θεόν τε, καὶ ἄνθρωπον.

[1] Ephes. Concil. Par. 1. p. 211.

[2] Ibid. p. 452. — [3] Pag. 667.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De quibusdam ex unitione hypostatica consequentibus ; — 1. ac primum inquiritur in sensum enuntiationis istius, Hypostasis Verbi facta est hypostasis humanæ naturæ. — 2. Recensentur aliquot auctores ita locuti. — 3. Duplex illius sensus : prior, ut hypostaseos nomen proprietatem personalem : posterior, ut *existentiam* significet ; et uterque declaratur. — 4. Duplex illa notio hypostasis illustratur. — 5. Hypostasis Christi ita naturas duas complectitur, ut divinæ propria sit ; — 6. quod paucis adstruitur. — 7. Est tamen utrique naturæ communis ; sed divinæ naturaliter convenit : humanæ vero, supra naturæ captum. — 8. Expenditur Leonis papæ a Petro Damiani citatus locus.

1. Uti singularis est, et exemplo carens, duarum illa naturarum in unius compositionem personæ concursio : sic plurima inde consecuta sunt incredibilia, et nova ; quorum rationem, modumque difficile est capere, verbis autem explicare multo difficilius. Ex illis nonnulla persequar deinceps, quæ ad unitionis, in cujus accuratam pervestigationem incumbimus, vim ac proprietatem declarandam non mediocre momentum allatura confidimus.

Horum primum illud est ex superioribus repetendum ; hanc cujusquemodi compositionem neque ex duabus simpliciter naturis, neque ex personis, et hypostasibus totidem esse factam : sed ex una jam subsistente natura, sive hypostasi completa, et perfecta ; et altera non subsistente, nec hypostasis habente rationem : quæ eodem temporis puncto, quo extare cœpit, et in rebus numerari, non proprio, nec sibi naturaliter debito, sed divino, et inusitato subsistendi modo coaluit. Hoc græci potissimum theologi trito illo complexi sunt usu, ac genere locutionis, cum dicunt, « Verbi et Filii hypostasim, assumptæ humanitati fuisse, vel esse factam hypostasim. » De qua formula dicendi nobis hic est agendum, deque illius sensu : qui non adeo est explicatus, ut prima specie videtur ; si hoc animo reputemus, quod alias exposuimus [1], hypostasim, ut et Latinorum *subsistentiam*, non esse nomen quod vocant *abstractum*, quo rei forma significatur ; velut modus, aut ejusmodi aliquid, quod subsistentem naturam denominat : sed *concretum* potius esse, ac naturam ipsam exprimere completam, per seque subsistentem ; sicut substantia, persona, suppositum. Quæ res vulgus interdum fallit theologorum ; qui *hypostasim* pro ea sumunt, quam *personalitatem* barbarissantes nominant. Quod non est ita : ejusque vel inde duci potest argumentum, quod Græci *hypostasim* Christi compositam ex humana esse divinaque natura, hominis vero, ex anima et corpore passim dicunt. Hoc vero de forma ipsa, modove subsistendi nemo sanus usurpet. Accedit id, quod alibi quoque demonstravi [2], græcos eosdem theologos veteres, hypostasim nihil aliud esse putare, quam individuam substantiam, quam primam vocat Aristoteles. Quamobrem cum persona, sive hypostasis Christi composita sit ex utraque natura, non satis extricatum videtur, quomodo hypostasis Verbi, quæ sine dubio est hypostasis Christi, facta sit hypostasis humanæ naturæ. Quod esset perfacile, si formam ipsam subsistendi, ut puta relationem, hoc est *filietatem* diceres, quæ divinæ naturæ *personalitas* erat, humanæ naturæ factum esse *personalitatem*.

II. Ut huic hæsitationi non ex propria conjectura satisfiat : quod in plerisque vulgo fit, ac temere, dum evadendi quoquo modo ex oppugnantium laqueis potius, quam solidæ veritatis studio laboratur : ut igitur ex antiquorum sensu ac mente, quoad licet hunc nodum solvamus, prius illorum, qui sic locuti sunt, verba ponderanda sunt.

Euthymius in Panoplia Athanasium citat, ex libro quodam contra hæreses, nominatimque Valentini : quo in libro docet, interdum Scripturas sacras dicere « (1) Filium ipsum, ac Deum esse passum, propter unam divinitatis hypostasim, quæ et humanitati facta est hypostasis. » Et in calce tituli septimi, idem Euthymius, in miscella quadam auctorum variorum illud affert : « (2) Filius Dei, et ipse

(1) Euth. Pan. par. 1. tit. 9. pag. 180. lat. edit. Αὐτὸς μὲν ὁ Υἱος, καὶ Θεὸς πεπονθέναι λέγεται, διὰ τὴν μίαν ὑπόστασιν τῆς θεότητος, ἥ τις καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει γέγονεν ὑπόστασις.

[1] Lib. 4. de Trin. c. 3. § 6.

(2) Lat. edit. pag. 149. Ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς αὐτὸς λέγεται, καὶ συλληφθῆναι, καὶ γεννηθῆναι, καὶ διδάσκειν, καὶ θαυματουργεῖν· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τὰ μὲν δράσαι, τὰ δὲ παθεῖν, καὶ ἀποθανεῖν, καὶ ἀναστῆναι, διότι αὐτὸς γέγονεν ὑπό-

[2] Ibid. c. 7. et seq.

Deus, dicitur esse conceptus, et natus, dicitur docere, ac miracula facere, et, ut uno verbo dicam, quædam agere, alia perpeti, mori et resurgere : quoniam ipse ei, quod assumptum est, hypostasis factus est, quod quia sine semine productum est, idcirco propria caret subsistentia. Cum igitur assumentis hypostasis, eadem et assumpti sit hypostasis, idem et agere dicitur, et pati, ut qui una persona sit. Agit autem quæ humana sunt, et patitur pro natura ejus, quod assumptum est. Unde et tanquam propria suscipit, quæ illius sunt propria, quod sibi copulavit; utpote cujus ipse est hypostasis, et persona : sicut ante demonstratum est. »

Sic Joannes Damascenus Verbum ait formasse sibi in Virginis utero massæ nostræ primitias, « (1) atque ipsum hypostasim fuisse carni, quia non prius existenti per sese carni est unitum. » Idem etiam in libro tertio, capite undecimo scribit [1], ubi et hoc adtexit ; hoc ipsum quod Joannes ait, « (2) Verbum carnem esse factum, significare, ipsam hypostasim Verbi, sine ulla mutatione, factam esse carnis hypostasim. »

Ita etiam Epiphanius verba illa Joannis explicat. « (3) Non enim, inquit ille, dixit : Caro facta est Verbum : ut ostenderet primum Verbum e cœlo descendisse, et in seipsum subsistentem formasse carnem ex utero sanctæ Virginis, atque omnem in sese naturam hominis perfecte finxisse. »

Insignite hoc ipsum Rusticus diaconus expressit his verbis [2] : « Super semetipsum eam fundavit, tanquam super basim quamdam, vel fundamentum, ut vera dicam. » Sic Ferrandus diaconus in epistola ad Anatolium : « Deus, *ait*, humanam sibi naturam potenter, atque ineffabiliter adunavit tanto vinculo unitatis, ut persona Verbi fieret persona carnis, et deinceps una Verbi persona esset et carnis. »

III. His omnibus ex locis duplicem colligimus sensum locutionis illius, qua Verbum, sive hypostasis Verbi dicitur facta esse hypostasis carni, humanæve naturæ. Prior est, ut hypostasis quod personæ proprium est significet, atque ita illud intelligamus : naturam ipsam divinam, qua in Verbo subsistit, communicatam esse homini assumpto, non ut natura est, sed ut natura illo modo subsistens, sive qua Filii relatione terminata subsistit. Ut cum dicimus, Filium unam esse hypostasim divinitatis, vel Patrem, Filium, et Spiritum sanctum tres esse divinitatis personas, aut hypostases, naturam ipsam in singulis cogitamus ; verum non absolute, ac per se, sed quatenus personali proprietate affecta, et quodammodo determinata est in unoquoque. Nec si quis ita loquitur, hypostasim pro sola proprietate, vel relatione accipit [3]. Non enim sola, et ab natura sejuncta, Filius est, aut Pater, prout a nobis ista considerantur ; cum alioqui reipsa non discrepent, ut alibi dictum est. Verum naturam ipsam intelligimus ea ratione, qua proprietate est affecta personæ : adeo ut notioni nostræ sit objecta natura ipsa tanquam *id quod* intelligitur ; proprietas vero, tanquam *id quo*, vel sub qua ratione cognoscitur : de quo vide omnino, quæ in sexto de Trinitate libro [4] de hac quæstione disputavimus, quemadmodum Filius imago sit paternæ substantiæ : nam ad præsentem omnino pertinent. Sic igitur Verbum factum est hypostasis naturæ humanæ, ut erat divinæ : hoc est in utraque natura cœpit subsistere, ac vicissim in illo utraque. Vel humanam naturam proprietate sua personali sustentare deinceps, ac terminare cœpit, uti divinam hactenus definiebat.

Alter sensus est, ut ὑπόστασις pro *extantia*, sive *existentia* simpliciter accipiatur ; hoc est pro modo illo, quo res quælibet in rerum naturam producta, quæ potentia sola erat hactenus, reipsa et *actu* consistit : vel inhærendo alteri, si e genere est accidentium ; vel per se, et ἰδιοσυστάτως, si sit substantia, maxime perfecta, ut hypostasis, et suppositum dici me-

στασις τῷ προσλήμματι, μὴ ὄντι διὰ τὸ ἄσπορον ἰδιοϋποστάτῳ. Ἐπεὶ οὖν ἡ τοῦ προσλαβόντος ὑπόστασις αὐτὴ καὶ τοῦ προσλήμματός ἐστιν ὑπόστασις, αὐτὸς λέγεται καὶ ἐνεργεῖν, καὶ πάσχειν, ὡς ἓν πρόσωπον ὤν. Ἐνεργεῖ δὲ τὰ ἀνθρώπινα, καὶ πάσχει κατὰ τὴν φύσιν τοῦ προσλήμματος. Ὅθεν καὶ οἰκειοῦται τὰ τοῦ οἰκείου, ὡς αὐτὸς ὢν ὑπόστασις αὐτοῦ, καὶ πρόσωπον, ὡς δεδήλωται.

(1) Damasc. lib. 3. cap. 2. pag. 167. Αὐτὸς ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος χρηματίσας τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. Οὐ γὰρ προϋποστάσῃ καθ' ἑαυτὴν σαρκὶ ἡνώθη ὁ Θεὸς Λόγος. Mox : Ἀπαρχὴν προσλαμβανόμενος τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος, αὐτὸς ὁ Λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις : et cap. 7. pag. 193.

(2) Id. lib. 3. cap. 11. Τὸ δὲ σάρκα γενέσθαι τὸν Λόγον, αὐτὴν τὴν τοῦ Λόγου ὑπόστασιν ἀτρέπτως γενέσθαι τῆς σαρκὸς ὑπόστασιν : quod et cap. 12. pag. 211. docet.

(3) Epiph. hær. 77. pag. 1024. Οὐ γὰρ εἶπεν, ἡ σὰρξ Λόγος ἐγένετο· ἵνα δείξῃ πρῶτον Λόγον ἀπ' οὐρανῶν ἐλθόντα, εἰς ἑαυτὸν δὲ ὑποστήσαντα τὴν σάρκα ἀπὸ τῆς μήτρας τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ πᾶσαν τὴν ἐνανθρώπησιν τελείως εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον.

[1] Pag. 206. et 207. — [2] Tom. 4. Bib. col. 816. B. — [3] Vide quæ tom. 1. l. 2. c. 3. et 4. dixi.

[4] Tom. 2. lib. 6. c. 6. § 7. et seq.

reatur. De hac τῆς ὑποστάσεως duplici significatione copiose disseruimus in quarto libro de Trinitate [1]. Atque ex hac posteriori sic enarranda est illa sententia; cum dicimus hypostasim Verbi factam esse hypostasim humanæ naturæ, ut hoc velimus, naturam nostram non aliter extitisse tum absolute, tum eo modo, qui substantiæ congruit, quam in Verbo, et per Verbum. Quippe hoc illi Verbum per subsistendi proprietatem suam contulit, ut et ipsa subsisteret, ac tum esset *ens*, ut loquuntur, *actu*, tum *actu* quoque *subsistens*, sive hypostasis *actu*. Quamvis enim humanitas propriam habeat, ut passim vocant, *existentiam*, tamen ne puncto quidem temporis actu est, et existit, nisi subsistens in Verbo, et ejus modificata proprietate personali. Hoc modo accepisse videtur is, quem proxime laudavi, Joannes Damascenus, dum ideo asserit hypostasim Verbi factam esse hypostasim humanæ naturæ, quoniam hæc, antequam assumeretur, nullam extantiam habuit, nec in rerum natura fuit. Epiphanii quoque verba, cum ita scribit, Verbum ὑποστῆσαι εἰς ἑαυτὸν τὴν σάρκα, ad eamdem sententiam referri possunt : quandoquidem ὑποστῆσαι plerumque pro ea productione sumitur, qua res ex non existente fit existens.

IV. Euthymius vero in Panoplia disertius, quam ceteri omnes, priorem sensum explicat, cum hypostasim bifariam tribuit, ut alia sit προσωπικὴ, quæ personam, vel substantiam singularem per se cohærentem significat : alia ὑπαρκτικὴ, quæ rem simpliciter existentem indicat. Jam in Christo prioris notionis unicam esse dicit hypostasim : posterioris, duas. Græca Euthymii verba libro hujus tomi secundo descripsimus [2]: cetera, quæ illic omissa, in hunc locum distulimus, ejusmodi sunt. « (1) Præterea personalis hypostasis Christi, ambarum ipsius naturarum est hypostasis. Nam cum simplex esset, facta est composita. Ac divina quidem natura propria subsistentia constat; humana vero neque non subsistens est, neque propria ope subsistens, sed in alio subsistens: quoniam in divina subsistit. » De ἐνυποστάτῳ dixi in quarto libro de Trinitate [3], quæ ad hunc locum pertinent, et utiliter inde repetentur : uti rursus postea nobis faciendum erit, cum de naturæ humanæ in Christo conditione disputabimus.

V. Proximo ab illis loco de hypostasi Christi unica considerandum istud est, ab quibusdam theologorum veterum notatum : hypostasim Christi ita duas naturas continere, ut solius divinæ propria dicatur. Quæ observatio latissime patet : atque ex ea rationem postea ducemus, cur sanctissima Virgo proprie θεοτόκος, id est *Dei genitrix*, appellari debeat. Sic Euthymius ex antiquorum Patrum dictis in calce tituli septimi refert, cum de θεοτόκῳ agit : « (2) Hypostasis, *inquit*, assumptæ naturæ divina erat : tum quod assumptum est, ex unitione ipsa Deus est factum. »

De hoc loquendi genere *Deum fieri*, quod est θεωθῆναι, suo loco dicemus. Interim animadvertenda ratio est, ex qua constet, hypostasim Christi esse peculiarem divinæ naturæ : quod videlicet, nisi esset ejusmodi, Christus, qua hic homo, Deus non esset. Nam non aliter homo statum quodammodo mutat, et in Deum transit re, appellationeque ipsa; nisi quia divinæ hypostasis natura humana, et per sese creata, fit particeps. Cum igitur ab hypostasi Verbi natura hominis hoc habeat, ut et subsistens sit, et Deus : necesse est hypostasim, sic tanquam formam, a qua divinam illam conditionem accipit, esse divinam.

VI. Hoc ipsum sequitur ex communi illa Catholicorum sententia apud antiquos testatissima, qui hypostasim Christi, licet alioqui compositam nominent, unam tamen et singularem, hoc est μοναδικὴν appellant, ut in antecedenti capite docui. Ut inter alios Sophronius Hierosolymitanus patriarcha, vir peræque sanctus et eruditus, in epistola synodica ad Sergium, « (3) unam hypostasim Christi compositam, et singularem » vocat.

Theodorus item Abucaras in Opusculo secundo : « (4) Hoc, *inquit*, maxime animadver-

(1) EUTH. Panop. par. 2. tit. 15. pag. 622. Ἄλλως τε ἡ τοῦ Χριστοῦ προσωπικὴ ὑπόστασις ἀμφοτέρων αὐτοῦ τῶν φύσεων ἐστὶν ὑπόστασις. Ἁπλῆ γὰρ οὖσα γέγονε σύνθετος· καὶ ἡ μὲν θεία αὐτοῦ φύσις ἰδιοϋπόστατος· ἡ δὲ ἀνθρωπίνη οὔτε ἀνυπόστατος, οὔτε ἰδιοϋπόστατος, ἀλλ' ἐνυπόστατος, ὡς ἐν τῇ θείᾳ ὑποστᾶσα.

(2) EUTH. Ἄλλως τε καὶ ἡ τοῦ προσλήμματος ὑπόστασις θεία ἦν. Καὶ τὸ πρόσλημμα δὲ ἐξ αὐτῆς ἐνώσεως ἐθεώθη.

(3) In Syn. sex. act. 11. pag. 170. F. Καὶ τῆς μιᾶς αὐτοῦ συνθέτου, καὶ μοναδικῆς ὑποστάσεως.

(4) ABUC. tom. 11. bib. PP. p. 383. F. Τοῦτο δὲ μάλιστα δεῖ γινώσκειν ὑμᾶς, ὦ φιλομαθέστατοι, ὡς ἡμεῖς οἱ ὀρθόδοξοι τὸν Χριστὸν εἶναι μίαν σύνθετον ὑπόστασιν λέγοντες, οὐχ ἑτέραν παρὰ τὴν τοῦ ἀϊδίου Υἱοῦ νοοῦμεν ὑπόστασιν, τὴν μίαν οὖσαν τῆς Τριάδος.

[1] Cap. 1. et seq. vide et lib. 2. c. 3.

[2] Cap. 3. § 4. — [3] Cap. 7. § 12.

tendum est vobis, o studiosissimi viri! nos orthodoxos dicentes Christum esse unam hypostasim compositam, non aliam intelligere, præter sempiterni Filii hypostasim, quæ est una de Trinitate. »

Quibus verbis alterum nobis auctoritatis genus aperit, multorum Patrum usu contritum; qui personam, sive hypostasim Christi unam esse de Trinitate dixerunt: de quo pluribus agemus postea. Nunc illud sumimus: ex illa loquendi forma consequens esse, ut persona Christi divina censeatur; alioqui non esset una de tribus personis, propterea quod personas omnes divinas oportet esse.

Accedet et Maximus martyr, theologus imprimis doctus, et acutus: qui in Opusculo capite superiori citato, ita scribit: « (1) Propterea Deus simul et homo unus idemque re, non appellatione sola esse cognoscitur. Non est autem hypostasi sive persona duplex quippiam; quod unus et idem et ante susceptam carnem, et cum carne permanserit, nulla ad sanctissimam Trinitatem ex incarnatione Verbi, vel accessione, vel de ea decessione facta. »

VII. Quod autem propriam esse dixi divinitatis, hypostasim Christi, non sic intelligendum est, tanquam non sit etiam humanæ naturæ hypostasis, hoc est non ei tribuat, quod hypostasi convenit; ut sit subsistens, et ultimum complementum habeat, quod prima individuaque substantia requirit. « Nam in Christo Deus est persona, et homo est persona: nec tamen duæ sunt, sed una persona, » ut ait Anselmus libro de incarnatione Christi capite quinto. Sed illud tantummodo volumus, non humanam, neque creatam, sed divinam, et increatam hypostasim esse, quæ soli divinitati naturaliter competit; ut ad eam extra ordinem, supraque captum, et conditionem suam applicetur natura hominis, et excellentiore, quam ipsa postulet, modo, hoc est communi cum divina natura proprietate subsistat.

Nam alioquin humanæ quoque, et utriusque adeo naturæ, una et communis censetur hypostasis. De quo Joannes Damascenus audiendus est: « (2) Eadem, *inquit*, hypostasis Verbi ambarum facta naturarum hypostasis; nec earum aliquam non subsistentem esse patitur: neque porro diversa ab altera sinit hypostasi subsistere. Non hæc alias hujus est, alias illius; sed ambarum semper, absque divisione, ac separatione ulla, est hypostasis: non partita, nec divisa; tanquam partem sui, naturæ isti, partem alteri tribuat: verum individue, integreque tum hujus est tota, tum illius. »

Rursus idem Joannes Damascenus: « (3) Hypostasis, *ait*, Dei Verbi ante Incarnationem simplex erat, et non composita, incorporea item, et increata. Eadem vero incarnata facta est hypostasis carni: et composita deinceps fuit ex divinitate, quam semper habuit, et carne, quam assumpsit: atque ita naturarum fert duarum proprietates, in duabus cognita naturis. » Ergo eadem, uti dicere pergit, creata simul est, et increata, visibilis, et invisibilis: et contrariis prædicatis, ac denominationibus afficitur: quandoquidem singularum naturarum proprietates in totam hypostasim refusæ de eadem affirmantur. Quod quidem iterum postea declarabitur.

VIII. Petrus Damiani in Opusculo primo, capite nono, Leonis papæ memorabilem sententiam refert, ut assumptam a Filio Dei naturam hominis, non personam, probet. « Hic, ait Leo [1], mirabilis sacræ Virginis partus vere humanam, vereque divinam unam edidit in prole personam: quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum possit in iis esse discretio. » Atqui in sermone Leonis tertio de natali Christi, unde verba ista translata sunt, ita leguntur: « Hic mirabilis sacræ Virginis partus vere humanam, vereque divinam unam edidit prole naturam. » Ac fieri potest, ut aliter in suo codice Petrus Damiani scriptum habuerit. Et ad mentem, ac propositum ipsius attinebat, « personam » dici « humanam simul et divinam in una eademque prole editam fuisse. » Nam revera utriusque

(1) MAXIM. ad Joan. cubicul. Διὸ καὶ Θεὸς ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς πράγματι, καὶ οὐ κλήσει μόνῃ ὑπάρχων γινώσκεται. Οὐ διπλοῦν δὲ τὴν ὑπόστασιν, ἤτοι τὸ πρόσωπον, διὰ τὸ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν καὶ πρὸ σαρκὸς εἶναι, καὶ μετὰ σαρκὸς μεμενηκέναι, μηδεμιᾶς γενομένης προσθήκης τῇ ἁγίᾳ Τριάδι, ἢ ὑφαιρέσεως, ἐκ τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως.

(2) DAMAS. lib. 3. cap. 9. Ἡ αὐτὴ γὰρ τοῦ Λόγου ὑπόστασις ἀμφοτέρων τῶν φύσεων ὑπόστασις χρηματίσασα, οὔτε ἀνυπόστατον αὐτῶν μίαν εἶναι συγχωρεῖ· οὔτε μὴν ἑτερυπόστατους ἀλλήλων εἶναι παραχωρεῖ. Οὐδὲ ποτὲ μὲν τῇδε, ποτὲ δὲ ἐκείνης, ἀλλ' ἀεὶ ἀμφοτέρων ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχει ὑπόστασις, οὐ μεριζομένη, καὶ διαιρουμένη, καὶ μέρος μὲν ἑαυτῆς, τῇδε, μέρος δε τῇδε διανέμουσα· ἀλλὰ πᾶσα ταύτης, καὶ πᾶσα ἐκείνης ἀμερῶς, καὶ ὁλοσχερῶς ὑπάρχουσα.

(3) Ibid. lib. 4. cap. 5. Ἡ ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸ τῆς σαρκώσεως ἁπλῆ ἦν, καὶ ἀσύνθετος, καὶ ἀσώματος, καὶ ἄκτιστος. Σαρκωθεῖσα δὲ αὕτη γέγονε καὶ τῇ σαρκὶ ὑπόστασις, καὶ γέγονε σύνθετος ἐκ θεότητος, ἧς ἀεὶ εἶχε, καὶ ἐξ ἧς προσείληφε σαρκὸς, καὶ φέρει τῶν δύο φύσεων τὰ ἰδιώματα, ἐν δυσὶ γνωριζομένη ταῖς φύσεσιν.

[1] Leo Ser. 3. de Nativ. c. 1.

fuit. Nihilominus etiam naturas ambas edidisse una prole B. Virgo merito dicitur, ut suo loco demonstrabitur ; et *naturam* potius, quam *personam*, Leonem scripsisse, consequens arguit oratio.

Nunc illud enucleandum est, quinam possit eadem persona Verbi ex duabus dici composita naturis ; et tamen singularis, eaque divina censeri ; cui nihil additum fuerit ; ut divina saltem ex toto esse desineret, sed partim humana, partim divina potius haberetur. Tum qua ratione ita sit propria divinitatis ; ut ei sit cum humanitate communis. De hoc vero, ne longius præsens caput excrescat, in sequenti respondebitur.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Quinam fiat, ut hypostasis, seu persona Christi composita sit ex divina, et humana natura ; et tamen propria sit solius divinitatis. — 1. Ad hoc explicandum repetuntur breviter quæ de hypostaseos propria conditione alibi explicata sunt ex opinione Patrum. — 2. Differentia hypostaticarum, et naturalium proprietatum. In individuis diversæ speciei, hypostaticas pro naturalibus haberi. — 3. Inter individuorum, et hypostaseon proprietates accidentes a Porphyrio, et antiquis Patribus constitutas, esse aliquam substantivam, nempe extantiam, et modum existendi ; qui in divinis est relatio. Ex quo proposita quæstio dissolvitur : docenturque ideo hypostasim Christi esse divinam, quia est *filietas*, qui modus subsistendi prorsus est divinitatis proprius. — 4. Hinc Patres pervicisse dicunt potiorem substantiam, eam quæ inferior est. — 5. Sancti Thomæ Aquinatis de hypostasi Christi ad eamdem rem observatio pulcherrima. — 6. Quid sit habere, et quatenus Verbum naturam habet humanam ; unde ejus est hypostasis.

I. Postulat hoc enodandæ hic a nobis natura quæstionis, ut paululum repetendo illa libemus, quæ alibi copiosius explicata sunt, de proprietatibus, quas et *individuantes*, et *hypostaticas* antiqui Patres esse censuerunt, præcipue græci. Id enim quam instituto nostro sit meminisse necessarium, res ipsa monstrabit. *Individuam substantiam*, quam *primam* appellavit Aristoteles, quamque nec ipse a persona, vel hypostasi distinxit ; nec antiquiores fere theologi ; iidem confici volunt, et quodammodo componi, ex natura, quam infimam speciem esse statuunt, et proprietatibus quibusdam, quarum concursu, et conglobatione communis natura determinatur, et fit una numero, ac singularis. Eas vero proprietates constare ex accidentium multitudine in unum coeuntium, non solum Porphyrius in capite de Specie, sed etiam Christiani sapientes agnoscunt, allati a nobis in quarto libro de Trinitate [1] ; ubi ex professo de istis egimus.

Ac sententiam illorum sic interpretandam duximus [2], ut ex illis proprietatibus, quæ vere accidentia sunt, ea non tam formæ sint habendæ, substantias constituentes individuas, quam earum *indices* ac *notæ*, sic tanquam γνωριστικὰ ἰδιώματα vocentur, quibus non tam constant, quam ad illas discernendas, et dignoscendas sensum nostrum et intelligentiam dirigunt.

Sunt autem ex istarum numero proprietatum aliquæ, quæ χαρακτηριστικαὶ, et οὐσιώδεις appellari mereantur : velut est οὐσιώδεις, sive *extantia* singularis, quam *existentiam* vulgo nominant, certa ratione modificata, affectaque modo illo, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως, id est *modum existendi*, complures græcorum Patrum, iidemque doctissimi nuncupare solent. Hanc prorsus hypostasis, sive personæ propriam esse formam, vel, ut loquuntur, *formalem causam*, accurate illo in libro disputavimus. Quam eamdem divinis in personis esse relationem illic insuper ostendimus [3].

II. Nunc Joannis Damasceni quidam commemorandus est locus. Qui eadem illa imbutus opinione, quam Christianos theologos arripuisse dixi media ex philosophia, *proprietates*, sive ἰδιώματα quibus substantiæ constant, duorum generum facit in libro *de duabus Christi voluntatibus, et actionibus* [4]. Alia vocat φυσικὰ ἰδιώματα, id est *naturales proprietates*, alia ὑποστατικὰ, id est *hypostaticas*, sive *personales*, in substantiis intelligentibus. Priores sunt, quarum collectio naturam constituit, et distinguit ab ceteris. Posteriores vero, quarum itidem coacervatio hypostasim componit, ac secernit ab reliquis. Ea porro χαρακτηριστικὰ, συστα-

[1] Cap. 7. et seq. — [2] Ibid. c. 7. § 8.

[3] Cap. 10. et seq. — [4] Dam. p. 468.

τικὰ, et ἀφοριστικὰ nominat ἰδιώματα, « quibus velut propriis characteribus, et notis constituitur et distinguitur : » cujusmodi esse dicit accidentia, quæ ὑπουσιώδη vulgo ait appellari, quasi *substantivas* proprietates.

Subjicit illud attentiori animadversione dignum, ex duplici illo genere proprietatum, posteriores, quæ sunt ὑποστατικαὶ, ac singulares, si in individuis diversæ speciei considerentur, in naturales transire. Quippe individuas diversarum specierum substantias non conferri inter se, qua hypostases sunt, sive individua, sed ut naturæ sunt. « (1) Itaque proprietates, exempli gratia, Petri, si cum hoc bove comparentur, naturam potius, quam hypostasim determinant. Non enim dicimus differre hunc hominem ab hoc equo, quod ille sit calvus, iste bene comatus : neque quod ille longus, hic contractus sit. Sed quod alter ratione præditus sit, alter vero sit rationis expers. Neque dicimus ideo distare, quod unus sit illius filius, alter istius. Nam si hoc dixerimus, illum Nestoris esse filium, hunc equi : vel illum sapientem, alterum carentem sapientia; tum vero naturales differentiæ ponentur. Etenim hypostaticæ differentiæ hominum ad hypostaticas differentias equorum naturales æstimantur. » Ex quo ita concludit; si in Christo Domino corporis figuram, et lineamenta vultus ; tum quod Virginis sit filius ; si hæc, inquam, et similia hominis propria cum eo contendas, quod Dei filius, ac figuræ sit expers, cumque reliquis, quæ Deo conveniunt, non jam hypostases discernere, sed naturas. Hæc Joannes Damascenus.

III. Dixi in illa collectione proprietatum, sive accidentium, quibus individua constitui veteres arbitrati sunt, quædam οὐσιώδη id est *substantiva*, videri, quæ individuarum, sive substantiarum primarum componentia sunt. Ut in personis divinis, relationes, atque in Filio nimirum habitudo illa, quam *filietatem* nominant. Ea proprietas relativa cum natura communi conjuncta, prout animo ista percipimus, personam Trinitatis secundam constituit : quæ hac affecta proprietate, tanquam forma, subsistens efficitur, et hypostasis, ac persona. Eadem porro naturam sibi alteram adjungens, cum eaque formam illam suam, et personalem proprietatem communicans, unam secum hypostasim ac personam facit, qui unus est filius, isque Dei. Quocirca *filietas* divina, cum hypostatica sit forma, cuicumque tandem applicatur, idipsum divinam hypostasim, Deique filium efficit. Unde natura hominis ad illius hypostaticæ proprietatis communionem assumpta, divinam transit in personam, ac Dei Filium. De quo accuratius dicam, cum de Christo, qua filius est in utraque natura, disseretur.

Nunc illud tenemus; quod ad propositæ quæstionis disceptationem propius pertinet; apparere jam ex dictis, cur persona Christi, etsi duabus ex naturis composita dicatur, una nihilominus et quidem divina sit. Nam cum in hypostasi qualibet, sive persona, duo quædam λόγῳ θεωρητὰ, id est cogitatione distincta reperiantur : alterum *quod* est, alterum *quo* est : horum prius est natura, posterius forma, sive personalis proprietas, hoc est ἰδίωμα, quo certa persona constituitur. Ab hac vero proprietate, tanquam forma, capit hoc hypostasis, tum ut hypostasis sit, tum ut una sit hypostasis. Siquidem *unitas* propria est *entis* affectio. Ab eodem itaque res quælibet accipit ut sit unum, a quo uti sit ens tale sortitur. Quemadmodum igitur ex eo quod naturæ duæ sunt in Christo perfectæ, minimeque confusæ ; ab his, velut ab geminata *formali causa*, duplex Christus, ac geminus dicitur, proximeque Deus et homo nominatur, non unum aliquid ex duabus conflatum tertium : quia nullam hujusmodi habet in se formam, a qua denominatio ista proficiscatur. Ita cum unica sit in eodem Christo *forma*, id est proprietas, quæ hypostasim facit, nimirum *filietas* divina ; quamvis plures ei naturæ subjectæ sint, eaque quodammodo formatæ, nonnisi una orietur hypostasis, ac persona ; nec alia quam divina, hoc est Dei filius : adeo ut qualiscumque tandem compositi istius τὸ ὑποκείμενον, sive *materia* ipsa sit duplex, forma vero, et quod ex ipsa sequitur, nonnisi sit unum. Sequitur autem hypostasis, et persona, sive Dei Filius, tanquam proprium,

(1) DAMAS. pag. 468. Φύσις μὲν γὰρ φύσει συγκρίνεται, καὶ φύσεως διαφέρειν λέγεται, ἤτοι εἴδος εἴδους, ταῖς οὐσιώδεσι, καὶ φυσικαῖς διαφοραῖς. Ὡσαύτως ὑπόστασις ὁμοειδεῖ ὑπόστασει συγκρίνεται, καὶ διαφέρειν τῶν ὁμοειδῶν ὑποστάσεων λέγεται τοῖς τῶν ὑποστάσεων χαρακτηριστικοῖς ἰδιώμασι. Οὐ μὴν ὑπόστασις ἑτεροειδεῖ ὑποστάσει συγκρίνεται ὡς ὑπόστασις. Τὰ γὰρ ὑποστατικὰ τοῦ Πέτρου τυχὸν ἰδιώματα, πρὸς τόνδε τὸν βοῦν συγκρινόμενα, φύσιν μᾶλλον ἀφορίζει, καὶ οὐχ ὑπόστασιν. Οὐ γὰρ λέγομεν διαφέρειν τόνδε τὸν ἄνθρωπον τοῦδε τοῦ ἵππου, ὅτι ὁ μὲν φαλακρὸς, ὁ δὲ εὐχαίτης· οὐδὲ ὅτι ὁ μὲν μάκρος, ὁ δὲ κολοβός. Ἀλλ' ὅτι ὁ μὲν λογικὸς, ὁ δὲ ἄλογος. Οὐδὲ ὅτι ὁ μὲν υἱὸς τοῦδε, ὁ δὲ τοῦδε. Ἃ δὲ εἴπωμεν, ὅτι ὁ μὲν υἱὸς Νέστορός ἐστιν, ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἵππου, καὶ ὁ μὲν σοφὸς, ὁ δὲ ἄσοφος, φυσικαὶ διαφοραὶ τάττονται. Αἱ γὰρ ὑποστατικαὶ διαφοραὶ τῶν ἀνθρώπων πρὸς ὑποστατικὰς διαφορὰς ἵππων φυσικαὶ λογίζονται.

et, ut vocant, formale illius effectum. Quare tum una Christi est hypostasis, tum ea merito divina censetur, ratione duntaxat subsistentiæ, quamvis si naturam consideres, appellari etiam humana possit.

IV. Hinc Theodorus Abucaras superiori capite citatus [1] hypostasim Christi non aliam esse scribit, quam sempiterni Filii, unamque de Trinitate: quæ eadem est ante, et post Incarnationem, ut ibidem ex Maximo docuimus.

Indidemque est orta locutio trita veterum usu quorumdam, in illa naturarum copulatione, compositioneque Christi, quod præstantius est, pervicisse id, quod erat inferius et imbecillius, in seque quodammodo transtulisse. Ita Gregorius Nazianzenus Oratione 37. « (1) Factus est unus, *inquit*, eo, quod melius est, superante, ut et ego tantum Deus efficiar, quantum ille factus est homo. » Quam locutionem complures imitati sunt. Sic Andreas Cretensis in oratione de Transfiguratione, « (2) in inconfusa unitione factum esse » dicit, « ut illud pervinceret, quod est excellentius: vel ut magis proprie loquar, extitit inexplicabilis illa in Deum transformatio. » Et Cyrillus Alexandrinus, « (3) Natura, *inquit*, Verbi humanitatem assumens, non nuda est humanitas: sed potius assumptam naturam propria gloria superans, in divini splendoris inconcussa possessione persistit. » Arnobius item in disputatione cum Serapione ex Hilario [2]: « Deus filius hominis factus est Deus; non Deus factus est homo; et filius hominis factus est Filius Dei. Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ, ita ut ipsa forma servilis, quam assumpsit, cessaret esse servilis, per eum Dominum, qui eam assumpsit. » Qui locus postea declarabitur.

V. Præclare hanc omnino singularis mysterii admirabilitatem declarat, illustratque Scholæ princeps Aquinas in compendio Theologiæ [3]: quem locum attuli in libro tertio de Trinitate [4]: ubi inter alia « personam se tenere *ait*, ex parte divinæ naturæ, » eo quod ipsa jam integra, et per se subsistens sibi alteram adjunxit. Quod exemplo probat substantiæ, et accidentis. Nam « subjectum et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur. Unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam; quod est persona, hypostasis, et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis; » et alibi.

Idem pluribus, et luculentius explanat in opusculo contra Græcos, et Armenos, capite sexto. Ibi primum docet, Deum hominem ita dici factum, ut non conversus sit in hominem; sed « ut efficacia suæ virtutis naturæ humanæ sit unitus. » Tum animadvertit, id unumquodque maxime videri esse, quod in ipso principium est. Nam omnia maxime ad principium adhærescunt, « et ab eo quodammodo assumuntur, inquantum id quod est principium, aliis utitur secundum suam dispositionem. » Sic in civitate principes civitatis totius instar habentur. Sic in hominis structura, licet constet ex anima, et corpore, « principalius tamen, ait ille, videtur homo esse anima, quam corpus, quod animæ adhæret, et quo anima utitur ad operationes animæ congruentes. Sic ergo et in unione Dei ad creaturam, non trahitur Deitas ad humanam naturam; sed humana natura a Deo assumitur, non quidem ut convertatur in Deum, sed ut Deo adhæreat; et sunt quodammodo anima et corpus sic assumpta, anima et corpus ipsius Dei: sicut partes corporis assumptæ ab anima, sunt quodammodo ipsius animæ membra. » Quanquam, ut recte admonet, non usquequaque quadrat similitudo illa compositi ex anima et corpore hominis, maxime vero, quod etsi anima corpore sit perfectior, non tamen integram in se naturæ humanæ perfectionem complectitur. Ideo sic illi corpus accedit, ut ex ambobus una hominis natura compleatur; quod in Christo minime accedit, ut supra memini.

VI. Hinc idem colligit, Filium Dei divinam habere dici naturam et humanam. « Quod enim principalius est, *inquit*, id semper habere dicitur; quod autem minus principale, haberi. » Velut totum aliquod, ut homo, partes habere dicitur, manus, et pedes: non autem vicissim

(1) Nazianz. orat. 37. pag. 575. num. 87. Καὶ γέγονεν εἷς τοῦ κρείττονος ἐκνικήσαντος· ἵνα γένωμαι τοσοῦτον Θεὸς, ὅσον ἐκεῖνος ἄνθρωπος.

(2) Andr. pag. 39. Διὰ τὴν ἀσύγχυτον ἕνωσιν, καθ' ἣν καὶ τοῦ κρείττονος ἡ ἐκνίκησις· ἤ, τό γε κυριώτερον εἰπεῖν, ἡ ἀνεκλάλητος θέωσις.

(3) Cyr. dial. de Incarn. tom. 5. pag. 701. et in libro ad Theod. in Eph. syn. pag. 42. tom. 2. Conc. Προσλαβοῦσα γὰρ ἡ τοῦ Λόγου φύσις τὸ ἀνθρώπινον, οὐκ ἀνθρωπότης ἐστὶ ψιλὴ, νικῶσα δὲ μᾶλλον ἰδίᾳ δόξῃ τὸ προσληφθὲν, ἐν ἀκλονήτῳ σώζεται διαμονῇ τῆς θεοπρεποῦς εὐκλείας.

[1] § 6. — [2] Pag. 548. — [3] Cap. 202. — [4] Cap. 3. § 12.

manus, vel pedes habent hominem. Quo et illud vulgatum referri potest, quod philosophus nescio quis usurpasse dicitur [1], ἔχω τὴν Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. Hujusmodi enim ille utitur exemplo viri ac mulieris, qui se habere mutuo dicuntur. Aristoteles in quarto libro Metaphysicæ varios usus recenset verbi illius in capite vicesimo tertio: quos quidem alibi, hoc est in libro Categoriarum capite ultimo, octo numerat. Primus ad qualitatem spectat, ut cum dicimus, habere aliquem scientiam, aut virtutem. Secundus ad quantitatem, ut habere longitudinis tres pedes, aut cubitos. Tertius est categoriæ ultimæ, ac decimæ, quæ est *habendi*. Hanc definit Ammonius, ut sit (1) *substantiæ circum substantiam positio:* ut cum vestem habere, aut loricam dicimur. Quartus est, cum in parte aliquid habemus; velut anulum in digito. Quintus, quo partem habet totum, ut homo pedem, aut manum. Sextus est, cum vas habere aquam dicitur, quam continet. Septimus, quo agrum, vel domum habemus; quæ possessio dicitur. Octavus, quo conjuges mutuo se habent. Quem postremum, omnium esse alienissimum ait Aristoteles: hoc est minime omnium *habendi* rationem præ se ferentem: eo quod, ut adnotavit Ammonius, non solum habere alterutrum, sed haberi etiam dicitur. At occurrit idem Ammonius, et hoc nihilo valere magis asserit in *habendi* postremo genere, quam in septimo: ubi non minus ager dominum habet, quam habetur ab ipso. Sic et servus et vestis vicissim dominum habent, ac partes ipsæ quoque perinde totum habere dicuntur, ac totum partes eas, ex quibus componitur.

VII. Verum minus proprie vel hominem habere vestis dicitur, vel partes habere totum: et cum utrumque hoc usurpatur, vox *habere* in passivam notionem resolvitur. Nam ideo vestis habet hominem, quod habetur ab homine: et pes, aut manus habent eumdem hominem, quoniam habetur ab homine, et in ejus corpore, id est in toto continentur. Ita servum habere dominum, nihil aliud interpretamur, quam in jure, et potestate esse domini: hoc est haberi et contineri; quod græcum verbum κρατεῖν significat, a quo παντοκράτωρ, quasi *omnitenens*, qui sub imperio, ac nutu suo habet et continet universa, ut alibi diximus [2]. Vere itaque scriptum est a beato Thoma, id fere dici habere aliud, quod est *principalius*. Excipit tamen imprimis *partes alicujus unius essentiales*; quippe anima et corpus perinde se habent, ut habentur a se mutuo. Tum qui matrimonio juncti sunt, vir et uxor, habere se dicuntur, et a se haberi. Ad hæc illa, quæ ex æquo ad se referuntur, ut pater, et filius. His addendum, nonnulla qualitatis instar enuntiari sic, ut haberi proprie, non habere dicantur. Ita hypostasis et persona naturam habet; non hypostasim natura. Velut in divinis Pater habet essentiam, essentia vero Patrem habere non dicitur: quod ad primum ex octo habendi modis revocari potest.

Jam in Christo Domino (pergit idem S. Thomas) cum divina, et humana natura non unam componant essentiam, et naturam, idcirco non se *habent* invicem, sed sola divinitas *habet* humanitatem. Atqui id quod naturam habet aliquam, dicitur hypostasis, et suppositum naturæ illius, sicut hypostasis equi est quod naturam habet equi. Quod si intelligentia et ratione prædita sit natura; persona etiam appellabitur. Quamobrem cum unigenitus Dei filius humanæ assumptione naturæ hanc *habeat*, merito ejusdem hypostasis et persona censetur. Est autem divinæ quoque naturæ hypostasis, quoniam et hanc *habet*, imo est idem cum ea. Quare duarum naturarum, quas *habet*, est persona. Hæc, et alia complura ibidem ab summo theologo disputantur, quibus illustrior fit, et clarior mysterii illius tractatio.

(1) Amm. in fine comm. in Categ. Κυρίως δὲ ἡ τοῦ ἔχειν κατηγορία οὐσίας δηλοῖ περὶ οὐσίαν περίθεσιν.

[1] Cic. lib. 9. ep. ad Fam. ep. 26. — [2] Tom. 1. lib. 5. c. 1. § 1. et 2.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Contra illud, quod de composita hypostasi Christi constitutum est, objiciuntur nonnulla : velut ex eo sequi divinitatem esse partem. — 2. Maximus Christum ex naturis duabus, tanquam partibus, componi dixit. — 3. Aliorum opinio negantium esse partes. — 4. Compositionem illam non fieri ex partibus proprie dictis, ubi quæ sit ratio partis exponitur. — 5. Leontius notatur haud recte de partibus sentiens. — 6. Neutrum eorum, ex quibus constat Christus, est imperfectum. Uteumque tamen de carne judicetur ; at Verbum non esse partem. — 8. Joannis Damasceni locus expenditur. — 9. Ostenditur Christi personam, licet usitato modo composita non sit, revera tamen esse. — 10. Duplex compositionis genus : unum quo partes mutuo se afficiunt, ut anima et corpus ; alterum quo una duntaxat perficitur. — 11. Hoc secundum genus simplicitati nihil officit. — 12. Explicatur, et illustratur Athanasii locus. — 13. Quid sit *συμπληρωτικὸν*. — 14. Quod dupliciter sumitur. Verbum ab assumpta natura nihil accipit. — 15. Cujus rei causa disputatur.

I. Adversus illa, quæ de composita Christi persona ex antiquorum sententia deprompsimus, quædam et ab illis ipsis objecta, explicataque sunt, et a posterioris ætatis theologis allata ; quibus istud non placet, Christi compositam esse personam. Horum contemplatio nonnihil a nobis exigit operæ ; ut hoc conflictu exagitata, et elimata veritas amplius enitescat.

Quod igitur suus cuique suggerit animus, statim atque compositam esse Christi personam audierit, idipsum est, quod in simili re tractanda, sibi Athanasius objecit. (Si est tamen auctor Athanasius opusculi illius, quod est de uno Christo ; de quo justis de causis alias dubitare me dixi.) Hoc igitur opponit : Videri ex illo sequi, « (1) partem Verbi esse corpus, et absolvere, ac complere Filii hypostasim : ut sit unus filius Dei ex ambobus compositus ; qui per sese sit imperfectus, et ad perfectionem adipiscendam indigeat corpore. » Sic apud Maxentium ita Nestorianus argumentatur [1] : « Omne compositum partibus constare nulli dubium est. Pars autem minus est quam totum. Est ergo Deus Verbum pars Christi ; quem ex divinitate, et humanitate compositum asseris. Et si Deus Verbum pars est Christi ; et Deus Verbum juxta vos minor Christo, cujus et pars est. Quod si pars Christi Deus est, quomodo Deus, si imperfectus est ? » Leontius quoque Byzantinus [2] idipsum tanquam ab Nestorianis objectum memorat.

II. Sunt ex antiquis aliqui, qui in Christo partes duas appellare non dubitant. Maximus martyr in tractatu de voce hac, *in duabus naturis*, apud Euthymium, ita nominat. « (2) In duabus naturis, *inquit*, eumdem sine ulla divisione esse credimus, tanquam in divinitate, et humanitate. Ut enim ex duabus naturis asserentes esse Christum, ex divinitate, et humanitate ipsum intelligimus, velut ex partibus totum : sic in duabus eumdem naturis dicentes esse post unitionem, in divinitate, et humanitate esse credimus, sicut totum in partibus. Porro partes Christi sunt, deitas ipsius, et humanitas, ex quibus, et in quibus subsistit. »

Idem in alio capite, quo Severi argumentum dissolvit, ex quo jam nonnulla descripsimus [3], « Hypostasim *ait* compositam illas ipsas, ex quibus componitur, naturas, velut totum proprias partes, citra defectum ullum, cum naturalibus proprietatibus, immutabiliter conservare, ac retinere ; atque in ipsis vicissim conservatam, et manentem, ut in partibus totum. »

Mox « (3) unam esse » dicit « hypostasim Christi compositam, quæ naturas istas tanquam proprias partes amplectitur : ipsas, inquam, velut proprias, et complentes partes

(1) ATHAN. pag. 520. Μέρος οὖν τοῦ Λόγου τὸ σῶμα συμπληρωτικὸν τῆς τοῦ Υἱοῦ ὑποστάσεως· ἵν' ᾖ εἷς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐξ ἀμφοτέρων συγκείμενος, καὶ ἀτελὴς ὢν καθ' ἑαυτὸν, καὶ τοῦ σωματος εἰς τελειωσιν προσδεόμενος.

(2) MAXIM. apud Euth. Pan. par. 2. tit. 15. pag. 608. Lat. Ἐν δύο φύσεσιν ἀδιαιρέτως τὸν αὐτὸν ὄντα πιστεύομεν, ὡς ἐν θεότητι, καὶ ἀνθρωπότητι. Ὥσπερ γὰρ ἐκ δύο φύσεων λέγοντες τὸν Χριστὸν, ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος ὄντα νοοῦμεν, ὡς ἐκ μερῶν ὅλον, οὕτω καὶ ἐν δύο φύσεσι λέγοντες μετὰ τὴν ἕνωσιν, ἐν θεότητι, καὶ ἀνθρωπότητι ὄντα πιστεύομεν, ὡς ὅλον ἐν μέρεσι. Μέρη δὲ Χριστοῦ, ἡ θεότης αὐτοῦ ἐστι, καὶ ἡ ἀνθρωπότης, ἐξ ὧν, καὶ ἐν αἷς ὑφέστηκε.

Ibid. pag. 610. lat. Ἐκείνας αὐτὰς τὰς ἐξ ὧν συνετέθη φύσεις, ὡς ὅλον ἴδια μέρη ἀνελλιπῶς μετὰ τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων, καὶ ἀτρέπτως φυλάττουσαν, καὶ διασώζουσαν, καὶ ἐν αὐταῖς φυλαττομένην, καὶ σωζομένην, ὡς ὅλον ἐν μέρεσιν.

(3) Ibid. Ἀλλὰ μίαν ὑπόστασιν λέγομεν Χριστοῦ σύνθετον, τούτων, ὡς ἰδίων μερῶν, περιεκτικὴν τῶν φύσεων, καὶ ταύτας, ὡς ἴδια συμπληρωτικὰ μέρη, περιέχουσαν, καὶ ἐν αὐταῖς, ὡς ἐν μέρεσι, καὶ οὖσαν, καὶ γνωριζομένην.

[1] Tom. 4. Bib. col. 475. E.

[2] Tom. 4. Bib. par. 1. col. 960. — [3] Cap. 12. § 3.

continet: et in iis, ut in partibus, et est, et agnoscitur. »

Denique in disputatione cum Pyrrho, de communicatione, quam vocant, proprietatum agens, « (1) quæ nonnisi inter duo inæqualia potest esse, » tum eam fieri dicit, « cum ea, quæ naturaliter insunt utrique parti Christi, pro inexplicabili unitione, fiunt alterius, citra partis unius in alteram mutationem, et confusionem, quod ad naturalem rationem attinet. » Sic Euthymius (2) *unitas* in Christo *partes* nominat, et compositam hypostasim : necnon Fulbertus Carnotensis Epistola prima.

III. Alii ex adverso neque partes esse volunt Christi, duas in eo naturas : neque compositam illius hypostasim. Ferrandus Carthaginensis diaconus in epistola ad Severum sub finem [1], docet in Christo naturas duas esse; « cum tamen una ipsa Christi persona, quæ duas, divinam, et humanam, id est simplicem, et compositam, videtur adunare substantias, non sit composita, sed in singulis simplex, et in utrisque simplex; et ita simplex, sicut fuit, antequam in sua unitate susciperet humanam naturam. »

Augustinus in libro tertio contra Maximinum Arianum [2], Deum esse partem Christi negat his verbis : « Porro autem Christus una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest : alioquin filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, et crevit, cum homo divinitati ejus accessit. »

Hugo Victorinus quæstione quarta in epistolam ad Romanos [3] quærit, « Quomodo in Christo totum dicatur Deus, et totum homo : cum illæ duæ naturæ non sint partes illius personæ. » Cui sic respondet : « Propter similitudinem hoc dictum esse, quia duæ naturæ sic sunt unitæ in Christo, ut partes in toto, etc. Quod autem naturæ illæ non sint partes personæ, inde constat, quod altera illarum prædicatur de persona : ut cum dicitur, Christus est divina natura. Item nomina naturarum de se prædicantur : ut cum dicitur, Deus est homo, et homo est Deus : quod non contingit in toto integrali, et ejus partibus. » Ita Hugo : qui quod asserit, dici *Christum esse divinam naturam*, in eo fallitur. Nam ne istud quidem satis proprie usurpatur, et eo sensu, quem *formalem*, et κατ' ἐπίνοιαν vocant, in divinis personis : ut si dicas, Pater est divina natura : quamvis in eo, quem *identicum*, et *materialem* nominant, id sit verum. At in Christo non procedit, qui utramque naturam complectitur. Licebit tamen ita pronuntiare : *Christus est Deus;* quod satis est ad Hugonis institutum : velut et quod subjicit, *Homo est Deus, et Deus est homo.* Ex eo enim argumentum ducitur, nullam ejusmodi compositionem illic esse, qualis in ceteris est : ubi partium appellatio toti non convenit *in recto,* uti vulgo loquuntur. Non enim homo proprie anima dicitur, sed tantummodo tropice. Quod argumentum paulo ante ex Euthymio commemoravimus, et supra capite decimo. De istis vero locutionibus, quibus naturæ secum invicem, et cum toto nomina communicant, agemus postea.

IV. Atque ut hanc absolvamus quæstionem, hoc imprimis magno omnium consensu tenendum est : compositionem illam, quæcumque tandem in Christo cernitur, non constare partibus proprie dictis. Nam pars omnis proprie ita nominata quiddam est imperfectum. Toti enim opposita est, quod « (3) idem fere est cum perfecto, » ut ait Philosophus, qui et perfectum ita definit : « (4) Cujus nihil est extra; » hoc est, cui pars nulla deest; quomodo etiam totum ibidem definitur. Quare *pars* ex natura sua, cum non sit totum, neque perfectum est aliquid. Ideo revocatur ab eodem Aristotele [4] ad materiam, si cum *toto* conferatur. Est autem materia per sese minime perfecta. Etenim quæ proprie pars dicitur, habitudine quadam refertur ad partem alteram, quacum jungi natura sua, et ingenita propensione postulat : tum etiam eadem vi naturæ,

(1) MAXIM. id. in disput. cum Pyrr. post init. col. 762. tom. 8. Baron. Πρόδηλον δὲ ὡς ἡ ἀντίδοσις ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δύο, καὶ ἀνίσων κατ' ἐπαλλαγὴν τῶν φυσικῶς ἑκατέρῳ μέρει τοῦ Χριστοῦ προσόντων, κατὰ τὴν ἄῤῥητον ἕνωσιν, θατέρου πεποιημένων, χωρὶς τῆς θατέρου μέρους πρὸς τὸ ἕτερον κατὰ τὸν φυσικὸν λόγον μεταβολῆς, καὶ συμφύσεως.

(2) EUTH. Pan. par. 1. tit. 7. 147. lat. Ἐπεὶ δὲ αὐτὸν ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος ὄντα δυνάμεθα κυρίως καλεῖν τοῖς ὀνόμασι τῶν ἑνωθέντων μερῶν· Θεὸν γὰρ αὐτὸν λέγομεν κυρίως, καὶ ἄνθρωπον ὀνομάζομεν αὐτὸν κυρίως· εἰκότως ἄρα καὶ δύο φύσεις αὐτὸν προσαγορεύομεν, καὶ οὔτε μίαν, ὡς τἆλλα σύνθετα.

(3) ARIST. 3. Phys. cap. 23. tex. 64. Τὸ ὅλον δὲ, καὶ τέλειον, ἡ τὸ αὐτὸ πάμπαν, ἢ σύνεγγυς τῇ φύσει ἐστί.

(4) Id. tex. 63. Οὗ δὲ μηθὲν ἔξω· τοῦτ' ἔστι τέλειον, καὶ ὅλον· οὕτω γὰρ ὁριζόμεθα τὸ ὅλον, οὗ πρὸς τὰ μέρη μηθὲν ἄπεστιν.

[1] Tom. 3. Bib. PP. col. 341. — [2] Cap. 10. tom. 6. p. 303.

[3] Tom. 1. fol. 193. — [4] Lib. 2. Phys. c. 3. tex. 30.

atque conditione *totum* respicit, et in toto esse, ac totum constituere, quantum in se est, nititur: quem *naturalem appetitum* philosophi nuncuparunt.

Et quoniam voluntas Dei, natura rerum est: « (1) Quod enim illi placet, hoc eorum est natura cuique quod factum est, » ut ait Cyrillus Alexandrinus. Quod et Augustinus affirmat [1] : et propterea « nihil ipsum contra naturam *ait* facere. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ. » Et alibi [2], « Deo, *inquit*, hoc est natura quod fecerit. » Cum igitur natura rei cujuslibet ex eo sit æstimanda, quod a Deo facta est; hæc erit pars proprie dicta, quæ non propter se, et ut per se, ac sola consisteret, a Deo procreata est; sed ut cum alia re composita tertium aliquid, totumque compleret. Hinc enim « (2) natura totum prius esse quam partem, » idem sciscit Aristoteles. « Quippe sublato toto, neque pes erit, neque manus; nisi æquivoce. » Ut enim Tertullianus ait [3], « Omnis consummatio, atque perfectio, etsi ordine postumat, effectu tamen anticipat : » nempe secundum absolutam, et a natura præcipue quæsitam extantiam. « Magis enim, addit mox idem, illud prius est, sine quo priora non possunt : » hoc est naturalem vim exerere nequeunt. Ex quo illud sequitur, humanam animam, licet extincto homine toto superstes sit, non esse perfectam, ac partem nihilominus censeri : quoniam ad hoc creata est a Deo, uti forma esset humani corporis, et cum eo conjuncta, totius in compositionem veniret hominis : ad idque naturalem habilitatem, atque adeo propensionem, vel separata retinet.

V. Ex iis manifestum illud est, non satis accurate iis de rebus sentire Leontium Byzantinum [4], doctum et acutum alioqui philosophum, ac theologum; qui in libro primo contra Nestorium et Eutychem, cum hoc probare instituerat, hypostasim Christi duabus ex naturis esse compositam, sicut homo ex anima coagmentatur et corpore, illud objecit sibi : « Hominem ex imperfectis constare partibus, Christum vero perfectas habere partes, et hac ratione ne partes quidem merito vocari posse. » Huic vero sic respondet [5] : « Hominem ex imperfectis partibus non esse compositum, secundum rationem cujusdam essentiæ alterutrius partis : quamvis quod ad definitionem totius hominis, non recipiunt partes rationem totius, tanquam totius. Quid enim deest animæ habenti separatam et propriam vitam, ad hoc ut sit substantia incorporea, semper mobilis? etc. Quid rursus deest corpori, ut sit corpus? » Ridicula ratio. Nam si quid valet, ad hoc pertinet, nihil ut in rerum natura sit imperfectum, ne pars quidem. Quid enim parti deest, quominus pars sit? Quanquam ut reipsa sit et actu pars, requiri pars altera videtur, et cum ea copulatio, quæ et in anima desideratur a corporis contubernio sejuncta. Itaque si generis in ea ratio spectetur, deesse partis alterius communionem dicimus : sine qua quod insitum illi, ac proprium est, exequi, et exercere non potest; ut re sit, quod natura est; et potentia, pars totius, et forma. Recte autem Aristoteles « (3) omnia definiri *ait* opere ac potentia. »

VI. Ceterum in Christo Domino neutrum eorum, e quibus constat, natura est imperfectum. Non Verbum, quod est hypostasis, et persona, numeris omnibus absoluta, et nullius indigens, quam Græci vocant, et definiunt αὐτοτελῆ, ut supra memini [6]. Non humana natura, si in ea consideremus essentiam, ex qua perfecti, vel imperfecti, totius item, ac partis in rebus æstimanda conditio est. Quod quidem in anima hominis et corpore cernitur : quorum utrumque separatum per sese potest subsistere; et pars nihilominus, atque imperfectum quippiam habetur : quod, ut dixi, natura id et essentia dijudicandum est, non nuda rerum extantia, extantiæve modo : tum ex eo, quod res ipsa ex sese postulat, et natura sua consequens habet, nisi majori virtute prohibeatur : non ex eo, quod præter, imo supra illius captum, et conditionem divinitus accidit. Quemadmodum in assumpta fit a Deo natura, quæ non solum perfectam obtinet essentiam, sed proprium etiam, eumque perfectum subsistendi modum, quantum in ipsa est, ac nisi

(1) CYR. 3. con. Jul. Ὅτι τὸ κατὰ γνώμην αὐτῷ, τοῦτο καὶ τῶν γεγονότων ἑκάστῳ φύσις.

(2) ARIST. 1. Polit. cap. 2. Τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους. Ἀναιρουμένου γὰρ τοῦ ὅλου, οὐκ ἔσται ποῦς, οὐδὲ χείρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως.

(3) ARIST. 1. Pol. cap. 2. Πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται, καὶ τῇ δυνάμει.

[1] Lib. 26. contra Faust. — [2] Lib. 6. de Gen. ad lit. c. 13. — [3] Tert. lib. de Resur. c. 45.

[4] Leont. tom. 4. Bib. PP. col. 960. — [5] Ib. 961. — [6] Cap. 12. § 2.

divina potestas intercederet, quæ communem, et natura ipsi debitum existendi modum illum extraordinario et præstantiore pensaret.

Quod si quis humanam ipsam, ut est in Christo, naturam perfectam esse neget, ac partem idcirco esse posse dicat hypostatici compositi : saltem abesse id ab altero, id est Verbo, fatebitur, ut hac ratione persona Christi non ex partibus proprie dictis componi videatur. Atque hoc solo argumento, quod ex divina Christi natura ducitur, Cyrillus, aliique probant, neutiquam ex partibus illam constare compositionem, quam in illo fieri utcumque non dubitant. Hinc recte Leontius, cum partes, ex quibus constat hypostasis Christi, nominasset, in eodem illo libro admonet, non sic partes appellari, « tanquam imperfectas natura, sed tanquam complentes personam hypostasis Christi. »

VII. Sed Cyrillum audiamus in dialogo de Incarnatione adversus Arianos disputantem, (1) qui se animam idcirco detrahere Christi humanitati dicebant, ne si perfecta poneretur, in compositionem venire non posset, neque pars esse compositæ personæ : « Propterea quod id quod ex se perfectum est, et in natura propria, compositionem ex partibus non requirit. » Quam illorum rationem ita dissolvit : Quamvis manca, et inanima caro in Christo constituatur, non tamen ideo ex imperfectis partibus illius constare personam ; « (2) Quandoquidem Deus Verbum neque pars esse cujuspiam intelligi potest, nec imperfectus. Quinam igitur ex imperfectis erit in unum perfectum concursio, si ex perfecto Verbo fit, et imperfecta carne? » Sic Maxentius in dialogo secundo [1] objicienti Nestoriano, « Omne compositum partibus constare : partem autem minus esse, quam totum : ac proinde si Deus Verbum pars est Christi, quem ex divinitate, et humanitate compositum asserebant Catholici, Deum Verbum partem esse Christi, et minorem Christo. Quod si pars Christi Deus est : quomodo Deus, si imperfectus est? » contra hoc, inquam, id Maxentius opponit : « Non esse imperfectum Deum Verbum ; quia non ut perficeretur assumptione carnis indiguit ; sed ut caro perficeretur in melius commutata, carni se uniens, compositus factus est, qui ante erat sine dubio summe simplex, et incompositus, perfectusque per omnia, utpote Deus. »

VIII. Joannes Damascenus libro primo de Fide, capite decimo, de tribus agens personis divinis, « (3) eas esse perfectas » asserit, « ne ex tribus imperfectis unam agnoscamus naturam fieri perfectam. » Ac subinde : « Quidquid enim coalescit ex imperfectis, id omnino est compositum. » Quid autem imperfectum vocet, declarat mox : « (4) Ex imperfectis porro diximus, *inquit*, ea significantes, quæ effectæ ex ipsis rei speciem non servant. Nam lapis, lignum, et ferrum, singula per sese perfecta sunt in natura propria : verum si ad domum respicias, quæ ex illis efficitur, unumquodque illorum est imperfectum. Non enim singula per seipsa sunt domus. » Verum Joannis Damasceni non satis exacta est ista definitio : ut alibi animadvertimus [2]. Itaque castiganda est ex iis, quæ paulo antea dixi [3] : imperfecti judicium ac perfecti ex eo petendum esse, quod natura convenit, non quod hominum ex arbitrio pendet, ut in arte factis. Nam domus non est una quædam per se substantia ; neque lapides, aut ligna ex sese partes sunt illius. Itaque perfectæ sunt hypostases. Alioqui nulla res erit hypostasis, quia nulla est, quæ non possit in qualemcumque venire compositionem. Quippe vel homines ipsi partes sunt communitatis, ac reipublicæ, nec singuli civitas sunt, ac respublica : nec tamen propterea imperfectum aliquid sunt, nec a personæ proprietate removentur. Sed vide quæ illo in loco de Damasceni verbis istis adnotavimus.

IX. Quocirca non fit in Christo compositio ulla ex partibus proprie dictis : et idcirco ne compositio quidem fit ceterarum similis,

(1) Cyr. dial. de Incarn. tom. 5. par. 1. p. 689. Τὰ γάρ τοι φασὶ, κατὰ σύνθεσιν πρὸς ἑνὸς τελείου σύστασιν συνδεδραμηκότα, μέρη τε, καὶ ἐξ ἀτελῶν ὁρᾶσθαι φιλεῖ· τοῦ τελείως ἔχοντος καθ' ἑαυτὸ, καὶ ὡς ἐν ἰδίᾳ φύσει, τῆς ἐκ μερῶν συνθέσεως οὐ δεδεημένου.

(2) Ibid. pag. 690. Ἀλλ' ὅ γε Θεὸς Λόγος οὐχ ὡς μέρος ἂν νοοῖτό τινος· ἀλλ' οὐδ' ἀτελὴς, ὦ γενναῖοι. Παντέλειος γὰρ ἐν ἰδίᾳ φύσει. Ποῦ τοίνυν ἐξ ἀτελῶν ἡ πρὸς ἕν τι τέλειον ἔσται συνδρομὴ, εἴπερ ἐστὶν ἐκ τελείου Λόγου, καὶ σαρκὸς ἀτελοῦς ;

(3) Joan. Damasc. lib. 1. cap. 10. pag. 37. Φαμὲν δὲ ἕκαστον τῶν τριῶν τελείαν ἔχειν ὑπόστασιν, ἵνα μὴ ἐκ τριῶν ἀτελῶν μίαν σύνθετον φύσιν τελείαν γνωρίζωμεν, etc. Πᾶν γὰρ ἐξ ἀτελῶν συγκείμενον, σύνθετον πάντως ἐστίν.

(4) Ibid. Ἀτελῶν δὲ εἴπομεν, τῶν μὴ σωζόντων τὸ εἶδος τοῦ ἐξ αὐτῶν ἀποτελουμένου πράγματος. Λίθος μὲν γάρ, καὶ ξύλον, καὶ σίδηρος, ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ τέλειόν ἐστι κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν. Πρὸς δὲ τὸ ἐξ αὐτῶν ἀποτελούμενον οἴκημα ἀτελὲς αὐτῶν ἕκαστον ὑπάρχει. Οὐδὲ γάρ ἐστιν ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ εἶκος.

[1] Tom. 4. Bibl. col. 475.

[2] Tom. 2. lib. 4. de Trin. cap. 8. p. 4. — [3] § 4. et seq.

quas in natura rerum usitatas cernimus. Sed « (1) ambo in una persona junguntur non compositione aliqua ex partibus; sed unitione perfectarum naturarum, quæ unam essentiam illa duo non facit; » ut Athanasius scribit, ab Euthymio citatus, qui et paulo ante dixerat, « Christum Dominum appellari duo perfecta. »

Porro si *compositionis* vocabulum laxius usurpemus, nec ad communium, et vulgatarum, adeoque naturalium exempla respiciamus, potest, omni detracta imperfecti notione, vere proprieque dici composita Christi persona; sive Christus ipse, imo et Dei Filius, ex utraque natura compositus. Quod quidem omnibus illis argumentis ostenditur, quibus hactenus vel duas in Christo naturas inesse, vel hypostasim compositam esse demonstravimus. Etenim si « Christus ex duobus unum factus est, » ut loquitur Gregorius Nazianzenus [1] : si duæ in illo conjunctæ et unitæ naturæ sunt substantivo nexu, non accidente, ita ut unus proprie ac per se Dei filius atque Christus existat in utraque propria sibi natura subsistens : si « geminæ est substantiæ una persona, » necnon *biformis*, et διπλοῦς, id est *duplex;* ut Ambrosius [2], Augustinus [3], aliique loquuntur : profecto nonnisi compositione duarum naturarum inter se, unus potest ex duobus effici, ut « qui antea simplex, et incompositus erat, compositus factus sit : » ut ait Maxentius [4]. Quod postea firmius etiam approbabitur, cum de unitate filii Dei sequente libro disputabitur.

X. Sit igitur compositio duplex : una quæ *interior* dici potest; sive, ut in scholis loquuntur, *intrinseca :* in qua partes proprie dictæ mutuo se afficiunt, et in unius naturæ, non minus, quam suppositi, effectionem concurrunt : cujusmodi in naturalibus, et ordinariis occurrit. Sic in homine corpus animæ, et hæc vicissim corpori copulantur, mutuoque se perficiunt : quatenus extandi, ac subsistendi modum naturæ suæ congruentem sibi invicem aut tribuunt, aut conservant; uti nimirum reipsa, et actu forma insit materiæ, cum eaque conjungatur : cujus etiam ingenitus animæ, quamlibet spiritali, appetitus esse dicitur. Etenim, ut S. Thomas ratiocinatur [5], « Anima corpori naturaliter unitur. Est enim secundum suam essentiam corporis forma : est igitur contra naturam animæ absque corpore esse. » Igitur corporis conjunctione perfici animam, nemini dubium est.: quod et erudite disputat P. Joannes Bagotius in Apologetico fidei [6].

Alia est compositio, quæ *exterior*, et quasi *materialis* appellari potest; in qua non se mutuo perficiunt illa, quæ junguntur, nec aliquid a se invicem accipiunt : sed alterum tantummodo, quod assumptum a præstantiore, fovetur ab eo, ac perficitur. Ut cum ad substantiam aliquam jam completam, et absolutam, per seque subsistentem, alterius naturæ, quasi formæ, fit accessio. Hujus rei vix communibus, et ordinariis ex rebus satis apta transferri similitudo potest. Nam nulla tam exigua est, et contempta res, quæ non accessione sui, quamlibet potiorem alteram quoquo modo perficiat. Sed lucet aliqua tamen illius expressio in ea compositione, quæ ex substantia fit, et accidente. Quamvis enim nonnihil ex hoc in illam redundet, idipsum tamen adventitium est, et quodammodo externum, non intimum, ac sui generis, hoc est substantivum : cujusmodi nihil ab accidente forma derivatur in subjectam substantiam. Quam etiam ob causam hæc a nobis compositio appellatur *exterior*. Non enim interiorem substantiam afficit; sed extrinsecus superfusa velut illam colorat, ac leviter imbuit. Quocirca « non sic uniuntur illa, (verba sunt Aquinatis doctoris [7],) ut ex eis aliquod tertium constituatur : unde subjectum in tali unione, non se habet ut pars; sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis, et albi, et similiter eadem hypostasis, et idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quamdam, persona, hypostasis, et suppositum filii Dei, est persona hypostasis, et suppositum humanæ naturæ in Christo. »

XI. Quamvis autem longe sit arctior nexus ille, quo ambæ in Christo substantiæ copulantur, et excellentior utriusque compositio : quia magis unum est, quod inde constat, quam quod ex subjecti, et accidentis conjunctione fit : minus tamen cum *simplicitate* pugnat, quæ *compositioni* opponitur ex adverso : imo ne repugnat quidem illius, quod est potius, et quasi subjecti locum habet, simplicitati; cum illic accidens de substantiæ recipientis simplicitate nonnihil decerpat. Certe divinæ sim-

(1) ATHANAS. apud Euth. Pan. par. 2. tit. 15. pag. 593. Lat. Ἐν ἑνὶ δὲ προσώπῳ, οὐ κατὰ σύνθεσιν μερῶν, ἀλλὰ καθ' ἕνωσιν τελείων φύσεων οὐ μίαν οὐσίαν τὰς δύο ποιοῦσαν.

Ibid. Τοῦ δεσπότου Χριστοῦ τὰ δύο τέλεια καλουμένου.

[1] Citatus c. 11. § 8. — [2] Vide sup. c. 7. § 6. — [3] Sup. c. 11. § 10. — [4] Supra § 7. — [5] Lib. 4. contra gen. c. 79. Vide et 1. Par. q. 76. art. 1. ad 6. — [6] Par. 2. lib. 1. Disput. 2. c. 9. et lib. 4. Disp. 3. cap. 3. — [7] S. Tho. in Comp. Theol. c. 211.

plicitati contrarium esse genus illud compositionis, quod ex subjecto, et adveniente forma fit, Christiana Theologia demonstrat : idque nos uberrima disputatione alibi declaravimus[1]. Cujus hæc iniri ratio potest, quod accidens quælibet forma, subjectæ inhærens substantiæ, in eam aliquid confert, et naturam ejus perficit, atque ad agendi vim, et efficientiam pro captu suo adjuvat. At vero conjunctione illa, vel unitione, quæ in sola fit subsistendi proprietate ; cum præstantior, ac perfecta substantia, quæque mera est ἐντελέχεια, quam *actum purum* nominant, inferiorem assumit ad subsistendi communionem, nihil ab ista trajici ac diffundi in alteram potest. Hinc illud vulgatum in scholis theorema : si divina persona proprietate sua, quam *personalem* vocant, accidens aliquod fulciret ; et ejus inhæsionem suppleret ; nihil propterea de illius *simplicitate* detractum iri. Quod argumento est, verum illud esse, quod dixi, quidquid ad naturam quoquo modo afficiendam, et instruendam adjungitur, id perfectæ simplicitati illius officere : non illud item, quod ab sola existendi proprietate opem aliquam, velut subsidiariam accipit. Id enim citra ullum facit intertrimentum simplicitatis, ac perfectionis, quam in divinis personis sola natura, vel essentia metimur.

XII. Non sunt ergo partes proprie dictæ ambæ illæ substantiæ, ex quibus compositus est Christus : maxime divina, quæ summe perfecta est, nec absolutione ulla indiget. Pars autem omnis natura sua est imperfecta, et partis alterius commercio perficitur. Quod Græci feliciter exprimunt per vocabulum συμπληρωτικόν, quasi *completivum* dicas. Sic Athanasius in libro de uno Christo[2], objicientes sibi hæreticos introducit, non esse compositum ; quoniam ex eo sequeretur, partem Verbi esse corpus, eoque compleri hypostasim filii Dei. Atque hoc argumentum subinde dissolvens, affirmat, « (1) ita Deum et hominem unam esse hypostasim, et unam personam, ut non sit expletivum corpus hypostaseos. Id enim impium esse : quandoquidem Deus immutationis capax non est, utpote simplex, uniformis, et non compositus : nec in partes dividitur. Hoc est, qua Deus Verbum est, et uniformis, in membrorum, ac rerum differentiam non cadit ; sive hæc corporea sint, sive incorporea. Siquidem Verbum perfectum est, et per totum incorporeum. Non enim Deus factus est, ex eo quod incarnatus est : neque filius Dei, cum gestare cœpit formam servi ; sed homo, et filius hominis, factus est filius Dei ; et servus forma ipsa, factus est is, qui natura dominus est. Quamobrem corpus non explendæ divinæ hypostasis vim habuit. Sed qui revera perfectus erat, id perfecit quod erat imperfectum : et qui nullius est indigens, cum egena carne convenit, et unitus est. » Hunc Athanasii librum unde ista sumpta sunt, germanum non videri mihi, jam alibi monui. Cujuscumque vero sit, memorabilis imprimis locus ille est, quem dignum idcirco putavi, qui hic totus legeretur.

XIII. Ac movere sane potest eruditum lectorem primum illud, quid sibi ista responsio velit, cum corpus, vel carnem negat complendæ divinæ hypostaseos habere vim, quia Deus Verbum adeo perfectum quippiam est, nihil ut addi possit, quo fiat absolutius. Tum neque divisionis esse capax, ita ut in partes, ac membra secari possit. Deinde quæ est ista ratio ; *Non esse Deum factum ex eo quod incarnatus est ?* etc. Quid enim ? an in vera, et naturali compositione, quæ ex integris manentibus fit partibus, naturam mutant singulæ ? Non opinor. Nec enim anima spiritalis esse desinit ; nec in partes, ac membra dividitur, ex eo quod cum carne copulatur. Aliud itaque sibi auctor ille voluit : et, nisi fallor, non de omni compositione intelligendus est, quæ in Christo fieri utcumque dicitur, sed de ea sola, quam Apollinaristæ, vel Eutychiani postmodum invexerunt. Illi enim, uti primo libro demonstravimus[3], carnem Christi in divinitatem transiisse dicebant, adeoque partem esse factam Dei Verbi, sive filii Dei. Ex quo consequens est, corpus ipsum συμπληρωτικὸν fuisse divinæ

(1) ATH. pag. 520. et seq. Θεὸν ἕνα ὁμολογοῦμεν τὸ συναμφότερον, μίαν ὑπόστασιν, καὶ ἓν πρόσωπον· οὐχ ἵνα συμπληρωτικὸν τῆς ὑποστάσεως τὸ σῶμα γένηται· ἀσεβὲς γάρ· ἐπειδὴ τέλειον τὸ θεῖον ἀνεπίδεκτον ἐλαττώσεως, ἁπλοῦν, καὶ μονοειδὲς, καὶ ἀσύνθετον εἰς μέρη οὐ διαιρεῖται. Τουτέστι καθὸ Θεὸς Λόγος ἐστὶ, καὶ μονοειδὴς, εἰς διαφόραν μελῶν, καὶ πραγμάτων οὐ πίπτει, εἴτε σῶμα εἴη, εἴτε ἀσώματα. Ὁ Λόγος γάρ ἐστι τέλειος, καὶ δι' ὅλου ἀσώματος. Οὐ γὰρ Θεὸς γέγονε σαρκωθεὶς, οὐδὲ Υἱὸς Θεοῦ ἀνθρώπινον σῶμα λαβὼν, οὐδὲ Κύριος τῆς δόξης, τὴν τοῦ δούλου μορφὴν φορέσας. Ἀλλ' ἄνθρωπος, καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ δοῦλος κατὰ τὴν μορφὴν, ὁ τῇ φύσει Κύριος. Οὐ τὸ σῶμα οὖν συμπληρωτικὸν γέγονε τῆς θεϊκῆς ὑποστάσεως. Ἀλλ' ὁ ἀληθῶς τέλειος, τὸ ἀτελὲς ἐτελείωσεν. Ὁ ἀπροσδεὴς τῇ προσδεεμένῃ συνῆλθε, καὶ συνηνώθη σαρκὶ.

[1] Tom. 1. lib. 2. c. 6.

[2] Cit. sup. § 1. — [3] Cap. 6. et 14.

substantiæ, id est *ipsius expletivum* divini Verbi; quandoquidem in illius naturam, intimamque pervasit substantiam: et Dei Filius non minus natura, quam persona compositus est ex divina, et corporea substantia. Quod inextricabile commentum, et absonum recte pulsat Athanasius illo in loco. Nam infinita Dei perfectio nullius accessionem, qua compleatur, et perficiatur, admittit. Deinde si caro Deus est facta; hoc est si in divinitatis substantiam mutata est, et absorpta; parte aliqua divinitas est aucta, qua antea carebat: et Filius Dei, Deus integer tum denique esse cœpit, cum pars ista divinitatis, quæ ex carne facta est, illi est adjuncta. Hoc verbis illis significavit Athanasius, quæ male latinus interpres ita reddidit: *Non enim Deus ita incarnatus est, ut caro fieret.* Quod est falsum, nam Deus caro factus est, quod Joannes diserte scribit: siquidem Deus est Verbum. Vertendum itaque fuit, uti nos fecimus: *Non enim Deus factus est eo ipso quod incarnatus est,* eo, quem diximus, sensu.

XIV. Quapropter duobus modis συμπληρωτικὸν dici potest μέρος, hoc est complere, ac perficere partem alteram. Prior est, ut in unius partis substantiam altera transfundatur, et in unam naturam coalescat: ut in ea mixtione fit, quæ σύγκρασις vocatur. Sic enim aqua in vinum mutata hujus συμπληρωτικὴ merito censetur: quia pars fit illius, et ipsum auget. Posterior est, ut etsi nulla pars substantiæ ex partis alterius consortio in alteram redundet, quiddam tamen accipiat naturæ, substantiæque consentaneum suæ, et quod ipsa naturaliter exigit, atque appetit, quo accepto compleri ac perfici dicatur. Sic enim rationalis anima, cum sit ex natura, et essentia sua pars hominis, et humani corporis forma et ἐντελέχεια, naturale hoc habet, ut et in corpore producatur, in eoque incipiat existere; et in ipsum reverti, ac cum eodem conjungi expetat, etiam ubi ex illius contubernio, et amplexu, post interitum hominis, evolavit. Hanc igitur naturæ suæ perfectionem, hoc est nativum, et optabilem statum, anima ex conjugatione illa consequitur, adeoque perficitur. Quod in Deo Verbo secus evenit. Hoc enim ab assumpta natura novi nihil acquirit, nec οὐσιῶδες, hoc est *substantivum*, nec ὑπουσιῶδες, id est *subsubstantivum*, uti Joannes Damascenus appellat [1], individuorum proprietates eo vocabulo designans, quas ὑποστατικὰς dicunt. Nulla denique qualitas, accidens nulla perfectio, absolutam in omni genere, infiniteque perfectam, neque cujuspiam egentem extra se rei naturam, ac personam afficere, aut cumulare potuit [2]. « Emmanuel enim nobiscum Deus, ut ait Petrus Damiani, una semper est in sancta Trinitate persona, quæ sicut nunquam a plenitudine suæ virtutis imminui, ita nec potuit per copulam susceptæ humanitatis augeri. »

XV. Hujus rei causa ex ipsa divinitatis conditione, ac proprietate petitur: quæ cum simplicissima sit, nihil novum, et adventitium capere intra se potest, quod formari, aut perfici dicatur. Est enim hoc omne quod habet; ac quæ inest illi bonitas, et sapientia, vel quodvis aliud, quod *attributum* nominant, ipsa est ejusdem natura, et essentia. Cum igitur immutabilis sit essentia, ut nec detrahi de illa possit aliquid, nec ad eam adjici, nisi interimatur ex toto, manifestum est rei nullius ad Deum accessionem posse fieri: «Corpora quippe adjunctione sua crescunt, ait Augustinus [3], quamvis enim qui adhæret uxori suæ, unum corpus fit; majus tamen corpus fit, quam si solius viri esset, aut solius uxoris. In rebus autem spiritalibus, cum minor majori adhærescit, sicut creatura Creatori, illa fit major quam erat, non ille. » Subjicit præclaram omnino rationem, et ad institutum a nobis sermonem accommodatam: « In iis enim quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. Melior autem fit spiritus alicujus creaturæ, cum adhæret Creatori, quam si non adhæreat, et ideo etiam major quia melior. [4] *Qui ergo adhæret Domino, unus spiritus est.* Sed tamen Dominus non ideo fit major, quamvis fiat ille, qui adhæret Domino. » Ex hoc loco demonstrat Augustinus, nulla re addita majorem, aut perfectiorem fieri Deum: ac ne personam quidem divinam quamlibet, vel duabus reliquis, sive, addita ipsa, tribus minorem esse: vel duas, tresve, majores unaquaque. Quod multo magis affirmari debet; quando cum divina persona res quæpiam tanto inferior, et a Deo facta componitur. Non enim incremento aliquo fit grandior, et auctior, nec e contrario quasi statu minuta decrescit: quoniam unde alterutrum patiatur non habet, quam infinitas, stabilitasque virtutis ab omni tum profectu, tum injuria tutam inviolatamque præstat.

[1] Lib. de duab. vol. pag. 468. — [2] Petr. Dam. Opusc. 1. cap. 9.

[3] Aug. 6. de Trin. c. 8.
[4] 1. Cor. 6. 17.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Proponuntur aliqua, quæ superiorem de hypostasi composita sententiam infirmare videntur. — 1. Ac primum Scholasticorum de hac quæstione pugna memoratur : maxime negantium, qui Christum aliud esse volunt ab hypostasi Christi. — 2. Quæ distinctio refellitur. — 3. Probatur vero compositio personæ Christi ex ipsa ratione unitionis. — 4. Unde oborta sit opinio negantium esse compositam. Nempe quod non animadvertunt hypostasim nomen esse concretum ex natura, et subsistendi proprietate. — 5. De concretis nominibus utiliter notata quædam. — 6. S. Thomæ locus quidam illustratur. — 7. Dissolvuntur ea, quæ adversus compositam personam objiciuntur : ac primum ostenditur nihil contra hanc allata Patrum testimonia facere. — 9. Tum aliquot argumenta solvuntur. Explicatur accuratius compositionis illius ratio. — 10. Non perfici ab humana natura hypostasim divinam. — 11. Nec sequi quartam esse in Deo personam. — 13. Anonymi quædam objecta diluuntur, et generalis observatio proponitur ad similes cavillationes accommodata.

I. Ab hac compositæ hypostasis tractatione recessuris moras injiciunt acres quidam disputatores, et in scholarum contentionibus exercitati, qui nefas putant id profiteri, quod tam incredibili cum ratione consensu auctoritatis hucusque constituimus. Quorum ego murmura, et jurgia non contemnerem quidem ; sed prætermitterem tamen hoc loco, tanquam aliena proposito nostro : nisi et eos ipsos intentarent nobis, quorum præsidio, ac testimonio stetimus, antiquos theologos : et quorumdam explicandorum ansas objicerent, quibus additis illustrari tanti mysterii dignitas, intelligentiaque poterit.

Sed illud ante omnia tenendum est, dissentire inter se de compositione illa personæ Christi, quos dixi, Scholæ magistros ; et aliis affirmantibus, obnixe alios reniti, ac pene sacrilegium arbitrari illa in professione delitescere. Non appellabo nominatim partium principes, uti mos est in scholasticis contentionibus. Sed unius tantum habebo rationem, qui pressius nuper ac subtilius quæstionem enodavit istam, et vegrandem librum in hanc solam de hypostasi controversiam insumpsit ; vir sane doctus, et non sine honorifica mentione nominandus. Hic [1] mediam quamdam inter altercantes theologos insistens viam, Christum ab hypostasi personave Christi secernendum existimat. Deinde Christum reipsa compositum fatetur esse, ejus vero hypostasim compositam negat. Quanquam duplicem esse compositionem asserit [2] : alteram *realem, et propriam,* « cum plura re diversa in unum coeunt : » aliam *rationis*, *et impropriam*, « quando ratione tantum diversa, uni realitate, identificantur. » Item compositionem, ut vocat, *realem*, aliam esse dicit *in se*, *seu absolutam*, « quæ dicitur compositio rei ad intra, vel hujus ex his, » cujusmodi est hominis ex anima et corpore : aliam *relativam*, « qua res cum altera posita, seu alteri unita dicitur, quæ compositio ad extra, vel ad hoc, vel cum hoc, aut illo dicitur : » sic anima rationalis, quæ in se est simplex, composita dicitur, quia cum corpore conjungitur. Harum compositionum prior, simplicitatem ; posterior separationem excludit. Quibus animadversis [3], demum ita statuit ; « Hypostasim, et personam Christi post Incarnationem nullo modo esse compositam compositione absoluta, in se, et ad intra, seu ex his, ut loquuntur. Eamdem tamen, ante Incarnationem, simplicem ; post Incarnationem, esse compositam compositione impropria » censet, et rationis, « id est secundum diversas rationes subsistendi. »

II. Hæc eruditi theologi sententia mihi nullo modo probatur : minime omnium discrimen illud, inter Christum, et hypostasim Christi, quod contra sensum, et usum Theologiæ antiquioris adstruitur. Nam revera nihil aliud est Christus, quam persona, vel hypostasis Christi. Ita Cyrillus a Maximo martyre laudatus, in libro Scholiorum : « (1) Nomen, *inquit*, Christus neque definitionis vim habet, neque cujusquam essentiam significat : sed hypostasim Verbi, quatenus in assumptione carnis intelligitur, intelligente anima præditæ. »

Joannes item Damascenus libro tertio, capite tertio contra Monophysitas disputans, (2) non

(1) CYRILL. apud Max. in opusc. nondum edit. Καθώς φησιν ἐν τοῖς Σχολίοις ὁ μακάριος Κύριλλος· Ὅτι τὸ Χριστὸς ὄνομα οὔτε ὅρου δύναμιν ἔχει, οὔτε τήν τινος οὐσίαν δηλοῖ· ὑποστάσεως δὲ τῆς τοῦ Λόγου ἐν προσλήμματι δηλονότι σαρκὸς νοερὰν ἐχούσης ψυχὴν νοουμένης.

(2) DAMASC. pag. 171. Καὶ ἔσται τὸ Χριστὸς, οὐ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ὄνομα, ἀλλὰ τῆς μιᾶς κατ' αὐτοὺς φύσεως.

[1] Claud. Tiph. lib. de hypost. cap. 64. p.

[2] Ib. p. 393. — [3] Ib. c. 65. p. 398.

unam esse Christi naturam ex ipso Christi vocabulo demonstrat : quod alioqui non hypostaseos nomen esset, sed unius illius naturæ. Est ergo hypostasis nomen *Christus*, quod et subinde clarius exponit : « (1) Christus porro nomen esse dicimus, *inquit*, hypostasis, non uno ac singulari modo sumptum : sed quod duarum naturarum significandarum vim habet. » Idem et Theodorus Abucaras docet supra citatus capite 13. [1] qui « Christum *ait* unam esse compositam hypostasim. »

Idipsum manifesta quoque ratio persuadet. Nam « (2) Christus utrumque esse » ab Athanasio dicitur, hoc est Deus, et homo. « (3) Idem, *inquit*, Deus idem homo est : ambo tanquam unum, et unumquodque tanquam solum. » Atqui persona quoque Christi, sive, quod idem est, hypostasis est utrumque, Deus videlicet, et homo : siquidem « persona Christi, ut ait Augustinus [2], mixtura est Dei et hominis. » Ac perinde unam ex duabus naturis personam constare dicit; uti ex duabus, anima et corpore, una hominis persona conficitur. Ut igitur persona hominis, quæ eadem est hypostasis, composita est ex anima, et corpore : sic persona, et hypostasis Christi, ex divina humanaque natura componitur. »

Atque ut Petrus nihil est aliud quam hypostasis, et persona Petri; ita Christus haud dubie persona est, et hypostasis Christi. Quo spectat illa communis theologorum opinio, in quarto de Trinitate a nobis exposita : *hypostasim* idem esse atque *individuum*, sive *primam et individuam substantiam;* cui et eruditus ille theologus assentitur [3], qui Christum differre ait ab hypostasi Christi. Quod si verum est, profecto cum nullum omnino sit discrimen inter Petrum, et individuum Petri, sive individuum Petrum; nullum quoque Christum inter, et individuum Christi, adeoque personam ejus, et hypostasim debet admitti. Confer cum his quæ supra, capite nono, contra naturam Christi compositam diximus, et capite decimo, de comparatione Christi ex Deo et homine constantis, cum hominis compositione, quæ ex anima, et carne compingitur. Qua in utraque licet multa dissimilia sint, nullum tamen creatis ex rebus capi posse aptius exemplum ad Incarnationem explicandam, iidem illi veteres affirmant. Qua autem in re similitudo ista ab illis ipsis constituitur? Nimirum in eo par utrobique ratio ab illis ponitur, quod ut ex anima et corpore una hominis persona : sic ex divina et humana natura, una Christi persona coalescit. Igitur ut hominis persona composita est eatenus, quia ex duabus illis naturis coagmentata est : sic Verbi persona, quoniam ex duabus naturis constat, et ipsa composita censeri debet. In eo similitudinis ratio, sive *parilitas* ab antiquis statuitur; quod autem in homine non solum persona, sed etiam natura una ex conjunctis naturis existit, hoc ad dissimilitudinem spectare istius exempli, Patres asseverant, et idcirco rationem illius habendam negant : « Exemplum enim, ut recte Tertullianus ait [4], non ex diversitate, sed ex parilitate componitur. »

III. Rursus ex ipsa unitionis voce, ac proprietate, tum etiam *compositionis*, invictum duci potest argumentum. Etenim *unitio* vocabulum est ab *uno* deflexum, ἕνωσις ἀπὸ τοῦ ἑνὸς, et est duorum, vel plurium concursus in unum quippiam, quod ex illa conflatur; adeo ut ἕνωσις ab Anastasio dicta putetur, quasi εἰς ἓν ὦσις, hoc est *in unum compulsio*, ac *redactio*, ut capite primo memini [5]. Non enim aliud tam peritorum, ac sapientum, quam imperitorum subit animis, cum ἕνωσιν, *unitionemque* nominant, vel audiunt, nisi hoc, ex duobus saltem distinctis, eorumque copulatione, unum aliquod ac totum existere, quod ambo illa complectitur : de quo relege quæ in primis libri hujus capitibus enarrata sunt. Nec dispar est notio vocabuli *compositionis*, imo prorsus eadem atque *unitionis* est. Et ut differentiæ sit aliquid, certe in eo, de quo sermo est, Incarnationis mysterio, pro uno et eodem ab antiquis theologis habentur. Jam unum illud, quod duarum in Christo naturarum *unitio*, vel *compositio* parit et efficit, ac *formalis*, ut vocant, *unitionis effectus*, si cujusmodi sit interrogemus, nemo dubitet respondere esse *Christum*. Christus enim ex duorum conjunctione fit, sive est ipsa duorum conjunctio. At idem *unitionis* effectus, et quidem formalis, est una hypostasis; sive una ὑπόστασις, vel φύσις σεσαρκω-

(1) Ibid. pag. 172. Τὸ δὲ Χριστὸς ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, οὐ μονοτρόπως λεγόμενον, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικόν.

(2) ATHAN. orat. 5. pag. 323. Χριστὸς τοιγαροῦν, τὸ συναμφότερον εὐσεβῶς νοεῖται.

(3) Id. tract. de uno Christ. pag. 520. Ὁ αὐτὸς Θεὸς, ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος. Τὸ συναμφότερον ὡς ἓν, ἑκάτερον ὡς μόνον.

[1] § 6. — [2] Aug. ep. 3. p. 5. cit. sup. c. 2. § 14.

[3] Tiphan. de hypost. c. 16. — [4] Tert. de Resur. c. 48. — [5] § 4.

μένη, hoc est *una hypostasis,* aut *natura incarnata :* uti capite undecimo , et sequentibus explicavimus, ac libro sequenti iterum repetendum erit. Prorsus igitur idem est Christus, ac persona, sive hypostasis Christi : ac proinde non magis una, quam altera, composita censetur.

Ad hæc maximum addunt momentum pulcherrima , et expressissima illa Patrum testimonia, quæ capite duodecimo retuli : in quibus non Christum duntaxat ; quod esse satis ostendimus : sed etiam hypostasim, personamque Christi perspicue legimus.

IV. Ac mihi quidem qui aliter sentiunt, et hypostasim negant esse compositam, cum Christum esse compositum asserant, decepti videntur usu et consuetudine scholarum ; de quo alio in loco monui [1]. Nam apud Scholasticos *hypostasis,* ut et *subsistentia,* passim pro *abstractis,* ut vocant, nominibus usurpatur : et modum ipsum ac velut formam significat , quæ accedens ad naturam, facit eam subsistentem vel *suppositum.* Veteres autem hypostasim pro *complexo,* sive *concreto* vocabulo solent accipere ; hoc est pro supposito, vel persona ; quæ est natura ipsa, vel substantia singularis, et individua, quæ sic tanquam affecta proprietate illa, et modificata, perfecte subsistit ex sese, neque pars est ulla totius cujuspiam, ut supra capite præsertim decimo tertio dixi. Est autem in persona Christi subsistendi ratio, atque forma, relatio ipsa divina Verbi ; cujus velut subjectum, et materia (sic enim tantis de rebus balbutientes loqui cogimur) naturæ sunt duæ ; ex quibus in unum contractis, et relatione ista, quam *filietatem* vocant, suppositum unum conficitur, forma et subsistendi modo simplex, et divinum : materia, et subjecto, compositum, et temperatum ex homine ac Deo ; ut cum Augustino loquamur [2].

V. Sed hoc velim strenuus mihi theologus observet, quod ad multas res opportunitatem habet, *concreta* quæ vocantur nomina, cum duplicem notionem contineant : alteram, rei quæ forma vel quasi forma est affecta ; quod *materiale* nominant : alteram, qualitatis, sive formæ cujuslibet ; quod formale *significatum* vocant ; dupliciter item exprimi posse : primum ita, uti quod sermoni subjicitur, proprie , ac præcipue forma sit : ut cum dico, *Album dispergit visionem.* Hic enim distincte, ac directe *albor ;* confuse autem, et quasi ex obliquo, corpus album intelligitur. Alias proxime, ac proprie, corpus, sive materia subjecta ; secundo vero loco forma ipsa declaratur : ut cum dico, *Album omne est quantum ; vel est per se subsistens.* Sic hypostasis, aut persona, quæ est de genere complexorum, sic effertur aliquando, ut proxime *naturam* intelligendam offerat : alias vero, subsistendi modum præcipue significat. Nam cum ita dico, Persona omnis est ratione prædita substantia ; natura est, quod illi voci subjicitur : cum autem sic loquor, Persona , vel hypostasis, per se, et a quocumque alio separata, divisaque cohæret ; tunc primario modus ipse subsistendi , secundo vero natura et substantia designatur.

Ad hunc itaque modum, cum hypostasim Christi compositam esse dicimus, proprie, ac distincte id quod materiæ instar est intelligimus : quæ sunt naturæ duæ. Cum autem hypostasim Christi divinam esse dicimus, subsistendi modum, et quasi formam proxime demonstramus. Similiter cum ita concipimus, Hypostasis Verbi facta est hypostasis humanæ naturæ ; præcipuas in significatione partes gerit forma ipsa, quam personalitatem nominant. Atque hoc sensu dixere nonnulli, personam Christi non esse compositam, vel esse simplicem : hoc est unicum , et simplicem habere, eumdemque divinum subsistendi modum ; ut alteram interpretandi rationem hic omittam, de qua supra est actum : compositionem illam duntaxat excipi, quæ partibus constat proprie dictis, et est earum similis, quarum increatis rebus exempla cernimus.

VI. Equidem non aliter interpretandam arbitror illam theologorum de Schola principis sententiam [3], quæ hujus enarratoribus adeo est obscura visa, cum sic quæstioni illi respondet : *An persona, vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita.* «Respondeo, *inquit,* quod persona, sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari : uno modo, secundum illud, quod est in se ; et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi. Alio modo, secundum rationem personæ, vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura ; et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia, et alia ratio subsistendi : et sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit. »

Hic ego personam aio præcipue sic accipi, qua subsistendi modum, et proprietatem indicat. Ita enim Christi persona, tam ante In-

[1] Lib. 4. de Trin. c. 3. § 6.

[2] Epist. 3. pag. 5. — [3] S. Thom. 3. Par. q. 2. art. 4.

carnationem existens, quam post eam considerari potest. Deinde persona *subsistit in natura*, per subsistendi proprietatem, non autem per naturam ipsam. Est autem subsistere in natura, idem ac naturam subsistere suo et perfecto subsistendi modo. Sicut Petrum in humana natura existere, aut subsistere, nihil aliud est, quam hanc humanam naturam, quæ est Petrus, existere. Atque hoc pacto cum dicimus, *Persona Verbi in duabus naturis subsistit*, ad hoc redigitur enuntiatio ista: *Naturæ duæ, unica et simplici divinæ personæ proprietate subsistunt*. Sic illud, *Hypostasis Verbi facta est hypostasis humanæ naturæ*, in illud resolvitur: *Hypostasis Verbi, qua per se subsistens est, adjunctam sibi naturam hominis eadem subsistendi proprietate fecit subsistere.*

VII. Hæc si diligenter notata, et in promptu habita fuerint; facile erit tenebras illas dispellere, quas manifestæ veritati argutiis quibusdam argumentorum offundunt adversarii: ex quibus hic attingam aliqua, quorum enodatio ad pleniorem facit mysterii illius intelligentiam.

Inter hæc vero nullum admirabilius, nec minori cum ratione propositum videtur, quam quod ex Patrum auctoritate primo loco instruit doctissimus ille, quem supra commemoravi [1], theologus. Itane Patres habet auctores opinio illa, quæ hypostasim Christi negat esse compositam? Aut nihil a nobis est tot illis ex antiquitate supra citatis testibus profectum; qui de hypostasi Christi composita tam certo, liquidoque pronuntiant? Ecquos vero suffragatores adducunt, qui contra disputant? Qui vel nihil adversum nos, vel etiam adversus ipsosmet faciunt.

Gregorius papa in homilia 38. in Evangelia, (nam primus hic in medium profertur,) « Absit hoc, *inquit*, ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere: sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus. » Quis non stupeat Gregorii verba illa in eam accepta fuisse partem, tanquam ex naturis duabus compositam Christi neget esse personam: cum ex personis tantummodo, non ex naturis, nolit esse compositam: imo ex naturis compositam Christi personam, atque ipsum adeo Christum diserte significet? Siquidem personam Christi promiscue accipit cum Christo, ut ex eo constat, quod cum *personam Redemptoris nostri* nominasset, mox eumdem Christum vocat. Jam cum *ex duabus, et in duabus naturis existere* personam ait Christi; proculdubio compositam ex naturis illis esse significat. Etenim hac ipsa loquendi formula, *ex duabus, et in duabus naturis*, antiqui omnes compositionem aliquam naturarum indicari sentiunt, ut supra docuimus. Tum vero illis ex ipsis verbis hujusmodi esse Gregorii mens ostenditur. Quippe « ex duabus, et in duabus naturis existere Christum, sive personam Christi » primum affirmat: deinde huic tanquam ex adverso respondens opponit illud: « Sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus. » Quare pro eodem habet, *ex duobus existere*, et *ex duobus componi*; tanquam diceret: *ex duabus naturis componi credimus*, sed *ex duabus personis componi* nolumus.

VIII. Idem scribit Anastasius Sinaita, qui « (1) catholicam Ecclesiam *ait*, duas unitas naturas asseverare esse Christum: at vero duas hypostases duasve personas in ipso usurpare non audere, sed nec ipsum ex duabus hypostasibus, aut personis compositum profiteri. Est enim hypostasis, separatim, ac per se subsistens persona. » In his verbis nihil est quod compositioni ex naturis duabus obstrepat: quin ea potius indidem prudenti judicio colligitur. Cum enim dixisset, *duas esse naturas unitas, hypostases* vero *duas* negasset: subinde *ex hypostasibus, personisve duabus compositum non esse* docet: tanquam ex eo consequens quod dixerat, non esse duas hypostases unitas. Quare cum naturas idem duas unitas agnoscat; sequitur ex illis ipsis compositum esse Christum. Mirum vero est, doctissimum theologum Anastasii locum illum attulisse, ut hoc probaret, quod in capitis lemmate posuit: *Personam, et hypostasim Christi nec esse, nec dici debere in se compositam*; cum idem Christum ipsum compositum esse defendat. Atqui locus ille Anastasii de Christo loquitur, (cujus nomen in eo latine describendo nescio quomodo prætermisit theologus,) nec

(1) ANAST. in Ὁδηγῷ cap. 22. pag. 344. Καὶ τούτῳ τῷ κανόνι στοιχοῦσα ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία δύο μὲν ἡνωμένας φύσεις λέγει εἶναι τὸν Χριστόν. Δύο δὲ ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα, ἐπ' αὐτοῦ λέγειν οὐκ ἀνέχεται· ἀλλ' οὔτε μὴν ἐκ δύο αὐτὸν ὑποστάσεων, ἤτοι προσώπων συντεθέντα κηρύττει· ὑπόστασις γὰρ τὸ ἰδιάζον καθ' ἑαυτὸ πρόσωπον ἐστιν.

[1] Tiphan. cap. 65. p. 398.

hypostasim Christi nominat. Quare si hoc ipsum, de quo agit, compositum esse negat; non hypostasim, sed Christum negat esse compositum; contra quam doctissimo theologo videtur. Ita suam ipse testimonio illo sententiam evertit.

Nam quod Theodorum Abucaram [1] affirmare putat, hypostasim Christi compositam non esse, non dissimilis est error, ac secum ipsius conflictio: quippe Christum promiscue cum hypostasi Christi ibidem accipit. Quare si hanc compositam non esse dicit, etiam de Christo idipsum inficiatur. At neutrum negat absolute, esse compositum: sed eum modum compositionis excludit, qui usitatis, et creatis in rebus intelligitur. Etenim causam hanc affert, propter quam compositus non est Christus, quod in compositis naturalibus totum, quod componentibus ex partibus existit, non dicitur fuisse, antequam partes inter se jungerentur; Christus vero ex æterno extitisse dicitur. Item, nullum compositum partium singularum nominibus appellatur; Christus autem tam Deus, quam homo vocatur. Ex quibus illud solum efficitur, quod et nos ultro concedimus, non eamdem esse rationem compositionis in Christo, quæ est ceterarum; ut superiori capite fuse docuimus: nonnullam tamen esse sui ac proprii generis, nihil est quod prohibeat.

IX. Sequuntur aliquot argumenta, contra eamdem compositionem personæ Christi: quæ ex iis nullo negotio dissolvuntur, quæ supra hoc in capite sunt tradita. Ut cum objicit sic: Hypostasim, et personam Christi ipsam esse Verbi divini personam et non aliam; hanc autem in se, et absolute esse simplicissimam. Hoc ex ante dictis facile est explicatu. Nam persona ipsa Christi si ex eo æstimetur, quod in ea *materiale* est, ut vocant, naturæ sunt duæ, adeoque composita censetur. Sin forma, proprietasque subsistendi spectetur, simplicissima est. Idem quippe est cum essentia ipsa divina.

Non minus expedita responsio est ad id, quod ibidem opponitur: Neque ex Verbo divino, neque ex assumpta humanitate, hypostasim Christi esse compositam. Non ex Verbo ipso: quia Verbum nihil aliud est quam hypostasis Verbi; idem autem ex seipso componi nequit. Non ex humanitate ipsa; quoniam etsi natura humana conjuncta Verbo, hominem hoc faciat, quatenus homo formam, et naturam significat; personam tamen neque ex toto, neque ex parte constituit. Satis est ad ista responsum in antecedentibus. Hypostasim Christi ex naturis duabus componi, constans est assertio veterum. Ceterum in Verbo discernenda sunt duo: alterum, quod est Deus, sive natura ipsa tribus personis communis: alterum, quod est Filius, sive persona. Hoc autem ex personali ad naturam adjuncta proprietate fit. Nam etsi reipsa non differt a natura proprietas; nec ulla proprie dicta compositio duobus ex illis existit: inest tamen discrimen aliquod rationis, cogitationisque nostræ, quod Græci κατ' ἐπίνοιαν vocant, quod in divinis sufficit, ut diversa de ambobus affirmentur, ac nonnulla complexio, vel compositio intervenire dicatur: ut ex Basilio alibi demonstratum est [2], qui eam συμπλοκὴν appellat. Quocirca proprietas illa Verbi, quæ est *filietas*, utriusque naturæ quasi forma est, et existendi modus, hoc est τρόπος τῆς ὑπάρξεως, ut græci Patres loquuntur: qui naturas duas modificat, ac determinat. Ac duplex pro intelligentiæ nostræ captu, in persona Christi compositio nascitur: una ex naturis duabus inter se conjunctis: altera, ex personali proprietate, quæ est *relatio* Filii, et naturis iisdem, quæ relatione ista et proprietate, tanquam nexu quodam, et uniente forma copulantur. Verum posterior ista compositio, ut a priore distinguitur, non est rei cum re altera. Non enim *relatio*, quæ est *filietas*, res est a Verbi natura diversa; ab humana vero distat eatenus, quod re idem est cum Verbi substantia.

X. Paulo dicuntur ista fortasse subtilius, quam fert instituti nostri ratio. Sed necesse sic fuit, ne non illud explicaretur, quod est propositum, quomodo in Christo naturæ duæ componantur. Teneatur hoc modo; compositionem illam, de qua hic præsertim agitur, ex naturis constare. Nec illud moveat, quod ab eodem objectum est theologo [3], « Humanitatem Christi ad hypostasim Verbi divini longe minorem habere perfectionis proportionem, quam punctum ad lineam, et accidens ad subjectum, et suppositum creatum. » Quasi hæc a nobis compositio quæratur, in qua mutua sit inter componentes partes communicatio perfecti. Gratis ista finguntur; et ea superius causa est allata, cur nec compositio hypostasis Christi ceterarum similis esset, nec ex partibus constaret proprie dictis: quarum est illa conditio, uti certis opportunitatibus sibi invicem commodent.

[1] Theod. Ab. Opusc. 2. To. 11. Bibl. p. 383.

[2] Tom. 1. lib. 2. c. 3. init. — [3] P. 399.

Quo si nulla nisi eo modo compositio fit, ut mutuo se componentes res perficiant, ne Christus quidem compositus dici debuit, ut ab illo dicitur [1], *compositione reali, et absoluta, et ad intra.* Est enim Christus aliud nihil, præterquam Deus et homo, sive naturæ duæ inter se conjunctæ. Quare perfectiorem oportet divinam effici personam ab humana natura, si aliter conjungi duo illa nequeunt. Et, ut uno verbo dicam, nihil ab erudito illo theologo argumenti propositum est adversus illam, quam infirmare voluit, hypostasis Christi compositionem, quod non eadem vi compositionem illam, quam in Christo fatetur esse, labefactet.

XI. Atenim [2] si est hypostasis Christi composita, non eadem erit cum hypostasi Verbi, quæ est simplicissima: atque ita quarta quædam accedet ad Trinitatem hypostasis. Ut enim unitas addita numero, numerum facit alium; sic natura hominis adjuncta hypostasi Verbi, si eam compositam reddit, prorsus aliam facit ex alia. De quarta hypostasi, quam crebro intentare solebant Catholicis hæretici, plenius postea disputabimus. Nunc eo contenti simus: hypostasim Christi eamdem prorsus esse cum hypostasi Verbi, si proprie, et, ut in Scholis dicimus, *formaliter* loquamur. Nam est una eademque naturæ utriusque forma, idem subsistendi modus, a quo hypostaseos ratio, ac denominatio petitur: improprie tamen, et, ut eædem scholæ dicunt, *materialiter*, differt hypostasis eadem, qua est Verbi solius, a seipsa, quatenus naturam afficit utramque, sicut aqua vino rubro mista, unum cum eo rubrum facit, et nihilominus duplex quiddam est, et compositum, si subjecti, ac materiæ ipsius ratio ducatur: differtque dilutum hoc modo vinum, quod κρᾶμα dicitur, a seipso, qua merum est, et simplex. Cum autem humana natura, ut supra dictum est, accidentis instar sit ad personam Verbi; non mutat ejus naturam, nec diversam eam facit. Sicut Petrus candidus non est diversa persona a seipso nigro, tametsi nonnulla fiat ex colore ac subjecto compositio. Quod longe melius in Verbo incarnato locum habet, cujus rationem nulla potest undecumque capta similitudo consequi.

XII. Ad extremum nescio quid doctissimus ille theologus, qui compositam hypostasim Christi haberi non patitur, ne quarta constituatur hypostasis divina, pro se hiscere posset, si hoc illi objiceretur: Christum, quem ab hypostasi Christi distinguendum existimat [3], divinum sine dubio quiddam esse; et quidem personam divinam, quæ non est Pater, aut Spiritus sanctus: sed neque hypostasis Verbi, si ab ea distinguitur tanquam compositum a simplici. Erit ergo quartum aliquid ad personas tres additum, idemque divinum; quod cum natura ipsa communis non sit, superest ut sit Trinitatis persona quarta.

Recte itaque Hugo Victorinus in libro quæstionum in epistolam Pauli ad Romanos [4]: « Sic illa, *inquit*, unio facta est, quod nec divina natura mutata est in humanam, nec humana in divinam, nec nova natura, vel nova persona facta est ex duabus naturis: sed ineffabiliter unitæ duæ naturæ sunt in Christo, ut assumens, totum quod habuit per naturam, conferret assumpto per gratiam, etc. » Item [5], « Duæ naturæ sic sunt unitæ in Christo, ut partes in toto; sed differenter. Non enim sicut totum habet esse ex conjunctione partium, sic persona Christi ex unione humanitatis et divinitatis habet esse. Nihil enim novum habet esse ex utraque natura. »

XIII. Ut autem iis, quæ hucusque sunt exposita, paulo plus lucis afferatur, paucis enodanda illa quæstio est, quam nonnulli commoveré solent, an ad essentiam personæ Christi humana natura pertineat. Nam si id affirmes, statim inde sequi videbitur, diversam a Verbi persona Christi esse personam: ex quo nec opinatum illud existet, quod nemo non absurdum judicabit; personam Verbi post assumptam naturam hominis extinctam fuisse, eique successisse alteram essentia diversam. Siquidem, detractata ὑσιώδει aliqua parte, mutatur essentia, et mutata perit. Hoc sibi ἄπορον nectit, et objicit anonymus ille, quem contra catholicam fidem fanatico more bacchantem libro sexto confutavimus. Qui sic ei respondet [6]: « Verbum præcise ante Incarnationem fuisse vere, et proprie personam, et suppositum, quia habebat divinitatem, modum proprium subsistendi, et carentiam compositionis; ac post Incarnationem Verbum non fuisse proprie suppositum, et personam: quia licet retinuerit divinitatem, et proprium modum subsistendi, quo distinguitur a Patre, et Spiritu sancto, non tamen retinuit carentiam compositionis, quæ est simpliciter necessaria ad rationem, et denominationem suppositi. »

Verum jocularis, et inepta est ista responsio. Ridiculum est enim hypostasim Verbi, perso-

[1] Cap. 64. pag. 393. — [2] Tiph. c. 65. p. 400. et seq. [3] Id. p. 392. — [4] Quæst. 3. tom. 1. — [5] Id. q. 4. — [6] Anon. p. 240.

namve hoc ipsum esse desiisse, quod ante fuerat, post assumptam hominis naturam. Non enim persona Verbi perire potest, nisi intereunte Verbo.

XIV. Sed ut sophistica totius argumenti calumnia, et aliæ similes pateant, ac diluantur: magnopere illud animadverti volo, quod est supra notatum. Cum persona Verbi duo quædam in sua notione habeat; naturam divinam, et quem Græci vocant τρόπον τῆς ὑπάρξεως, id est *existendi modum*, sive proprietatem personalem, quæ est υἱότης, id est *filietas*; quas inter veluti partes, solum rationis, ac τῆς ἐπινοίας discrimen interest; sic ambas inter se comparari, ut et natura ipsa talem modum velut congenerem, atque, ut scholæ loquuntur, *connaturalem* postulet, ut persona sit, et in Filio subsistat: et vicissim modus iste, quem *personalitatem*, ac vulgo *subsistentiam* vocant, naturam hujusmodi, hoc est divinam, tanquam connaturalem exigat, ut eam determinet, ac suppositum personamque Trinitatis unam, et secundam faciat.

Quod si alterius cujuspiam, quam divinæ ad illam naturæ fiat accessio, ea minime connaturalis est; sed accidens, et adventitia; quæ nec suppositum constituat, quod ex sese jam completum est, et absolutum; nec decedendo minuat, aut immutet. Mutabitur autem, et suppositum esse, imo in rerum existere numero desinet, si cogitatione divellas ab eo naturam illam, quam ut congenerem, ac propriam requirit.

Quamobrem natura hominis assumpta nihil ad essentiam, ut ita dicam, personæ Verbi attinet. Siquidem hujus essentia nulla est alia, quam personis tribus natura communis, et divina. Sed si essentiam latius usurpes de eo omni, quod ratio, et τὸ τί ἦν εἶναι dicitur, nihilo etiam magis ad personam illam attinebit, quam accidens quodlibet, velut candor ad hypostasim corporis albi.

Nam quod Verbum ideo post Incarnationem hypostasim non esse, aut personam putat anonymus, quoniam non habet illam, quam vocant *carentiam compositionis*, quatenus cum humana natura componitur; simili in ambiguitate conflictatur, et minime callida ingenia ludificat. Etenim personæ rationem neutiquam ex ea natura metimur, quæ adventitia est, et infra personalis modi conditionem, quam in scholis *exigentiam* mos est dicere. Sed ex ea solum, quam proprie, et, ut nominare cœpi, connaturaliter afficit, ac determinat: cujusmodi est in divinis personis divinitas. Quocirca Verbi persona neque mutatur eo ipso, quod alterius, quam divinæ naturæ est hypostasis; neque capite, ut ita dixerim, minuitur, ac persona esse desinit: cum, ut identidem dixi, natura quælibet creata ad divinam applicata personam puncti instar sit ad lineam, aut accidentis ad substantiam. Atque hæc demum animadversio ad reliquas ejusdemmodi cavillationes anonymi diluendas tum idonea est, tum vero necessaria.

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

DE PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM DOGMATUM HISTORIA.

CAPUT PRIMUM.

Pelagii ortus, vitæ genus; an Chrysostomo, et Isidoro Pelusiotæ cognitus. De Cælestio ejus discipulo; utriusque gesta, certamina, accusatio, damnatio. Diospolitana synodus, deque Pelagio judicium. Augustini cum ambobus contentio. De Orosio, ejusque apologia. De Herote, et Lazaro Pelagii accusatoribus. De Africano concilio, in quo ad extremum damnatus est cum hæresi sua Pelagius. Zosimi papæ res in causa illius hæresis gestæ. De Juliano, ejusque cum Augustino conflictu. 1

CAPUT SECUNDUM.

De Pelagii dogmatibus. Quæ fuerit primigenia illius hæresis. Sex genera gratiæ ab illo constituta, quorum primum natura est, et liberum arbitrium. Novorum dogmatistarum astutia, qui inter Pelagiana decreta numerant liberi indifferentiam arbitrii. Quod illorum commentum arguitur; et obiter exponitur, in quo sita fuerit hæresis illa.

CAPUT TERTIUM.

De secundo gratiæ genere a Pelagianis constituto, quæ est peccatorum remissio. Disputatur quo sensu Pelagius eam gratis, ac non secundum merita dari dixerit. Rejiciuntur interpretandi varii modi ab novo dogmatista propositi. Maxime quod ait, Pelagium putasse, arbitrii integritatem imminutam esse post antiqua, et patriarchica tempora. 14

CAPUT QUARTUM.

De reliquis quatuor gratiæ generibus ex mente Pelagii, quæ sunt lex, sive prædicatio Christi, ejusdemque exemplum; tum interior mentis illuminatio. Item adoptio, ac filiorum status baptismo comparatus; ac postremo vita æterna. De tribus primis istorum et duobus antecedentibus accurate disseritur; quatenus necessaria illa esse Pelagius putaverit. 22

CAPUT QUINTUM.

De sexto, et postremo gratiæ genere, quod est æterna vita. Quomodo Pelagius ab æterna salute cœlorum regnum distinxerit, et utrumque gratiam esse docuerit. De electione ad gloriam ex mente Pelagii, difficilis enodatur quæstio. Duplicem ab illo electionem adstrui; unam ad gratiam, alteram ad gloriam. 25

CAPUT SEXTUM.

De reliquis Pelagianorum dogmatibus. Originale peccatum ab illis sublatum. Infantes cur baptizandos censuerint. Adamum, nisi peccasset, moriturum fuisse iidem asserebant. Tum posse hominem, si velit, peccato omni carere. Qua ratione Pelagius hoc defenderit. Cælestii decreta. De ἀναμαρτησίᾳ ab utroque constituta. Hominem ita perfectum posse esse dicebant, ut nihil opus ei foret petere dimitti sibi peccata. Supervacaneas orationes pro infidelium conversione quatenus esse docuerint. Eorumdem ἀπάθεια. Ecclesiam in hac vita sine macula et ruga esse voluerunt. Legem veterem commendabant. Regnum cœlorum in eadem promissum esse dicebant. Negabant divites posse salvari. Nec esse jurandum. Nestoriana hæresi infecti fuerunt. 28

CAPUT SEPTIMUM.

De Semipelagianis, et eorum dogmatibus, præcipue circa gratiam Christi; non unum genus illorum fuisse; et alios aliis tolerabilius errasse; Cassianum vero omnium gravissime. De initio gratiæ, et voluntate credendi. Quonam pacto a Pelagianis dissideant. 35

CAPUT OCTAVUM.

Qualem gratiam adversus Pelagianos, eorumque reliquias Augustinus, Prosper, et Catholici per illud tempus asseverarint. Eam fuisse, quæ non solum mentem illuminet, sed etiam voluntatem moveat. Pelagium agno-

visse illuminationem intellectus, sed hanc gratiam putasse non esse necessariam. Quod ex Augustino probatur; et Augustini vicissim ex eo sententia. 41

CAPUT NONUM.

Ex Semipelagianorum opinione, et Prosperi contra eos disputatione colligitur, gratiam Christi non in sola mentis illuminatione consistere, sed etiam in voluntatis motione consistere. Tum ex concilio Africano, et Arausicano. Rursum de Pelagianis ostenditur, eos interiorem agnovisse gratiam; ac nonnulla de illorum hæresi accuratius exposita. Respondetur iis omnibus, quæ ex adverso proponuntur. 47

CAPUT DECIMUM.

Colligitur ex antecedentibus, quæ fuerit Pelagiana, et Semipelagiana hæresis, et utriusque discrimen. Præsertim vero de Semipelagiana agitur, ac fide initiali, sive bona voluntate. Ostenditur, ex illorum mente meritum habuisse gratiæ, sed non perfectum; quomodo ea fides ab illis nuncupata sit. Explicatur ratio meriti perfecti, et inchoati. Quanam ratione citra opera reipsa edita, justificari tam ex fide, quam ex operibus dicantur homines, dum charitas in eorum cordibus diffunditur. An in sola mentis illuminatione Christiana gratia collocari possit. Moveri etiam ab illa voluntatem. Doctrina et suasio gratiæ declaratur. Qui sint gratiæ adstruendæ limites ab Ecclesia, et apostolica Sede constituti. Refelluntur hæretici, qui in Dordracenis actis perperam Pelagiana dogmata describunt; et ab eorum calumnia vindicatur Bellarminus, et alii. 52

DE TRIDENTINI CONCILII INTERPRETATIONE

ET S. AUGUSTINI DOCTRINA.

Epistola ad amicum. 65

CAPUT PRIMUM.

Abbatis præscriptum de interpretandis Tridentini concilii decretis ex Augustini doctrina. Id imprimis refellitur ex concilii ipsius, et Pii quarti sanctionibus. 69

CAPUT SECUNDUM.

Refellitur eadem epistolæ præscriptio altero argumento, quod Augustiniana doctrina non sit intellectu facilis, deque ea controversiæ plures exortæ fuerint. 71

CAPUT TERTIUM.

Augustini doctrinam neutiquam fautricem esse novæ factionis. Cujusmodi interpretem Augustinum esse statuat Tridentinorum decretorum Abbatis epistola; idque alio rursus argumento confutatur ex eo, quod Augustinus longe ætate Synodum antecesserit. Diluuntur ea, quæ in contrarium allata sunt in epistola. 73

CAPUT QUARTUM.

Convelluntur deinceps firmamenta omnia, quibus auctor epistolæ nititur, ut ex Augustini doctrina probet interpretandum esse Tridentinum concilium. Cui ex adverso illud opponitur: ad Augustini sententias multa Tridentinum addidisse explicandi gratia, quod exemplis aliquot approbatur. 76

CAPUT QUINTUM.

Secunda ἐπίστασις epistolæ, quod multum Augustino tributum sit auctoritatis ab conciliis, et Romanis Pontificibus. Vana ex eo illius argumentatio dispungitur. De Arausicana synodo ejusdem hallucinatio; tum de Cælestino, deque Synodo quinta. Augustini dogmata omnia non probari ab Ecclesia, ac nonnulla rejici. Explicatur perdifficilis ejusdem Augustini locus. 77

CAPUT SEXTUM.

Tertia consideratio Abbatis, quod Augustinianæ doctrinæ partes sic inter se cohæreant, ut, una admissa, reliquæ sequantur omnes. Æstus et repugnantia dictorum in epistola. Tum calumniosa ratio, qua doctrinam Augustini de prædestinatione pari loco habet, ac quæ de gratia ab illo disputantur, et ad fidem pertinere putat. 82

CAPUT SEPTIMUM.

Expenditur catena illa Augustinianam doctrinam colligans, quam perperam interpretatur epistola. Semipelagianorum error in illa notatus; tum calumnia in Catholicos ab illa conjecta falso. Probatur ex Tridentini concilii doctrina, voluntatem hominis libere se determinare, et quo id sensu dicatur. 84

CAPUT OCTAVUM.

Epistolæ gravis, et hæreticus error excutitur, nullam esse Christi gratiam, nisi efficacem, id est operis efficientem. Cujus firmamentum evertitur. Apostoli locus perperam accommodatus ab epistolæ scriptore; cujus intolerabilis hallucinatio indidem detecta, ex qua sequitur, solos prædestinatos affici gratia Christi. 86

CAPUT NONUM.

De Christi generali voluntate omnium salvandorum epistolæ falsa sententia. Tum de vana, et ludicra Augustinianæ doctrinæ connexione in eadem epistola proposita. 88

CAPUT DECIMUM.

Augustini doctrina perperam intellecta ab epistolæ scriptore. De gratia solis electis peculiari agere sæpius Augustinum, cum de ea disputat. Quarta et postrema epistolæ consideratio discutitur. 90

CAPUT UNDECIMUM.

Multa epistolæ errata reprehenduntur ; et illustratur Augustini doctrina, quam illa perperam interpretatur. De gratia prædestinatorum propria. 92

CAPUT DUODECIMUM.

Epistolæ pars altera confutatur, in qua Tridentini concilii canonem quartum sessionis sextæ nova interpretatione depravat illius auctor. Quæ primum explicatur ; deinde universe refellitur, quod sit absurda, neque cum verbis decreti congruat, imo Luthero inexpugnabilem respondendi rationem suppeditet. 94

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Nonnulla per saturam in epistolæ parte altera notantur absurde dicta. Calumnia ejusdem in explicanda libera potestate, ac deinceps aliæ similes. Tridentinæ doctrinæ inepta declaratio ab eadem adhibita. 96

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Prosperi locus ridiculum in sensum acceptus ab epistola. De duplici gratia inutilis ejusdem observatio ; falsa item expositio Tridentinæ doctrinæ. 98

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Tridentinæ doctrinæ sensus ex eorum expositione, qui Concilio interfuerunt, eruitur ; ac primum ex Dominico Soto, qui communi sententiæ suffragatur. Tum ex Andrea Vega. 100

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Francisci Horantii, et Ambrosii Catharini de libertate hominis, et gratia judicium. 103

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Covarruvias de libero arbitrio et gratia contra ac novi dogmatistæ sentiens. Item Alphonsus Salmero. 105

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Joannis Eckii de eodem argumento sententia novis dogmatistis adversaria. Quid de Philippo Melancthone referat : qui, et rejecta Lutheri opinione de libero arbitrio, catholicam secutus est. Idque Stanislai Hosii testimonio comprobatur. Unde Tridentini concilii interpretatio colligitur. 106

CAPUT NONUMDECIMUM.

De Joanne Fischero Roffensi episcopo, Alphonso a Castro, Joanne Driedone, Ruardo Tappero ; qui omnes Iprensibus contradicunt. 108

CAPUT VIGESIMUM.

De Gaspare Contareno, et Joanne a Bononia, qui eamdem doctrinam contra novos dogmatistas tuentur. 110

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Didacus Stunica, Stapleto, et Senonense concilium Iprensem errorem condemnant. 112

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Epilogus ; in quo de epistolæ scriptoris, adeoque novorum dogmatistarum secta observatione dignum, et Catholico cuivis apprime necessarium judicium fertur. 113

DE LEGE ET GRATIA.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

xponitur illorum opinio, qui legi Mosaicæ præceptum attribuunt illicitæ rei ac nefariæ. Cujus erroris summa ad certa capita revocatur. 123

CAPUT SECUNDUM.

Vetus Testamentum, ex nuperorum dogmatistarum opinione, omni gratia, et auxilio ad bene vivendum, et ad salutem necessario caruisse : idque non Judæorum, sed Legis ipsius vitio atque culpa. 125

CAPUT TERTIUM.

1-2. Apologetici nuperi κρύψις et fucus, in propugnando Mosaicæ legis adversario. — 3. Legem per se esse bonam ; ex accidenti vero causam peccati. — 4. Dogmatistæ nuperi falsa opinio. — 5. Augustini auctoritate damnata. — 6. Manichæorum et Marcionitarum affinis hæresi. 128

CAPUT QUARTUM.

1. Legis antiquæ vituperatores, eorumque principem contra se sentire, ac veræ interdum opinioni suffragari.

Quid sit ex professo aliquid facere, et ex accedenti. — 2. Declaratur medicorum exemplo, quomodo lex vetus ex accidenti peccatum augebat. — 3. Refelluntur ex Augustino Legis obtrectatores. — 4. Tum ex usu communi loquendi, et absurdo, quod ex illorum sententia sequitur. 131

CAPUT QUINTUM.

1. Anomorum erroris capita tria; quæ singillatim refutantur. — 2. Primum : Synagogam non fuisse veram Ecclesiam, sed colluvionem quamdam hominum carnalium ex genere suo damnabilem. — 3. Atque hoc non ex eo factum esse, quod mali essent, sed quod ex Legis præscripto viverent. — 4. Secundum caput : in Ecclesia, tam quæ ante Christum exstitit, quam quæ postea secuta est, solos censeri justos. — 5. Tertium caput : Judæos eo ipso, quod Legi obtemperarent, scelus fecisse, ac damnationem meruisse. 134

CAPUT SEXTUM.

1. Digressio ad explicandum Legis, ac Testamenti veteris statum, ex Apostoli ad Romanos epistolæ doctrina ab Augustino declarata. — 2. Judæorum, ac gentilium de justitia contentio. — 3. Quid Lex proprie egerit. — 4. Cur eam a gratia sejunxerit Apostolus. — 5. Legis veteris ratio potissimum in sanctione, sive pœnæ infligendi spectatur. Quid sit sub lege esse. — 6. Finis, ac scopus in danda lege, Deo propositus, isque triplex. — 7. Qui singillatim probatur. 137

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria ex ratione Legis superiori capite confecta. — 1. Refellitur error Anomorum negantium Judæos, ad servandam legem sibi divinitus traditam, ullis gratiæ fuisse præsidiis instructos. — 2. Gratiæ genus duplex, initialis, et adultæ. — 3. Hanc charitatis, illam fidei nomine Augustinus appellat : et utramque rursus charitatem nominat. — 4. Legis quoque vocabulum interdum mandata, interdum cœtum significat populi lege devincti. — 5. Utroque modo lex vetus a nova distat, ut figura a veritate. — 6. Ex eo vetus est dictum prius Testamentum, quod in promissis temporalibus figuraret spiritalia, et æterna. — 7. Præcepta legis novæ, quod ad substantiam attinet, eadem quæ veteris, aut pene eadem esse veterum aliqui dixerunt. — 8. Finis in quo diversus : et an promissum in lege veteri regnum cœlorum. 142

CAPUT OCTAVUM.

1. Nulla lex, qua præceptis constat, gratiam ac vires ad agendum sufficit. — 2. Lex nova, non ut lex, sed ut statum, auctorem, et opes novi Testamenti complectitur, auxilia gratiæ subministrat. — 3. Ita Spiritus S. nova lex digito Dei cordibus inscripta dicitur. — 4. Christi gratia non sic est propria novi Testamenti, ut in vetus porrecta non fuerit. — 5. Finis proximus legis veteris temporalis, consentaneis gratiæ accessionibus rudem populum ad spiritalia, et æterna desideranda provexit. — 6. Status iste veteris proprius legis imperfectus fuit, malus non fuit. — 7. Medicorum hoc exemplo declaratur. — 8.-9. Et ex Augustino, aliisque probatur. 146

CAPUT NONUM.

1. Ex dictis lux admovetur Anomorum dogmati. — 2. Quid sit Synagoga, ut synagoga, et quæ vis reduplicativi termini. — 3. Synagogæ χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα, fœdus antiquum, et Mosaica lex erat. — 4. Consentaneis gratiæ per Christum auxiliis non caruit. 150

CAPUT DECIMUM.

1. Inscita Anomi convicia in ipsum recidunt. — 2. Suæ in Legem calumniæ patronum falso inscribit Augustinum. — 3. Cujus testimoniis convincitur iisdem, quæ pro se laudat. — 4. Synagoga, ut synagoga, vere fuit Dei Ecclesia. 152

CAPUT UNDECIMUM.

1. Explicatur fons et origo illius erroris, quo Legis et Testamenti veteris status vitiosus ab Anomis statuitur. Duo in vetere Testamento genera hominum, bonorum, et malorum : e quibus longe plures isti fuerunt : ac sic interdum de Judæis Scripturæ loquuntur, quasi nemo in illis justus esset. — 2. Quod imitatus est Apostolus. 3. Ex quo regulam interpretandæ Scripturæ Patres constituunt. — 4. Unde commode loca multa conciliantur. — 5. Anomorum improbum dictum. — 6. Perperam in Apologia defensum : cujus auctor adeo occæcatus fuit, ut conflictum sententiæ suæ cum iis testimoniis, quibus eam fulcire conatus est, non animadverteret. 154

CAPUT DUODECIMUM.

De causis, propter quas Deus cum Judaico populo fœdus antiquum iniit. — 1. Falsa Anomorum ratio, qui fœdus illud in crimen vocant. — 2. Refelluntur quæ ex Augustino perperam colligunt contra statum antiquæ legis. — 3. Absurda illorum opinio, et falsa Augustini loci interpretatio, in quo Testamentum vetus comœdiæ instar fuisse dicitur. 157

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. De Anomorum errore, qui hominibus sub lege, non *sufficientem*, sed *impedientem* gratiam affuisse dicit. Hunc merito ab illustris. D. Haberto Vabrensi episcopo fuisse reprehensum. — 2. Qui adversus illorum calumnias defenditur. — 3. Duobus modis impedire aliquid potest, per se, aut ex accidenti. — 4. Utro modo in Testamento veteri impedientem dicas affuisse gratiam, nihil Anomorum opinioni commodare. Quo sensu lex peccatum dici intelligitur : deque eo sacrilegus Anomorum error. — 5. Eodem atque illi modo legem veterem accusant, Christianam quoque damnari posse : necnon quæ in ea sunt sanctissima. 159

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

1. Excutitur altera calumnia Anomorum apologistæ, qui ex Pelagiana hæresi invidiam facit veteris Testamenti defensoribus. — 2. Anomos abhorrere ab Augustini sententia. — 3. Qua ratione Pelagiani veteris Testamenti sanctos laudare instituerint. — 4. Longe ab his diversum fuisse propositum illustr. D. Vabrensis episcopi. — 5. Sub lege esse, et sub lege vivere, diversa sunt. — 6. Quid sit sub lege esse. — 8. Non id semper in malam partem accipi; ut apologista credidit. — 10. Idipsum de nova etiam usurpari lege, quod de antiqua dicitur. — 11. Hinc Anomorum fallacia, et fucus discutitur. 163

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Hominibus sub lege degentibus, et infidelibus affuisse gratiam Christi, demonstratur argumento longe validissimo, et Anomorum inscita hallucinatio convincitur. 168

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Explicatur novorum dogmatistarum opinio de gratia Christi. — 2. Quam illi solum esse charitatis inspirationem asserunt. — 3. Apologetici auctor huic doctrinæ consentaneus. — 4. Nullum esse opus bonum ex illorum sententia, nisi fiat ex amore justitiæ. — 5. Iidem virtutes omnes sola charitate metiuntur. 171

CAPUT SECUNDUM.

Explicantur nonnulla ad hanc controversiam disceptandam necessaria. — 1. Amorem generalem affectum esse fusum per omnes virtutes : quem et charitatis nomine afficit Augustinus. — 2. Duplex gratia, sive charitas, inchoata, et robusta. Utriusque varios esse gradus : quod in priori specie monstratur. — 3. Hos ipsos gradus in Tridentino concilio describi. — 4. Qui quidem justificationem antecedunt, ut eadem synodus declarat. 173

CAPUT TERTIUM.

Motum omnem gratiæ ex Christi provenire meritis late ex Augustino probatur. 175

CAPUT QUARTUM.

Augustinum sæpe, cum de gratia Christi medicinali loquitur, solam intelligere robustam et actuosam, non autem initialem, et rudem. Ex quo Anomorum ingens ortus est error. 178

CAPUT QUINTUM.

Armacanos nullam Christi gratiam medicinalem agnoscere aliam quam charitatem, hoc est perfectam, demonstratur ex quinque argumentorum locis, quos in eam rem afferunt. 180

CAPUT SEXTUM.

1. Repetuntur summatim quæ in prioribus capitibus disputata sunt, ac pessime de gratia Christi sentire Anomos ostenditur, qui eam perfecta charitate circumscribunt. — 2. Idque perperam Augustini auctoritate defendere. — 3. Quod ut probetur, explicatur paucis Pelagiana hæresis. — 4. Tum Semipelagiana. Contra priorem disputans Augustinus gratiam ea notione sumpsit, qua est operum effectrix. — 6. Contenduntur inter se gratia ab Augustino tradita, et Pelagiana. — 7. Et illustrantur. 183

CAPUT SEPTIMUM.

1. De metu gehennæ, quem bonum esse catholica fides docet in Tridentino concilio statuta. — 2. Armacanorum varia, et hæretica de illo sententia. — 3. Quam negant ex Christi esse gratia. — 4. Sed ex Tridentino ipso decreto refelluntur. — 5. Eorumdem æstus et perplexa ratio. — 6. Lutheri de eodem metu, et ex eo suscepto dolore damnata opinio. — 7. Plane eadem quam instaurarunt Armacani. 187

CAPUT OCTAVUM.

1. De Pœnitentia ex metu gehennæ suscepta, Armacanorum error, quo ita bonam illam esse fateri videntur, ut tamen non sit ex Christi gratia. — 3. De metu gehennæ, Augustini sententiæ in speciem contrariæ : ac primum eæ commemorantur, quæ illum commendare videntur. — 6. Tum quæ damnare. — 7. Quadruplex in universum timor a S. Thoma constituitur. — 8. Triplex ab aliis. Ejusdem causa duplex. — 9. De illo timore apud Augustinum observanda duo. Primum, loqui ipsum de eo timore, qui ex natura ortus cum affectu peccandi conjungitur, cum eum condemnat. — 12. Alterum observandum de duplici gratia rudi, et perfectiore. Hinc Armacanorum fucus detegitur. 191

CAPUT NONUM.

1. Ex dictis colligitur, dolorem ob peccata ex metu gehennæ susceptum bonum esse, et ad justificationem præparare. — 3. Præcipuum adversariorum firmamentum illam esse sententiam, qua nullam aliam putant esse gratiam Christi præter charitatem veram, et proprie dictam. — 4. Fucus illorum in constituendo amore sui, qui quatenus in vitio ponatur, aut sit honestus, et ad institutum nostrum attineat, exponitur. — 5. Amorem hunc sui non se tanquam ultimum finem sibi proponere, sed peccandi voluntatem excludere. — 6. Ut hoc melius intelligatur, duplex ex Augustino radix operum ponitur, charitas, et cupiditas. Sed illa non est sola vera et proprie dicta. — 7. Quod ex Augustino demonstratur ; qui et fidem ex charitate, et tamen ex fide charitatem provenire dicit. — 8. Unde concluditur, charitatem alias late, alias proprie, et stricte accipi. — 9. Quomodo ex hac distinctione Augustinus interpretandus sit. 196

CAPUT DECIMUM.

De justitia, et amore justitiæ, quam unicam Christi esse gratiam novi dogmatistæ statuunt. — 1. Explicatur ratio justitiæ communis. — 2. Quæ eadem cum honesto, decoro, et legi consentaneo, vel legitimo. — 3. Duplex decorum, sive honestum. — 4. Amorem justitiæ, quam charitatem vocat Augustinus, non esse proprie dictam charitatem, sed cujuscumque dilectionem honestatis. — 5. Nec justitiam ejusmodi esse, quæ Deo inest. Tum vero reperiri in iis etiam voluntatis motionibus, quæ amorem sui adjunctum habent, necnon timorem gehennæ. — 6. In his vero affectionibus, quæ ex fide proficiscuntur, reperiri piam in Deum propensionem — 7. Item referri ad Deum ipsum vi, non tamen expresse. — 8. Nec esse justitiam nostram, sed Dei, et ex gratia oriri. — 9. Et honestatis amorem propter se continere. — 10. Duplex ex Augustino justitia. 200

CAPUT UNDECIMUM.

De Tridentini concilii sententia, et decreto super Contritione. — 1. Novorum dogmatistarum falsa illius expositio. — 2. Contritio universe proposita, et definita primum a Synodo, tum in duas species divisa. — 3. Describitur caput quartum sessionis XIV. illius synodi. — 4. Tum novæ sectæ in eo explicando flagitia describuntur. — 5. Quæ quidem refelluntur. — 6. Maxime auctoritate doctorum, qui Tridentino concilio interfuerunt ; ut Dominici Soti. — 7. Tum Andreæ Vegæ. — 8. Necnon aliorum. 204

ELENCHUS THERIACÆ VINCENTII LENIS.

CAPUT PRIMUM.

Inscita de latinitate Vincentii expostulatio. 213

CAPUT SECUNDUM.

1. Controversiæ status. — 2. Vincentii prævaricatio, et dogmatis proditio : dum repudiatam a magistro suo peripateticam philosophiam ad liberi arbitrii doctrinam adhibet. 214

CAPUT TERTIUM.

Liberi arbitrii ratio constituta ex peripateticæ philosophiæ decretis a S. Thoma præsertim explicatis in Summa theologica. Præcipue notanda capita quinque de libertate hominis ex eodem. 216

CAPUT QUARTUM.

1. Eadem ratio liberæ voluntatis ex Aristotele probatur, tum Nemesio, Joanne Damasceno. — 2. Pelagianos recte de illa sentientes probavit Augustinus. — 4. Suffragatur et communi doctrinæ Michael Baius. 218

CAPUT QUINTUM.

1. Fucus Vincentii theriacopolæ in libertatis vocabulo. — 2. Hujus vocis ambigua notio, ac veræ libertatis proprietas exposita. — 3. Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam usurpandum, cujus notæ aliquot ex S. Thoma præscriptæ. — 4. Meritum non aliunde oriri, quam ex usu liberi arbitrii. — 5. Itemque laudem et vituperium. 220

CAPUT SEXTUM.

1. Vincentiana de libertate contra superiorem S. Thomæ doctrinam disputatio. — 2. Ejusdem falsa interpretatio S. Thomæ. — 3. Refellitur ex eodem S. Thoma. — 4. De libero arbitrio tota est quæstio, non de voluntate. In illo vera, et formalis est libertas, non in quavis motione voluntatis : quod uberius declaratur. — 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtute contineatur libera electio. 222

CAPUT SEPTIMUM.

1. Liberi arbitrii essentia perperam ab Vincentio definita. — 2. Quæ refutatur. Imperium in quo situm sit. — 3. Quomodo voluntas movere se dicitur. — 4. Voluntatem sibi non imperare proprie. 225

CAPUT OCTAVUM.

1. Absurda consectaria Vincentianæ doctrinæ. — 2. Ex ea sequi omnem voluntatis actionem esse liberam, etiam in amentibus et parvulis. 226

CAPUT NONUM.

1. De necessitate opinio S. Thomæ. — 2. Huic contrarium tuetur Vincentius, qui omnem necessitatem arbitrio libero adversam vocat coactionem : adeoque duplicem constituit, sed perplexe, et obscure. — 3. Diluitur Vincentianæ sententiæ cavillatio. — 5. Male ab eo necessitas cogens explicatur. — 6. Et refellitur ex iisdem, quos citat, auctoribus. 228

CAPUT DECIMUM.

1. Insignis Vincentii error in quodam S. Thomæ loco usurpando. — 2. Qui quidem exponitur. — 3. Et ostenditur nihil ad causam Vincentii pertinere. — 4. Cujusmodi necessitatis genera ibidem declarentur. 230

CAPUT UNDECIMUM.

1. Quid inter brutorum appetitum, et hominis libertatem intersit. — 2. Quod ex S. Thoma declaratur. — 3. Tum illustratur ex Hierocle Pythagoreo. — 4. Quid distet ab eodem appetitu brutorum, hominis voluntas non libere agens, sed necessario. 233

CAPUT DUODECIMUM.

1. Vincentii æstus in explicando discrimine necessitatis, qua bruta feruntur, et parvulorum, aut amentium. — 2. Frustra ex imperatrice vi voluntatis ab illo peti, quæ nulla circa necessaria sit. — 3. Pecudum, maximeque asinorum, petitum ab Vincentio testimonium eluditur. — 5. Ludicrum ejusdem ἀπόρημα. 235

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. Cyrillus Hierosolymitanus perperam appellatus a Vincentio. — 2. Ovis exemplo libertatis ac meriti rationem explicat. Et ludicra Vincentii opinio de brutorum appetitu. — 3. Qui circa finem ultimum clare cognitum libere ferri voluntatem, falso putat, et laudem etiam inde promereri. — 4. Sed in laudis ambigua significatione cavillatur. 237

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Ex Vincentii opinione sequi Spiritum S. produci a Deo libere, et ex arbitrio libero. Ex quo horrendæ blasphemiæ sequuntur. 239

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Vincentium frustra Patrum testimonia cumulasse ad opinionis suæ faciendam fidem. Ex iis nihil ab illo effici. — 2. Voluntarium sæpe pro libero ab auctoribus usurpari, et voluntatem pro libero arbitrio. — 3. Vincentium libertatem ita describere, ut non cuicumque voluntatis actioni, sed ei, quæ est liberi arbitrii propria, tantummodo conveniat. — 4. Ejusdem desultoria levitas, qui alias liberum arbitrium cum simplici voluntate confundit, alias separat. Quæstionem hic esse de solo arbitrio libero. — 5. Quomodo pacificari controversia ista debeat. 240

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

1. Ridicula Vincentii jactantia. Voluntarium, et spontaneum sæpe pro libero sumitur. Damasceni locus ab eodem contra se productus. — 2. Quo liberi arbitrii propria ratio continetur. 243

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

1. Vincentii falsa definitio libertatis. — 2. Nata ex inscitia latinæ vocis *imperii*. — 3. Ejusdem de actu reflexo voluntatis fabula. 244

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

1. Aristotelis locus perperam intellectus, et expositus a Vincentio. — 2. Necnon Damasceni. Cui laus proprie conveniat. 245

CAPUT NONUMDECIMUM.

1. Quæstio ab Vincentio commota, utrum voluntas, quo se instanti movet, duplex judicium propositum habeat. — 2. Respondetur re unicum, virtute esse duplex ; quoniam *eligibile* est, quod offertur voluntati : adeoque utile, et contingens, non necessarium. — 3. De indifferentia voluntatis : in qua frustra conflictatur Vincentius. 246

CAPUT VIGESIMUM.

1. De locis Scripturæ, quibus liberi arbitrii descriptio continetur. — 2. Vincentii strophæ in eo loco, qui est Genes. quarto. — 3. Necnon in altero, Ecclesiastici decimo quinto. — 4. Cujus falsa interpretatio refellitur, qua testimonium illud, et alia similia refert ad statum innocentiæ. — 5. Quod ex ipsa orationis serie redarguitur. — 6. Tum ex veterum consensu. 247

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

1. Colligitur ex superiori disputatione, essentialem libertatem positam esse in indifferentia, sive potestate utriusque. — 2. Quod ex variis illius descriptionibus, et vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium exprimunt, ostenditur. — 3. Tum ex Scriptura. 250

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

1. Expenditur Augustini locus ex libro de Correptione et gratia ab Armacanis objici solitus, in quo de auxilio sine quo non, et quo agimus, disserit. — 2. De sola perseverantiæ gratia ibi Augustinum loqui. — 3. Qualis ea fuerit Adamo concessa. — 4. Cujusmodi sit ea, quæ per Christum conceditur. 252

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

1. Pergitur in illustrando loco illo S. Augustini.— 2. Non pertinere ad quamcumque Christi gratiam. — 3. Qui differat Christi gratia ab ea, quæ data est Adamo : ac primum exponitur cujusmodi hæc fuerit : tum qualis Christi meritis parta. 254

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Errata Vincentii deinceps collecta per saturam. — 1. Possibilitatis gratiam negat esse gratiam Christi, idque ipsum refellitur. — 2. Ejusdem mendax calumnia de Molina, Lessio. Et de Petavio. 256

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

1. Vincentii error, et falsa interpretatio loci cujusdam Augustini de Correptione et gratia, et aliorum in quibus de *auxilio sine quo non* et *quo* agitur ; tum de *possibilitate*. — 2. Possibilitatem recta agendi, gratiam esse, negat Vincentius : idque refellitur. — 3. Idem gratiam primi hominis naturalitatis aliquid habuisse dicit. — 4. Quod in Michaele Baio damnatur. 258

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Falsa argumentatio Vincentii diluitur, quam contra Catholicos instruit, de gratia Adamo data, et Christi meritis parta. 259

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Non omne peccatum esse culpam, ac quid inter ambo hæc intersit : quod ex S. Thomæ, tum S. Augustini auctoritate comprobatur. 261

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

1. Vincentii et Armacanæ sectæ falsa opinio ; In eo etiam, quod necesse est, et vitari non potest, adultos homines esse culpabiles. — 2. De gratia sufficiente, quæ aliquot Augustini testimoniis adstruitur. 262

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Epilogus, in quo querelæ Vincentii Lenis occurritur de asperitate Petaviani stili. 264

DE ADJUTORIO SINE QUO NON

ET ADJUTORIO QUO

BREVIS DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur præsentis disputationis occasio, et quæstio ipsa constituitur. 271

CAPUT SECUNDUM.

In quo falsa Jansenii argumentatio convincitur. 272

CAPUT TERTIUM.

Multis aliis rationibus falsa novi dogmatistæ eliditur opinio, et vera Augustiniani loci sententia comprobatur. 274

CAPUT QUARTUM.

Explicatur ac dissolvitur quod pro novi dogmatistæ sententia, et Augustiniani ab eodem allati loci interpretatione potest objici : tum operis totius conclusio. 275

DE INCARNATIONE VERBI.

—

PRÆFATIO.

—

LIBER PRIMUS.

In quo hæresum omnium, quæ catholicæ de Incarnatione fidei adversatæ sunt, historia describitur

CAPUT PRIMUM.

Synopsis hæresum omnium, quæ catholicam Incarnationis fidem oppugnarunt, quæ ad decem capita revocantur. 287

CAPUT SECUNDUM.

De hæreticis, qui divini Verbi incarnationem funditus abnegarunt. Tredecim præcipui recensentur, ac primum Carpocratiani, Cerinthus, Nazaræi, Ebionitæ, Helcesæi, Artemon, Theodotus Coriarius, Theodotus Trapezita, Beryllus : quorum omnium dogmata declarantur. 290

CAPUT TERTIUM.

De Paulo Samosateno, ejusque hæresi, ob quam duæ synodi Antiochiæ celebratæ sunt, quarum in posteriore de sede sua dejectus est ; sed cum cedere nollet, Aurelianus imperator a Catholicis interpellatus, vi illum detrudi jussit. Hujus hæresis exposita. De Sabellio item, et cujusmodi circa Incarnationem illius error extiterit. De Patripassianis. 294

CAPUT QUARTUM.

De hæreticis illis, qui carnem non revera susceptam, sed specie tenus existimarunt, quos Græci Δοκητὰς, et Φανταστιαστὰς nominant. — 1. De Simone mago, — 2. ejusque hæresi ac discipulis, — 4. Saturnino, Basilide. — 5. De Valentino, — 7. Secundo, Epiphane, Isidoro. — 8. Ptolemæo, Marco, Ophitis, Sethianis, — 9. Cerdone, — 10. Marcione, — 11. ejusque dogmatibus, ac de Lucano. — 12. De Manichæo, — 13. ac de ejus fabulis ; — 14. Apelle, Priscilliano : Quorum omnium historiæ, ac prava dogmata perstringuntur. 300

CAPUT QUINTUM.

1. De hæresi Patripassianorum. — 3. Quos Sabellianos vocant : quibus Priscillianistæ, et Apollinaristæ a nonnullis accensentur. — 4. De Arianorum hæresi circa Incarnationem : in qua animæ instar esse Filium Dei putarunt. — 7. Cur hæc pars hæresis illorum vulgo minus cognita, et sæpius omissa sit. — 8. Eamdem alterius, et præcipuæ, quæ contra divinitatem pugnabat, appendiculam fuisse, utpote quæ divinitatem Filii patibilem assereret, tanquam diversam, inferioremque vera, et paterna. — 9. Manuelis Calecæ de Arianis locus insignis 306

CAPUT SEXTUM.

1. De Apollinari hæretico, cujus historia primum exponitur. Episcopum hunc fuisse non Antiochiæ, sed Laodiceæ. — 3. Ejusdem eruditio. — 4. Scriptorum multitudo. — 5. Hæreses variæ. Præcipua de Incarnatione : qua Christo, — 5. partim animam detraxit, — 6. partim mentem. — 8. Carnem item consubstantialem asseruit divinitati. — 12. Et hanc ideo patibilem fecit. — 15. Alii errores ejusdem, de animæ propagatione ; de Trinitate Millenariorum fabula. — 16. Quibus in synodis dicta sit in Apollinaristas damnationis sententia. — 17. De Timotheo, — 18. et Vitali Apollinaris discipulis. — 19. De Antiochena synodo contra Apollinarem habita. 310

CAPUT SEPTIMUM.

De Nestorio hæretico. — 1. Ejus origo, vitæ institutum. — 2. Provectio ad episcopatum. — 3. Hæresis a Paulo Samosateno, et Theodoro Mopsuesteno accepta. — 4. Qua incarnationem Verbi negans, θεοτόκον dici Virginem non est passus. — 5. Quod primus publice ausus est prædicare Dorotheus episcopus, vel Anastasius presbyter Nestorii asseclæ. — 7. Simultates ejusdem cum Cyrillo, et mutuæ litteræ. Alienatio ab Nestorio Constantinopolitani cleri, ac populi. Cælestini papæ de illo decretum, ut nisi intra decem dies errorem revocet, a communione sua, et episcoporum aliorum sciret se esse rejectum. — 8. Nestorii pervicacia, et in Catholicos furor. 321

CAPUT OCTAVUM.

De concilio Ephesino, in quo Nestorius cum hæresi sua damnatus est. De damnatione, ac depositione Nestorii, deque turbis ab Joanne Antiocheno, et Orientalibus excitatis ; iisdemque postea restinctis. De Nestorii relegatione, et concordia inter Joannem, et Cyrillum restituta. 325

CAPUT NONUM.

De Nestoriana hæresi, in quo maxime sita fuerit. — 1. Duas in Christo naturas ita separabat, ut eo consequens esset, personis esse distinctas. — 2. Deum ne-

gabat natum ex Virgine ; — 3. vel passum, aut mortuum ; vicissimque hominem esse Deum. Nec unum esse Christum, nisi affectu, et σχέσει, hoc est externa quadam habitudine dicebat ; non proprie, ac substantive. — 6. Neque vero duos Christos, aut filios palam, ac verbis asserebat, etsi reipsa hoc adstrueret, et Incarnationem funditus tolleret. — 10. Postremo θεοτόκον dicendam B. Virginem non putabat, sed χριστοτόκον. 329

CAPUT DECIMUM.

1. Comparatur Nestoriana hæresis cum nonnullis aliis huic affinibus : — 2. velut Pauli Samosateni, Photini. — 4. De Diodoro Tarsensi, variisque de eo priscorum judiciis ; quorum alii non mediocriter ipsum prædicant, alii suspectum faciunt hæretici dogmatis. 334

CAPUT UNDECIMUM.

De Theodoro Mopsuesteno : ejus scripta : consuetudo cum viris sanctis, et litterarum commercium ; de quo multa falso prodita ab illius defensoribus. Facundus rotatur. Cyrillus Theodorum impugnavit tanquam hæreticum ; necnon Diodorum Tarsensem. Theodori impia dogmata ex quinta Synodo. 338

CAPUT DUODECIMUM.

De Pelagianis ; ac de Leporio monacho ex eadem secta ; quatenus Nestorianæ similem hæresim paulo ante professi sunt : deque Leporii emendatione. 343

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De Eutyche auctore nefandæ hæresis, deque ejus prima damnatione in concilio Constantinopolitano, sub Flaviano episcopo. De latrocinali synodo Ephesina, cui Dioscorus Alexandrinus præsedit : in qua Flavianus depositus est, et male mulctatus triduo post obiit. De Martiano Theodosii successore, deque damnato, et relegato Eutyche. Tum de Chalcedonensi concilio, ac rerum ibi gestarum summa. 345

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De Eutychis hæresi. Tria illius flagitia : quod carnem Christi negabat ex Virgine sumptam : quod ante unitionem duas naturas fuisse diceret, in quo cum Nestorio conveniebat : quod unam post unionem naturam statueret. Quod postremum variis modis explicabat. Naturæ duæ ab illo confusæ : negata reipsa Incarnatio, etsi verbo aliud profiteretur. Θεοτόκον Virginem revera negabat, quamvis aliud profiteretur. 351

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Comparatur Eutychiana hæresis cum iis, quæ illam antecesserant, Valentini, Marcionis, Manichæi, Apollinaris, et similium : quibus affinis fuit. Tum, quod mirabilius est, docetur eamdem cum Paulianistarum, ac Nestorianorum hæresi congruere. Ab Origene ansam eidem errori oblatam fuisse, ac de illo obiter disseritur. Postremo ex Cyrilli verbis male acceptis perperam sentiendi occasionem Eutychen habuisse. 357

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De Eutychianæ sectæ propagine : quæ exposita temporis Chalcedonensem secuti synodum historia declaratur. De Alexandrinis episcopis catholicis, et hæreticis ; sub quibus, vel a quibus incrementum habuit hæresis illa : Timotheo Æluro, Petro Moggo, Theodosio monacho Palæstino : nece Proterii, Leonis imper. studio, et confirmatione Chalced. synodi : Acacio Constantinop. et ejus schismate : Petro Cnapheo, et Theopaschitis : Basilisci tyranni decreto contra Synodum, Zenonis henotico, Acephalis, Hæsitantibus, Anastasio imper. Severo, Corrupticolis, Incorrupticolis, Theodosianis, Gaianitis, Justiniano imper. Anthimo Trapezuntino, Tritheitis, Joanne Philopono. Quæ omnia breviter, accurateque declarantur. 361

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Hæresis Eutychianæ variæ sectæ ex antecedentibus plenius explicantur. Duodecim illius segmenta. De Acephalis præsertim, ac Severitis, quorum quinque sectæ traduntur. De Jacobitis, et Armenis ; et aliis eodem spectantibus. 366

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

Consectaria quædam Eutychianæ sectæ, quæ partim citra hæresis labem, partim ad hæresim implicata, catholicam Ecclesiam infestarunt. De altercatione Catholicorum super hac quæstione, utrum unus de Trinitate passus esse dici debeat. De Acœmetis monachis. De trium Capitulorum controversia, ejus origine ac disceptatione in quinta Synodo facta : cujus historia pertexitur. 370

CAPUT NONUMDECIMUM.

De Monotheletarum hæresi. — 1. Ejus initium, et origo ab Heraclio, et Sergio patriarcha. — 2. Cyrus Alexandrinus illius propagator, novem edidit capita ; — 3. quibus Sophronius Hierosolymitanus restitit. — 4. Honorius pacis causa supprimendam hanc quæstionem judicavit. — 5. Ecthesis impia ab Heraclio et Sergio promulgata, et ab Romano Pontifice, atque occidentali Ecclesia damnata. — 7. Maximi monachi cum Pyrrho Monotheleta disputatio, et Typus hæreticus a Constante imperatore publicatus. — 8. Martinus papa typum eumdem, et hæreticos fautores anathemate percellit, ob idque exilio mulctatus sanctissime moritur : necnon Maximus insigni martyrio afficitur. — 9. Demum sub Constantino Pogonato, generali habita Synodo sexta, hæresis ista damnatur. 376

CAPUT VIGESIMUM.

1. De Monotheletarum dogmate, quod ex illius sectæ principibus petitur : velut ex Theodoro Pharanita. — 3. Ex Cyro Phasidis, post Alexandriæ præsule ; Sergio item, et Pyrrho. — 4. et Macario Antiocheno. — 5. Primum illius hæresis firmamentum, quod voluntates et actiones multiplicari censebant pro hypostaseon numero. — 6. Alterum, quod voluntates plures inesse non putabant in uno, et eodem, nisi contrarias. — 7. Tertium ex quibusdam Patrum testimoniis arcessebant ; velut ex Gregorio Nysseno, ex quo concludebant, humanitatem esse divinitatis instrumentum ; ideo unam et eamdem esse ambarum actionem. — 8. Deinde ex Dionysio, qui θεανδρικὴν actionem nominavit. 380

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quodnam Monotheletarum dogma fuerit. — 1. Unam in Christo voluntatem constituentes variis modis interpretati sunt. — 2. Ab quibus hæreticis propagati sunt. Inter alios a Nestorio ortum accepisse dicuntur : quod valde mirum sit. — 3. Præcipue autem ab Apollinaristis, et Monophysitis. — 4. De ecthesi Heraclii, et typo Constantis ; in quibus veteres constitutum aiunt, unam voluntatem, et unam actionem inesse Christo. — 5. Sed aliter habere videntur. Nam ecthesis nec unam, nec duas operationes dici patitur : voluntatem tamen unam callide profitetur : typus nec operationes, neque voluntates duas, unamve. — 6 Excutiuntur arcana illius

hæresis : ex quibus colligitur, unam operationem minus audacter, quam voluntatem unam ab illis prædicatam fuisse, cujus ratio deinceps exponitur, ex ἐνεργείας proprietate, — 9. et voluntatis, — 11. De Honorio Romano pontifice ; qui ab hæresis illius suspicione purgatur. 384

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De hæresi Feliciana, quæ Nestorianæ propago fuit. — 1. Quinam Felix et Elipandus fuerint. — 2. A quibus illa confutata. De Francofurtensi synodo. — 3. Exponitur hæresis ista Felicis. — 4. Necnon Elipandi. 391

APPENDIX.

Editoris adnotatio ad caput II, libri 1. De Incarnatione. De Ebionitis, Nazaræis, et docetis. 395

LIBER SECUNDUS.

Qui est de causis incarnati Verbi, maxime de ea quam finalem vocant.

CAPUT PRIMUM.

De præcipuis nominibus, quibus hoc mysterium ab antiquis theologis exprimitur. De οἰκονομίᾳ, προσλήψει, sive ἀναλήψει, et similium usu. Item σάρκωσις, ἐνσωμάτωσις, ἐπιφάνεια, etc. 399

CAPUT SECUNDUM.

Explicatur summa catholicæ de Incarnationis mysterio fidei, ac professionis : quod velut fundamentum jacitur insequentium disputationum. 405

CAPUT TERTIUM.

De vocabulis φύσεως, et ὑποστάσεως, *naturæ*, ac *subsistentiæ*, sive *personæ*. Hypostasim sæpe pro natura usurpari, etiam ab Cyrillo, qui ambigue usus est ista voce. Hypostasim ab natura differre, quod modum quemdam existendi præter hanc habeat. De Gelasio scriptore libri contra Nestorium et Eutychem obiter dictum. De hypostasi et οὐσίᾳ rursus accurate disputatum. 410

CAPUT QUARTUM.

De causis quatuor Incarnationis, ac primum de efficiente, quæ est Deus, sive Trinitas, quomodo tres personæ Incarnationem operatæ sint, et tamen solus Filius incarnatus sit. Declaratur hoc variis exemplis : tum ratio propria redditur, quod non in natura, sed in persona Verbi facta sit assumptio naturæ humanæ, ac velut ad genus causæ formalis pertineat. 418

CAPUT QUINTUM.

De causa Incarnationis, quam *finalem* vocant, seu moventem, qua impulsus est Deus, ut tantum beneficium præstaret. Ea trifariam dividitur. Primum enim, ad Deum ipsum refertur : cujus proprietates, et ornamenta multum in Incarnatione splendoris accipiunt ; velut bonitas, misericordia ; quæ quatenus in Deo sit, docetur. Item veritas, sapientia, justitia. Abaelardi stulta opinio, hominem negantis diaboli potestati fuisse subjectum, et ab ea liberatum. Quemadmodum diabolus illusus sit. Potentia divina per Incarnationem illustrata : necnon providentia. 421

CAPUT SEXTUM.

1. Finis duplex Incarnationis, quod ad hominem spectat, adjutorium, et magisterium. — 3. Quod ad primum attinet, venit filius Dei ad delendum peccatum. — 5. Ad peccatum porro expiandum tum originale, — 6. tum quod actuale vocant, præsertim idololatriam. — 7. Quod variis tentatis remediis curari non potuerat. — 9. Ad hanc scoriam detergendam divinitatis ignis adhibitus est. — 10. Ideo Jesus, et medicus vocatus est, — 12. et quasi artifex ad opus suum reficiendum venit. — 13. Venit etiam ut corruptelam et mortem extingueret : — 15. quam timere deinceps desiere sancti, — 16. et supplicium amplius non fuit. — 17. De diaboli tyrannide ante Christi adventum ; — 19. et quomodo ad illam extinguendam Incarnatio comparata sit. 431

CAPUT SEPTIMUM.

1. De bonis, et commodis, quæ per incarnationem filii Dei in homines importata sunt : ac primum quod omnia per ipsum instaurata sunt. — 2. Quid sit ἀνακεφαλαιώσασθαι : significare hoc verbum, in compendium redigere. — 3. Tum compendio omnia mutare instaurando. — 4. Item, ad unum caput revocare. Quinam hoc Incarnatione perfectum sit. — 6. Factum hoc esse eo ipso, quod divinam in nobis instauravit imaginem. — 7. Imago et similitudo Dei quomodo deformata sit per peccatum. — 8. Eadem per Christum quomodo restituta. — 9. Quatuor præcipuæ dotes imaginis illius, — 10. per peccatum depravatæ, ac perditæ, — 11. per Christum instauratæ singillatim docentur, — 12. et quomodo per gratiam Mediatoris restituantur. 441

CAPUT OCTAVUM.

Alii fines Incarnationis : — 1. Ut homines fierent filii Dei, quod e Scripturis probatur, — 2. et Patribus. — 3. Quod et primogeniti appellatio declarat. — 4. Ideo fratres nos vocat. Et dignitas ista novi propria Testamenti. — 5. Finis alius Incarnationis, ut unum cum Deo fierent homines. — 6. Unde et caput nostrum est, et nos illius membra. — 7. Quare assumpto uno homine, omnes quodammodo assumpti sunt homines. — 8. Ideo naturam non singularem, sed universalem assumptam esse dixerunt aliqui. — 9. Et quæ in Christo gesta sunt, nobis attribuuntur. 447

CAPUT NONUM.

1. Finis alius Incarnationis, ut Mediator esset aliquis Deum inter, et hominem. — 2. Cujus fructus explicatur, — 3. in eo maxime positus, ut cœlestia nobis dona communicentur. — 4. Ex quo valde aucta, et amplificata dignitas conditionis humanæ ; — 5. idque variis similitudinibus illustratur. — 6. Eodem spectat finis alter Incarnationis ; ut carnem, sive humanam naturam corruptam sanaret, — 7. ac roboraret ; — 8. ut virtutum in eam omnium ornamenta congereret ; — 9. ut auxilia gratiæ, quam quæ Adamo concessa fuerant, potentiora conferret. 452

CAPUT DECIMUM.

1. De fructu altero Incarnationis, ac fine, qui in doctrina situs est. — 2. Christum ideo venisse, ut homines doceret, e Scripturis primum astruitur, — 4. tum ex Patribus. — 5. Cur magistrum se bonum vocantem arguerit. — 6. Non solum bonus, sed etiam perfectus est magister : homines vero semper discipuli, — 7. quem ubique paratum habemus ad docendum. — 8. Explicatur quænam ille doceat : — 9. ac trifariam illa dividuntur. — 10. Primum est unius Dei cultus, ac dæmonum, et idolorum abdicatio. — 11. Quod ex veteris Testamenti

Scripturis asseritur; — 12. tum ex novi. — 13. Item ex Patribus. 458

CAPUT UNDECIMUM.

De duobus reliquis documentis summi magistri. — 1. Quorum alterum est, supremos bonorum et malorum fines ostendere, quod olim perplexos diu philosophos habuit. — 2. Alterum est viam docere, qua ad summum finem, id est ad regnum cœlorum tenditur. — 3. Hanc viam in illo sermone, quem in monte habuit, primum edocuit; tum ea quoque virtutum officia, quæ veteres philosophi tradiderant. Hanc porro doctrinam multo prolixius exemplo, quam sermone tradidit. — 6. et 7. Quod veterum testimoniis asseritur. — 8. Ideo omnium virtutum exempla in sese præbuit: — 9. imprimis humilitatis; — 10. necnon obedientiæ, patientiæ, et ceterarum: — 11. velut charitatis, quam ut ab hominibus exprimeret, homo est factus, — 12. ut videri posset ab illis, et amari; — 13. tum spei; — 14. cujus incitamenta ex incarnatione Verbi multa, et eximia proficiscuntur. 465

CAPUT DUODECIMUM.

1. Colligitur ex superioribus necessariam incarnationem fuisse Filii Dei; præsertim quod alia remedia incassum adhibita fuissent, maxime lex vetus. — 2. De hac Manichæorum error perstringitur, qui legem negant ob id datam Judæis, ut eorum saluti consuleretur. — 3. Quibus nonnulli Patres opponuntur. — 4. De necessitate Incarnationis, quæ veterum auctoritatibus adstruitur. — 6. Rationes quædam necessitatis illius a Patribus allatæ: velut quod impeccabilem eum oportuerit esse, qui pro hominibus satisfaceret. Ideo nec homines, nec angelos potuisse satisfacere. — 9. Alia ratio, quia Spiritum sanctum, et adoptionem filiorum nulla dare creatura potuit. 472

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. Usitata maxime ratio, cur incarnari Deum necesse fuerit, ut exacta satisfactio fieret. — 3. Anselmi mirifica sententia, de absoluta necessitate Incarnationis, eaque latius explicata. — 7. Huic alii Patres opponuntur, qui alio modo liberari homines potuisse censent. — 11. Tum illius argumentis occurritur. 476

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

1. Expenditur ratio illa in superioribus capitibus allata ex Patribus, quæ meram creaturam satisfacere non potuisse docet. — 2. Cujusmodi sit stricta, ut vocant, justitia. — 3. Ejus prima conditio, ut satisfaciens ei sit gratus, cui satisfacit, ac sit immunis a peccato. — 4. Quod sine gratia fieri nequit. — 5. Ideo nulla simplex creatura idonea fuit ad exactam satisfactionem. Ad hæc, condignam satisfactionem illam Patres cogitarunt, qua fingi major nulla possit. — 6. Hujusmodi autem nulla existere potest ab mera creatura. — 7. Alia ratio ab culpæ infinitate petitur; cui satisfieri ab creatura nequit. — 8. Quæ infinitas ex offensi Dei majestate, et offendentis vilitate sumpta declaratur. 482

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. De convenientia incarnationis Filii Dei: — 2. ac primum cur Filium præ ceteris personis carnem suscipere decuerit; cujus prima ratio ponitur, ne filiorum Dei nomen in Trinitate multiplicaretur. — 3. Item quia per Filium recreari lapsum hominem congruum fuit, per quem erat conditus, — 4. tanquam per sapientiam; — 5. et per imaginem veram, ac naturalem, quod est Verbum, deformatam imaginem refici. Nec tamen impossibile fuit Patrem, aut Spiritum sanctum incarnari. — 8. Utcumque vero divinam aliquam personam redemptoris partes agere congruentius fuit, quam creaturæ mandari simplici; ne majore obstricti beneficio huic essemus, quam Deo. 485

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

1. De congruentia modi, quem in homine redimendo Deus adhibuit. — 2. Deum oportuisse sub externa apparere specie, — 3. et quidem humana. — 4. Ut eidem, quæ peccaverat, mederetur. — 5. Item de muliere nasci, ut auctor peccati auctor fieret remedii: — 6. sed virgine; quia virgo Eva peccarat. — 7. Nec indignum Deo natalem hujusmodi fuisse. — 9. Tum perpessiones reliquas, et cruciatus jure ab illo susceptos. — 10. Maxime ut exemplo suo pati doceret. Lactantii præclarus de eo locus. 489

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

1. Cur Christus tam sero ad homines liberandos venerit. — 2. Eusebii ratio quod homines antea minus idonei essent, ob morum feritatem. — 3. Gregorii Nysseni contraria ratio, quod expectandum fuit, dum corruptela hominis ad summum venisset. — 4. Alia causa ex Augustino, — 6. tum ex aliis, maxime illa: expectasse Deum, dum digna Deo pariendo mater existeret. — 7. Altera quæstio, an Deus incarnatus esset, si nullum præcessisset hominis peccatum. Non fuisse venturum, e Scripturis ostenditur, — 8. tum e Patribus. — 9. Cyrilli de ea re locus, — 10. qui expenditur. — 12. Ruperti contrariæ de eo sententiæ. 495

LIBER TERTIUS.

In quo de naturarum duarum conjunctione, sive unitione agitur.

CAPUT PRIMUM.

1. De unitione duarum in Christo naturarum, an de ea disputandum. — 2. Quatenus id sit agendum. — 3. Unitionis notio ex professione catholici dogmatis statim occurit. — 4. Hujus definitio, et ratio ex uno sumpta. — 5. Variæ ejusdem species ex antiquis Patribus. — 7. Ejus, quæ Incarnationis propria est, diversa nomina. 501

CAPUT SECUNDUM.

Nominum, quibus Incarnationis unitio significatur, accurata declaratio. — 1. Ἕνωσις, quæ est *unitio*, et quibusdam *unio*; — 2. De Gelasio auctore libri de Duabus naturis obiter. — 3. *Unio* potius *unitatem*, et *singularitatem* denotat, quam conjunctionem. — 5. Σύνοδος, *conventus*, et *conventio*. — 6. Σύμβασις, *compositio*; οὐσίωσις. — 7. Συνάφεια. — 8. Μίξις, et ἀνάκρασις, id est, *mistio*, et *temperatio*, quid sint, et quemadmodum discrepent invicem, ex variis auctoribus exponitur. — 10. Quidam κράσεως nomen abjudicarunt. — 11. non tam abhorrentes a voce, quam ab ejus interpretatione, qua *confusionem* significare creditur, et Eutychianum errorem sapere. — 14. Mistionis voce Catholici plerique sunt usi. — 15. Item κράσεως, et

similium. — 18. Memorabilis Pselli locus de duplici illo vocabulo. 505

CAPUT TERTIUM.

1. 2. Explicantur vocabula, et eorum proprietates, quibus Nestoriani usi sunt ad unitionem in Christo, Dei et hominis. — 3. Origo Nestorianæ labis in unitionis constituenda ratione. — 4. Ἑνώσεως nomen illis non placuisse, proque eo συνάφειαν usurpasse, — 5. quam disertius explicantes, sola dignitatis, ac voluntatis, et aliorum id genus communione metiebantur. — 7. Quinque vocabula, quibus Nestorii unitio declaratur; quorum primum est σχέσις, a qua σχετικὴ conjunctio dicitur. — 8. Cujusmodi illa sit. — 11. Altera formula explicandæ Nestorianæ συναφείας est κατὰ ἀναφοράν. — 12. Tertia est κατ' ἐνοίκησιν, secundum inhabitationem. — 13. Quarta est secundum operationem. — 14. Quinta est secundum personam. — 15. De persona, et unitione personali. 513

CAPUT QUARTUM.

1. De tribus nominibus, a quibus unitionis in Christo appellatio petitur, φύσει, οὐσίᾳ, ὑποστάσει; ac primum de φυσικῇ unitione, quam primus ita nominavit Cyrillus. — 2. Ideo in reprehensionem quorumdam incidit. — 3. Ob quam coactus est mentem explicare suam : et primo idem esse dixit quod veram. — 5. Altera ratio denominationis, quod ex ea unum aliquid per se fit. — 6. Tertia, quod naturæ sit humanæ cum Deo, non personæ conjunctio. — 7. Cur vocetur unitio κατ' εὐδοκίαν. — 8. De secundo vocabulo unitionis, quo οὐσιώδης dicitur, hoc est *substantiva*, sive *essentialis*. — 9. Quia substantiæ ipsæ per se copulantur, non interventu accidentis. — 10. De tertio nomine unitionis, quo hypostatica dicitur, quæ appellatio ab Cyrillo primum usurpata. — 11. Hanc soli Incarnationi convenire. Hippolytum in fragmentis denominatione illa usum esse, de quo ideo dubitatur. — 12. Post Cyrillum frequens illius usus. — 13. Et probatus in Chalcedonensi synodo; — 14. et in sequentibus : necnon a Patribus. — 15. Quid proprie significet. — 16. Theodoretus hanc locutionem impugnavit : defendit Cyrillus. — 17. Summatim trium appellationum istarum ratio subducta. 520

CAPUT QUINTUM.

1. De effectu unitionis in incarnatione Dominica; sive de eo, quod unum ex duabus naturis existit. Id necesse est esse substantivum aliquid : adeoque vel naturam unam, vel subsistentiam : in quibus Nestorii, et Eutychis error versatus est. — 2. Eutyches dixit, ante unitionem duas naturas extitisse, et ex duabus esse, non in duabus, sed in una : Catholici tam ex duabus, quam in duabus : quod Patrum aliquot testimoniis ostenditur. — 6. Quid sit ex duabus naturis esse tam ex Nestorii sensu, quam ex catholico dogmate : quod non habet illud, ex duabus ante unitionem constitisse. — 7. Itaque ad plenam fidei professionem duo illa conjuncta sunt, ex duabus, et in duabus naturis. — 8. Imo eo non contenti quidam, addenda putarunt alia. — 9. De gravi altercatione in Chalcedonensi synodo exorta, super istis vocibus, cum Anatolius omisisset illud, *in duabus*. — 10. Quæ dissensionis illius causa fuerit. Inter Orientales, et Ægyptios perpetuæ fere simultates intercesserunt. — 11. Dubitatum de quibusdam ad decretum fidei in Chalcedonensi synodo pertinentibus, et loci cujusdam emendatio. — 12. Sufficere ex duabus naturis Christum fateri, tametsi non addatur, in duabus; et vicissim tantumdem esse in duabus, atque ex duabus. 528

CAPUT SEXTUM.

Demonstratur ex unione duarum in Christo naturarum non unam coalescere naturam, sed duas manere. — 1. Quot modis una fingi posset. — 2. Imprimis altera extincta, unam minime superesse probatur ex Scripturis, quarum sententiæ identidem ex Patrum enarratione roborantur. — 6. Tum ex synodorum decretis idem duarum dogma naturarum adstruitur, præsertim œcumenicis. — 7. Item ex græcis Patribus, qui Eutychianam hæresim antecesserunt, et eam quodam præjudicio damnarunt. 535

CAPUT SEPTIMUM.

Idem de duabus post unitionem manentibus naturis fidei dogma ex latinis Patribus asseveratur, singillatim aliquot citatis testibus, qui Eutychiana hæresi antiquiores extiterunt. Tum universe omnium in illud consensio certis ex capitibus ostenditur. 544

CAPUT OCTAVUM.

Argumentis theologicis probatur ex unitione divinæ naturæ et humanæ non unam aliquam simplicem effici naturam, sed duas. — 1. Primum ex ipsa *unitionis* voce, ac significatione. — 2. Secundum, quod nec humana esset illa, nec divina. — 4. Tertium, quod natura una simplex contrarias proprietates non capit; cujusmodi insunt Christo Domino : — 7. Quartum, quod consubstantialis natura una simplex esse nequit naturis pluribus : at Christus consubstantialis est Deo Patri, et matri. — 8. Quintum, quia Christus Deus est, et homo : quod una simplici natura esse non potest. 549

CAPUT NONUM.

1. An Christus naturam unam habeat ex duabus compositam; itidem ut homo ex anima, et corpore componitur. — 2. Hoc Ariani, et Apollinaristæ sensisse videntur; — 3. maxime vero Eutychis fautores. — 4. quatuor modis unum compositum ex pluribus posse fieri : nullo vero istorum in Christo naturam unam esse posse. — 5. Id probatur primum ex eo, quod Christus nec Patri, nec matri consubstantialis esset. — 6. Proprium hoc esse compositorum ex partibus, ut aliud sint, et nominentur, quam singulæ partes : quod in Christo non evenit. — 7. De differentia unitionis animæ et corporis in homine, et duarum naturarum in Christo. — 8. Alterum argumentum, quod si esset una natura, partes componentes mutationem paterentur. — 10. Item quod Christus Deus, et homo vocatur. — 12. Rursus ex eo refellitur natura una composita, quod nullum habeat nomen. — 14. Non universalis est, neque particularis. — 15. Christi vocabulum proxime naturas duas significat, non unam. 553

CAPUT DECIMUM.

De hominis natura composita ex anima rationali et corpore, quo exemplo compositam Christi naturam adstruebant hæretici. — 1. Ratio dissimilitudinis a Patribus allata, quod hominis partes ante compositionem seorsim existant. — 2. non videtur firma, nisi ita declaretur : loqui Patres de eo, quod naturaliter fit; tum corpus, quod hominem componit, esse organicum. Ad hæc ea quibus homo constat, veras esse partes, et natura imperfectas; ideo posse unum aliquid per se componere, non itidem duas naturas in Christo. — 5. Leontius, asserens partes hominem componentes esse perfectas, exponitur. — 6. Vera ratio, propter quam in Christo natura una ex duabus minime componitur, ut in homine fit, est, quod ambæ illic perfectæ sunt. At omnis vera compositio fit ex actu et potentia. — 7. Quæ similia sint in structura hominis, cum naturarum duarum in Christo conjunctione. — 8. Testimonia veterum contra naturam unam compositam universe ad certa capita revocantur. 561

CAPUT UNDECIMUM.

Constituitur *unitionis*, quæ in Incarnatione fit, proprius, et formalis effectus, — 1. qui est una Christi persona naturis constans duabus, unusque Dei, et hominis filius. — 3. Id e Scripturis probatur primum. — 7. tum e Conciliis, eorumque symbolis; — 8. post, veterum Patrum sententiis, — 12. ac denique theologicis argumentis. 567

CAPUT DUODECIMUM.

Illustratur ratio, et proprietas personæ, sive hypostasis unius incarnati Verbi. — 1. Hypostasis vox varie accepta. — 2. Ejus ratio, ac definitio strictim explicata. — 3. Severi objectio discussa opponentis ridicule, ex duabus naturis duas naturas effici : cui respondetur, unam hypostasim fieri compositam. — 4. Hinc nata quæstio, an sit hypostasis Christi composita : idque affirmatur ex Patribus, qui hoc ipsum dicunt, hypostasim Christi compositam esse; — 6. vel Christum esse compositum. — 9. Duplicem esse Christum quo sensu neget Cyrillus. 573

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De quibusdam ex unitione hypostatica consequentibus; — 1. ac primum inquiritur in sensum enuntiationis istius, Hypostasis Verbi facta est hypostasis humanæ naturæ. — 2. Recensentur aliquot auctores ita locuti. — 3. Duplex illius sensus : prior, ut hypostaseos nomen proprietatem personalem : posterior, ut *existentiam* significet; et uterque declaratur. — 4. Duplex illa notio hypostasis illustratur. — 5. Hypostasis Christi ita naturas duas complectitur, ut divinæ propria sit; — 6. quod paucis adstruitur. — 7. Est tamen utrique naturæ communis; sed divinæ naturaliter convenit : humanæ vero, supra naturæ captum. — 8. Expenditur Leonis papæ a Petro Damiani citatus locus. 579

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Quinam fiat, ut hypostasis, seu persona Christi composita sit ex divina, et humana natura; et tamen propria sit solius divinitatis. — 1. Ad hoc explicandum repetuntur breviter quæ de hypostaseos propria conditione alibi explicata sunt ex opinione Patrum. — 2. Differentia hypostaticarum, et naturalium proprietatum. In individuis diversæ speciei, hypostaticas pro naturalibus haberi. — 3. Inter individuorum, et hypostaseon proprietates accidentes a Porphyrio, et antiquis Patribus constitutas, esse aliquam substantivam, nempe extantiam, et modum existendi; qui in divinis est relatio. Ex quo proposita quæstio dissolvitur : doceturque ideo hypostasim Christi esse divinam, quia est *filietas*, qui modus subsistendi prorsus est divinitatis proprius. — 4. Hinc Patres pervicisse dicunt potiorem substantiam, eam quæ inferior est. — 5. Sancti Thomæ Aquinatis de hypostasi Christi ad eamdem rem observatio pulcherrima. — 6. Quid sit habere, et quatenus Verbum naturam habet humanam; unde ejus est hypostasis. 583

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Contra illud, quod de composita hypostasi Christi constitutum est, objiciuntur nonnulla : velut ex eo sequi divinitatem esse partem. — 2. Maximus Christum ex naturis duabus, tanquam partibus, componi dixit. — 3. Aliorum opinio negantium esse partes. — 4. Compositionem illam non fieri ex partibus proprie dictis : ubi quæ sit ratio partis exponitur. — 5. Leontius notatur haud recte de partibus sentiens. — 6. Neutrum eorum, ex quibus constat Christus, est imperfectum. Utcumque tamen de carne judicetur; at Verbum non esse partem. — 8. Joannis Damasceni locus expenditur. — 9. Ostenditur Christi personam, licet usitato modo composita non sit, revera tamen esse. — 10. Duplex compositionis genus : unum quo partes mutuo se afficiunt, ut anima et corpus; alterum quo una duntaxat perficitur. — 11. Hoc secundum genus simplicitati nihil officit. — 12. Explicatur, et illustratur Athanasii locus. — 13. Quid sit συμπληρωτικὸν. — 14. Quod dupliciter sumitur. Verbum ab assumpta natura nihil accipit. — 15. Cujus rei causa disputatur. 587

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Proponuntur aliqua, quæ superiorem de hypostasi composita sententiam infirmare videntur. — 1. Ac primum Scholasticorum de hac quæstione pugna memoratur : maxime negantium; qui Christum aliud esse volunt ab hypostasi Christi. — 2. Quæ distinctio refellitur. — 3. Probatur vero compositio personæ Christi ex ipsa ratione unitionis. — 4. Unde oborta sit opinio negantium esse compositam. Nempe quod non animadvertunt hypostasim nomen esse concretum ex natura, et subsistendi proprietate. — 5. De concretis nominibus utiliter notata quædam. — 6. S. Thomæ locus quidam illustratur. — 7. Dissolvuntur ea, quæ adversus compositam personam objiciuntur : ac primum ostenditur nihil contra hanc allata Patrum testimonia facere. — 9. Tum aliquot argumenta solvuntur. Explicatur accuratius compositionis illius ratio. — 10. Non perfici ab humana natura hypostasim divinam. — 11. Nec sequi quartam esse in Deo personam. — 13. Anonymi quædam objecta diluuntur, et generalis observatio proponitur ad similes cavillationes accommodata. 594

FINIS INDICIS LIBRORUM ET CAPITUM.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN TRACTATU DE PELAGIANA ET SEMIPELAGIANA HÆRESI CONTINENTUR.

PRIMUS NUMERUS ROMANUS, CAPUT; SECUNDUS, SARACENIS NOTIS, PARAGRAPHUM INDICAT.

A.

Adamus etsi non peccasset, a quibus dicatur moriturus, VI. 4.

C.

Cœlestius Pelagianus quo anno Christi damnatus sit, I. 3. fuit Pelagii discipulus et illius hæresis fautor et propugnator acerrimus, *ib.* 6.
Catholicorum a Pelagianis dissensio, IV. 4.
Charitas quid sit secundum Augustinum, III. 14.
Christus a quibus negetur idem esse, qui ex Maria est, et ille qui ex Deo natus, et a quibus dicatur solum homo ex Virgine natus, VI. 15.
Cicero quænam bona dixerit non esse a Deo petenda, VI. 11.
Cogitatio sancta unde sit, X. 17. num prior sit gratia, quæ præcedit fidem, VIII. 14.
Consilium pium unde sit, X. 17.
Cor hominis quomodo tangatur a Deo, X. 21.
Cornelius quotuplicem habuerit fidem, X. 3.

D.

Deum non esse rogandum, ut peccata dimittat, quinam asserebant. VI. 9.
Divites in suis divitiis manentes, regnum Dei non posse ingredi, quinam asserant, VI. 15.
Dogmata hæresis Pelagianæ quænam fuerint, II. *per totum.*

F.

Fides quotuplex sit, X. 3.
Fidei initium quodnam sit, et quomodo vocetur, X. 5.

G.

Gratia Dei, qua juvamur ad non peccandum, in quo sita sit secundum Pelagium, I. 3.
Gratia quæ per merita Christi tribuitur, in quo ab hæreticis posita sit, VIII. 1. *et seq.* duplex ab Augustino refertur. *ibid.* 6. *et seq.* an sit homini necessaria, ut bene operetur, *ibid.* 12. quæ antecedit fidem, et ea quæ est ipsa fides, et charitas non includitur in duplici gratia ab Augustino allata, VIII. 13. Actualis quid sit secundum Semipelagianos, VII. 6. Quam Pelagius admittebat, quæ erat, II. 2. quot ejus sint genera, *ibid.* quomodo sit a Pelagianis constituta, IX. 6. *et seq.* quæ ab illis admittebatur, *ibid.* 10. quæ rejiciebatur, *ibid.* 11. ad quid valeat, X. 17.
Gratiæ quot sint genera secundum Pelagium, II. 2. quodnam sit primum. *ibid.* 5. quodnam secundum, III. 1. quæ sint alia quatuor, 4. *per totum* et 5. *per totum.*

H.

Hæresis Pelagiana in quo consistat, II. 11. Illius proprium dogma, *ibid.* 12. illius de primo parente dogma, VI. 4. cur damnata, *ibid.* VIII. 8. in quo clarissime exponatur, IX. 9. a quo primo fuerit damnata, 15. quæ fuerint illius dogmata, 2. *per totum;* quibus processerit gradibus ad confitendam gratiam Christi, *ibid.* 3. *et seq.*
Hæreticorum consuetudo quænam sit, II. 7.
Homo a quibus dicatur posse esse sine omni peccato et perturbatione, si velit, VI. 4. num possit bene uti suo libero arbitrio sine gratia, X. 17. quomodo adjuvetur a gratia, VIII. 10. eum esse sine peccato quotuplici modo intelligendum, VI. 10.

I.

Imputatio justitiæ, de qua loquitur Apostolus, quænam sit, X. 8.
Inspiratio num prior sit gratia, quæ præcedit fidem, VIII. 14. quid ea sit secundum Patres, IX. 5.

J.

Justitia legis quid sit, III. 14. qualis sit, *ib.* 15.

L.

Libertas voluntatis quid sit secundum Julianum Pelagianum, III. 12.

Liberum arbitrium an bene fuerit definitum a Pelagianis, II. 9. Cujus nitatur auxilio et indigeat ope, *ib.* 12. quid de illius senserint integritate Pelagiani, III. 13. quid possit sine adjutorio gratiæ, X. 17.

M.

Massilienses quid credebant de fidei desiderio, X. 6.

Mentis illuminatio et revelatio interior, qua Deus oculos cordis aperit; quid sit secundum Pelagium, et an necessaria, et propter quid data, IV. 2. et 3.

Meritum quotuplex ex Augustini sententia constituatur, X. 4. quodnam sit perfectum et proprie dictum, *ib.* 5. *et seq.*

Motus quivis bonæ voluntatis unde sit, X. 17.

N.

Naturæ statum non mutari peccato, quis dicat, III. 16.

O.

Orationes, quas facit Ecclesia, a quibusdam rejiciebantur, VI. 11.

P.

Peccatum originale, a quibus hæreticis sublatum, VI. 1.

Peccatorum remissio ex quo comparari poterat secundum Pelagianos, III. 3. an detur nobis secundum merita nostra, *ib.* 9. *et seq.* an sola Christi fide assequi possit, *ib.* 14.

Pelagiani quanam in re differebant a Semipelagianis, VII. 12. et X. 2. in quo ponebant gratiam, quæ per merita Christi tribuitur, VIII. 1. quam gratiam admittebant, IX. 8. illorum hæresis in quo clarissime luceat, *ib.* 9. quam gratiam admittebant, *ib.* 10. quam rejiciebant, *ib.* 11. quæ fuerit eorum hæresis, 10. *per tot.* ad quid dicant posse perveniri per solum voluntatis arbitrium sine gratiæ Dei auxilio, VI. 9. quænam sint illæ quinque res, quas prædicare solebant, *ib.* 12. quid crediderint de remissione peccatorum, 3. *per totum*, et IV. 5. cur parvulos baptizandos dicebant, cum originale peccatum negarent, VI. 1. illorum de primo parente dogma, *ibid.* 4. eorum a Catholicis dissensio, IV. 4.

Pelagianos non errasse in libertatis et liberi arbitrii natura, ostenditur, II. 9. in quo consistat eorum hæresis, *ib.* 11. in quo dignoscantur, *ib.* 12. quid senserint de liberi arbitrii integritate, III. 13. quid de mentis illuminatione, IV. 2. quid de baptismo, *ib.* 3.

Pelagius quid de gratia censebat, 2. *per totum*; quid de libero voluntatis arbitrio, *ib.* quid de gratia Christi, *ib.* 2. quid de remissione peccatorum, III. 1. *per totum*; qualis fuerit ejus mens de duplici genere gratiæ, *ib.* 8. propter quid credat, Christi fide salvari homines, *ib.* 9. quid dicat de libero arbitrio, *ib.* 11. quid senserit de peccato, *ib.* 12. quam gratiam admittebat, I. 8. quam hæresim in quo clarissime exponat, *ib.* 9. ad quid crediderit legis notitiam et doctrinam esse necessariam, *ibid.* 10. quam gratiam admittebat, *ibid.* quam rejiciebat, *ibid.* 11. ad quid conferri gratiam credebat, IV. 7. quid senserit de vita æterna, V. 1. quid de regno cœlorum, *ib.* 2. quo credebat sanctos eligi, *ib.* 3. quotuplicem prædestinatorum electionem agnoverit, V. 9. *et seq.* in quo collocabat gratiam, usum ejus, et efficacitatem, VIII. 2. Illius ortus, patria, et vitæ genus, 2. an Chrysostomo et Isidoro Pelusiotæ cognitus sit, *ibid.* 3. et 4. illius dogmata, 2. *per totum.*

R.

Regnum cœlorum quid sit secundum Pelagium, V. 2.

Revelatio quid sit secundum S. Augustinum, VIII. 11.

Ruffinus cujusnam fuerit discipulus, et a quo semina erroris sui acceperit, I. 5.

S.

Scripturæ testimonia a Semipelagianis contra Dei gratiam allata, VII. 11. *et seq.*

Semipelagiani, et eorum dogmata, præcipue circa gratiam Christi, 7. *per totum*; quid de peccato originali senserint, *ib.* 2. quid de prædestinatione *ibid.* 3. quænam ex eorum dogmatibus damnata sint, *ib.* 5. quid de actuali gratia, *ibid.* 6. quæ Scripturæ testimonia contra Dei gratiam afferant, *ib.* 11. *et seq.* quid gratiam esse putabant, *ibid.* in quo differebant a Pelagianis, *ibid.* 12. in quo Dei gratiam et auxilium collocabant, *ibid.* 12. quid de gratia Christi credebant, IX. 1. *et seq.* qualis fuerit eorum hæresis, 10. *per totum*, quid de prædestinatione senserint, VI. 5. quid de merito asserebant, X. 8. quid de merito initialis fidei, *ib.* 10. et 11.

V.

Virtutes et præclara facinora sine gratia, et ante gratiam Christi effici, quis dicat, VII. 8.

Vita æterna ex quo proxime comparetur, III. 10. quid sit secundum Augustinum, et quid secundum Pelagium, V. 1.

FINIS PRIORIS INDICIS RERUM MEMORABILIUM.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN TRACTATU DE LEGE ET GRATIA CONTINENTUR.

—

NUMERORUM ROMANORUM PRIOR, LIBRUM; POSTERIOR CAPUT INDICAT; TERTIUS, SARACENIS NOTIS, PARAGRAPHUM INDICAT.

AMOR.

Amor est affectus generalis per omnes virtutes fusus, et vitia, II. II. 1.
Amor est pondus, et inclinatio in bonum, primosque in illud voluntatis impetus, quem Græci ὁρμὴν vocant, II. X. 4.
Amor est bonæ voluntatis initium, *ibid.*

AMOR CONCUPISCENTIÆ.

Diligere Deum amore concupiscentiæ, eique propter retributionem servire, aut ipsum tanquam mercedem expectare, vitiosum, indignumque Christiano Anomi censent, I. V. 5.
Ejus amorem veteris germanum esse legis volunt, cui quo impensius serviebant Judæi, hoc se graviore scelere obstringebant, *ibid.*
Minis ac promissis temporalibus carnalem Deus populum suis merito devinxit obsequiis, ut temporalia pariter, et æterna sua esse, et a se, non a dæmone doceret expectanda, I. XII. 2.
Horum spe et amore bonorum Deo servire vitiosum, et damnabile Anomi pronuntiant; et eum tamen cultum, et amorem a Deo legis auctore, minis, ac promissis esse exortum, *ibid.*
Invitum in eam sententiam Augustinum trahunt, *ibid.*
Damnant pariter timorem pœnæ, amoremque proprii commodi, etiam beatitudinis, nisi ex Dei amore proficiscatur, I. I. 4.
Amor Dei super omnia. *Vide* Charitas.
Amor justitiæ. *Vide* Justitia.

ANOMI.

Doctrinæ Anomorum, hoc est veteris obtrectatorum legis, tria s[illegible] Judæorum sub lege veteri, ex ejus spir[illegible] servientium Synagogam non fuisse Dei [illegible]esiam, sed solam Christianam; 2. Hanc solis constare justis, ante, et post Christum natum; 3. Judæos legi veteri obsequentes eo affectu, quem auctor legis Deus præcipiebat, peccasse, et damnationis reos fuisse, I. V. 1.
Judæos itidem volunt alumnos legis omnibus gratiæ præsidiis caruisse, I. VII. 1.
Refelluntur ex eodem, quem testem appellant, Augustino, *ibid. et seq.*
Errandi causa est inscitia duplicis generis gratiæ, initialis, et perfectæ, I. VII. 3. et II. I. 1.
Medicinalem Christi gratiam, solam esse inspirationem charitatis volunt, II. I. 2.
Nec posse cum peccato lethali consistere, II. I. 3.
Charitatis nomine, omnem comprehendunt amorem justitiæ, II. I. 4.
Spem quoque, ac reliquas virtutes, II. I. 5.
Solam gratiam operum effectricem, Christi, ac novi propriam Testamenti agnoscunt, II. IV. 5.
Eam esse perfectam charitatem quinque argumentis efficere nituntur, II. V. 5.
A Christi gratia cum Semipelagianis removent fidei, et bonæ voluntatis initia, iisque longe plura, et præstantiora, II. VI. 1.
Hæresis istius invidiam frustra a se repellunt, II. VI. 1.
Perverse interpretantur Augustinum, *ibid.*
Timorem pœnæ Tridentinis probatum Patribus malum, et alienum esse censent a Christi gratia, nisi ex charitate oriatur, II. VII. 2. *et seq.*
In Lutheri conspirant sententiam proscriptam a Leone decimo, II. VII. 6. *et seq.*
Negant quidquam esse medium inter charitatem, et vitiosam cupiditatem, II. VII. 7.

Cum Pelagio gratiam agnoscunt providentiæ naturalis, non Christi partam meritis, ex qua timor gehennæ a sancto excitatus Spiritu oriatur, II. VIII. 1.
Attritionem ex eo profectam metu, esse peccatum, nec valere ad veniam in Sacramento percipiendam, II. IX. 2. et II. II. 1.

APOLOGISTA.

Apologetici scriptor anonymus nefarium D. Haberto veteris legis defensori bellum indicit, I. III. 1.
Nec fidei, nec instituti memor, controversiæ caput intactum relinquit, et in alienis a quæstione ludit operam, *ibid.* c. . . . 2.
Synagogæ, ut synagogæ, criminationem repellentes Manichæis accenset, I. X. 1.
Contumeliarum in veterem legem falso patronum inscribit Augustinum, I. X. 2.
Eodem teste refellitur, I. X. 3.
Non patitur Anomum reprehendi præfracte negantem Judæos quidquam apud Deum accurata, et religiosa legis observatione meruisse, I. XI. 5.
Testes advocat Patres, Judæos de contempta, et violata lege arguentes, I. XI. 6. *et seq.*
Pari fide, iisdemque testibus capitalem tuetur Anomorum errorem asserentium Synagogam, ut synagogam, cœtum fuisse perditorum hominum, I. XI. 8.
Deum auctorem facit fœderis criminosi, quo perpetrandi sceleris imponitur necessitas, I. XII. 1.
Et cultus exigitur carnalis, vitiosusque amor accenditur, spe bonorum temporalium oblata, I. XII. 2.
Invectam novo ausu a dogmatis principe impedientem gratiam adversus D. Habertum propugnat, I. XIII. 1.
Hanc Christi esse gratiam negat, sed veteris propriam Testamenti, I. XIII. 2.
Suis ex principiis refellitur, *ibid.*
Legis defensoribus ex hæresi Pelagiana invidiam facit, I. XIV. 1.
Ab Augustino, quo teste nititur, prorsus dissidet, I. XIV. 2.
In ambiguo vocis, *esse sub lege*, D. Haberto pueriliter insultat, I. XIV. 5.
Solos improbos sub lege fuisse putat, et ad vetus pertinuisse Testamentum, *ibid.*
Quod ex Apostolo, Augustino, aliisque refellitur, I. IV. 6. *et seq.*
Adjuvantis præsidia gratiæ legis, ac veteris Testamenti alumnis abrogat omnia, I. XV. 1. *et seq.*
Ex Davidis, Manassis, aliorumque pœnitentia refellitur, I. XV. 3.
Infidelibus quoque auxilia gratiæ omnia subtrahit proxima, et remota, et eorum principia omnia, *ibid.*
Refellitur, *ibid.*
Medicinalem Christi gratiam sola charitatis inspiratione circumscribit; quæ tamen fidem, spem, ac reliquas virtutes comprehendit, ut minime a charitate diversas, I. XV. 2.

ARBITRIUM LIBERUM.

Valet arbitrium liberum ad opera bona, si divinitus adjuvetur, I. VII. 2.
Præcepto dilectionis admonetur, ut quærat Dei donum, I. VII. 3.
Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed Deo extrinsecus, et intrinsecus admonente consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est, I. VIII. 8.
Nemo nisi per Christum libero bene utitur arbitrio, II. III. 4.
Possibilitatem cognoscendi quid sit agendum, et bene agendi libero Pelagius tribuebat arbitrio, II. IV. 3. et II. V. 2.

ATTRITIO.

Attritio, sive dolor de peccatis ob eorum turpitudinem, pœnarumve metum conceptus per se ad justificationem non sufficit; cum sacramento sufficit, II. IX. 1.
Sufficientem esse dispositionem ad effectum sacramentorum baptismi et pœnitentiæ, negant Anomi; imo peccatum esse volunt, II. IX. 2.
Futilibus id probant argumentis, II. IX. 3. *et seq.*
Aiunt ita judicasse Tridentinos Patres, II. II. 1.
Ad veniam peccatorum promerendam in sacramento sufficere attritionem, Tridentinum concilium diserte pronuntiat, II. XI. 2.
Est communis sensus theologorum, velut Dominici Soti, II. XI. 6.
Vegæ, II. XI. 9.
Et aliorum veterum pariter et recentiorum, II. XI. 9.
Eam fuisse concilii Tridentini sententiam, fatetur illius hostis, auctor Historiæ concilii Tridentini, II. XI. 8.
In quo conveniant, differantve ab invicem Contritio, et Attritio ex concilio Tridentino, II. XI. 3.
Ex doctoribus catholicis, II. XI. 6. *et seq.*
Sacramentum facit ex attrito contritum, II. XI. 7. *et seq.*

AUGUSTINUS.

Augustini nomine, et auctoritate falso Anomi gloriantur, I. VII. 1. et I. X. 2. *ac ubique passim.*
Eodem teste erroris convincuntur, I. VII. 3. et X. 3. et XIV. 2.
Duplex gratiæ Christi genus agnoscit, initialem, quam fidem, et fidei inchoationem vocat; et robustam, quam charitatem appellat, I. VII. 2.
Solam fere robustam effectricem operum adversus Pelagianos tuetur, II. IV. 1. *et seq.*
Contra Massilienses initialem defendit, II. V. 3.
Fugit hoc Anomos, solam charitatem, hoc est validam, et efficacem operum inspirationem, Christi adscriptam gratiæ ab Augustino contendentes, II. VI. 3.
Pro diversis Pelagii, et Massiliensium principiis, variam init disputandi rationem, II. VI. 3. *et seq.*
Nec prædicanda Christi gratia vitiorum expultrice, bonorumque operum efficace, initialem negat, qua præparatur voluntas a Domino, II. VI. 7.
Timorem gehennæ a peccato revocantem, bonum esse docet, II. VIII. 3.

Ab externo deterrentem actu peccati, manente intus voluntate peccandi, negat esse gratia, aut esse bonum, II. VIII. 6.
Charitatis nomen uno modo accipit, II. IX. 5. *et seq.*

BONUM.

Nullum bonum facere ex nobis possumus, ac ne velle, aut cogitare quidem, II. III. 4.
Multa in nobis facit Deus bona, quæ nos non facimus; nihil boni facimus, quod Deus non faciat ut faciamus, *ibid.*
Bonum esse ullum Anomi negant, quod fit formidine pœnæ, non amore justitiæ, II. VII. 7.

CHARITAS.

Gratiam, qua præcepta servantur, veram esse charitatem, quæ est plenitudo legis, Anomi opinantur, I. II. 4.
Quod quinque argumentis probant, II. V. 1. II. III. 4. V. 6.
Charitatis nomine sola interdum auxilia gratiæ robusta, et valida; pios alias motus voluntatis etiam rudes, et inchoatos Augustinus comprehendit, II. VII. 3. et II. II. 2.
Charitatem universe appellat Augustinus amorem boni, sive bonam voluntatem, II. II. 1.
Etiam timorem divinæ justitiæ, ac gehennæ, II. II. 4.
Inter charitatem, et vitiosam cupiditatem dari medium Anomi negant, II. VII. 7.
Charitas vitiosæ opposita cupiditati, non est vera, et proprie dicta charitas, sed latius patet, II. VII. 5.
Omnes motus divinitus ex Christi meritis inspiratos comprehendit, II. IX. 7.
Variis modis ab Augustino usurpari ignorant Anomi, aut dissimulant, II. IX. 8.

CHRISTUS.

Fons totius gratiæ Christus etiam iis, qui incarnationem præcesserunt, auxilio fuit, I. II. 1. et II. VIII. 1. *et seq.*
Christus Judæis, ac gentibus Evangelii gratiam gratis obtulit, I. VI. 2. *et seq.*
Utriusque Testamenti conditor fuit: sed novi per seipsum, cujus in censu numeratur, I. VIII. 2. *et seq.*
Vetus Testamentum magnam fuisse comœdiam actoribus Judæis ignotam, et inutilem, Anomi putant, I. XII. 3.

CONFITENS.

Est in confitente nondum justificato Spiritus S. I. VIII. 9.

CONTRITIO.

Concilii Tridentini de Contritione decretum perverse Anomi interpretantur, II. XI. 1.
Contra manifestam Concilii sententiam ad fructus baptisimi, et pœnitentiæ capiendos perfectam Contritionem requirunt; imperfectam valere negant, *ibid. et seq.*
Utramque Contritionis speciem confundunt, quas Concilium re et natura distinxerat, II. XI. 4. *et seq.*
Distinguunt quoque theologi antiqui et recentes, II. XI. 6. *et seq.*

DECORUM.

Decorum ab honesto separari non potest; differt tamen, velut a corporis salubritate pulchritudo, II. X. 2.
Est quasi flos virtutum, *ibid.*

DEUS.

Legis Mosaicæ auctorem malum Deum hæretici veteres confinxerunt, I. I. 1.
Bonum Anomi Deum mali auctorem faciunt, legis conditorem criminosæ peccata directe imperantis, I. I. 3. *et seq.* et I. II. 5. *et seq.* et I. XII. 1.
Ex Scriptura, et Patribus refelluntur. I. III. 4. *et seq.*
Triplicem sibi Deus in condenda lege finem proposuit; nullum vitiosum, I. VI. 6. *et seq.*
Deum Anomi faciunt κωμῳδιδάσκαλον turpis fabulæ, vitiosæ cupiditatis instructæ illecebris: quod ne in profanis quidem ferendum veteres putaverunt, I. XII. 5.
Malum Deus utiliter promittere non potest, I. XII. 4.

ECCLESIA.

Ecclesiam Dei solam quovis tempore fuisse Christianam, Anomi volunt, I. V. 1. *et seq.*
Ea solos justos comprehendunt, I. V. 1. *et seq.*
Veteris Testamenti synagogam veram fuisse Dei Ecclesiam Patres agnoscunt, I. X. 4. ejusque caput fuisse Christum, *ibid.*

EURIPIDES.

Euripides jure notatus est ab Aristophane, quod nefandos amores in scenam induxisset, I. XII. 3.

FIDES.

Perire quovis graviore peccato cum charitate fidem, aut ea salva peccantem desinere esse membrum Ecclesiæ, hæresis est Wicleffi, Lutheri, et Calvini, I. V. 4.
Bonæ voluntatis initium, sive gratiam initialem, fidem Augustinus appellat, I. VII. 2. *et seq.*
Ad exequenda legis naturæ, Mosaicæ, aut Evangelicæ mandata, auxilia gratiæ nulli unquam data sunt, nisi per fidem Christi mediatoris, I. VIII. 1. et I. IX. 4.
Inchoatio fidei, qualis est in catechumenis, non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum; est tamen gratia misericordiæ Dei, I. VIII. 8.
Prima Christi gratia fidem in nobis parit, ex qua deinde timor, spes, etc. consequuntur, II. II. 3.
Fidei initium libero arbitrio, augmentum gratiæ Christi Massilienses tribuebant, II. III. 1.
Quem errorem damnare coactus est Pelagius in concilio Palæstino, II. III. 2.
Cœptæ fidei merces est fides aucta, *ibid.*

Fides meretur, et impetrat gratiam operandi, et justificationem, II. IV. 3.
Fides inchoata forinsecus terrens, et insonans præcepta justitiæ, veteris est propria Testamenti: novi vero, fides per dilectionem operata, II. IV. 4.
Charitatem fides antecedit, eamque impetrat, II. IX. 6.
Homo justificatur ex fide, non ex operibus; quia bonorum operum prima est fides, qua cetera impetrantur, *ibid.*
Omnis pia voluntatis motio ad justitiam Christianam ex fide Christi est, ejusque implicitum in se amorem continet, II. X. 6.

FŒDUS.

Fœdus est mutua paciscentium devinctio, certa officiorum lege, ac conditione sancita, I. XIV. 6.
Vetus Testamentum verum fuit fœdus Deum inter et Israeliticum populum, *ibid.*

GENTILES.

Gentilibus Anomi defuisse aiunt gratiam ad salutem sufficientem proximam, et remotam, omniaque gratiæ principia, I. II. 3. *et seq.*
Etiam cogitationem vitando peccato utilem, *ibid.*
Gentilibus Evangelii gratiam Judæi invidebant, tanquam sibi ex operibus legis debitam, I. VI. 1.
Utriusque gratis oblatam Evangelii gratiam probat Apostolus in epistola ad Romanos, I. VI. 2.
Gentilibus Evangelium prædicant apostoli, monente Deo, nec ipsis imponi sinunt jugum antiquæ legis, *ibid.*

GRATIA.

Gratia est auxilium Dei, quo ad vitam recte instituendam, bona opera exequenda, mala cavenda, salutem consequendam, divinitus adjuvamur, II. VI. 4.
Gratiæ proprie dictæ auctor, et largitor quovis tempore unus est Christus, I. II. 1.
Omni Christi gratia veteris alumnos Testamenti penitus caruisse, idque ex vi, naturaque status, Anomi opinantur, *ibid. et* I. VII. 1.
Itaque Judæis sub veteri Testamento gratiam defuisse volunt ad salutem sufficientem, proximam, et remotam, et omnia illius principia, I. II. 3. *et seq.*
Etiam cum legem, aut aliqua ejus præcepta observabant, I. II. 3.
Christi enim gratiam, sine qua præcepta non servantur, veram esse putant charitatem, quæ est plenitudo legis, I. II. 4.
Hujus gratiæ incapaces veteris alumnos Testamenti fuisse aiunt, sine qua nullum præceptum meritorie servari potest, ac ne ita quidem ut peccatum vitetur, *ibid.*
Veteris Testamenti filios gratiæ ignaros, imo et contemptores Anomi faciunt, I. II. 5.
Evangelii gratia Judæis peræque ac gentilibus gratis a Christo est oblata, I. VI. 2
Gratiæ Christi est, suæ infirmitatis conscium ad opem gratiæ confugere, I. VII, 1.
Duplex genus gratiæ agnoscit Augustinus; alterum initialis, qua conamur resurgere; alterum robustioris, qua ad boni operis effectum assurgimus, I. VII. 2.
Primum genus appellat fidem; secundum, charitatem: quo nomine genus utrumque aliquando complectitur, I. VII. 3.
Gratiæ sufficientis auxilia sub quacumque lege per fidem in Christum mediatorem collata sunt, I. VIII. 1.
Uberius in novo Testamento, in quo ipsa sancti Spiritus substantia regni cœlestis hæredibus adoptandis applicatur, I. VIII. 2.
Gratia Christi ad utrumque porrecta est Testamentum, I. VIII. 4.
Gratia Christi fini proximo, et statui cujusque legis accommodate data est, perfecta in nova lege, initialis in veteri, *ibid. et* I. VIII. 5.
Initialis gratia est velut præmeditatio præparans ad perfectam sanitatem, I. VIII. 7.
Gratia fidei datur inchoantibus novam vitam nondum ad salutem sufficiens, I. VIII. 8.
Novi dogmatis princeps jure a D. Haberto notatus, quod veteri legi gratiam sufficientem abroget, impedientem tribuat, I. XIII. 1.
Perperam ab apologista defenditur, I. XIII. 2.
Christi gratiam semper adjuvantem esse ait, veterique defuisse Testamento, *ibid.*
Qua ratione vetus Testamentum gratiam habuerit, sitque ea Christi gratia, et quomodo impediens dici possit, I. XIII. 3.
Non per se, sed ex accidenti, I. XIII. 4.
Quo etiam modo novi gratia Testamenti, ipseque Christus, et creatæ res omnes impedientes dici possunt, I. XIII. 5.
Imo et damnationis accessio, I. XIII. 6.
Judæis sub lege viventibus non defuerunt auxilia gratiæ, ne prævaricatoribus quidem, I. XV. 1.
Proscripto Pelagio, gratiam proprie dictam Christianus orbis nullam agnoscit, nisi per Christum, I. XV. 2.
Davidi, et Manassi scelerum reis sub lege viventibus ad resurgendum Christi gratia non defuit, I. XV. 3. *et seq.*
Infidelibus quoque non deest Christi gratia sufficiens, et adjuvans, *ibid.*
Prima Christi gratia nemini datur, nisi injusto, I. XV. 6. Medicinalem Christi gratiam Anomi sola charitatis inspiratione metiuntur, II. I. 2.
Ex qua negat apologista Christi gratiam vel ad punctum temporis posse cum peccato lethali consistere, II. I. 3.
Latius tamen patere dogmatis auctor fatetur, quam quæ vulgo Charitas in scholis nominatur, II. I. 4.
Gratiæ Christi genera sunt duo; 1. rudis, quæ et initialis dicitur, qua volumus, quod nondum possumus; 2. perfecta, qua possumus quod volumus, II. II. 2.
Ad primum genus pertinet prima gratia, quæque inde proxime oritur fides, tum timor, spes, etc. quæ nondum justificatis inesse, et ad eam præparare synodus Tridentina decrevit, II. II. 3. *et seq.*
Prima gratia nullis meritis præcedentibus datur;

reliquæ etiam ante justificationem, non sine qualicumque merito, bene utentibus prima gratia. II. II. 4.
Christi gratiæ est non solum sanitas, sed et sanari velle, et precari, ut credere velimus, et purgari, II. III. 1. *et seq.*
Gratiæ validioris est, et secundi generis, ad meliora progressio, II. IV. 1.
Solam fere secundi generis exprimit Augustinus, ubi de Christi gratia medicinali cum Pelagianis disputat, II. IV. 2. *et seq.*
Hinc Christi gratiam novi propriam Testamenti solam illam robustam et operum effectricem agnoscunt Anomi, II. IV. 5.
Idque quinque argumentis efficere nituntur, II. V. 1. *et seq.*
Bene agendi possibilitas ad Christi gratiam pertinet, II. IV. 3.
Gratia Christi adjuvat ad vitandum malum, et faciendum bonum, revelando quid sit faciendum, et dilectionem inspirando, II. IV. 4.
Primi voluntatis impetus ad bonum aspirantis sunt ex Christi gratia, non, ut volebant Massilienses, a natura, II. V. 3.
Gratiæ Christi necessitatem ex toto Pelagius, Massilienses ex parte sustulerunt; Augustinus cum Ecclesia catholica sine ulla exceptione admittit, II. IV. 3. *et seq.*
Gratia est auxilium Dei, non tantum illuminans, ut sciamus quid sit agendum, sed charitatem inspirans, sine qua scientia inflat, II. VI. 5.
Gratia ex operum effectione, velut ex fine primario æstimanda est; uti medicina ex sanitate, ars ædificatoria ex domus constructione, *ibid.*
Gratiam Christi ad hoc solum necessariam esse Anomi definiunt, ut in præcepti cujusvis impletione diligatur Deus, II. VII. 1.
Timorem pœnæ æternæ ex gratia esse volunt, non Christi, sed providentiæ naturalis, II. VII. 3.

D. HABERTUS.

Illustrissimum D. Habertum Vabrensem episcopum injuria scriptor anonymus Apologetici reprehendit, I. III. 1.
Merito reprehensus a D. Haberto novi auctor dogmatis, quod sufficientem gratiam Judæis sub lege viventibus affuisse neget, impedientem affingat, I. XIII. 1.
D. Haberto, quod ad legis defensionem veteris Patres et justos Testamenti laudaverit, de hæresi Pelagiana invidiam facit, I. XIV. 2.
Calumniose, I. XIV. 2.
Hoc enim interest inter ejus, et Pelagii laudationem, quod hic Patres antiquos ad sanctitatem comparandam Christi mediatoris gratia non eguisse contenderet: ille omnem eorum sanctitatem Christi gratiæ acceptam ferat, I. XIV. 3.
Pelagius, veteres sanctos culpæ prorsus omnis expertes vixisse diceret; D. Habertus aliter et senserit, et docuerit, I. XIV. 4.
Ludit in ambiguo vocis, *esse sub lege*, apologista, et D. Haberto pueriliter insultat, I. XIV. 5.

HONESTUM.

Honestum est, quod laude dignum, II. X. 2.
Justum, et honestum re idem sunt, *ibid.*
Decorum quoque ab honesto separari non potest; uti neque venustas a corporis salubritate, *ibid.*
Honestum est, quod ex se habet, unde honeste appeti possit, sive ulterius referatur, sive nullum alium ad finem respiciat, II. X. 5.

HYDRARGYRUM.

Hydrargyrum præsenti veneno additum, præter spem et consilium, salutem affert, I. IV. 2.

JASON PHERÆUS.

Jason Pheræus ab inimico vulneratus, imminentis ex latente vomica mortis periculum evasit, I. IV. 2.

INCARNATIO.

Incarnationis necessitatem probant adhibita curandis hominum morbis tot irrita remedia, legis præsertim Mosaicæ, I. VI. 6.

JUDÆI.

Judæos pie Deum colentes ob temporalia bona, fuisse bonos Augustinus ait; negant Anomi, sed minus aiunt esse malos, quam gentiles, qui eadem a dæmonibus expectabant, I. I. 3. *et seq.*
Judæi de meritorum principatu cum gentilibus contendentes, occasionem Apostolo dederunt scribendi epistolam ad Romanos, I. IV, 1.
Non sibi gratis oblatam Evangelii gratiam a Christo putabant, sed suis redditam meritis ob legis prærogativam, *ibid.*
Judæi Evangelium invidebant gentibus; nec nisi legalibus initiatis ritibus communicari patiebantur, I. VI. 2.
Quod apostoli in concilio Hierosolymitano improbarunt, *ibid.*

JUSTITIA, ET JUSTUM.

Justitia est rectitudo ordinis ad alterum, ad finem debitum, et ad legem divinam, II. X. 1.
Est communis virtus, *ibid.*
Est perfecta virtus, non simpliciter, sed ut est ad alterum, *ibid.*
Justitia est adæquatio cum lege, et voluntate divina, II. X. 2.
Justum, et honestum re idem sunt, ratione differunt, *ibid.*
Idem etiam est cum decoro, *ibid.*
Justitia generalis per omnia virtutum officia funditur, specialis in parte, velut fortitudine, temperantia, etc, II. X. 3.
In omni virtutis officio justi, et honesti forma est illud legitimum, quod lege divina præcipitur, II. X. 3.
Amor justitiæ, quem Augustinus charitatem appellat, est quilibet piæ voluntatis affectus, et inclinatio in illud justum, et honestum, quod divina lege præcipitur, II. X. 4.

Amor justitiæ non ea justitia, quæ inest ipsi Deo, et Deus est, sed honestas, et justitia proposita est, quæ lege divina præcipitur, II. x. 5.
A qua nec gehennæ timor excludi debet, *ibid.*
Omnis pia voluntatis motio ad Christianam justitiam ex fide Christi est, et implicitum ejus amorem in se continet, II. x. 6.
In amore justitiæ Dei quoque amor implicite continetur, non formaliter, II. x. 6.
Ad amorem justitiæ tres conditiones requiruntur; 1. Ut sit ex fide, et gratia Christi ; 2. Ut justum legi divinæ consentaneum prosequatur ; 3. Ut peccandi voluntatem excludat, *ibid.*
Nostra justitia, justitiæ Dei opposita, caret istis conditionibus, II. VIII. 9. et II. x. 8.
Amor honestus nihil temporalis commodi justitiæ anteponens, sine Christi gratia esse non potest, II. x. 9.
Justi, honestique amor sive rudis, et inchoatus, sive perfectus, amor est justitiæ, et charitas dicitur : ut plurimum tamen solus perfectus operum efficax eo nomine censetur ab Augustino, II. x. 10.

LEX.

Mali principem Deum auctorem faciebant legis Mosaicæ tanquam nefariæ, veteres hæretici, I. I. 1. *et seq.*
Eamdem ut malam infamant recentes Anomi, I. I. 3.
Eam vitiosæ cupiditati fomentum, ac præmium ex professo præbuisse aiunt, *ibid. et* I. II. 5.
Legis veteris statum non justitiæ, et salutis ; sed peccati ac mortis fuisse volunt, I. I. 3.
Nec permisisse solum, sed præcepisse malum, I. I. 4.
Triplex hæresis criminatorum legis, I. I. 5.
Veteris alumnos legis non sua culpa, sed ex vi status illius legis, omni gratiæ Christi auxilio ad peccata vitanda, et salutem consequendam caruisse Anomi docent, I. II. 1. *et seq.*
Etiam legem servantes, aut aliqua ejus præcepta, I. II. 4.
Quinetiam in optimis legis cultoribus spem, et charitatem in Deum carnalem, et vitiosam existimant fuisse, idque ex ipsius legis natura, et statu, I. II. 5. et 6.
Imo legem ipsam volunt impedimento fuisse gratiæ, eamque funditus sustulisse, I. II. 6.
Legem veterem ex propria ratione bonam ; ex accidente et vitio male utentium noxiam fuisse docet Apostolus in epistola ad Rom. I. III. 3.
Cui gnaviter adversantur Anomi, totique nomini Christiano, I. III. 4.
Imperata lege veteri mala plurima a Christo abrogata fuisse, veterum hæreticorum calumnia est, a Patribus, præsertim Augustino, confutata, I. III. 5.
Epiphanii contra Manichæos præscriptio, veteris auctorem legis concupiscere prohibentem, non esse incentorem cupiditatis, novi dogmatis jugulum petit, I. III. 6.
Legem per se bonam, ex accidenti perniciosam Anomorum princeps agnoscit : vult tamen ex professo nefariæ cupiditati fomentum promisisse, ac præmium, I. IV. 1. *et seq.*
Quomodo lex intravit, ut abundaret delictum ; ita Christus in multorum ruinam positus est ; et Evangelium aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, I. IV. 3.
Christus legis et Evangelii unus est auctor, I. IV. 4.
Irrogata legi calumnia ; quod ex professo vitiosam foverit cupiditatem, quia ejus occasione Judæi carnales in omnem exarserunt cupiditatem ; potest Christo, Evangelio, et rebus creatis omnibus importari, *ibid.*
Lex mala non est, etiam cum nocet inanibus gratiæ, sicut neque scientia, quia inflat inanes, aut sol quia ægros oculos lædit, I. IV. 5.
Judæos veteris legis mandatis obsequentes eo affectu, quem legis auctor Deus præscribebat, peccasse Anomi volunt, I. V. 1.
Ad comprimendam superbiam Judæorum, suis meritis ex operibus legis redditam gloriantium Evangelii gratiam, epistolam ad Rom. scribit Apostolus ; in qua legem componit cum gratia, et expendit quid cuique, sine alterius communione, conveniat, I. VI. 1. *et seq.*
Legis officium est per se, quid agendum, cavendumve sit, pœnæ comminatione sancire ; vires ad implendam legem non legis justitia, sed Christi fides, et gratia sufficit, I. VI. 3.
Legis per se vim considerans Apostolus, non excludit auxilia gratiæ : uti neque concursum primæ causæ, qui secundæ per se naturam seorsim a prima considerat, I. VI. 4.
In omni lege est mandatum, et pœna, sive sanctio : cui qui sunt obnoxii, dicuntur *esse sub lege.* Sicque legem mortis, ministrationem mortis, ac damnationis, iram operari, Apostolus ait, I. VI 3.
Triplex legis finis a Deo propositus ; 1. per se, ac directe, justos homines facere, et a peccato deterrere ; 2. Per accidens, major ex prohibitione in peccata vetita pronitas ; 3. Ut suæ infirmitatis conscii, et pœnarum metu concussi Liberatoris gratiam expeterent, I. VI. 6. *et seq.*
Primum finem legis ut salvaret, contra Manichæos asserit August. reliquos duos contra præsumentes de suis viribus Pelagianos ostendit, *ibid.*
Ad auxilia gratiæ pertinent veteris effecta legis ex Augustino ab Anomis resensita, I. VII. 1.
Legis nomine non solum mandata ; sed et status populi legis fœdere institutoque sociati solet intelligi ; velut legis veteris, ac novæ vocabulis, Synagoga, et Ecclesia Christiana, I. VII. 4.
Eadem, aut fere eadem omnia esse utriusque legis præcepta ait Augustinus, I. VII. 7.
Finis proximus utriusque legis longe diversus ; veteris, temporalis æterna præfigurans ; novæ, spiritualis a promissione incipiens regni cœlorum, I. VII. 8. et I. VIII. 4. et 5.
Nulla lex, ne Christiana quidem, qua lex est, et præceptis constat, gratiam aut bene agendi vires efficit, I. VIII. 1.
Nova lex gratiam confert, non qua lex est, sed qua status novi Testamenti suum auctorem Christum complectitur, I. VIII. 2.
Nova lex dicitur ipse Spiritus sanctus, I. VIII. 3.

Scribitur digito Dei in cordibus diligentibus habitantem in se legis justitiam, in quo differt a veteri terrente forinsecus, *ibid.*
Lex non est æstimanda eorum amentia, qui aberrant a lege : sed bonorum intelligentia, obsequentium legi, ejusque mentem et scopum assequentium, I. x. 3.
Legi veteri sufficientem gratiam negant Anomi, impedientem tribuunt, I. xiii. 1.
In eo vim, fructumque legis antiquæ ponunt, ut ejus observatores Deo potius auctore, quam diabolo peccarent, I. i. 6.
In exponendo legis instituto, et fine longius aberrat a mente Augustini apologista, I. xiv. 2.
Legis defensores nescisse ait, quid sit *esse sub lege*, I. xiv. 5.
Esse sub lege duobus modis intelligitur, I. xiv. 6.
Nec in deteriorem semper partem accipitur, I. xiv. 7.
Lex velut pædagogus infirmis præsidio fuit, *ibid.*
Esse in lege, idem est ac *esse sub lege*, seu lege teneri, I. xiv. 8.
Esse sub lege, in malam interdum partem accipitur, estque reum esse violatæ legis, et pœnæ lege sancitæ, I. xiv. 9.
Etiam Christianos *sub lege esse* utroque illo modo, Augustinus affirmat, I. xiv. 9. *et seq.*
Religiosi legis observatores Patres antiqui sub lege fuerunt, pertinuerunque ad Synagogam, ut erat synagoga. Prævaricatores legis non pertinuerunt, I. xiv. 11.
Legi veteri, ex ratione sui status, adjuncta fuit medicinalis Christi gratia; non robustior effectrix operum; sed initialis, qua territi, humiliati, confessi, sanari vellent, et ad medicum confugerent, II. iv. 2.
Divina lex est regula voluntatis humanæ, II. x. 1.
Voluntas divina lex est antiquissima, cui virtutum omnium officia persolvuntur, II. x. 2.

MALUM.

Vero Deo boni totius auctori, principem mali Deum opposuerunt antiqui hæretici, Cerdones, Valentini, Marciones, Manichæi, Priscillianistæ, Waldenses, I. i. 1.
Eumdem boni, malique, seu sceleris principem Deum Lutherus, Calvinusque agnoscunt, I. i. 2.
Quibus libenter subscribunt Anomi, nec dubitant vitiosæ cupiditatis lenonem facere Deum, ne istas sibi partes diabolus occupet, *ibid. et* I. i. 6.

MERITUM.

Judæos accurata, et religiosa legis observatione nihil apud Deum meruisse, Anomi docent, I. xi, 5. Quem errorem tuetur acriter apologista, I. xi. 6.
Prima Christi gratia omne nostrum meritum antecedit, estque principium totius meriti, II. ii. 4.
Ante justificationem nullum est condignum meritum; est aliquod congruum; de quo tota fere Augustino cum Semipelagianis contentio fuit, *ibid.*

OPERA.

Vim operum inchoandorum, ac perficiendorum Christi gratiæ tribuebant Massilienses; fidei, et bonæ voluntatis initium libero arbitrio, II. iii. 1.
Utrumque gratiæ Christi acceptum refert catholica fides, II. iii. 2.

ORDO.

Quælibet virtus est ordo amoris, II. ii. 2.

PELAGIUS.

Veteris Testamenti sanctos non eguisse Christi gratia; hominemque posse in hac vita esse sine peccato, Pelagiani docuerunt, I. xiv. 3.
Gratiam secundum merita nostra dari docuit Pelagius, quod in concilio Palæstino damnare coactus est, II. iii. 2.
Solam gratiam Christi partam meritis impugnavit, *ibid.*
Gratiam cognitionis, quæ per legem habetur, admisit : inspirationem dilectionis rejecit, II. iv. 3. et II. v. 2. *et seq.*
Necessariam esse negabat ad ulla virtutum officia, et salutem, Christi gratiam; utilem tamen esse fatebantur ad facilius operandum, II. vi. 3.
Gratiæ necessitatem subdole interdum commendabat, II. vi. 5. *et seq.*

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM.

Attritio pars est sufficiens sacramenti Pœnitentiæ, II. ix. 1. et II. xi. 1.
Sacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum, et confert primam gratiam, II. xi. 7.

RADIX.

Unicam boni et mali radicem agnoscebat Pelagius liberum arbitrium; Augustinus boni radicem esse charitatem defendit; mali, cupiditatem, II. v. 3.

REDUPLICATIVUS TERMINUS.

Ea vis est reduplicativi termini, ut rei per se, et secundum suam naturam spectatæ, simplicem notitiam ingeneret, I. ix. 2.

SEMIPELAGIANI.

Initium bonæ voluntatis, et fidei naturæ viribus tribuebant; opera virtutum, tentationum victoriam, et salutem gratiæ Christi, II. iii. 1. et II. vi. 3.
Ab Augustino refelluntur, II. iii. 2.

SOL.

Peccantes quidam, aut debita non reddentes ad solem poni jubentur a judicibus, I. iv. 5.

SPIRITUS SANCTUS.

Est jam Spiritus sanctus in confitente nondum justificato, sed adhuc veniam deprecante, I. viii. 9.
Est in bonis novi Testamenti, et adoptantis regni cœlestis hæredibus ipsa ejus substantia applicatur, I. viii. 2.

Nondum inhabitans adjuvat ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles, II. III. 4.

SYNAGOGA.

Synagoga, ut synagoga, fuit Judaici populi cœtus pacto cum Deo fœdere, certisque per Mosem legibus, ac ritibus obligatus, figuratam adumbrantibus novi Testamenti veritatem, I. IX. 3.
Propria ejus ratio fuit fœdus antiquum, et lex Mosaica, *ibid.*
Synagoga, ut synagoga, status fuit Judaici populi legis, ac Dei legislatoris menti, ac proposito consentaneus, I. XII. 5.
Vera fuit Dei Ecclesia, ejusque caput Christus, I. II. 5. et I. X. 4.
Per se, et ex intrinseca ratione, bona Deoque digna auctore fuit; ex accidente, et vitio male utentium, noxia, I. III. 2.
Quod utrumque ab Apostolo diserte affirmatur in epistola ad Rom., I. III. 3.
Adscribenda non sunt Synagogæ, ut synagogæ, vitia Judæorum a legis scopo aberrantium, uti neque modo Christianæ Ecclesiæ, quod in ea plerique perdite vivant, I. X. 1. et I. XIV. 11.
In Synagoga, uti modo in Ecclesia, pauci erant boni spiritum legis sequentes, comparatione malorum : unde prophetæ ex majori parte statum illius perditum describunt, tanquam nulli penitus in ea boni essent, I. XI. 1.
Et Apostolus in epistola ad Rom. I. XI. 2.
De majori parte, velut de toto loqui Scriptura solet. Idque ab ea usurpatum in vituperanda Synagoga Patres observant, *ibid.*
Eum morem observat Augustinus Apostolo præeunte, I. XI. 4.
Fugit Anomos ea regula, qui de generali vituperatione Synagogæ partem ullam demi non sinunt, I. XI. 5.
Synagogam, ut synagogam, aiunt terreni populi turbam, hominumque carnalium congregationem fuisse, solis terrenis incubantium, et propter illa colentium verum Deum, I. I. 3. et I. II. 5.
Synagogam veteri legi servientem eo affectu, et spiritu, quem lex ipsa, legisque auctor Deus præcipiebat, Ecclesiam Dei fuisse negant, I. V. 1. *et seq.*
Imo reos fecisse damnationis, qui eo spiritu, fine, et scopo Deo accurate servirent, *ibid. et seq. et* I. IX. 1.
Anomum legis antiquæ observatoribus omne apud Deum meritum detrahentem reprehendi apologista non sinit, I. II. 5.
Eique tuendo Scripturæ, ac Patrum testimonia corrogat, prævaricatores Judæos arguentium, de contempta, et violata lege, I. XI. 6.

VETUS, AC NOVUM TESTAMENTUM.

Vetus Testamentum datum Judæis negant Anomi, ut eorum salus in tuto locaretur, vel de propinquo curaretur, I. I. 3.
Negant statum veteris Testamenti ex sese fuisse justitiæ, aut salutis, sed damnationis, ac mortis; quod hæreticum est, I. I. 5.
Ex ipsa status illius natura gratiæ Christi quovis auxilio caruisse volunt, I. II. 1. *et seq.*
Ejus observantiam veteris hominis servitutem appellant, I. II. 2.
Veteris alumnos Testamenti legem, aut ejus aliqua mandata observantes caruisse dicunt sufficiente Christi gratia, cujus ignari, contemptoresve fuerunt, I. II. 4.
Viros sanctos, qui veteris Testamenti tempore vixerunt, negant ad vetus Testamentum, sed ad Ecclesiam Christianam pertinere, I. V. 2.
Vetus Testamentum figura novi fuit, tam in Sacramentis, quam in præceptis, I. VII. 5.
Idcirco vetus est appellatum, I. VII. 6.
Vetus Testamentum interdum proprie dicitur lex per Mosem data in monte Sina, I. VII. 8.
Latius sumitur pro toto veteri instrumento, sicque promissionem regni cœlestis continet, *ibid.*
Utriusque Testamenti auctor est Christus; sed veteris per suos ministros, novi per seipsum, I. VIII. 2.
Utriusque alumnis gratiæ cœlestis opes communicavit; uberius et singulari quodam modo in novo, I. VIII. 3.
Utrique pro finium, et officiorum varietate, diversa gratiæ auxilia contulit, I. VIII. 4.
Novi Testamenti finis proximus est regnum cœleste, cui auxilium convenit fidei per dilectionem operantis : veteris finis erat terrena felicitas præfigurans cœlestem, cui dabatur initialis gratia, I. VIII. 5.
Ad perfectam justitiam præparans, I. VIII. 6.
Hærens in proprio veteris Testamenti gradu, ac spiritu, non erat in statu gratiæ sanctificantis; sed præparatoriis auxiliis, velut præmedicatione, ad eam disponebatur, I. VIII. 7.
Status ille non erat damnationis, ac mortis, sed utilis curationis, et spei recuperandæ sanitatis, I. VIII. 8. *et seq.*
Gratiæ Christi non caruit opportunis auxiliis, I. IX. 4.
Quod temere Anomi aiunt, et ex suis principiis refelluntur. I. XIII. 2.
Laudatos a legis defensoribus veteris Testamenti sanctos Anomi Pelagianismo tribuunt, I. XIV. 1.
Mala utique fide; nihil enim cum Pelagio commune habent, I. XIV. 2. *et seq.*
Laus sanctorum veteris Testamenti geminum errorem Anomorum elidit, I. XIV. 4.
Vetus Testamentum forinsecus sonabat sensibus præcepta justitiæ; novum præbet intrinsecus incrementum, II. IV. 4.

TIMOR.

Timor pœnæ servilis est, nec præceptum implet, II. V. 5.
Non tamen peccatum est, nec peccatores pejores facit, II. VII. 1.
De timore pœnæ ita ambigue princeps Anomorum loquitur, ut videatur in Calvini, quam Tridentini sententiam propensior, II. VII. 2.

Negat timorem pœnæ ad Christi gratiam pertinere; fatetur tamen esse a Deo, et ex gratia providentiæ naturalis, II. VII. 3.
Pœnæ timore vitari posse peccatum negat, quin aliud committatur, *ibid.*
Bonum esse, et ex Spiritus sancti inspiratione per excitantem, et adjuvantem gratiam, libere cooperante voluntate effici, Tridentini Patres definiunt, II. VII. 4.
In damnando timore charitatem antecedente Anomorum princeps auctorem Lutherum sequitur, a Leone decimo, Tridentina synodo, et orbe Christiano proscriptum, II. VII. 6. *et seq.*
Timorem gehennæ ut bonum, et utilem introducendæ charitati, ac necessarium commendat Augustinus, II. VIII. 3. *et seq.*
Idem timorem servilem, non excludentem voluntatem peccandi, damnare videtur, II. VIII. 6.
Quadruplex timor a D. Thoma numeratur, in iisque servilis secundum substantiam, bonus : secundum servilitatem, quæ non est de ejus ratione, malus, II. VIII. 7.
Triplex ab aliis pœnæ æternæ timor statuitur; nec alius bonus, quam qui excludit voluntatem peccandi, II. VIII. 8.
Timor pœnæ pure naturalis, est indifferens; excitatus a Spiritu sancto bonus est, *ibid.*
Neque alium vituperat Augustinus, quam qui peccandi voluntatem habet implicitam, si impune liceret, II. VIII. 9. *et seq.*
De timore illo pœnæ pure naturali concedi potest ; non vitari per illum peccatum, sine alio peccato, II. VIII. 11.
Timor pœnæ etiam ex fide, et Christi gratia conceptus, initialis est, nec ad exequenda mandata per se idoneus; donec introducat charitatem, II. VIII. 12.
Timor pœnæ bonam vitam, hæc bonam conscientiam parit, ut nulla pœna timeatur, II. IX. 11.

VETUS HOMO.

Observantiam legis antiquæ, veteris hominis servitutem Anomorum apologista vocat, I. II. 2.
Vetus homo eidem est corrupta peccato natura, peccati status, et corpus peccati, *ibid.*

VIRTUS.

Virtus est ordo amoris, II. II. 1.

FINIS POSTERIORIS INDICIS RERUM MEMORABILIUM.

MONITUM EDITORIS.

Indices rerum memorabilium, et locorum Scripturæ, quæ ad libros de Incarnatione spectant, sub fine tomi septimi, re demum absoluta, apponentur.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ

QUÆ IN TRACTATU DE PELAGIANA ET SEMIPELAGIANA HÆRESI ILLUSTRANTUR ET EXPLICANTUR.

—

PRIMUS NUMERUS ROMANUS, CAPUT; SECUNDUS, SARACENIS NOTIS, PARAGRAPHUM INDICAT.

EX VETERI TESTAMENTO.

ISAIA.

Isa. 8. 12. Omnia, quæ loquitur populus iste, conjuratio est, X. 1.

EZECHIELE.

Ezech. 13. 19. Ut interficiant animas, quæ non moriuntur, et vivificent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis, X. 1.
Ezech. 36. 26. Aufert cor lapideum, et dat cor carneum. VIII. 15.

DANIELE.

Daniel. 7. 18. Et accipient sancti regnum Altissimi, VI. 13.

EPISTOLA AD ROMANOS.

Rom. 4. 5. Credentibus in eum, qui justificat, fides reputatur ad justitiam, X. 7.
Rom. 10. 5. Quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea, III. 12.
Rom. 10. 13. Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei, quomodo, etc. VII. 14.
Rom. 10. 14. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? III. 8.

AD CORINTHIOS.

1. Cor. 3. 7. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, VIII. 9.
2. Cor. 3. 5. Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, VIII. 15.

AD GALATAS.

Gal. 4. 24. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, VI. 3.

AD PHILIPPENSES.

Philip. 3. 15. Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelavit, IX. 5.

JACOBI.

Jacob. 4. 17. Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi, VI. 12.

PETRI.

1. Pet. 2. 21. Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, VI. 7.

FINIS INDICIS LOCORUM SCRIPTURÆ.

Barri-Ducis. — Typis Ludovici GUERIN et sociorum, via nominata de la Rochelle, 49-51.

208.8
P 441

39174

PETAVIUS, DIONYSIUS
AUTHOR

Opus de Theologicis Dogmatibus
TITLE

Tomus 5

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	[redacted]

39174